CVRSVS PHILOSOPHICVS

Ad mentem Doctoris subtilis

IOANNIS DVNS SCOTI
ORDINIS MINORVM

Pro Tyronibus Scotistis planiori stylo exaratus, ac in tres Partes comiter diuisus.

Auctore Adm. Reu. P.

LIVIO RABESANO DE MONTVRSIO

Vicentino, Ord. Min. Reg. Obser. Almæ D. Antonij Prouinciæ olim Ministro, Philosophiæ, ac Theologiæ Lectore Generali, Sanctissimæq. Inquis. Vicen. Consultore.

PARS SECVNDA

Octo Libros Aristotelis de PHYSICO auditu luculenter continens.

Cum duplici Indice locupletissimo, altero Disputationum, & Quæstionum, ac Capitum; altero verò Rerum Notabilium.

VENETIIS, MDCLXIV.

Apud Nicolaum Pezzana.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

INDEX

Omnium Titulorum, Disputationum, Quæstionum, Sectionum, &c. quæ in Secundo Volumine continentur.

LIBER PRIMVS PHYSICORVM.

De Physico auditu, seu de auscultatione physica Aristotelis.

LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

LIBER TERTIVS.

LIBER QVARTVS.

INDEX

INDEX
Locupletissimus Rerum Notabilium Secundi Tomi.

Prior numerus paginam, secundus columnam insinuat.

Æter-

Forma accidentalis.

Fortuna.

Generatio.

Gratia.

nere

est

Mouens.

Multitudo.

Mundus.

Repu-

COMMENTARIA;

Vna cum Quæstionibus super octo Libros Aristotelis

DE PHYSICO AVDITV,

Ad mentem Doct. Subt. Ioannis Scoti Ord. Minorum, olim exarata, nunc demùm reuisa, ac diligentius recognita, necnon ex parte aucta.

PER A.R.P.F. LIVIVM DE MONTVRSIO

Eiusdem Ord. Min. Obser. Sacræ Theologiæ, ac Philosophiæ Professorem fœliciter incipiunt.

PHilosophia, Philosophique nomen, quam malè audierit à priscis temporibus, testes sint Epitectus, Plato, & Aulus Gellius, quorum primus describens Philosophum, dixit, esse tale animal, quod ab omnibus hominibus irrideatur: Secundus verò, loquens de Philosophia, appellat illam, rem ridiculosam, & ait ita se affici erga Philosophantes, vt ergà balbutientes: Tertius deniquè aiebāt, Philosophiam esse perniciosam, adeò vt Romana Respublica quosdam ex Philosophis reyceret, nonnullos de medio tolleret; nec immeritò quidem, nam aliqui sola gloria ducti, se veritatis professores iactabant, & baculo, & pallio tenus philosophabantur; Aliq à commercio humano ità abstinebant, vt Reipublica gubernationem omninò aspernarentur, & toto vitatempore in rerum causis inuestigandis, quasi sibi solis nati essent, sic versabantur, quem philosophandi modum Plato in Gorgias, & Cicero de Officiys reprahendebant: Aliq denique spe quastus ducti, solum veritatis vmbram quarebant, dum quastiones inutiles, & curiosas sophisticis rationibus iuuenum animos implicantes, à melioribus studiys reuocabant, in tantum, vt Epitectus illos appellare soleret, Philosophos sine facere & absquè dicere Lactantius Firmianus: Caterùm quamuis hac, & similia de huiusmodi Philosophorum genere, dicta, & scripta referantur, tamen hoc iudicium de nostris, Philosophiaque Christiana facere, oreque proferre, nefas putauerim; quandoquidem tamquam axioma certissimum, omnibusquè probatum, tenendum est, Philosophiam Christianam esse nedum vtilem, verùm etiam apprimè necessariam, non tantum ad rerum

humanarum gubernium, & moderationem habendam; sed etiam ad veritates Diuinas inuestigandas; ac ad fœlicitatem, tum naturalem, tum supernaturalem consequendam, siquidem Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum inquit, esse Pedagogum ad Christianum: & Iustinus Martyr illam describens ait, esse entis scientiam, & veritatis, cuius sapientiæ præmium est felicitas: Plato verò loquens de Republica, subiungit, illas respublicas fore beatas, si Philosophi eas gubernent, aut Principes Philosophentur. Hanc ergo Philosophiam, & hanc disceptandi rationem, in tradenda Philosophia Aristotelis, mihi præscribendam censui, non vt effugiam obtrectationes hominum, verum vt Tyrones Scotistæ, pro quibus laboro, non solùm à Christianis dogmatibus non retrahantur, quin potius alliciantur ad Diuina. Ordo autem seruandus erit idem, quem in Logica præscripsi, vt nimirum post aliqualem textus expositionem, subtexam, Disputationes, & Quæstiones super eodem emergentes, examinando aliorum opiniones, & illas resoluendo ad mentem nostri Doctoris subtilis Scoti.

Adsit Deus suas gratias.

DE DIFFINITIONE,

Ac Diuiſione Philoſophiæ.

PRÆLVDIVM PRIMVM.

Philoſophiam quo ad quid nominis conſideraram, eſſe amorem, vel ſtudium ſapientiæ, quo ad quid rei verò, eſſe humanarũ diuinarumq; rerum perfectam cognitionem: diximus aliàs cum Platone *in Thæceto*, & Phædone, vel cognitionem veritatis, cum Ariſtotele 2. Met. t. c. 3. Hanc autem cognitionem diuidentes, illam in primis partiti ſumus in contemplatiuam, & practicam. Contemplatiuam in realem, & rationalem; Illam in Naturalem, Tranſnaturalem, & *Mathematicam*; Hanc verò *in* in Grammaticam, Methoricam, & *Logicam*. Practicam autem diuiſimus in Actiuam, & Factiuam. Actiuam in Ethicam, Politicam, Oeconomicam, & Monaſticam: Factiuam verò in ſeptem Artes Mæchanicas, de quibus ſatis egimus in Procemio ſummularum. Philoſophia contemplatiua, de qua potiſſimum nobis agendum eſt in præſenti, ex Ariſtotele 2. Metaph. t. c. 3. & 6. Metaph. cap 1. eſt quæ ad nihil aliud extra genus contemplationis ordinatur: Practica verò eſt, quæ ordinatur ad opus vel eligibile, vel factibile, hoc eſt, vel dirigendo operationes voluntatis, tam elicitas, quàm imperatas, vel operationes potentiarum ſenſitiuarum circa obiecta ſenſibilia.

Contemplatiua autem; vel ſpeculatur veritates pendẽtes ab intellectu, aut eius operationibus; vel indepẽdentes ab eo: ſi de priori ſit ſermo, continet ſub ſe Grãmaticam, quæ verſatur circa ſermonem congruum, vel incongruum; Rethoricam, quæ ſpeculatur ſermonem ornatum, vel inornatum; & Logicam, quæ conſiderat ſermonem verum, vel falſum: eiuſdem enim facultatis eſt conſiderare oppoſita: Si verò de poſteriori agatur, comprehendit ſub ſe ſcientias Mathematicas, quæ ſpeculatur quantitatem ſiue continuam, de qua ſunt Geometria, & Aſtrologia; ſiue diſcretam, circa quam verſantur Arithmetica, & Harmonica, ſeu Muſica: Naturalem, quæ conſiderat ſubſtantias procedentes à Natura, in quibus nimirum ſit motus, & quies: & Tranſnaturalem, ſeu Diuinam, quæ ſpeculatur omnia entia, quatenus abſtrahunt à ſenſibilitate, & materialitate, vt ſunt Deus, Angeli, ſubſtantiæ, & accidentia abſtracta à ſuis ſuppoſitis, ſeu ſubiectis. Hic eſt ſermo de contemplatiua reali Naturali, quæ adhuc dupliciter accipitur, ſcilicet, ſtrictè, & reſtringitur ad octo libros Phyſicorum duntaxat; ac largè, quæ vltra prędictos, extenditur etiam ad libros de Cœlo, & Mundo; de Generatione, & Corruptione; de Anima; & Meteoris; de Paruis Naturalibus, ad Hiſtoriã de Animalibus; de Plantis, & Mineralibus, quorum ſufficientia deſumitur ex multiplici conſideratione ſui ſubiecti, quod eſſe corpus naturale pro-

babimus inferius: siquidem corpus naturale, si consideretur vt sic, & secundum passiones sibi in communi competentes, de illo dantur octo libri Physicorum: si verò accipiatur in particulari, hoc potest esse dupliciter, vel vt se extẽdit ad corpora simplicia, & assignantur libri de Cœlo, & Mundo; vel ad corpora mixta ex elementis, & eorum qualitatibus, & sic sunt libri de Generatione, & Corruptione; vel ad mixta animata, & sic enumerantur libri de Anima: vel ad quasdam passiones ipsam Animam consequentes, & sic dantur libri Paruorum Naturalium: vel ad animata vigitabilia, & sic recensetur Historia de Plantis; vel ad animata sensibilia, & sic coaptatur Historia Animalium, & eorum partibus; vel ad mixta, seù cõposita inanimata, & hoc dupliciter, vel ad inanimata imperfecta, & sic dantur libri Meteororũ; vel ad perfecta, & sic deniquè dantur libri Mineralium.

Practica etiam, quæ ordinatur ad opus, & est regulatiua actuum alterius potentiæ ab intellectu, potest dupliciter considerari, vel in quantum est regulatiua actuum potentiarum externarum, & sic habetur practica factiua, quæ diuiditur in septem Artes Mechanicas: vel quatenus est regulatiua actuum voluntatis, in quibus sita est Moralitas, & hoc potest cõtingere quadrupliciter: aut enim actus voluntatis ordinantur ad guberniũ Prouinciarum, & Regnorum, & sic regulantur per Politiam; aut Ciuium, & Ciuitatum, & ita reguntur Ethica; aut Domorum, seù Familiarum priuatarum, & sic regulantur Oeconomica; aut tamdem diriguntur ad proprios mores, seù ad personas singulares, & habẽt regi Monastica; & sic ex diuersa consideratione, seù ordinatione operationũ aliarum potentiarũ ab intellectu, habetur sufficienter diuisio Philosophiæ Practicę; sicut ex multiplici consideratione entium speculabilium sufficienter fuit diuisa etiam Philosophia Contemplatiua.

De Inuentoribus Philosophiæ.

PRÆLVDIVM. II.

Est ferè commune proloquium, Grecos fuisse Inuentores, non tantum Philosophiæ, sed etiam cæterarum Sciẽtiarum: Siquidem inuentio Logicæ à quibusdam tribuitur Zenoni, & ab Auerroe Aristoteli: Philosophiæ speculatiuæ, Tabeti: Moralis Socrati: & aliarum facultatum alij eiusdem Nationis recensentur inuentores, tùm ab Aristotele 1. Metaph. tùm ab Eusebio de Præparat. Euang. lib. 10. & à Beroso lib. 3. suæ Historiæ, sed quàm perperam hoc sibi usurpauerint, manifestè conuincitur, ex eo quod ante Philosophorũ Grecorum fuerunt plurimi Sapientes tùm Hebræi, tùm Caldæi, tùm Barbari: Siquidem Anacharsis fuit Scytha, Thales Pnœnicius, Pherricides Syrus, Orphæus Thracius, Mercurius Ægyptius, Zoroastes Atlantes Lybicus, Berosius Caldæus, Empedocles Agrigentinus, Moyses Hæbreus, & alij permulti, tùm ex Hæbreis, tùm ex Caldæis qui docuerunt Grecos, vt testantur Diogenes lib. 8. Ioseph. lib. 1. contra Appionem, Theodictus ex Porphyrio, Cyrillus lib. 1. contra Iulianum propè finem, vbi inquit Pythagoram fuisse circumcisum ab Hebræis, ab illisquè instructum; & Platonem didicisse à Hieremia refert Franciscus Georgius. Additur ad manifestandam magis Græcorum arrogantiam: Philosophiam, cæterasquè Scientias, & Artes Liberales præcessisse à multis temporibus eorundem gloriam, vtpotè quæ fuerint diuinitus Adamo infusæ, siquidem referunt Sacræ Literæ ipsum animalibus propria nomina imposuisse, quod facere non potuisset absq; eorundem propria cognitione. Ab Adamo fuerunt edocti Filij, & per illos posteri vsque ad Noe tempora, in quibus traditur Cam eius filium minorem sculpsisse septem Artes Liberales in quatuordecim columnis, septem æneis, ne perirent aqua, & septem lateritijs, nè incendio vrerẽtur, vnde commode potuit fieri, quod scriptis mandarent Eusebius, &

Berosius

Berosius citati; quibus adiungitur Hieronymus in Epistol. ad Paulinum; nimirum quod sapientia diuinitus Protoparenti infusa, & vsque ad diluuium per posteros deriuata, fuerit etiam per Noe, & eius filios communicata primum Armenis, deinde in Caldęos, & Ægyptios trāsfusa: ab his tamdē Græcos fuisse edoctos nedum Philosophiā, sed etiam facultates, quas cum conseruauerint, ordinauerint, & nouo methodo diuulgauerint, posse quodammodo illis attribui Scientiarum inuentionem, vt diximus in quæstione prima proœmiali ad totam Logicam; cum hoc tamen stat, vt alios Parentes, & Auctores agnouerint, vt benè adnotauit Themistius Græcus Auctor. Hoc tamen non obstante, Philosophia Græcorum semper malè audiunt apud Romanos, vt referunt Diodorus, & Marcus Cato, adeò vt semper corrumperentur, cum ad eos Græcorum literæ deuenirent, & subiungit Cato, ideo Etruscos à literis abstinuisse, quia Græcos horrebant; ex quibus omnibus liquidò constat qui fuerint primi Inuentores Philosophiæ, & quonam pacto ad nos vsquè deuenerit, & quo modo illam tractare debeamus, vt veritatem Christianam conseruare possimus, pro quo adsit nobis clementissimus Deus, nè incidamus in errores quorundam; qui vt se iactent Aristotelis Sectatores, & Philosophos, non verentur Hæreticos, quos verè sequuntur, inter Philosophos nominare.

De Prestantia, vtilitate, ac necessitate Philosophiæ.

PRÆLVDIVM. III.

PHilosophiam tanti fecerunt nonnulli ex Antiquis, vt dixerint per eam homines virtutes omnes consequi posse, & perfectè viuere: Alij, inter quos fuit Auerroes, tantum ipsi tribuerunt, vt putauerint sola Philosophia homines posse fieri beatos; Quinimò hominem dici æquiuocè de docto, & ignorante: Alij è conuerso Philosophiam tantum floci faciebant, vt omninò inutilem putarent: Cæterum omnes has opiniones suas pati censuras, si rectè perpendantur, siquidem nec omnino inutilem, nec in totum præstantem Philosophiam iudicamus, cum sine ea ipsa & beatè viuere, & vitam possimus consequi æternam. Testis sit experientia omnium rerum magistra, & exibebit nobilitatis infinitos homines, vt ita dicam, indoctos, ineruditos, & omni carentes humana sapientia, qui sola fide Christiana freti ad cœlos euolarunt: vnde quomodo dici possit vtilis, & necessaria ad vltimum finem consequendum, & quomodo inutilis; nostrum erit in præsentiarum ostendere, quocirca

Primò, Notandū, ac memoriæ recolendū id quod diximus de necessitate Logicę, necessarium aliud esse simpliciter, & aliud ex suppositione alicuius finis: & quod hic non loquimur de priori, sed tantum de posteriori.

Secundò, Notandū est finem hominis, simpliciter loquendo, esse duplicem, naturalem, & supernaturalem attingibilem; Prior consistit in clara Dei visione, ad quam peruenire non possumus, nisi auxilio supernaturali suffulti, vt optimè demonstrat Doctor subtilis in Prologo Sent. q. 1. & in 4. Sent. d. 49. q. 11. Posterior situs est in contemplatione substantiarum abstractarum, & maximè primi principij, vt Catholicè dixit Aristoteles in Metaph. t. 39 & seqq. ad consecutionem prioris confert Philosophia, sed non necessariò; ad posterioris verò attingentiam est omninò necessaria, maximè illa, quæ Diuina, seu transnaturalis appellatur.

Tertiò, Notandū est, Philosophiam esse vtilem, aut necessariam, posse dupliciter intelligi, vno modo loquendo de illa vniuersaliter, & secundum quamlibet sui partem; aliomodo secundum aliquam, reddendo singula singulis: Contemplatiua est necessaria ad cognitionem vltimi finis; Practica verò ad consecutionem eiusdem.

Ex his, Dico primò, Philosophiæ cognitionem non esse finem vltimum ho-

minis, siuè naturalem, siue supernaturalem. Probatur primò, quia conditiones finis vltimi conuenire nequeunt Philosophiæ cognitioni, ergo, nec ratio finis vltimi. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia Aristoteles in suis Ethicis assignat septem conditiones finis vltimi, quarum prima est, vt sit bonum, simpliciter perfectum. Secunda per se expetibile. Tertia sit optimum, pulchertimum, & delectabilissimum. Quarta, vt sit vltimus, in quem omnia referantur, & ipse sit irreferibilis. Quinta, vt sit bonum honorabilissimum. Sexta, vt nullo egeat, sed cætera ipso. Septima, vt sit causa, & principium omnium bonorum, & in quo omnia contineantur bona; vel, vt inquit Boetius, sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, sed omnia ista non conueniunt philosophię cognitioni, vt de se patet, Ergo. Secundo sic: vltimus finis habet vim satiandi appetitum hominis, cum in eo sita sit fœlicitas, sed Philosophia non satiat appetitum humanum, siquidem habita cognitione philosophica, adhuc cupit imbui Theologica, quæ est ipsa perfectior ratione obiectorum, Ergo, vltimus finis hominis non est in cognitione Philosophica.

Dico secundo, Philosophiæ cognitionem esse tantū necessariam ad perficiendum hominem in esse naturæ. Probatur, Tùm quia cognito effectu per sensum, appetimus cognoscere causam, sed hanc cognitionem non possumus habere absque Philosophia, vt probat Aristoteles & primo. Posterior & primo Physicorum, & primo Metaphysicorum, ac alibi: tùm etiam, quia intellectus, & voluntas sunt duæ potentiæ homines perfectibiles, sed tales perficiuntur per Philosophiam; intellectus enim contemplatiua pascitur, voluntas verò per practicam actiuam dirigitur in suis operationibus, ergo est necessaria ad perficiendum hominem in esse naturæ.

Dico tertio, Philosophia maximè confert ad beatitudinem consequendam. Probatur testimonio Clementis Alexandrini lib. 1. Stromatum, vbi dicit Philosophiam, supple Christianam, esse Pædagogum ad Christum: Et confirmatur, quia qui habet maiorem cognitionem, melius agit, quàm qui minorem, vel nullam, vt experientia compertum est apud omnes, sed qui melius agit accedente diuino auxilio, se magis idoneū efficit, vt à Deo suam gratiam illuminetur ad consequendam gloriam: Ergo, Philosophia, quæ præstat homini maiorem cognitionem nedum rerum naturalium, sed etiam Diuinarum, vt patet per suam diffinitionem traditam supra Præludio 1. ex Platone, confert ad beatitudinem consequendam.

Dico quarto, Philosophia, saltem Christiana, est necessaria ad Theologiam. Probatur, quia multa tractantur in Theologica Facultate, siue specul atiua, siue practica, quæ absque Philosophia intelligi nequeunt: Ergo, Philosophia est necessaria ad habendam Theologiam. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia in ea probatur Deum esse primum efficiens, & finem vltimum; in Diuinis dari veram generationem, absque imperfectione, Personas diuinas distingui realiter inter se; insuper quomodo Angeli moueantur de loco ad locum, quomodo sint in loco; an circumscriptiue, vel diffinitiuè tantùm; Vlterius de augmento, & decremento Gratiæ, & virtutum Theologicarum; De oppositione, quam habet vitia cum illis, Gratia cum peccatis; denique de causalitate Sacramentorum erga Gratiam, an sit Moralis, vel Physica, & de multis, quæ omninò pendent à cognitione Philosophica: Ergo absque ea intelligi nequeunt, ac proinde erit simpliciter necessaria ad Theologiam.

Dico quintò, Philosophiam esse necessariam ad rectam gubernationem Reipublicæ Humanæ. Probatur primò, auctoritate Platonis dicentis, tunc fore Respublicas beatas, si Principes fuerint Philosophi. Secundo, quia olim Reges, Philosophi, & Sacerdotes idem erant. Tertiò, Patet conclusio ex diuisione Philosophiæ practicæ, in qua reperitur Politica, quæ respicit Regna, & Imperia; Ethica Ciuitates; Oeconomica Familias; & Monasticas personas; Ergo, ad Rempublicam Humanam rectè instituendam.

dam, necessariò requiritur Philosophia.

Dico sextò, Philosophiam Christianam esse longè perfectiorem ea, qua pollebant Gentiles. Est Doctrina valdè probata à Francisco Pico, in lib. de Vanitate Doctrinæ Gentium. Secundò, confirmatur, quia Gentiles docebant Mundum esse æternum; Motum esse perpetuum; Deum esse Agens necessarium; & multos alios errores, qui tamen corriguntur in Philosophia Christiana; Ergo, hæc est longè perfectior illa. Consequētia tenet, quia vbi adsunt errores, ibi nequit esse perfectio, sed benè ibi reperitur, vbi adest purgata veritas.

Ex his infertur; eum, qui vult rectè Philosophari, debere à Deo priùs sapientiam quærere, nè dùm putat extra Deum sapere, verè cum seipso decipiat. Deinde Aristotelem in his, quæ videntur contraria fidei, vel exponere, si potest, vel confutare, si non potest; nam ipsi non est fidendum, in quibus ipse à recta in Deum fide aberrauit. Denique tenetur bonus Philosophus rationibus absque eloquentiæ fuco, veritatem affectare, siquidem, vt aiunt Plato de Legibus, & Cicero lib. de Finibus, Philosophia non postulat eloquentiam, sed nudam veritatem.

De Natura, & Subiecto Philosophię Naturalis.

DISPVTATIO VNICA

Vtrum de rebus naturalibus possit haberi vera Scientia?

QVÆSTIO I.

CIrca hanc primam Quæstionem extat duplex Antiquorum sententiam, quarum prima asserit; de rebus naturalibus non posse dari veram Scientiam, sed tantum quandam contingentem notitiam, siquidem Scientia propriè dicta, vt vidimus in primo lib. Poster. est de necessarijs, ac impossibilibus aliter se habere; at res naturales sunt in continuo fluxu, ac vicissitudine, dùm subijciuntur ortui, ac interitui. Ita Heraclitus, & Cratillus, à quibus videntur Academici suam sumpsisse opinionem de negatione huius Scientiæ, vt refert D. August. lib. 1. contra Academ: cap. 7. ex Platone in Thæteto, & Aristot. 1. Metaph. t. 5. & 4. Metaph. cap. 5. t. c. 23.

Secunda Sententia huic opposita, defenditur ab Aristotele, lib. 1. de Partibus Animal. cap. 1. 2. Metaph. cap. 3. t. 3. & 4. Metaph. cap. 5. t. c. 23. & communiter ab omnibus Peripateticis, & Platonicis; Dari nimirum de rebus naturalibus veram, & propriè Scientiam, prout fuit definita ab eodem Aristot. 1. Poster. c. 2.

Pro huius sententiæ declaratione, ac fundamento, primò notandum est, res naturales esse in duplici differentia; quædam enim habent esse completum, & perfectum, vt sunt illæ, quæ constant ex materia, & forma; quædam verò habent esse incompletum, & imperfectum, vtpotè ordinatæ ad res naturales, tamquam formæ, siue substantiales, siue accidentales ad suum totum, vel subiectum. Et vtræque dupliciter considerantur; vel secundū esse existētię, quod habent extra suas causas, vel secundū esse existētiæ; seù quiditatiuum, hoc est, quatenus sibi conueniunt prædicata quiditatiua; res naturales primo modo consideratæ, non sciuntur, quia sunt corruptioni obnoxiæ, & non necessariæ; at de eisdem secundo modo acceptis benè potest haberi scientia, quia sunt entia necessaria, & impossibilia aliter se habere.

Secundò, Notandum est quod sępius diximus in Logica, scientiam nimirum dupliciter capi posse, vno modo cōmuniter, & sic se extendit ad quamcumquè notitiam cuiuscumque propositionis, siuè necessariæ, siue contingentis, siue habeatur per demonstrationem, siue non. Alio modo specialiter pro notitia certa, & euidenti, de obiecto necessario, habita per demonstrationem, & applicata ad conclusionem scitam per discursum Syllogisticum; vt diximus in Logica pluribus in locis. Hic est sermo de scientia, hoc secundo modo accepta, cum quæritur: An de rebus

rebus naturalibus possit haberi Scientia.

Tertiò, Notandum est; Res esse in triplici differentia, quædam enim abstrahunt à materia & secundum esse, & secundum considerationem, vt sunt Deus, & Angeli, qui non constant ex materia, nec per materiam diffiniuntur; & de talibus est scientia Methaphysica quædam autem dependent à materia secundum esse, sed abstrahunt secundum considerationem, vt sunt quantitates, quæ licet depẽdeant à materia, id est, à subiecto secundum esse, tamen secundum considerationem minimè, cum non diffiniantur, saltem quiditatiuè, per subiectum, & de talibus est Mathematica: quædam tamdem nec abstrahunt à materia secundum esse, nec secundum considerationem, quia constant ex materia, & per materiam diffiniuntur, vt sunt res naturales, tàm perfectæ, quam imperfectæ, & de talibus est Physica, seù Philosophia naturalis, vel primariò, vel secundariò, vt aliàs dicturi sumus.

Ex his fit prima Conclusio. De rebus naturalibus, secundum esse quiditatiuum consideratis est verè, & propriè Scientia. Est conclusio Aristotelis 3. Physic. t. c. 74. & 1. lib. de Partibus Animalium, cap. 1. & 2. Methaph cap. 3. t. 3. & 4. Methaph. cap. 5. t. 23. & communiter omnium Peripateticorum. Probatur, quia Scientia est vnius generis subiecti, habentis principia, partes & passiones de ipso demonstrabiles ex Aristotele, 1. Poster. cap. 23. sed res naturales ordinantur ad vnum genus subiecti, quod habet principia, partes, & passiones de ipso demonstrabiles: Ergo de rebus naturalibus potest esse scientiam. Maior patet. Minor probatur, quia omnes res naturales ordinantur ad corpus naturale, vt ad vnum subiectum, & ipsum habet principia, & partes, ac passiones de ipso demonstrabiles, vt probabimus inferius in propria Quæstione. Ergo. Secundò probatur, quia notitia de rebus naturalibus, secundum esse quiditatiuum earum, est certa, & euidens, de obiecto necessario, causata à causa euidenti intellectui, & applicato ad conclusionem per discursum Syllogisticum: Ergo huiusmodi notitia est Scientia propriè dicta. Consequentia patet per diffinitionẽ scientiæ. Antecedens probatur, quia Corpus naturale, secundum esse essentiæ consideratum, est ens necessarium, cùm diffiniatur per hoc, quod sit compositum ex materia, & forma Physica, at quia de ipso habetur notitia certa, & euidens, nimirũ, quod sit mobile, & corruptibile per hunc discursum Syllogisticũ: omne compositũ ex materia & forma Physica est mobile, siquidẽ materia, & forma Physica cum sint natura, sunt principiũ motus, & quietis, vt videbimus cum Aristotele in 2. Physicor. sed omne corpus naturale est compositũ ex materia, & forma Physica: Ergo est mobile, & consequenter de ipso habetur notitia certa, & euidens, causata à causa euidente intellectui, & applicata ad scitum per discursum Syllogisticũ. Eodem modo probetur quod etiam sit corruptibile, cum materia sit principium corruptionis, vt videmus infrà.

Secunda Conclusio. De rebus natulibus secundũ esse existẽtiæ acceptis, non est Scientia. Est Aristotelis in citatis locis. Probatur, quia de corruptibilibus non habetur Scientia ex Aristotele 1. Poster. cap. 7 sed res naturales secundum esse existentiæ sunt corruptioni obnoxię, vt patet per experientiam: Ergo, &c. Secundò sic: De singularibus non habetur Scientia, vt singularia sunt, ex eodem Aristotele, 1. Post. c. 24. sed res naturales, quatenus existunt extra suas causas, sunt singulares, siquidẽ vniuersale habet esse abstractum per intellectum à singularibus; tùm etiam quia non vniuersalia, sed tantum singularia gignuntur, & corrumpuntur: Ergo res Naturales quoad esse existentiæ sunt singulares, ac proinde de ipsis non habetur Scientia.

Tertia Conclusio. Si res naturales sic vniuersaliter sumantur, de omnibus non est vera, & propria Scientia. Probatur, quia nomine rerum naturalium veniunt nedùm conclusiones, sed etiam principia ex quibus deducuntur, sed de principijs non est propriè scientia, nec verùs intellectus, vt optimè demonstrat Aristoteles, 2. lib. Posteriorum cap. vltimo: Ergo, de rebus naturalibus sic vniuersaliter sumptis

sumptis non est verè, & propriè Scientia. Confirmatur, quia in Philosophia sunt multa probabilia duntaxat, vt patet de cõtrouersijs inter Scotistas, & Thomistas, ac alios: sunt etiã multa falsa in Philosophia Aristotelis, vt cõstat de Mūdi, ac Motus æternitate, de necessitate Dei in agendo ad extra, de Animæ intellectiuæ Mortalitate, & alijs; atqui de probabilibus, & falsis, nequit esse Scientia: Ergo de rebus naturalibus vniuersaliter sumptis nequit esse Scientia. Sequitur ergo, quod etiã concludit noster Poncius hic, Disp. 1. quæst. 2. concl. 2. de quibusdam in Philosophia contentis dari Scientiam, de alijs intellectum, de alijs opinionem, vel fidem, de alijs verò non dari veritatem, sed errorem, quem corripuit Philosophia Christiana ex ea, quæ ab Aristotele fuit tradita.

Obijcitur primò contra conclusiones supradictas: De corruptibilibus non est scientia ex Aristotele. 1. Poster. c. 6 & 7. sed res naturales sunt corruptibiles, vt quotidiano experimento docemur: Ergo de illis nequit esse Scientia.

Respondetur, Maiorem esse veram de corruptibilibus inesse existentiæ, & in potentia proxima ad corrumpi, non tamen de illis quo ad esse essentiæ, seù quiditatiuum, & in potentia remota tantum; quia talia, cum sibi conueniant prædicata quiditatiua, sunt entia necessaria, & impossibilia aliter se habere: Modo res naturales inesse quiditatiuo considerata, quàmuis sint corruptibiles in potentia remota, hoc est, habeant ordinem ad corruptionem, prout sunt in singularibus, non sunt tamen corruptibiles in potentia proxima, cum non habeant esse existentiæ actualis, sed esse essentiæ, & obiectiuum in intellectu, vel in mente Diuina, quod esse est necessarium, & impossibile aliter se habere.

Obijcitur secundò: De ente per accidens non potest haberi scientia, ex Aristotele, 6. Methaph. cap. 1. Summ. 2. t. 4. & 5. sed aliquæ res naturales sunt entia per accidens: Ergo saltem de illis non est scientia. Minor probatur, materia sensibilis est res naturalis, consideraturque à Philosophia naturali secundum Aristotelem, libro de Ortu, & Interitu, cap. 1. sed materia sensibilis est per accidens, cum constet ex rebus diuersorum generum: materia enim est de genere substantiæ, sensibilitas autem de prædemonstrato quantitatis, vel qualitatis: Ergo, &c.

Respondetur, Negando Minorem, ad probationem dico, Minorem esse veram de materia sensibili, prout actu subijcitur talibus accidentibus, non tamen vt ab illis abstrahit, quia sic est ens per se diffinibile, & scibile, & hoc modo consideratur per se à Philosophia naturali, non verò priori modo.

Obijcitur tertiò, Scientia est de abstractis à Materia, cum sit de incorruptilibus, & impossibilibus aliter se habere ex Aristotele, 1. Poster. sed res naturales, quomodocunque considerentur, non abstrahunt à Materia, tùm quia diffiniũtur per Materiam, tum quia per hoc distinguuntur à Mathematicis, quæ abstrahunt à Materia, saltem secundũ considerationem: Ergo de illis non potest esse Scientia.

Respondetur. Maiorem esse veram de materia totius, cuiusmodi est materia sensibilis, quia talis non diffinitur, cum careat vno genere, & vna differentia, falsam tamẽ de Materia partis, & inesse quiditatiuo considerata, quia vt sic, cum diffiniatur ab Aristotele, 1. Physic. t. 82. & sit incorruptibilis, de ipsa potest esse scientia naturalis, sicut de cæteris rebus naturalibus, quamuis sint immixtæ eidem materiæ in tali esse consideratæ.

Obijcitur quartò, Omnis Scientia considerat quiditatem sui subiecti, sed Philosophia naturalis non est huiusmodi: Ergo, non est Scientia. Maior patet, quia per eius quiditatem demonstrantur passiones de eo; sed in tali demonstratione, seù inherentia passionis cum suo subiecto consistit ratio Scientiæ: Ergo, Scientia debet considerare quiditatem sui subiecti. Minor etiam est nota, quia considerare quiditates omnium entium spectat ad Methaphysicam, vt docet Aristoteles, 4. Methaph. t. 5. Ergo, non ad Physicam.

Respondetur, Negando Minorem, ad

ad probationem dico, esse verã sub ratione cõmuni entis vt sic, non tamen sub ratione talis entis, quia sic quælibet scientia particularis, (cuiusinodi est Philosophia) considerat quiditates propriorum subiectorum, vt melius explicabitur in Quęstione de Subiecto Philosophiæ. Modò, Scientia, quæ habetur de rebu naturalibus, considerat illarum quiditates in particulari, quatenus sunt talia entia, non verò vt entia.

Vtrum Philosophia sit vna, vel plures? Practica, aut Speculatiua?

QVÆSTIO II.

Circa primam parté huius Quæstionis est eadem controuersia cum B. Thoma, & eius Discipulis, quam exagitauimus de Vnitate Logicæ, Disput. 1. q. 8. de natura Logicę, siquidem habent dicere de Philosophia, sicut de Logica, esse vnum habitum simplicem, habereque duntaxat vnitatem specificam.

Cæterùm, Doctor Subtilis ibi citatus, cum agnoscat vnitatem, & distinctionem Scientiarum pendere ab vnitate, aut distinctione subiectorum, vt docet in 1. Sent. d. 3. q. 6. ex Aristotele in 1. Poster. cap. 23. debet dicere consequenter Philosophiam habere plures habitus inter se specificè distinctos, qui tamen conueniant in vnitate generica, iuxtà conuenientiam subiectorum partialium in corpore naturali vt sic, quod est genus ad illa, & subiectum adæquatum totius Philosophię naturalis.

Circa secundam partem verò, nulla, in rei veritate, adest controuersia; omnes enim ingenuè fatemur cum Aristotele, 2. Methaph. t. c. 3. & 6. &c. Methaph. t. c. 1. ac Platone apud Alcinoum, lib. de Doct. Platonis cap. 7. Philosophiam naturalem esse Scientiam speculatiuam, & nullo modo practicam.

Pro declaratione tamen vtriusq; partis primò notanda sunt ea omnia, quæ de vnitate Logicę, diximus in præcitata q. Quia mutatis mutandis, hic adaptari debent, & præsertim Scientiã habere duplicem vnitatem, alteram ab intrinseco, quæ sibi conuenit ratione propriæ differentię constitutiuę; alteram verò ab extrinseco per ordinem ad obiectum; & has partiri in genericam, specificam, & indiuiduale secun dũ vnitatem obiecti, vel differentię, à quibus desumuntur. Insuper recolendum est, Scientiam esse triplicem, formalem, virtualem, & potentialem; Prima est notitia vnius conclusionis demonstratæ. Secunda est notitia diffinitionis subiecti, cuius virtute demonstrantur plures conclusiones. Tertia verò est cognitio alicuius superioris, continentis sub se plura inferiora, vel tamquam genus suas species, aut veluti totum vniuersale suas partes subiectiuas. Exemplum primę sit notitia huius Conclusionis: Corpus naturale est mobile, demonstratæ per has duas pręmissas: Omne compositum ex materia, & forma est mobile, &, omne corpus naturale est depositũ ex materia, & forma. Exemplũ secundę sit diffinitio subiecti eiusdem conclusionis, scilicet, corporis naturalis, quia eius virtute demonstrari possunt omnes passiones de illo. Exemplum tertiæ sit cognitio eiusdem subiecti, quatenus est quoddam totum potentiale, continens sub se omnia corpora naturalia, siuè simplicia, siue mixta, siuè animata, siue inanimata.

Secundò, Notandum est, de huiusmodi corporibus naturalibus specie ab inuicem distinctis, dari distinctos habitus scientiales; siquidem cum habeant proprias diffinitiones, quę sunt media demonstrandi de vnoquoq; passiones specificè distinctas, consequẽter dicendũ est, notitias scientiales per eas genitas, esse ab inuicem distinctas specificè. Cæterùm quia huiusmodi subiecta conueniunt in vno subiecto, quod est genus ad illa, nimirum in corpore naturali vt sic, ab illis abstracto, necessariò inferendum est etiam habitus partiales vniri debere in habitu totali, qui sit notitia habitualis potentialis de corpore naturali in communi sumpta, quę dicitur Philosophia naturalis, vna genere, sicut eius subiectum

adequa-

adæquatum est vnum vnitate generica.

Tertiò, Notandum est, duplicem esse Scientiam, scilicet practicam, & speculatiuam: Prior habet pro fine operari, & est directiua praxis, id est operationum alterius potentię ab intellectu, cuiusmodi sunt actus voluntatis, & potentiarum sensitiuarum, vt prudentia, per quam dirigitur voluntas in his, quę debet eligere, vel respuere; & hæc diuidatur in multas species, vt visũ est Præludio 1. Posterior verò habet solumpro fine scire, speculari, & contemplari obiecta, & eorũ quiditates, estquè solùm directiua actuum intellectus, ne speculatiuè erret circa cognitionem suorum obiectorum, & hæc secundum Aristotelem diuiditur, in lib. 6. Methaph. t. 2. in naturalem, Mathematicam, & Diuinam; Cum igitur Philosophia naturalis contineatur sub primo membro scientiæ speculatiuę, & nõ practicæ, dicendum necessario venit, esse scientiam speculatiuã, & non practicam.

Quartò Notandum est pro solutione argumentorum, Scientiam, quæ dicitur Physica, esse in duplici differẽtia; alia enim considerat corpus sanabile, vt sanabile, & talis appellatur Medicina Physica, quæ secundum Doctorem Subtilem, quæst. 4 Prologi, non est speculatiua, sed practica, cùm habeat pro fine operari in condendis medicaminibus, & cæteris ad sanitatem procurandam necessarijs. Alia verò considerat corpus naturale, vt naturale est, hoc est, quatenus sibi conueniunt prædicata quiditatiua, & per eius quiditatem demonstrantur propriæ passiones, & talis est tamen speculatiua, & non practica, quia non tendit in finem operandi, sed tantũ speculandi, & sciendi, & dicitur Philosophia naturalis, vt distinguitur à Diuina, seù Methaphysicam.

Ex his fit prima Conclusio. Philosophia naturalis hoc secundo modo accepta, si condetur intrinsecè est vna specie duntaxat. Probatur, quia prædicatur de hac, & illa Philosophia, quæ differunt tantum numero, in quid. Ergo est tantum vna specie: Consequentia patet per locum à diffinitione ad diffinitum.

Secunda Conclusio. Philosophia naturalis extrinsecè considerata, per ordinem ad eius subiectum, est vna genere. Probatur, quia vnitas extrinsica Scientiæ desumitur ab vnitate subiecti, cum secundum Aristotelem, 1. Poster. cap. 23. & 5. Methaph. c. de ad Aliquid, mensuretur ab eo: Ergo qualem vnitatem habebit subiectum, talem pariter præbebit & Scientiæ: Sed Philosophia naturalis est de corpore naturali, vt de subiecto, quod est vnum genere: Ergo ab eis accipiet vnitatem generum. Assumpti prima pars probabitur in sequenti Quæstione. Secunda verò probatur, quia prædicatur de corpore simplici, & mixto, animato, & inanimato, tamquàm de speciebus differentibus in quid: istę enim sunt quiditatiuæ corpus simplex, cuiusmodi est Cœlum secundum Philosophium, vel Elementum est corpus naturale; similiter corpus mixtum, tàm animatum, quàm inanimatum est corpus naturale; Ergo est vnum genus, seù vnum genere.

Tertia Conclusio. Philosophia naturalis est vna potentialiter, non tamen formaliter, aut virtualiter. Probatur prima pars, quia notitia alicuius superioris sub se continentis plura inferiora, est vna potentialiter, sed Philosophia naturalis est huiusmodi, vt probabitur in sequenti Quæstione; Ergo, est vna potentialiter. Maior patet ex primo Not. Secunda pars probatur, quia Scientia vna formaliter est notitia vnius Conclusionis demonstratæ, sed in Philosophia naturali sunt ferè infinitæ Conclusiones demonstratæ: Ergo, &c. Tertia pars similiter probatur, quia sciẽtia virtualis est notitia alicuius quiditatis, per quam gignitur scientia formalis, sed in Philosophia sunt plures quiditates, vt patet, quia corpus simplex distinguitur quiditatiuè à mixto, similiter animatũ ab inanimato, animata inter se, sicut & inanimata: Ergo Philosophia naturalis nequit esse vna virtualiter.

Quarta Conclusio. Medicina est scientia Practica. Probatur, quia illa est scientia practica, quæ dirigit in praxim, seù cuius finis est operari, sed Medicina est huiusmodi, siquidem docet, quæ medi-

camina

camina debeant applicari tali, vel in tali infirmitati, & quæ non: similiter quomodo conficiantur Pharmaca, quæ iuuant, & quæ officiunt infirmis: Ergo cum sit directiua praxis, & habeat pro fine tantum operari, & non scire, erit tantum practica, & non speculatiua.

Quinta Conclusio. Physica naturalis, vt distinguitur à Medicina, est Scientia speculatiua. Probatur, quia tendit in finem sciendi, & non operandi: Ergo est speculatiua. Consequentia est Aristotelis, 2. Methaph. t. c. 3. vbi diuersificat scientiam speculatiuam à practica, quia huius finis est operari, illius verò scire, & contemplare quiditates rerum secundò probatur, quia Philosophia naturalis docet quid sit corpus, quid motus, & quæ sint illorum prædicata quiditatiua, non autem quomodo conficiantur corpora, & motus, ac cætera huiusmodi. Ergo est tantum speculatiua, & non practica; siquidé, vt inquit Aristoteles loco citato, speculatiuæ finis veritas, practicæ autem opus.

Obijcitur tamen ex Ruuio, probando Philosophiam esse vnum habitum simplicem, & non aggregatum ex pluribus habitibus partialibus, quia vbi ratio assentiendi omnibus conclusionibus, ex quibus gignitur habitus, est vna specie, & habitus erit vnus specie, sed in tota Philosophia, & in omnibus eius partibus ratio assentiendi conclusionibus est est vna specie tantum: Ergo & Philosophia erit habitus vnus specie tantum. Maior patet. Minor probatur, quia principia sunt ratio assentiendi conclusionibus, sed in tota Philosophia principia conueniunt in vnitate specifica: Ergo ratio assentiendi, &c. est vna specie. Maior item patet ex Aristotele, 1. Poster. cap. 1. vbi dicit, cognita Maiori, & Minori, necessariò cognosci conclusionem. Minor probatur, quia principia sunt eadem, ex Aristotele, 1. Poster. c. 25. si ex alijs fiunt aut ex alterutris, id est, si ex communibus fiant omnia, vel ex particularibus particularia, sed principia omnium partium Philosophiæ sunt huiusmodi: Ergo, &c. Minor probatur, quia principia fieri ex alijs, vel ex alterutris, non est componi materialiter ex terminis communibus, aut particularibus, sed ea essentialiter præsupponere, sed principia omnium partium Philosophiæ præsupponunt essentialiter principia communia de ente mobili, & principia vnius partis etiam præsupponunt essentialiter principia alterius; si quidem principia Librorum de Cœlo præsupponunt principia Physicorum; & principia Librorum de Generatione principia Librorum de Cœlo, & sic de cæteris: Ergo hæc fiunt ex alterutris, & omnia ex communibus, & consequentur sunt eadem formaliter, ac specificè.

Respondetur, Negando Minorem, ad probationem iterū nego Minorem, ad cuius probationem denuo nego Minorem, & ad eius probationem nego Maiorem: quinimò principia fieri ex alijs, vel ex alterutris, est materialiter componi ex terminis communibus, vel disparatis ad illa contractis, & non tantum se præsupponere essentialiter, alioquin & omnium Syllonismorum essent eadem principia, cum omnes præsupponant essentialiter illa duo communissima: De Quolibet, &c., &, Non contingent, &c. quod esset contra Aristotelem in citato loco, vbi inquit, Neque communium principiorum possunt esse aliqua, ex quibus omnia demonstrentur: Dico autem cōmunia, vt omne affirmare, aut negare: Genera enim eorum, quæ sunt, altera sunt, & alia quidem in quantitatibus, alia verò in qualitatibus sunt solum, cum quibus demonstrantur per cōmunia, hoc est, quatenus ad illa contracta fiunt particularia, & propria: Tum etiam quia, c. 8. docet demonstrationes gignentes Scientias particulares debere procedere ex proprijs, & non ex communibus, aut disparatis: Tum denique data hypothesi, nullæ darentur scientiæ particulares, sed omnes essent Methaphysicæ, cùm illarum principia præsupponant essentialiter principia Methaphysicalia, quod est contra eundem Aristotelem, cap. 9. eiusdem Libri. Superest igitur, quod cum principia partium Philosophiæ sint alia, & alia specificè distincta etiam habitus ex huiusmodi conclusionibus geniti, sint distincti specie, & solùm coalescere in

vnita-

vnitate genetica, aut potentiali, vt probatum est conclusione secunda,& tertia.

Obijcitur secundò contra vltimam Conclusionem : Illa Scientia, quæ ordinatur ad amorem est practica ; amor enim est actus alterius potentiæ ab intellectu, & consequenter praxis, sed Philosophia est huiusmodi, ex D. August. lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 4. & Alcinos de Doctr. Plat. cap. 7. dicentibus, omnem Intelligentiam humanam, (vt est Philosophia) ad amorem nos prouocare Diuinæ Bonitatis ; Ergo, Philosophia est Practica.

Respondetur, Maiorem esse veram, si hoc habeat ab intrinseco, & ratione sui; non tamen ab extrinseco,& ratione alterius : modò Philosophia ordinatur equidem ad amorem Dei, non ratione sui finis, quia sic tantum habet speculari veritatem; sed solum rationem Theologiæ, vel etiam Philosophię moralis,cuius finis est dirigere actiones nostrarum potentiarum in obsequium Diuinum.

Vel dicendum, & meliùs, Philosophiam ordinari in amorem Dei consecutiuè, non formaliter; siquidem cum per Philosophiam doceamur cognoscere, & contemplari etiam quasdam veritates Diuinas, inde accendimur, ac prouocamur in amorem Dei, cuius sunt tales veritates, vt obiecti, omni etiam Bonitate referti.

Contra primam responsionem, quia *Philosophia* , saltem in illa parte, quæ agit de Anima intellectiua, considerat àb intrinseco operationes ne dum intellectus, sed etiam voluntatis,& consequenter etiam amorem Diuinum : Ergo saltem secundum illam partem est practica.

Respondetur, Negando Consequentiam, quia tales operationes considerantur à Philosophia naturali speculatiuè, inuestigando quæ, & quales sint ; non tantum directiuè, vt benè, vel malè eliciantur, aut imperentur à voluntate, cum hoc sit munus Philosophiæ practicæ, non verò speculatiuę, de qua in præsenti tantum nos loquimur.

Obijcies tertiò. Physica Medicina est Scientia practica ; Ergo, & Physica naturalis. Antecedēs patet ex quarta Cōclusione. Consequentia probatur, quia de similibus idem est iudicium, sed Physica medicina,& Physica naturalis sunt similes, siquidem ab Aristotele appellantur Sorores: Ergo, & ista est Practica.

Respondetur, Negando Consequentiam, ad probationem, dico Minorem, & eius probationem habere veritatem obiectiuè, non tamen ratione tendentiæ in ipsum, siquidem Philosophia naturalis considerat corpus naturale modo speculatiuo, prout nimirum de ipso sunt demonstrabiles per eius quiditatem, proprię passiones : at medicina idem considerat modo practico, quatenus est subiectum sanitatis, vel ægritudinis, & quibus medijs habeat transire de vna in aliam affectionem, quod est operari, & non speculari.

Obijcies quarto, Aristoteles, in ea parte, quæ agit de Metheoris, docet quonam pacto fiant grandines, fulgura, cometę, tonitrua, & similia mixta imperfecta; sed hoc est operari : Ergo saltem pars Methereologica erit practica,& non speculatiua.

Respondetur . Negando Consequentiam ; siquidem scientia practica tendit in opus per se, & directè ; at speculatiua potest tendere in opus saltem per accidēs, vt patet de Logica, cuius finis per se intentus est cognitio Syllogismi,& confectio eiusdem per accidens,& tamē conclusimus esse simpliciter speculatiuam , & non practicam; cum igitur pars illa Methereologica tantum per accidens doceat modum conficiendi talia mixta, & per se consideret earum quiditates, ac passiones, dicendum est esse simpliciter speculatiuam & nullo modo practicam.

Virum

Vtrum Philosophia Naturalis sit de Corpore Naturali, tamquam de Subiecto adæquato eius?

QVÆSTIO III.

Varia sunt Philosophorum placita circa hanc Quæstionem; siquidem alij docent subiectum adæquatum Philosophiæ naturalis esse ens mobile. Ita D. Thom. 1. lib. Methaph. Lect. 2. & lib. 4. Lect. 5. & lib. 6. Lect. 19. & in Procem. Physicorum, & communiter Thomistæ, quamuis aliqui diuersimodè explicent mentem Angelici Magistri, vt videre est apud Pontium hic, q. 1.

Alij censent huiusmodi, subiectum esse quidem ens, vt dicit Thom. etiam 4. Methaph. q. 1. sed restringunt ipsum ad entia naturalia duntaxat. Ita Toletus hic, q. 2. Præambulari.

Alij verò coarctant ens ad substantias corporeas mobiles, & ideò dicunt subiectum adæquatum esse corpus mobile. Ità Auicen. cap. 1. suæ sufficientiæ, Algazeles in lib. de Scientiarum Diuisione, Albert. Magn. 1 Physic. Tract. 1. cap. 3. Ægidius Roman. & Lynconiensis in Procem. Physicorum.

Alij autem distinguunt de Philosophia Aristotelis, & de eadē adæquatè sumpta, dicentes, subiectum adæquatū in priori esse corpus naturale, vt naturale; in posteriori verò substantiam finitam naturalem, quatenus complectitur etiam substantias immateriales, vt sunt Angeli, & Animæ separatæ. Sic Mastrius, & Bellutus hic. q. Procem. art. 1. & 2. cum alijs multis ab eisdem citatis, præsertim ex Scotistis.

Alij tandem, loquendo de Philosophia, etiam adæquatè sumpta, asserunt eius subiectum adequatum esse corpus naturale, vt tale est. Ita Scotus 6. Meth. q. 1. Faber. Theor. 20. Aretin. in Procem. Physic. Poncius ibi, Disp. 1. q. 1. conc. 6. Francis. à Pontelongo, Disp. Procem. cap. 2. conc 1. & communiter defenditur à Scotistis præter paucos, quorum meminere Mastrius, & Poncius citati.

Pro huius sententiæ declaratione, primò notandum, Subiectum accipi tripliciter, Logicè, scilicet, Physicè, & pro subiecto considerationis. Subiectū primo modo est, de quo aliud dicitur; scilicet, prædicatum, vt in hac propositione: Homo est animal: Subiectum transmutationis, seu Physicè acceptum, est illud, in quo fiunt transmutationes de vna forma substantiali in aliam, & sic materia prima est subiectum omnium formarum, vt dicit Aristoteles 1. Physic. t. 82. vel de vna forma accidentali in aliam, & compositum substantiale dicitur subiectum, quia in ipso fiunt mutationes, e. g. de albedine in nigredinem; caliditatis in frigiditatem. Subiectum autem considerationis est circa quod versatur scientia, vt Syllogismus in Logica, ens reale in Methaphysica, & sic de cæteris.

2. Notandum est subiectū considerationis in aliqua scientia posse duplex assignari, scilicet, per prædicationem, & per attributionem. Subiectum per prædicationem habet prædicari in recto de omnibus consideratis in scientia, vt ens in Methaphysica; ens rationis Logicum, seu collatiuum in Logica; & ens naturale in Philosophia. Subiectum verò per attributionem est illud quod principaliter consideratur in Scientia, & ad quod cætera in ipsa considerata habent attributionem vel vt principia, vel vt partes subiectiuè, vel vt partes integrales, vel vt passiones, vt est substantia in Methaphysica, Syllogismus in in Logica, & corpus naturale in Philosophia naturali, & de subiecto hoc modo sumpto loquimur in præsenti Quæst. non autem de subiecto communitatis, seù prædicationis.

Tertiò, Notandum ex Scoto, quæst. 3. Vniuers. ad subiectum attributionis cuiuslibet Scientiæ exigi tres conditiones, quibus si careat, nequit esse subiectum: Prima est, quod habeat quid est, & quia est, seu quod est; id est, diffinitionem, seù conceptum quiditatiuum; & existentiam saltem aptitudinalem, aut non repugnantiam ad esse, vel in se, vel in alio, quod dicitur propter subiectum, quod est ens rationis, vt aliàs declarauimus. Secunda, quod per ipsum quod quid est demon-

demonstrentur eius passiones de se ipso. Tertiò, quod omnia considerata in scientia habeant aliquo modo attributionem ad ipsum; siquidem subiectum, & scientia debent adæquari, cum scientia mensuretur à scibili mensura adæquationis. Ex his sequitur, corpus naturale esse subiectum attributionis adæquatum in tota Philosophia naturali, tùm quia diffinitur per habere naturam, seù per esse compositum ex materia & forma Physica; tùm etiam quia per ipsum esse compositum ex materia, & forma seu per habere naturā demonstrantur omnes eius passiones, & præsertim mobilitas naturalis; tùm denique quia ad ipsum, omnia considerata in Philosophia naturali habent ordinari vel vt principia, vt sunt materia, forma, & priuatio; vel vt partes essentiales, vt sunt materia, & forma; vel vt partes subiectiuæ, cuiusmodi sunt corpora animata, & inanimata, sensibilia, & insensibilia; vel vt passiones, vt mobilitas, generabilitas, corruptibilitas, vel vt passiones suarum partiū subiectiuarum, vt videbimus suis in locis Siquidem de principijs, & partibus essentialibus dantur duo. Primi libri Physicorum de Passionibus, tum intrinsecis, tùm extrinsecis reliqui sex, de partibus verò subiectiuis, & eorum principijs, ac passionibus cæteri libri ad Philosophiam naturalem pertinentes, quorum meminimus supra, *Præludio 1.*

Quartò notandum est, subiectum scientiæ quoad attributionem, esse in duplici differentia, quodam enim habet vnitatem specificam, quodam verò genericam, seu potentialem. Subiectum primo modo acceptum secundū Doctor: Subt. in Prolog. Sent. q 3. & 2. laterali, §. De 2. dico, &c. debet continere in se primo virtualiter, saltem in esse cognito, omnes veritates illius scientiæ, cuius est subiectum, siquidem obiectum primum continet propositiones immediatas, cùm subiectum contineat prædicatum, & euidentiam totius propositionis, vt patet in hac demonstratione: Omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, in quibus, homo, qui est subiectum, continet essentialiter animal rationale, quod est prædicatum, cum sit eius diffinitio quiditatiua: & animal rationale continet virtualiter risibile, cum sit eius causa, tùm in esse naturæ, tùm in esse cognito, id est, quo ad inherentiam eius cum homine in conclusione: Propositiones autem immediatæ continent conclusiones, in quibus sitæ sunt veritates, saltem mediatæ vnius scientiæ: Ergo De primo ad vltimum, subiectum propositionum immediatarum continet virtualiter omnes veritates illius scientiç, cuius est subiectum. Subiectum verò secundo modo acceptum, cum habeat sub se species, seù partes subiectiuas, & consequenter respiciat passiones proprias, & passiones suorum inferiorum, non potest continere virtualiter omnes veritates habitus, cuius est subiectum; sed aliquas virtualiter, vt potè illas, quę coalescunt ex subiecto, & passionibus adęquatè sibi deuenientibus: aliquas veri potentialiter, vt sunt illę, quę fiunt ex subiectis, & passionibus suorum inferiorum, cùm & huiusmodi subiecta tantum potentialiter contineantur in illo, quod est vnum genere. Cum igitur corpus naturale non sit vnum specie tantum, sed etiam vno genere, & potentialiter habeat sub se species, de quibus sunt multæ partes Philosophiæ subiectiuè; Cōsequenter dicendū est non continere virtualiter omnes veritates philosophicas, sed aliquas virtualiter, illas nimirum, quas continet vti species; & reliquas tantum potentialiter, vt sunt conclusiones virtualiter contentæ in subiectis suorum inferiorum, in quibus est tantum potentialiter, vt genus in suis speciebus.

Quintò notandum est, Subiectum Scientiæ adhuc esse duplex, id est, materiale, & formale. Primum est illud, quod consideratur in scientia. Secundum verò est ratio sub qua consideratur illud, quod est subiectum naturale, & primò consideratum. In Philosophia subiectum materiale est corpus naturale, compositum ex materia, & forma substantiali; formale verò est naturalitas, quia sub ipsa consideratur reduplicatiuè, & per ipsam distinguitur Philosophia

phia à Methaphysica, cum & ipsa consideret corpus naturale, sed tantum sub ratione entis, & non vt naturale, id est, in quantum est subiectum motus, & quietis. Hæc autem naturalitas non respicit passiones corporum inferiorum ad corpus naturale, vt sic, quia, vt dixi in præcedenti, tantũ potentialiter continentur in illo; nec etiam passiones, seù affectiones suorum superiorum, vt puta substantiæ in communi, vel entis finiti, cùm nulla ratio inferioris possit esse medium demonstrandi passiones alicuius superioris ad ipsum, sed est ità adæquata corpori naturali, vt ipsum solùm specificet, & essentialiter distinguat à subiectis aliarum scientiarum, quæcunque sint illæ, & singulariter à Methaphysica, quæ considerat omnia entia, vt talia, & non naturalia, vel sub alijs rationibus specialibus.

Sextò notandum est, Mobilitatem prouenientem à principijs intrinsecis subiecti Philosophiæ naturalis, non esse aliquid superius ad mobilitatem substantialem, & accidentalem, vt malè senserunt aliqui Thomistæ cum Caietano, neque quid communius motu rerum spiritualium, & corporearum, vt dicunt Mastrius, & Bellutus cum nonnullis Scotistis ab eisdem relatis hic, artic. 2. sed est mobilitas adæquata corpori naturali, vt potè habenti naturam, quæ secundum Aristotelem, 2. Physicorum, t. 3. & 4. est principium, motus, & quietis eius in quo est per se, & non secundum accidens; ex quo sequitur, quod quàmuis Angeli, & Animæ separatæ possint moueri localiter, eorum motus non erit Physicus, seù naturalis, cum careant natura, quæ dicitur de materia, & forma, & de ex illis composito. Sequitur secundo, motum accidentium in Sacramento Altaris non participare hanc mobilitatem, tùm per eamdem rationem, quia carent natura; tum etiam, quia huiusmodi motus non spectat ad ordinem naturæ, cùm supernaturaliter fiat extra subiectum ab agente supernaturali, vt fatetur fides, & docet Theologia.

Septimò, Notandum est; subiectum adæquatum huiusmodi passionis motus, cùm dicitur esse corpus, seu substantia corporea, non est intelligendum esse corpus substantiale, seù substantiam corpoream, vt contra distinguitur à spirituali substantia, quia talis cum constet ex genere, differentia, scilicet, ex subiecto, & corporeitate, non est compositum Physicum, & naturale, sed Methaphysicum, à quo & per se consideratur, & non mouetur neque vt quo, neque vt quod, vt allucinatus est noster Poncius hic, disp. 1. q. 1. concl. 7. & 8. sed est substantia corporea, seù corpus substantiale, compositum ex materia, & forma Physica, ex quibus resultat in eo, esse naturale, & physicum, vt distinguitur contra Methaphysicum, ali oquin Physica non esset distincta, sed esset vna pars Methaphysicæ, cum esset de subiecto Methaphysicali, & & non naturali, quod quam maximè sit absurdum, viderit ipse, & quiuis alius huius opinionis.

Ex his fit prima Conclusio. Ens mobile, vt tale, nequit esse subiectum attributionis adæquatum Philosophiæ naturalis, vt dicebant Auctores primæ opinionis. Probatur, quia vel per mobile, intelligunt aptitudinem admoueri, vel radicem motus, id est, naturalitatem, à qua fluit huiusmodi passio, vt passim Thomistæ Recentiores videntur docere; sed neutrum dici potest: Ergo, &c. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur: Si datur primum, ergo mobile non est eius passio demonstrabilis de ente, & sic Philosophia de ente mobili non est scientia, quod non est dicendum. Consequentia prima patet, quia tunc idem demonstraretur per se ipsum, quod est contra Aristotelem, 1. Post. cap. 3. Secunda Consequentia etiam est clara, quia Philosophia est notitia passionum demonstrabilium de suo subiecto per e ius quodquid est; sed data Hypothesi, mobile non demonstraretur de ente, Ergo, de illo non esset Scientia. Si verò dicatur secundum: Aut per ens intelliguut aliquid completum in esse Physico; sunt nobiscum, cum tale sit corpus naturale, aut quid cõmune adens completũ, & sic confundunt subiectum communitatis, seù prædicationis cum subiecto attributionis, quod neque poterit esse subiectum

Phi-

philosophiæ naturalis, cùm naturalitas, seu mobilitas radicalis non sit constitutium entis in tanta communitate, sed solùm vt habet esse completum, vt dicit Aristoteles 2. physicorum t.3.& 4.

Secunda conclusio. Ens naturale prout est quid commune ad omnia entia naturalia, tùm substantialia, tùm accidentalia, tàm perfecta, quàm imperfecta, non est subiectum in philosophia naturali, vt docuit Toletus. Probatur, quia illud est hic subiectum attributionis, quod est subiectum adæquatum primæ passionis naturalis, seu physicæ, sed ens naturale non est huiusmodi; ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quia passio philosophiæ naturalis est mobilitas, non quæcunque, sed quæ prouenit ab habente naturam secundum Aristotelem 2. physic. t. 4. sed ens naturale in tanta communitate, non habet naturam, alioquin etiam accidentia consequentia naturam, illam haberent, cum sub ente naturali contineantur, tamquàm inferiora sub suo superiori, quod est contra Aristotelem in citato loco, vbi huiusmodi habentia naturam esse omnia substantialia, accidentia verò esse consequentia naturam disertis verbis appellat; ergo dicendum est ens naturale in tanta communitate non posse esse subiectum primæ passionis philosophiæ naturalis, nec consequenter subiectum attributionis eiusdem; si autem diceret Toletus non accipi ens naturale in tanta communitate, sed tantum vt comprehendit entia naturalia substantialia. Cõtra, quia tunc sequeretur: materiam, & formam posse esse subiectum illius primæ passionis; sed est contra philosophum 2. physicorum t. 3. vbi dicit illas esse principiũ motus, & non subiectũ; ergo &c. sequela maioris patet, quia passio, quæ competit alicui superiori adæquatè, conuenit inadæquatè cuilibet contento sub ipso, ex Porphyrio tract. 2. cap. 1. suorũ vniuersaliũ, & Aristotele 1. Poster. cap. 5. & 6. sed materia, & forma sunt entia naturalia substãtialia; ergo, data hipothesi, sequeretur materiã, & formã posse moueri, quod non est dicendum, quia sunt principium, & non subiectum motus.

Tertia conclusio. Corpus mobile, vt mobile non est subiectum in philosophia naturali, vt tenet tertia sententia. Probatur, quia nullum ens per accidens potest esse subiectũ in aliqua sciẽtia ex Aristotele 6. Meth. t. 4. sed corpus mobile, vt mobile est ens per accidẽs; ergo non potest esse subiectum in scientia philosophica. Minor probatur, quod aduenit enti post eius esse completum quiditatiuè, facit cum illo ens per accidens; sed mobile aduenit corpori post eius esse completum quiditatiuè; siquidem motus non est de essentia corporis; ergo facit cum illo ens per accidens. Maior patet, quia oppositum prædicati infert oppositum subiecti, illud enim quod aduenit enti incompleto, facit cum illo ens per se, ex Aristotele 8. Meth. t. c. 15. ergo illud, quod aduenit alicui post esse eius completum, faciet cum illo ens per accidens. Secundò probatur, quia mobile, vt mobile nequit esse ratio formalis demonstrandi passiones de subiecto philosophiæ naturalis; ergo corpus mobile, vt mobile nequit esse subiectum philosophiæ naturalis. Consequentia patet, quia per rationem formalem subiecti demonstrantur, tanquã per medium, eius passiones de eo. Antecedẽs probatur, quia ratio formalis debet esse intrinseca, & quiditatiua, formaliter eadem cum subiecto, cum sit eius diffinitio, vel pars formalis diffinitionis; sed mobilitas, cũ sit accidens, nequit esse de intrinseca ratione quiditatiua corporis substantialis; ergo mobile vt mobile nequit esse ratio demonstrãdi passiones de corpore substantiali. Confirmatur, quia precipua passio demonstrabilis de subiecto philosophiæ naturalis, est mobilitas naturalis; ergo nequit esse ratio demonstrandi passiones de eo, alioquin idem demonstraretur per seipsum, quod est contra Philosophum 1. Poster. c. 3. igitur dicendum est corpus mobile, vt mobile non esse subiectum philosophiæ naturalis.

Quarta conclusio. Neq. ens finitum, neq. substantia finita possunt poni subiectum in Philosophia naturali, siuè Peripatetica, siuè completè tradita. Prima pars conclusionis est contra Tataretum.

Secunda verò contra Canonicum, Trombetam, & alios ex nostris Scotistis, quos recensent, & sequuntur Mascrius, & Bellutus in quæst. Procem. ad vniuersam Philosophiam art. 21. sub num 21 & sequentibus. Probatur prima Pars, quia illud, cui non competunt per se passiones naturales, nequit esse subiectum in philosophia naturali; siquidem de subiecto scientiæ, habent demonstrari passiones, cum in huiusmodi demonstratione consistat scientia nedum physica, sed etiam metaphysica, atqui enti finito nequeunt conuenire passiones naturales: ergo nequit esse subiectum. Minor probatur, quia passiones naturales fluunt à natura, vt docet Aristoteles 2. Physicorum t. 3. & 4. sed ens finitum vt sic caret natura; ergo ab ipso fluere nequeunt passiones naturales. Minor patet, quia ens finitum vt sic caret materia, & forma, de quibus dicitur natura, vt docet Aristoteles 2 Physicorum: ergo caret natura: tùm secundò, quia si ens finitum haberet naturam, etiam accidentia, de quibus prædicatur, haberent naturam, quod esset contra Aristotelem 2. Physic. t. 4. vbi dicit, naturam tantum reperiri in substantijs. Secunda pars probatur, & simul prima confirmatur, quia subiectum debet esse adæquatum scientiæ, in qua est subiectum, ex tertia conditione requisita ad subiectum; sed tàm substantia finita, quàm ens finitum excedunt philosophiá naturalem: ergo non sunt subiecta. Minor probatur, quia ens finitum comprehendit accidentia etiam separata, & substantias immateriales creatas; similiter substantia finita continet sub se Angelos, & Animas separatas, cum de illis prædicentur quiditatiuè, tamquam genus, de speciebus, vel saltem sicut superiùs de inferioribus, sed neque Angeli, neque substantiæ immateriales spirituales, aut accidentia sperata, vt talia, spectant ad philosophiam naturalem; ergo non adæquantur ei, sed ipsam excedunt. Minor probatur, quia philosophia naturalis ideò dicitur talis, quia, vel est de natura, aut de rebus habentibus, aut consequentibus naturam, vt docet Aristoteles in 1. Physic. t. 1. & 2. Physic. à t. 16. vsque ad 23. sed Angeli, & quælibet alia substantia spiritualis, aut accidentia separata, nec sunt natura, nec habent naturam, aut consequuntur naturam, quia carent materia, & forma, & compositione physica, cum sint substantiæ spirituales; accidentia verò separata sunt extra naturam, quia supernaturaliter conseruantur sine subiecto: ergo talia non spectant ad Philosophiam naturalem.

Dices cum opinantibus, non spectare quidem ad Philosophiam Peripateticam (vt probanr rationes iam factæ) pertinere autem ad Philosophiam naturalem in se consideratam; tùm quia sunt substantiæ finitæ, vel entia finita; tum etiam, quia mouentur localiter, continuè & successiuè, saltem ex parte spatij, vt docet Doctor subtilis in 2. d. 2. q. 9. ac alibi.

Contrà, & erit probatio tertiæ partis conclusionis; quia assertum de duplici Philosophia, scilicet in se, & Aristotelis, est gratis dictum, cùm non possit sustineri, nisi vel petendo principium, quod nimirum substantia finita naturaliter sit eius subiectum; vel probando dari motum communem ad motus substantiarum spiritualium, & corporalium, ac accidentium separatorum à subiecto, qui sit passio adæquata subiecti Philosophiæ naturalis in se sumptæ; sed neutrum admitti potest; ergo nec valet sustineri assertum de illa duplici Philosophia. Maior patet ex præcipuo fundamento, quo defenditur ab opinantibus talis conclusio, relato à Mastrio in citato loco sub num. 21. Minor probatur, quia motus, qui est passio adæquata subiecti Philosophiæ naturalis, quocunque modo accipiatur, debet esse motus physicus, & naturalis; sed si docetur talis motus communis ad motus substantiarum immaterialium, & accidentium separatorum; non esset huiusmodi; ergo non esset passio subiecti philosophiæ naturalis. Maior patet, quia passio sequitur conditionem subiecti, à cuius principijs fluit. Minor probatur, quia motus physicus, & naturalis fluit à natura, & subiectatur

in

in habente naturam, ex Aristotele 2. Physic. t. 3. & 4. Sed talis motus communis non flueret à natura: ergo &c. Minor probatur, quia ens, & substãtia finita, quæ ponuntur subiectum huiusmodi motus, carent materia, & forma, de quibus tãtum dicitur natura; ergo non flueret à natura, ac proindè non esset naturalis, & physicus, & consequenter non esset passio alicuius subiecti philosophiæ naturalis.

Dices secundò cum eisdem sub num. 23. substantias immateriales habere naturam, non quæ sit materia, vel forma, sed quæ sit essentia, & hæc sufficit ad hoc, vt motus dicatur naturalis, & physicus; siquidem ab ipso perficiuntur Angeli, & cæteræ substantiæ immateriales, vt etiam docet Scotus in 2. d. 2. q. 9. sub lit. B.

Contrà, quia natura, à qua fluit motus physicus, & naturalis, constituit scientiam naturalem, prout distinguitur à metaphysica; sed per essentiam substantiæ immaterialis non distinguitur à metaphysica, ergo talis non est natura, vt ab ipsa habeat fluere motus physicus. Maior est Aristotelis 6. Meth. t. 1. vbi distinguit scientiam naturalem à Metaphysica per naturam, à qua fluit motus naturalis. Minor probatur, quia metaphysica considerat substantias, & essentias rerum omnium, tàm materialium, quàm immaterialium ex eodem Aristotele 4. Metaphysic. cap. 1. sum. 2. t. 7. ergo per essentiam substantiæ immaterialis non distinguitur philosophia à metaphysica: quamuis igitur ab essentia Angeli, vt à natura metaphysica, possit fluere motus metaphysicus, per quem quodammodo perficiatur essentia Angeli, non propterea dicendus est motus ille physicus, & naturalis, sicut nec natura, à qua procedit, est physica, sed solum metaphysica. Restat igitur sufficienter probatum, quod substantia fluita non est subiectum Philosophiæ naturalis siuè Peripateticæ, siuè in se considerata.

Quinta conclusio. Corpus naturale, vt naturale, est subiectum adæquatum attributionis in tota Philosophia naturali, vt distinguitur à Metaphysica. Est Scoti 6. Meth. q. 1. Probatur primò authoritate Aristotelis lib. 1. de Cœlo in principio, vbi ait: Scientia de natura videtur circa corpora, & magnitudines; natura enim constantium, hæc quidem sunt corpora, & magnitudines: & 6. Meth. sum. 1. cap. 1. subiungit: Cum autem naturalis etiam circa quoddam entis genus scientia sit, etenim circa talem substantiam est, in qua principium motus, & status, in ea est; sed principium motus, & status, est natura, quæ est in corpore ex eodem 2. Physic. t. 3. & 4. igitur &c. Deindè lib. 11. Metaph. sum. 3 cap. concludit dicens: Naturalis sanè circa ea est, quæ motus principium in seipsis habent, idest materiam, & formam; sed huiusmodi sunt corpora naturalia; ergo, secundum Aristotelem, scientia naturalis, vt distinguitur à metaphysica, est de corpore naturali, vt de subiecto adæquato. Secundò probatur ratione fundamentali: Illud est subiectum attributionis in Philosophia naturali, cui competunt conditiones requisitæ ad esse subiecti; sed huiusmodi conditiones competunt corpori naturali vt sic; ergo corpus naturale est in illa subiectum: Maior patet ex tertio Not. Minor probatur, quia Philosophus in 2. Physicorum t. 4. assignat eius, quod quid est, & præsupponit quia est; cum non entis non sit diffinitio, seu quod quid est. Secundò demonstrat de ipso passiones in 3. & 4. Physicorum per moueri, & esse in loco, & Tertiò omnia considerata, in Philosophia naturali habent attributionem ad ipsum, vel vt principia, tùm in fieri, tùm in facto esse, vt patet in 1. & 2. Physicor. vel vt partes subiectiuæ, & passiones, quod constat in alijs libris, vt diximus in tertio, & quarto Not.; cùm igitur corpori naturali, vt sic conueniant omnes conditiones requisitæ ad subiectum attributionis, sequitur ipsum esse adæquatum subiectum in tota Philosophia naturali.

Obijcitur tamen contra prædicta multipliciter, & primo cum D. Thoma: Illud est subiectum in aliqua scientia,

tia, quod complectitur omnia considerata in illa; sed ens mobile complectitur omnia considerata in Philosophia naturali meliùs, quàm corpus mobile, vel naturale; ergo ens mobile erit subiectum, & non corpus naturale. Maior patet. Minor probatur, quia Aristoteles agit in 1.lib.Physic. de materia, & de forma, quæ non continentur sub corpore, sed benè sub ente mobili; ergo ens mobile melius complectitur considerata in philosophia, quàm corpus naturale.

Respondetur, maiorem esse veram de complexione per attributionem, non verò per prædicationem, quia talis requiritur in subiecto prædicationis, non attributionis: modo ens mobile quoad prædicationem melius complectitur cõsiderata in Philosophia, quàm corpus naturale; at quoad attributionem se habet è conuerso, qui sic materia, & forma meliùs attribuuntur corpori naturali, cuius sunt partes essentiales, quàm enti mobili, cuius sunt tantum partes subiectiuæ.

Obijcitur secundò cum eodem: Nulla scientia probat suum subiectum dari, sed in Philosophia probatur corpus naturale esse; ergo tale non est subiectum. Maior patet ex Aristotele 1.Poster.cap.1.vbi dicit, quod de subiecto præsupponendum est quid, & quia est. Minor probatur, quia in 2.Physic. & etiam 6. Physic. probatur dari corpus, eo quia mouetur, seu est ens mobile; ergo &c.

Respondetur, maiorem esse veram à priori, & in processu demonstratiuo, nõ tamen à posteriori, & in processu inquisitiuo; modo per moueri probatur dari corpus naturale tantum à posteriori, & à priori præsupponitur esse, cum à Philosopho diffiniatur in 2.Physicorum, & nõ entis non est diffinitio.

Obijcitur tertiò. Illud est subiectum in Philosophia naturali, quod est subiectũ primæ passionis eiusdem, sed ens mobile est primum subiectum mobilitatis, quæ est prima passio considerata in Philosophia naturali; ergo ens mobile erit subiectum &c. Maior patet. Minor probatur, quia illud est primum subiectum motus, quod ponitur in eius diffinitione, sed ens, & non corpus, ponitur in diffinitione motus, vt patet in 3. Physic. t. 3. ergo ens, & non corpus, erit subiectum in philosophia naturali.

Respondetur, negando minorem, ad probationem dico, per ly ens positum in diffinitione motus, non intelligi ens commune ad ens completum, & incompletum, sed solum ens completum, quod est corpus naturale; & colligitur manifestè ex 2. Physicorum t. 3. & 4. toties citatis, vbi dicitur, motum, qui posteà diffinitur in 3. Physic. t. 2. procedere à natura, scilicet materia, & forma, quæ sunt in corpore substantiali, at certum est naturam non esse in ente mobili vt sic, quia tunc esset in quolibet inferiori, quod tamen est falsum, igitur per ly ens debet intelligi ens completum, quod est corpus naturale, atque adeò argumentum est potiùs in oppositum, quàm in propositum Thomistarum.

Obijcitur quartò cum Caiet. omne quod est adæquatum subiectum primæ passionis naturalis, est etiam adæquatum subiectum Philosophiæ naturalis; sed ens mobile, & non corpus naturale, est huiusmodi; ergo ens mobile, & non corpus naturale est subiectum in ea. Maior patet. Minor probatur, quia prima passio est mutabilitas: sed ens mobile est primum subiectum adæquatum mutabilitatis, & non corpus naturale; ergo &c. Minor probatur, quod habet pro principijs adæquatis materiam, formam, & priuationem, est subiectum adæquatum mutabilitatis, sed ens mobile est huiusmodi, & non corpus; ergo &c. Maior patet. Minor probatur ex Aristotele 12. Metaph. à t. 19. vsque ad 29. vbi habet, quod materia, forma, & priuatio non sunt tantum in genere substãtiæ, sed etiam in alijs prædicamentis, ità quod materia, forma, & priuatio generis substantiæ, sunt principia mutabilitatis in tali genere, Materia verò, forma, & priuatio in genere quantitatis, qualitatis, & sic de alijs, sunt principia mutabilitatis in huiusmodi generibus; ergo ens mobile compositum, quod est commu-

commune ad compositum substantiale, & accidentale, habet pro adæquatis principijs materiam, & formam, ac priuationem, sicque est subiectum mutabilitatis, vt est prima passio naturalis.

Respondetur negando minorem cuiuslibet syllogismi, & ad probationem vltimæ ex auctoritate Aristoteli desumptam, Respondet, & optimè, doctissimus Fabet Theor. 20. materiã, formã, & priuationem esse in quolibet prędicaméto, nõ absolutè, quia sic tantũ reperiuntur in prædicamento substantiæ; sed analogicè, seu secundum proportionem, accipiendo materiã pro potentia, & formã pro actu; at certum est, si hoc modo accipiantur, non esse principia mutabilitatis naturalis, seu physicæ, de qua intendit Caietanus, sed solùm metaphysicæ, & analogicæ, & sic non sequitur cõsequentia, quod ens mobile, & non corpus naturale, sit subiectum primæ passionis naturalis, immò è conuersò, cùm materia, forma, & priuatio propriè, & absolutè reperiantur tãtum in genere substantiæ, sequitur solum compositum substantiale esse adæquatum subiectum mutabilitatis accidẽtalis, & non ens mobile.

Obijcitur quintò. Mobilitas competit accidentibus separatis, vt fides docet; ergo illud, quod est commune etiam accidentibus, *vt est ens finitum*, erit subiectũ in Philosophia naturali.

Respondetur antecedens esse verum supernaturaliter, & miraculosè, nõ verò ex aliquo principio intrinseco; & huiusmodi mobilitas non conuenit vniuocè cum mobilitate naturali, ac propterea nõ valet arguere; aliquod subiectum commune accidentibus, ac substantijs, quod sit ens finitum, vt putauit Tataretus, cuius est obiectio iam facta.

Obijcitur sextò contra secundam, ac tertiam partem quartæ conclusionis ex Mastrio, tùm quia secundum Doct. subt. 6. *Meth.* q. 1. substantia separata esset subiectum secundæ scientiæ speculatiuæ, possibilis intellectui sub propria ratione ipsam cognoscenti, sed non nobis; atqui huiusmodi secunda scientia nõ esset metaphysica, nec philosophia peripatetica, ergo secundnm Scotum est assignabilis Philosophia in se, ab vtraq; distincta, cuius subiectum esset substantia finita naturalis, & non tantum substantia corporea. Minor probatur, quia metaphysica non tractat de rebus mobilibus, nec speculatur substãtias corporeas ex Aristotele 4. Meth. cap 1.: & 6. Meth. cap. 1. sed talis scientia consideraret Angelos, quibus conuenit mobilitas: ergo non esset metaphysica; Nec physica Aristotelis, quia hæc versatur circa corpora naturalia, quibus carent Angeli, & cæteræ substantiæ separatæ: ergo esset philosophia ab vtraque distincta.

Respondetur. Huiusmodi scientiam secundam, apud intellectum sub propria ratione cognoscentem substantias separatas, fore metaphysicam; tùm quia versatur circa entia metaphysicalia, cuiusmodi sunt substantiæ separatæ, vt docet Aristoteles 6. Meth. t. 2; tùm quia consideraret illarum essentia sub propria ratione, per quam demonstraret proprias passiones de illis, vt distinguuntur à rationibus, & passionibus mathematicis, & physicis, siquidem hæ non omninò abstrahunt à materia, sicut illæ: Non esset tamen talis in primo gradu, cum hæc respiciat omnia entia secundum passiones communes entis vt sic; sed benè in secũdo gradu, quia consideraret huiusmodi substantias sub propria ratione, & secundum proprias passiones de ipsis demonstrabiles, pro statu isto nobis incognitas: qua ratione etiam diceretur secunda scĩetia speculatiua, distincta tantum gradualiter à prima, quæ communiter appellatur metaphysica: siquidem imaginandum, scientiam non consistere in indiuisibili, sed dari latitudinem gradualem in eodem habitu, secundum quod magis, vel minus distinctè cognoscuntur res subiectæ. Ad probationem minoris desumptam ab eodem Aristotele 6. Meth. t. 2. dico, Metaphysicam considerationem respuere res mobiles physicè, quia tales non abstrahunt à materia re, & ratione, sicut illa expoicit: non tamen mobiles metaphysicè, vt sunt Angeli, Intelligentiæ, & Animæ separatæ, siquidem scientia, quæ consideras

de subiecto formali, habet pertractare etiam de affectionibus ab ipso dimanantibus.

Contra, quia esto Angeli, seù Intelligentiæ, & Animæ separatæ, quatenus substantiæ à materia separatæ, spectent ad Methaphysicam, tamen prout sunt mobiles localiter, despiciuntur ab eadem cum earundum motus non sit Methaphysicus, sed Physicus, & naturalis: Ergo ratione huius habent spectare ad Philosophiam naturalē, non Aristotelis, quia hæc versatur tantū circa res corporeas, & earum affectiones, igitur ponenda est alia Philosophia in se, & ab illis distincta. Consequentia patet, quia res mobiles physicè sunt de consideratione Philosophiæ naturalis. Antecedens probatur, tùm quia motus Angelorum habet omnia essentialia requisita ad motum physicum, cum sit continuus, & successiuus; tùm etiam quia extensio motus ad spatium diuisibile, arguit diuisibilitatem in motu, vnde possit dici Physicus; Ergo motus Angelorum habet sufficientes rationes, vt possit appellari Physicus, & naturalis.

Respondetur, Negando Antecedens; siquidem motus Angelorum non est physicus, seu naturalis, nec ratione principij, cum careant natura physica; nec ratione termini, quia ad nullum sibi determinatum inclinantur, sed ad omnia neutraliter se habent, vt docet Scotus, in 2. Dist. 2. quæst. 6. in fine. Ad primam probationem dico, continuitatem, & successionem in motu Angelico non esse necessariam, sicut illa motus physici, sed voluntariam, cum possint transire illud spatiū in instanti, si fuerit intra Sphæram propriæ actiuitatis. Per idem dico etiam ad secundam probationem, huiusmodi extensionem, ac spatium, non sufficere ad constituendum motum Angelicum in ratione Physici, cum non sit necessaria, sed voluntaria, siquidem vt docet Doctor subtilis, in 2. d. 2. q. 6. I. quamuis in Angelo sit potentia passiua, qua possit esse in loco corporali, tamen non necessario est in loco; tum quia posset fieri Angelus sine creatione creaturæ etiam corporalis; tum, quia adhuc facta creatura corporali, posset fieri, & esse extra omnem creaturam corporalem, igitur illa extensio ad spatium non est necessaria, vt inde possit argui motum Angelorum esse physicum, & de consideratione Physica.

Dices: Animam rationalem, quàmuis spirituale, esse de consideratione physica tantum per ordinnem, quem dicit ad corpus physicum: Ergo etiam Angelus, ratione motus, & extensionis ad spatium corporale, potest esse de consideratione physica, quàmuis secundum substantiam sit spiritualis, & à materia separatus.

Respondetur, Negando paritatem, quia ordo in anima rationali ad corpus physicum est sibi essentialis saltem in aptitudine, adeò vt etiam separata à corpore dicit inclinationē ad corpus: Ordo autem, quem dicit Angelus ad spatium, est sibi merè accidentalis, vt dictum est in præcedenti cum Doctore Subtili.

Dices secundò, Motum Cœli, secundum Scotum in loco citato, esse neutrum, & tamen per hoc non excluditur à consideratione physica; Ergo idem potest dici de motu Angelorum, quàmuis sit neuter.

Respondetur pro nunc, Motum Cœli esse quidem neutrum ratione termini, quia ad nullum vbi determinatum mouetur, nec cum inclinatione, nec contra, tamen ratione principij est naturalis, cum re vera constet ex materia, & forma, vt probabimus in secundo Physicorum, & ideò ratione huius spectat ad Philosophiam naturalem. Cæterùm motus Angelorum caret vtraque naturalitate, & ideò meritò ab eadem despiciendus est.

Et hęc de Quæstionibus Prooemialibus ad totam Philosophiam dicta sufficiant.

DE

De Physico Auditu, seù Auscultatione Physica Aristotelis.

LIBER PRIMVS.

Dvo genera Operum, seù Scriptorum ab Aristotele fuisse edita, communiter recensent Commentatores eiusdem, ex Cicerone, lib. 5. de Finibus, & ex Clemente Alexandrino, lib. 5. Stromatum; quorum alterum Exotericum, hoc est extraneū, & Philosophantibus magis accōdatum, in tantum quod, sine Magistero poterant illud percipere; Alterum verò Acromaticum, id est, Auscultatorium vocauit, quia præ nimia difficultate indigebant Auditores Magistero, ac Præceptore illud explanante. Hoc autem continebat tractatum de Principijs rerum naturalium, de natura, de motu, ac de cæteris, quæ in his octo libris Physicorum continentur, ac pertractantur, ac proindè cæperunt ab Expositoribus inscribitur Libri de Physico Auditu, seù de Physica auscultatione Aristotelis; qui tamē variè à plerisque ordinantur; nobis tātum placet diuisio Cōmentatoris, diuidentis illos in octo Libros; in primo quorum agitur de Principijs rerum naturalium in fieri: in secundo, de Natura, & de Causis. In 3. de Motu, & de Infinito. In 4. de Loco, Vacuo, & Tempore: in 5. & 6. de speciebus Motus: in 7. de Proportionibus Motuum, & in 8. de Motu Cæli, ac de primo Motore; de quibus, Deo dante, per ordinem agendum est.

De Intentione, & Modo procedendi Aristotelis in his octo Libris.

CAPVT I. & II.

IN hoc primo Capite, quod est quasi Proœmium ad hos octo Libros, Aristoteles duo facit, in quorum primo declarat eius intentionem agendi de Principijs, & Causis rerum Naturalium; & incipit ibi: Quoniam cognoscere, &c. Et in secundo proponit ordinem à se seruandū in tradenda notitia rerum naturalium; & incipit ibi: Quapropter ex vniuersalibus ad singularia &c.

Quoad primum ponitur talis Conclusio in primo textu: In Scientia naturali prius determinandum est de principijs, causis, & elementis rerum naturalium, quam de earum principiatis, causatis, & elementatis; & probatur, quia prius determinandū est de ijs, ex quorum cognitione aliqua fiunt cognita; sed ex cognitione principiorum, causarum, & elementorum fiunt cognita principiata, causata, & elementata; Ergo de illis prius agendum est. Maior probata fuit 1. Post. cap. 1. vbi demonstrauit necessitatem duarum præcognitionum, & trium præcognitorum, quia ex illorum cognitione habebatur notitia per demonstrationem. Minor probatur in textu, dùm dicitur: Tunc enim putamus cognoscere vnumquodque cum causas primas cognouerimus, & principia prima, & vsque ad elementa.

Quid autem intelligat Philosophus per causas, principia, & elementa; non est vna omnium sententia: quandoquidem aliqui dicunt illa esse Synonima; alij verò asserunt se habere tanquam superius, & inferius, ita vt sit verum dicere: quod est elementum, est principium, & causa: similiter quod est principium est etiam causa, sed non è conuerso, quia causa dicitur tàm de causis intrinsecis, quam extrinsecis; principium verò tantum de intrinsecis, id est, materia, & forma, elementum autem de materia duntaxat. Cæterum relictis hisce opinionibus, dicerem: Quod si hæc omnia considerentur in ordine ad compositum, tàm in fieri, quam in facto esse, idem omnimo significant, cum omnia requirantur, siuè ad fieri, siue ad factum esse eiusdem; si verò comparentur inter se, diuersificantur, quia elementum dicitur de materia & forma: principium vlterius, etiam de priuatione, quæ tamen non est causa; & causa, de quatuor causis, scilicet, efficiente, & finali extrinsecis, & materiali, ac formali intrinsecis. An autem horum omnium cognitio re-

quiratur ad perfectam notitiam rerum naturalium, vt dicit Aristoteles in t. 1. videbimus infra quæstione 1.

Quoad secundum ponit duas conclusiones, quarum prima in t. 2. talis est. In scientia naturali debemus procedere ad causarum cognitionem per notitiam suorum effectuum. Probat eam; quia in scientia naturali procedendum est à notioribus nobis ad notiora naturæ; sed effectus sunt notiores nobis, quàm suæ causæ; ergo in scientia naturali debemus procedere à cognitione effectuum ad cognitionem causarum. Maior patet; quia per ignotum nihil scitur, sed pro statu isto, in quo omnis nostra cognitio ortum habet à sensu, notiora naturæ sunt nobis incognita; ergo non est incipiendũ ab illis, sed à notioribus nobis. Minor probatur; quia ea, quæ sunt sensibiliora, sunt notiora nobis, quam quæ sunt à sensibus remotiora; siquidem cognitio nostra ortum habet à sensu; sed effectus sunt sensibiliores suis causis: ergo &c. Minor probatur, quia composita sunt sensibiliora simplicibus, sed effectus sunt compositi, & causæ sunt simplices; ergo effectus sunt sensibiliores suis causis. Maior patet de toto, & partibus. Minor similiter de eisdem.

Sed hic insurgit vna difficultas: quod hæc secunda conclusio opponitur immediatè primæ; ergo alterutra non est sustinenda: Consequentia patet. Antecedens patet similiter, quia in prima dicitur, auspicandam esse scientiam naturalem à causis, principijs, & elementis, ad cognitionem effectuum, principiatorũ, & elementorum; in hac verò dicit totum oppositum; ergo vna destruit aliã, & cõsequenter altera non est sustinenda.

Respondetur negando antecedens; siquidem in prima est sermo de cognitione propter quid, & à priori, quæ datur per causam; & in secunda de cognitione quia, & à posteriori, quæ datur per effectum, & sic non contradicunt, cum non sint ad idem, sed in alio, & alio processu, inquisitiuo scilicet, & demonstratiuo.

Secunda conclusio huius secũdæ partis ponitur in t. 4. & est huiusmodi. In sciẽtia naturali procedendũ est à magis ad minus vniuersalia; & probatur; quia in tali scientia procedendum est à notioribus nobis ad nobis minus nota, vt dictum est in præcedenti, sed magis vniuersalia sunt nobis magis nota, quam minus vniuersalia; ergo ab illorum cognitione ad horum notitiam procedendum est. Minorem probat quadrupliciter, & primò, quia magis confusa sunt nobis magis nota, quàm minus confusa, siquidem non eadem sunt nobis nota, & naturæ, sed distincta sunt magis nota naturæ, ergo confusa sunt magis nota nobis; atqui magis vniuersalia sunt magis confusa, quam minus vniuersalia; ergo &c. Minor probatur, quia id dicitur cõfusum, quod plura sub se continet, vt animal respectu omnium animalium, sed magis vniuersale plura sub se continet, quam minus vniuersale, vt patet de animali, & homine: ergo magis vniuersalia sunt magis confusa. Secundò probatur eadem minor; quia totum est magis nobis notum, quam suæ partes, domus enim est magis nota, quam aula, sed magis vniuersale est quoddam totum, & minus vniuersale est eius pars; ergo &c. Tertio probatur in t. 5. Diffinitũ est nobis notius, quàm partes diffiniẽtes, homo enim est nobis notior, quàm animal rationale; sed magis vniuersale est diffinitum, & minus vniuersale eius pars, quia diffinitum cõtinet suas partes, atqui vna pars non continet totum diffinitum; ergo magis vniuersale est nobis magis notum, quàm minus vniuersale. Quartò deniq. probatur eadem minor exemplis, quia pueri prius vocant omnes fœminas matres, & omnes viros patres: ergo prius cognoscunt matrem, & patrem in communi, quàm in particulari, scilicet hanc esse suam matrem, & istum esse suũ patrem, & non illum, vel illam, ac proindè magis vniuersalia, cum sint magis nota, quàm minus vniuersalia, ab illis ad ista procedendum est in acquisitione naturalis scientiæ. Quomodo autem intelligenda sit conclusio, & de qua cognitione locutus sit Philosophus, dicemus inferiùs in propria quæstione. Et hæc de textu primi, & secundi capitis.

De

De Modis procedendi in cognitione rerum naturalium.

DISPVT. I.

Vtrum ad cognitionem perfectam cuiuslibet rei necesse sit cognoscere omnes eius causas?

QVÆSTIO I.

Circa hanc quæstionem nulla reperitur controuersia, cum omnes sequantur Aristotelem in 1. textu, vbi inquit: Tunc putamus vnumquodque cognoscere, cum causas eius, & principia prima cognoscimus, & vsq. ad elementa; vndè non est immorandum, sed ad eius declarationem accedendum.

Primò notãdum igitur: cognitionem, aliam esse accidentalem, secundum quã res cognoscitur, quoad accidentia communia sibi conuenientia, vt nimirum homo, quod sit animal bipes, disciplinæ capax: Aliam verò essentialem, per quam nimirum cognoscitur res secundum suã quiditatem, & hæc est duplex, scilicet confusa, & distincta. Prior est illa, qua res cognoscitur in aliquo conceptu communiori, vt homo in conceptu animalis, quatenus nimirum est substantia animata, sensibilis. Posterior verò per quam cognoscitur res secundum suam quiditatem adæquatam, vt quod homo sit animal rationale. Et hæc est pariter duplex, scilicet incomplexa, qua nimirũ cognoscitur res absolutè, absque comparatione ad aliud, vt homo est animal rationale, & hæc vocatur diffinitiua, quia per diffinitionem exprimitur; & complexa, qua scilicet cognoscitur res in comparatione ad aliud, vt quod homo sit risibilis, in comparatione ad animal, per hanc demonstrationem: omne animal rationale est risibile, & omnis homo est animal rationale; & hæc appellatur demonstratiua. Vtraque autem est duplex, scilicet simplex, & secundum quid. Cognitio simplex, quæ etiam perfectissima, vel, vt alijs placet, comprehensiua dicitur est, qua res cognoscitur omnibus modis, quibus cognoscibilis est, vt quod homo sit ens, substantia, corpus, viuens, animal, & rationale, siquidem in his cõsistit perfectissima, & totalis quiditas ipsius. Cognitio verò secundum quid, seu tantum perfecta in genere, est secundum quam res cognoscitur quoad ea, quæ sibi conueniunt in tali genere, seu ordine, vt in genere metaphysico, quod homo sit animal rationale, vel in genere physico, qui sit quid compositum ex corpore, & anima rationali. Hic est sermo de omnibus.

Secundò notandum. Causarum aliã esse per se, & aliam per accidens. Causa per se est, à qua necessariò dependet effectus, vel in fieri, vel in facto esse, & sic Deus, Sol, & homo dicuntur causæ efficientes per se hominis, cum sine illis, vel aliquo ipsorum nequeat esse; & statuarius est causa per se statuæ, quia sine illo fieri nequit; & causa hoc modo sumpta est quadruplex, scilicet efficiens, finalis, materialis, & formalis, vt videbimus in sequenti libro. Causa verò per accidens est, à qua non dependet necessariò effectus, nec inesse, nec in conseruari, quinimò potest esse sine illa. & sic esse musi. cum in statuario dicitur causa per accidens statuæ; siquidem absque illo potest poni in esse, & etiam conseruari statua; & huiusmodi causæ multiplicari possunt in infinitum, saltem in genere causæ efficientis, quidquid sit de alijs generibus.

Tertiò notandum est. Necessariũ esse duplex, scilicet intrinsecum, & extrinsecum. Necessarium intrinsecum est, quo res essentialis ponitur, & conseruatur in esse, & absque illo eius essentia haberi nequit, & sic dicitur necessariò esse hominem animal rationale, quia sine illo homo nequit fieri, & conseruari. Necessarium verò extrinsecum est à quo res necessariò dependet in esse, & conseruari, quamuis sit extra essentiam illius, & sic fundamentum

& ter-

& terminus dicuntur necessaria relationibus, quia etsi non ingrediantur earundem essentiarum, tamē sine illis nequeunt esse, vt probauimus in Logica.

Ex his fit prima Conclusio. Ad cognitionem confusam cuiuscumquè rei, non est necesse cognoscere omnes eius causas: Probatur, quia cognoscere rem confusè est illam cognoscere in conceptu alicuius superioris; Ergo sufficit vt vnum tantum cognoscatur.

Secunda Conclusio. Ad cognitionem rei distinctam; & perfecto quouis modo, non est necesse omnes eius causas per accidens cognoscere. Probatur ex Aristotele, 2. Methaph. t. 4. sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci; sed in esse res non dependet à causis per accidens; Ergo neque in cognosci. Minor patet ex Not. 2. Confirmatur, quia causæ per accidens possunt multiplicari in infinitum, vt dicit Scotus in 1. d. 2. q. 1. sub I. sed infinitum est ignotum, cum non possit pertransiri ex Aristotele, 1. Poster. pluribus in locis; Ergo ad cognoscendam rem distinctè non est necesse cognoscere omnes eius causas per accidens.

Tertia Conclusio. Ad cognoscendam aliquam rem distinctè, & perfectè in genere, siue complexè, siue incomplexè, non est necesse cognoscere omnes eius causas per se Probatur prima pars de cognitione complexa, quia in demonstratione sufficit vna causa, vt ostendatur inhærentia passionis cum suo subiecto, vt probatum est in 1. lib. Poster. d. 2. q. 8. sed in huiusmodi inhærentiæ passionis ad subiectum consistit cognitio distincta cōplexa eiusdem subiecti, Ergo, &c. Secundo prob. Medium in demonstratione potissima est diffinitio subiecti, vt probauimus cum Aristotele, in 2. Poster. Disp. vn. q. 2. sed diffinitio huiusmodi datur tantum per verum genus causæ, scilicet, formalis; Ergo ad cognitionem distinctam in genere, & complexam, non requiritur notitia omnium causarum. Secunda Pars probatur de incomplexa, quia huiusmodi notitia datur per diffinitionē, qua ratione etiam dicitur diffinitiua, vt adnotauimus primo, sed ad diffinitionem quiditatiuam sufficiunt genus & differentia ex Aristotele 7. Methaph. t. c 43. Ergo ad notitiam distinctam, perfectam in genere, seù secundum quid, & incomplexam, non requiritur cognitio omnium causarum, cum sufficiant duo, scilicet causæ materialis, & formalis.

Quarta Conclusio. Ad cognitionem tamen rei simpliciter, & perfectissimam, siuè complexam, siuè incomplexam, requiritur necessariò cognitio omnium causarum per se; & de hoc intelligitur citatus textus Aristotelis. Probatur prima pars quia sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci ex Aristot. 2. Methaph. t. 4. sed vnaquæque res in esse dependet ab omnibus causis per se: Ergo ab illis dependet etiam quo ad cognosci. Confirmatur, quia cognitio simpliciter perfectissima est cui nihil deest, alioquin num essent perfectissima; sed cognitio habetur per causam, saltem à priori, ex Aristotele, 1. Poster. cap. 2. Ergo cognitio perfectissima requirit omnium causarum perfectam notitiam. Secunda Pars patet in textu primo vbi dicitur: Tūc putamus vnumquodquè cognoscere, cum eius causas primas, & principia prima cognoscimus vsque ad elementa, sed cognitio perfectissima est, qua res cognoscitur omnibus modis, quibus cognoscibilis est; Ergo cum Aristoteles dicat, necessariam esse cognitionem omnium causarum principiorum, & elementorum, necessariò inferendum est, locutum fuisse de cognitione simpliciter perfectissima. Secundo probatur: Tūc arbitramur aliquam rem perfectè scire, cum possumus omnes dubitationes soluere, siquidem scientia perfectissima excludit omnem dubitationem, vt dicit Aristoteles, 1. Poster. cap. 2. sed si non cognoscantur omnes causæ, possumus dubitare de illis, quæ ignorantur, an dependeat ab illis huiusmodi cognitio, & sic non erit verissima, nec consequenter perfectissima, quod est contra suppositum.

Obijcitur tamen contra hanc vltimam conclusionem, quia eiusdem effectus possunt esse infinitæ causæ; sed infinitum nequit cognosci, cùm nequeat pertransiri, ex Aristotele, 1. Poster. cap. 9.

& à

& à 15. vsq. ad 17. inclusiuè: ergo ad cognitionem talis effectus, non est necesse omnes eius causas cognoscere. Maior patet, quia quemadmodum Petrus fuit genitus à Francisco, potuit gigni ab Antonio, Socrate, Platone, & sic de cæteris vsq. in infinitum; ergo eiusdem effectus possunt esse infinitæ causæ.

Respondetur, maiorem, cum probatione habere veritatem de causis in potentia, non tamen in actu, de quibus loquimur, quia tales non sunt infinitæ, atq. adeò possent cognosci.

Vel dicendum secundò, maiorem, & probationē posse verificari de causis accidentaliter ordinatis, cuiusmodi sunt illæ recensitæ in argumento, nō tamen de causis essentialiter ordinatis, quia in his nequit procedi in infinitum, sed necessario dandus est status in aliqua prima, & in quolibet genere, vt probat Doctor subtilis in 1.d.2.q.1. ferè per totum, presertim tamen sub H. & I.

Obijcitur secundò. Data veritate conclusionis, sequitur non posse perfectè cognosci potētiam, nisi cognoscantur omnia, qui sub eius obiecto cōtinentur; nec materiam primam, nisi cognoscantur omnes formæ possibiles ad quas inclinatur; sed hoc esset maximum absurdum; igitur vt illud euitemus, dicendum potius, ad cognitionem perfectissimam non requiri cognitionem omnium causarum. Sequela maioris probatur, quia sicut materia inclinatur ad infinitas formas, ita potentia ad infinita obiecta, quę sub suo adæquato obiecto continentur; sed infinitum nequit cognosci ex Arist. 1. Poster. cap. 9. & 15. ergo illæ non possent cognosci perfectissima cognitione. Minor probatur, quia de nullo posset haberi perfectissima cognitio, siquidem omnia ordinari possunt ad infinitas causas.

Respondetur negando sequelam maioris, ad probationem dico, tàm tendentiam potentiæ in obiecta, quàm inclinationem, seu propensionem materiæ in formas, posse dupliciter considerari, vno modo, vt dicunt relationem actualem, alio modo vt important relationem aptitudinalem; prior multiplicatur ad multiplicationem obiectorum in potentia, & formarum in materia, & hanc non est necesse cognosci ab eo qui vellet perfectissimè cognoscere tàm potentiam, quàm materiam, quia neutra ab illa dependet essentialiter, nec illā consequitur necessariò, cum possint separari, siquidem accidunt potentiæ, vt potentiæ, huiusmodi tendentiæ actuales, sicut & relationes, seu inclinationes actuales materiæ, vt dicam inferiùs: posterior verò est tātum vna, secundùm quam & potētia aptitudinaliter tendit in obiecta, & materia inclinatur ad formas non existentes, & hanc debet, & potest cognoscere qui vult de illis habere perfectissimam cognitionem, vndè sequitur, vtráq. posse perfectissimè cognosci secundùm omnes causas per se, à quibus essentialiter dependent, cum hæ sint finitæ, & non infinitæ.

Obijcitur tertiò. Cognitio Mathematica est perfectissima, cum sit in primo gradu certitudinis secundùm Aristotelē 1. Poster. c. 9. similiter Metaphysica eminet cæteris in perfectione ex eodem Aristotele in Proœm. Meteor, & 6. Meteor cap. 1. t. 2. & 3. sed tales non habentur per omnia genera causarum; ergo ad cognitionem perfectissimam non requiritur cognitio omnium causarum.

Respondetur maiorem veram de cognitione perfectissima in tali genere, non tamen simpliciter, quia hæc exigit notitiam omnium causarum, vt dictum est.

Obijcitur quartò. Si ad cognitionem perfectissimam esset necessaria cognitio omnium causarum, sequeretur posse dari cognitionem compræhensiuam rerum naturalium; sed hoc est falsum; ergo ad cognitionem perfectissimam non exigitur cognitio omnium causarum. Sequela maioris probatur, quia cognoscerentur omnibus modis, quibus essent cognoscibiles, & sic compræhensiuè, siquidem nihil lateret potentiam cognoscentem. Minor probatur, quia data quacunq. cognitione possibili per intellectum humanum circa res naturales, adhuc Angelus, & multò magis Deus, illas perfectiori modo cognosceret, ergo non compræhenderentur ab intellectu humano.

Respondetur negando consequentiā, seu

seu sequelam maioris, siquidem ad comprehensionem requiritur potentia infinita, per quā ita cognoscatur res cognoscibilis, vt nihil eius vel absolutum, vel respectiuum ipsam lateat; at fieri nō potest vt intellectus creatus, siue hominis, siue Angeli, ita cognoscat res naturales, vt saltem earum esse respectiuum, quo dependet à Deo, captum eorum non refugiat; quandoquidem relatio nequit cognosci sine cognitione termini, à quo essentialiter dependet; & Deus, ad quem terminatur dependentia creaturarū, sub propria ratione à nullo intellectu creato, quātuis perfectissimo, cognosci potest, vt docet Scotus in 1.q.Prologi, & Quol.14. ac alibi sæpius; igitur huiusmodi cognitio rerum naturalium per omnes causas, etsi perfectissima quoad earum esse absolutum, non erit comprehensiua, quia res naturales, quoad earum esse respectiuum, totaliter cognosci nequeunt ab intellectu creato, & finito. Ex hac responsione infertur, quod propositio Aristotelis posita in primo textu, intelligenda veniat de notitia perfectissima à nobis possibili, qualis est illa, qua cognoscitur secundùm prædicata essentialiter absoluta, & relatiua terminata ad causas creatas tātum, siquidem vt docet Scotus in citatis locis, obiectum intellectus nostri ex natura potentiæ est ens vt ens, tàm absolutum, quàm respectiuum, cuius tamen terminus, non sit Deus.

Vtrum eadem sint nobis notiora, & naturæ?

QVÆSTIO II.

HAnc propositionem: Non eadem sunt nobis nota, & naturæ, quam hic in t.2. protulit Aristoteles, iam prius dederat, ac aliqualiter declarauerat in 1. Poster.cap.2. Cæterùm quia non cōstat, ita certò, quid per naturam intellexerit Philosophus, cum de hoc nomine variè sit locutus, propterea non est mirandum, si Expositores laborent in eruendo germano eius sensu, ac genuina intelligentia, quarè

Primò notandum est, hoc nomen natura esse æquiuocum, siquidem primo accipitur pro tota vniuersalitate entium, siuè creatorum, siuè increatorum, & sic soliti sumus dicere, hoc, vel illud esse in rerum natura. Secundò sumitur pro natura naturante hoc est, pro ipso Deo, in quantum est causa omnium rerum, & auctor naturarum creatarum. Tertiò accipitur pro collectione omnium causarum creatarum, agentium secundùm naturam, prout distinguuntur ab agentibus, seu causis liberis, quo sensu verificantur illa axiomata philosophica; Natura nihil facit frustra: non deficit in necessarijs; abhorret vacuum, & similia. Quartò sumitur pro Agente absq. electione, & libertate, cuiusmodi sunt bruta, plantæ, & inanimata. Quintò pro cōceptu, seu quiditate cuiuscunq. rei, siuè realis, siuè rationis, sicut solemus dicere, hæc est natura entis realis, & illa entis rationis. Sextò tandem sumitur pro principio motus, & quietis, quomodo sumitur ab Aristotele 2.Physicorum cap. 1.& à qua denominantur res naturales, & physicæ; In proposito aliqui dicunt per naturam, accipi hic ab Aristotele ipsum Deum, seu naturam naturantē, sed meo videri minus rectè, cum apud eius intellectum æqualiter omnia sint nota, dicente D.Paulo: omnia nuda, & aperta sunt oculis eius. Alij verò censent per naturā sumendam esse vniuersalitatem causarū superiorū, prout se extendit ad substantias immateriales etiam creatas, cuiusmodi sunt Angeli secundùm fidem, seu intelligentiæ secundùm Aristotelem, siquidem, cùm hę intelligant absq. conuersione ad phantasmata, habent pro obiectis immediatis essentiam, & quiditates rerum omnium, & causarum; sicut è cōuersò, cum omnis nostra cognitio ortum habeat à sensu, inferendum est, obiecta nostræ cognitionis esse sensibilia, & sic verificari propositionem Aristotelis, nō esse eadem nota nobis, & naturæ, idest intellectui nostro pro statu isto, ac intellectui Angelico, vel etiā nostro ex natura potentiæ considerato, cum sensibilia, & insensibilia, causæ, & earum effectus, non sint eadem vtriusq. intellectus obiecta;

cta; & hanc expositionem puta veram, & conformem Philosophiæ.

Secundò notandum ex Aristotele 1. Posteriorum cap. 2. quod cùm priora, & notiora natura sint ea, quæ sunt remotiora à sensibus, & priora; & notiora nobis sint, quæ sunt propinquiora sensui, si inueniantur aliqua obiecta, quæ simul patiantur vtramque rationem, & formalitatem, inferendum est, talia esse simul nota nobis, & naturæ, ac proindè propositionem Aristotelis non esse vniuersaliter verã, sed aliquam pati censuram, ac exceptionem. Quod autem aliqua ità se habeant, manifestum est in accidentibus causantibus species proprias intelligibiles in aliquo intellectu; ex eo enim quod sint causæ illarum specierum intelligibilium, dicuntur esse notiora naturæ, quàm huiusmodi species; quatenus verò sunt propinquiora sensibus, & species remotiores, illa dicuntur etiam notiora nobis, & sic verificatur eadem esse simul nota nobis, & naturæ.

Ex his igitur, sit prima conclusio. Eadem vt plurimùm, non sunt simul nota, seu notiora nobis, & naturæ. Probatur, quia effectus est nobis notior sua causa, sed causa est notior naturæ, quam sit effectus; ergo eadem vt plurimùm non sunt nobis notiora, & naturæ. Maior patet; quia, vt plurimùm, effectus est sensibilior sua causa. Minor similiter, quia causa, cum sit prius in esse suo effectu, est vt plurimùm remotior à sensibus, quàm sit effectus; igitur, vt plurimùm loquendo, non eadem sunt nobis notiora, & naturæ.

Secunda conclusio. Multoties tamen, eadem sunt nobis nota, & naturæ. Probatur ex secundo notab. quia color est causa suæ speciei intelligibilis, ac intellectionis, sed color est nobis notior sua specie, vel intellectione, quia ipse sensibilis, & illa immaterialis, ac in insensibilis; ergo sicut color, vt est causa, est notior naturæ, & vt sensibilis est notior nobis; & similiter species intelligibilis, vt effectus est notior nobis, & vt spiritualis, est notior naturæ; sequitur manifestè, aliqua esse simul notiora nobis, & naturę.

Obijcies tamen contra primam conclusionem. Compositum est nobis notius suis partibus per Aristotelem hic in t. 2. Sed compositum est etiam notius naturæ; ergo idem est simul notius nobis, & naturæ. Minor probatur, quia illa sunt notiora naturæ, quæ sunt priora natura, sed compositum est prius natura suis partibus, ex Aristotele lib. 2. de Partibus Animalium; ergo.

Respondetur, negando minorem, ad probationem dico, maiorem esse veram de prioritate naturæ via generationis, seu originis, falsam verò de prioritate secundum viam perfectionis; modò compositum est prius natura suis partibus hoc secundo modo, cum sit illis perfectius, non tamen via generationis, quia sic partes sunt priores toto, cum sint eiusdem causæ, & consequenter notiores naturæ, & totum notius nobis.

Obijcies secundò. Philosophus in textu secundo dixit, se velle procedere à notioribus nobis ad notiora naturæ, sed in primo dixit se velle procedere etiam à causis ad effectus; ergo causæ sunt notiores nobis suis effectibus, & consequenter eadem sunt notiora nobis, ac naturæ. Hęc vltima consequentia patet, quia causæ sunt notiores naturæ suis effectibus, cum sint prius in esse, & remotiores à sensibus.

Respondetur, maiorem esse veram in processu inquisitiuo, & quia est; Minorem verò habere veritatem in processu demonstratiuo, & propter quid est, & sic nego primam consequentiam, causas nimirum esse notiores nobis suis effectibus simpliciter; & consequenter etiam secundam ex priori deductam; siquidem causæ propter quid sunt notiores naturæ, & effectus sunt notiores nobis, vndè non sequitur eadem esse simul notiora nobis, & naturæ simpliciter, quod est oppositum conclusionis.

Obijcies tertiò. Si eadem non essent nobis notiora, & naturæ, sequeretur aliquid esse frustra in natura; sed cõsequens est falsum; ergo & id vndè sequitur. Minor probatur ex Aristotele 1. de

Cœlo,

Cœlo, & Mundo t. 32. vbi dicitur, Deus, & natura nihil agunt frustra. Sequela maioris probatur, quia aliquod ordinatum quoad naturam, est ordinatum vt sit simpliciter notius nobis; ergo si non esset simul notum & naturæ, frustaretur eius finis, & sic quoad hoc esset frustra in natura. Hæc consequentia probatur, quia frustra, ex Aristotele 2. physicorum t. 62. est illud, quod non attingit finem, ad quem ordinatum est.

Respondetur negando sequelam maioris; ad probationem nego antecedens; non enim ordinantur quæ sunt nota naturæ in natura, idest in coordinatione entium, vt sint notiora nobis, sed solum, vt per illa tanquam per causas, habeantur, & cognoscantur effectus quoad nos.

Obijcies quartò. Quæ sunt magis abstracta sunt notiora quoad nos, sed quæ sunt magis abstracta sunt etiam notiora naturæ; ergo eadem notiora sunt nobis, & naturæ. Maior probatur, quia ideò vniuersalia cognoscuntur à nobis, quia sunt abstracta à singularibus. Minor etiam probatur, quia substantiæ immateriales, quæ dicuntur notissima naturæ, sunt omninò abstractæ à motu locali, & materia sensibili.

Respondetur abstractionem esse duplicem, scilicet à suppositis, seu singularibus, & à subiecto, seu materia: Vniuersale dicitur esse abstractũ prima abstractione, & substantiæ immateriales secunda abstractione: quæ sunt abstracta à singularibus sunt notiora nobis, cum non aliter possint à nobis intelligi (vt meliùs dicam in sequenti quæstione) at abstracta à materia sunt notiora naturæ, quia sunt remotissima à sensibus nostris.

Formaliter ad argumentum nego cõsequentiam, quia alia sunt abstracta in maiori, & alia in minori, & sic committitur fallacia æquiuocationis.

Vtrum magis, vel minus vniuersale sit primum cognitum ab intellectu nostro pro statu isto?

QVÆSTIO III.

HAnc quęstionem mouent communiter Doctores, occasione textus 4. Aristotelis, in quo ponendo ordinem quem seruare intendit in tradenda hac doctrina Philosophica, dicit: Procedendũ est ab vniuersalibus ad singularia; siquidem vniuersale, cum sit quoddam totum potentiale, notius est, quàm suæ partes, quæ sunt singularia; & quia locutus est de vniuersalibus indistinctè, quæritur an eius propositio intelligenda sit de magis, vel de minus vniuersalibus? Vel de notitia distincta, aut de confusa?

Circa quam, loquendo de notitia cõfusa, extat Doctorum sententia, & prima est D. Thomæ in Proœm. lib. Physic. & in Opusc de Ente, & Essentia cap. 7. & 1. parte q. 85. art. 3. asserentis, primum conceptum, quem de quocunque formamus, non esse infimæ speciei, sed entis, non in tota sua communitate, sed cõtracti ad substantiam corpoream. Ità explicat mentem Doct. Angelici Ruuius hic cap. 1. q. 3. sub n. 46. à quo referuntur plurimi sectatores, vt sunt Richard. in 2. d. 24. art. 3. q. 4. Alens. in Metaph. lib. 1. & 5. Capreol. in 1. d. 35. q. 2. ad 7. Gregor. ibidem Caiet. de Ente, & Essentia, & alij, quos breuitatis causa omitto.

Secunda sententia huic omninò opposita asserit, primum cognitum pro hoc statu, non esse vniuersale aliquod, sed singulare sub ratione singularitatis. Ità Durand. in 2. d. 3. q. 1. Ocham in 1. d. 3. q. 5. Greg. ibidem q. 3. Apollin. 3. de Anima q. 13. & alij relati à meo Præceptore hic q. 2. art. 3.

Tertia sententia, quam docuit Scotus 1. lib. Meth. q. 10. & in 1. sent. d. 3. q. 2. & sequuti sunt Mayronius, Lychetus, & Bargius ibidem, & Antonius Andræas in Metaph. loco citato, sustinet primum cognitum via generationis, & notitia actuali confusa, non esse magis vniuersale, nec singulare, sed minimum vniuer-

uerſale, id eſt ſpeciem ſpecialiſſimam, cuius indiuiduum fortius mouet ſenſum; & hanc ſequemur, & non tantum, vt non videamur deflectere à doctrina Magiſtri, ſed quia præ cæteris veriorem, & magis conſonam Ariſtoteli putamus.

Pro cuius declaratione, ac fundamento, primo notandum eſt ex Scoto in citatis locis, cognitionem eſſe duplicem, ſcilicet ſenſitiuam, quæ habetur per ſenſum, & intellectiuam, quæ fit ab intellectu; & hæc eſt triplex, ſcilicet actualis, habitualis, & virtualis. Actualis, qua obiectum actualiter cognoſcitur, vt dum cognoſcitur homo per animal rationale. Habitualis, per quam obiectum non actu, ſed tantum in habitu cognoſcitur, hoc eſt dum relucet in ſpecie intelligibili, quia tunc eſt in proxima diſpoſitione, vt cognoſcatur, & terminet intellectionem ſui. Virtualis, per quam cognoſcitur obiectum, non vt primò intellectum, ſed vt pars eius, & ſic animal intelligitur in homine ad intellectionem hominis; ſiquidem intellectio terminatur formaliter ad hominem, at quia animal eſt pars eſſentialis eiuſdem, etiam ipſum dicitur intellectum in virtute hominis. Hic eſt ſermo de cognitione intellectiua tãtum.

Secundò notandum ex eodem ibidē: Cognitionum actualium aliam eſſe diſtinctam, & aliam confuſam. Diſtincta eſt, qua cognoſcitur obiectum ſecundum quiditatem ſibi competentem, vt homo in quantum eſt animal rationale. Cognitio verò confuſa eſt qua cognoſcitur obiectum, vel quoad quid nominis, vt homo, quatenus deriuatur ab humo; vel quoad quid rei inadæquatè, vel in conceptu communiori, vt homo prout eſt animal, vel corpus animatum; ſiquidem in his exprimitur, tãtum inadequatè quiditas hominis, cùm ſibi deficiat rationale, quod cum animali conſtituit totam quiditatem hominis.

Tertiò notandum ex eodem ſub lit. L Aliud eſſe confuſum intelligere, & aliud confuſè intelligere. Confuſum enim idem eſt, quod indiſtinctum, & hoc eſt duplex, ſcilicet totum eſſentiale reſpectu ſuarum partium eſſentialium, vt homo in ordine ad animam, & corpus: Et totum vniuerſale in ordine ad partes ſubiectiuas, vt animal in ordine ad hominem, leonem, aſinum, &c. Tunc confuſum intelligitur, cum cognoſcitur, indiſtinctè ſine ſuis partibus actu, ſed tamen vt eſt in illis potentialiter. Confusè autē intelligere, eſt cognoſcere, ſeu concipere rem inadæquatè, vel quoad quid nominis, vt dictum eſt in præcedenti de cognitione confuſa.

Quartò notandum eſt ex eodem ibidē: Confuſum, indiſtinctum, ſeu totum eſt duplex actuale, & potentiale. Actuale eſt, quod continet plures partes, ſeu plura prædicata actu ad ſuum eſſe quiditatiuum requiſita, & ſic quodlibet inferiùs in ordine ad ſuperiora, vt homo in ordine ad animal, ad corpus animatũ, ad corpus, ad ſubſtãtiã, & ad ens dicitur totũ actuale, quia actu omnia illa habet in ſe quiditatiuè. Potentiale autem eſt illud, quod plures partes continet vel eſſentiales, vel ſubiectiuas in ſui poteſtate, vt animal in ordine ad ſuas ſpecies, quia poteſt eſſe in illis, mediantibus ſuis differentijs conſtitutiuis. Vtrumque autem poteſt cognoſci vel confusè, vel diſtinctè. Tũc cognoſcitur confusè, quando concipitur ſine ſuis partibus, vt homo ſine prædicatis ſuperioribus, vel animal ſine ſuis inferioribus. Tunc verò cognoſcitur diſtinctè, quando non tantum totum, ſed etiã partes ſimul concipiuntur, vt homo quatenus eſt animal rationale, corpus animatum, corpus, ſubſtantia, & ens; ſiquidem omnia ingrediuntur eius quiditatem; vel animal prout eſſe poteſt in homine per rationale, in leone per propriã differentiam, in equo per ſuam, & ſic de cæteris. Hic eſt ſermo de vtraque cognitione, confuſa ſcilicet, & diſtincta, & de confuſo, ſeu toto, tàm actuali, quàm potentiali.

Quintò notandum ex eodem ibidem ſub lit. K. Aliquid poſſe dici primum cognitum tripliciter, ſcilicet ſecundum originem, ſeu generationem; ſecundum perfectionem; & ſecundum adæquationem. Illud dicitur primo cognitum ſecundum originem, ſeu generationem, quod fortius, vel priùs intelligitur, vel ſine quo alia intelligi nõ poſſunt. Exēplũ pri-

primi: Albedo dicitur prius origine intelligi, quàm palledo; & nigredo, quàm rubedo, quia fortius mouent sensum, & consequenter intellectum. Exemplum secundi: Homo in cognitione confusa prius intelligitur, quàm animal, quia eius indiuiduum prius mouet sensum, & consequenter intellectum, quam indiuiduum animalis. Exemplum tertij: Ens in cognitione distincta prius intelligitur, quàm substantia, & substantia, quàm corpus, & sic descendendo vsque ad speciem infimam, quia substantia nequit intelligi sine ente, & corpus sine substantia distinctè, & sic de cæteris, quia superiora sunt de quiditate inferiorum. Illud verò dicitur primò cognitum secundum perfectionem, vel quod est perfectius, vel perfectiori modo intelligitur, quàm aliud; & hoc est duplex, scilicet simpliciter, & secundum proportionem. Illud est primum cognitum secundum perfectionem simpliciter, quod est perfectissimum omnium cognoscibilium, & sic Deus vt naturale cognoscitur à nobis, & post ipsum species specialissima perfectior in vniuerso, & deindè species illi proxima vsque ad infimam, & post omnes species specialissimas, genus proximum abstrabile à specie perfectissima sic semper resoluendo vsque ad vltimum dicuntur primò cognita simpliciter via perfectionis, vt dicit Doctor subt. ibidē sub lit. T. Illud verò dicitur primò cognitum secundum proportionem, quod perfectiori cognitione concipitur, & sic perfectius sensibile efficacius mouens sensum, dicitur primum secundum proportionem, & prius altero, quod minus efficaciter mouet sensum. Illud tandem est primum cognitum via adæquationis, quod est adæquatum obiectum potentiæ cognoscenti, vt ens reale respectu intellectus nostri, saltem ex natura potentiæ considerati, vt alias probabimus. Hic est sermo de omnibus, sed præcipuè de duobus primis.

Ex his sit prima conclusio. Primum cognitum, ordine perfectionis simpliciter, est Deus, & post ipsum species perfectissima vsque ad infimam, & posteà genus abstractum immediatè secundum ordinem perfectionis ab vnaquaque illarum. Est Scoti in 1. d. 3. q. 2. T. Probatur Illud est primum cognitum via perfectionis simpliciter, quod simul cum intellectu causat perfectiorem intellectionem simpliciter; sed Deus, & post ipsum, perfectissima species, & post omnes species perfectissimum genus, sunt huiusmodi; ergo &c. Maior patet, quia perfectio intellectionis attenditur ex perfectione potentiæ, & obiecti concurrentis cum illa ad eius productionem. Minor similiter, quia Deus est perfectissimum omnium entium, & post ipsum species perfectissima, & sic descendendo vsque ad infimam; ergo cum intellectu causabunt perfectiorem intellectionem simpliciter.

Secunda conclusio. Primum cognitum primitate perfectionis secundum proportionem est illa species specialissima, cuius indiuiduum fortius, & efficacius mouet sensum. Est Scoti ibidem sub lit V. Probatur: quia illud est primū cognitum hoc modo, quod plus attingitur; & perfectiori cognitione cognoscitur, sed quod fortius mouet sensum, plus attingitur, & perfectiori cognitione cognoscitur; ergo &c. Maior patet ex vltimo not. Minor probatur, quia sensus, & intellectus sunt potentiæ subordinatæ in operando, & in tantum intellectus intelligit, in quantum sensus subministrat obiectum; ergo quo efficacius mouetur sensus, eò efficacius mouetur etiam intellectus; igitur illud est primum cognitum secundum proportionem, quod fortius mouet intellectum, tale autem est species specialissima, quia indiuiduum vt tale non intelligitur; ergò species specialissima, cuius indiuiduum fortius mouet sensum, est primum cognitum primitate perfectionis secundum proportionem.

Tertia conclusio. Primum cognitum secundum adæquationem est ens. Est Scoti in 1. d. 3. q. 3. Probatur, quia illud, quod est adæquatum potentiæ cognoscenti, est primum cognitum secundum adæquationem, vt diximus not. vltimo; sed ens est huiusmodi, quia nihil intelligitur nisi sit ens, & omne quod intelligitur

tur nisi sit ens, & omne quod intelligitur est ens; ergo ens est primum cognitum secundum adæquationem.

Quarta conclusio. Primum cognitũ secundum originem, notitia virtuali, & habituali, est magis vniuersale. Est Scoti in 1.d.3.q.2. sub lit. Q. Probatur quia cõceptus magis vniuersales si seorsim accipiantur, prius origine informant intellectum, quàm minus vniuersales; ergo etiãsi coniunctim reperiantur in aliquo inferiori, magis vniuersales prius origine informabunt, quàm minus vniuersales. Consequentia probatur per illã maximã Doct. subt. qualis est ordo inter illa, quæ realiter distinguũtur, talis est ordo etiãsi tantũ formaliter distinguuntur; ergo si conceptus communiores, & magis vniuersales, vt seorsim sumuntur, & realiter distinguũtur, prius informant intellectũ, quàm minus vniuersales; taliter se habere debent, etiamsi coniunctim reperiãtur in aliquo, vbi tantum formaliter distinguũtur. Antecedens probatur, quia ordo generationis procedit de imperfecto ad perfectum, ex Arist. lib. 2. Phys. & lib. 2 de Partibus Animal. c. 1. sed conceptus magis vniuersales sũt imperfectiores minus vniuersalibus; ergo secũdum generationem illi habent prius informare intellectũ, quàm isti. Minor patet, quia conceptus magis vniuersales, vel sunt simpliciter simplices, vt est conceptus entis, vel sunt resolubiles in pauciores cõceptus, quã minus vniuersales, vt patet discurrendo per prædicata essentialiter ordinata in arbore prædicamẽtali. Cõfirmatur, quia si dentur plures formæ ordinatè informantes eandem materiam, semper imperfectior præcedet perfectiorem, vt patet de forma corporeitatis, & anima rationali; similiter cũ gradus vegetatiui, & sensitiui virtualiter cõtineantur in intellectiuo, tamen ordinatè se habent, vt animal intelligatur viuere prius per vegetatiuum, quã per sensitiuũ, & per hũc prius, quàm per intellectiuum; ergo etiã gradus metaphysici, cum in aliquo repe-riantur ordinati, prius cõcipitur illud esse sub cõmunioriori, idest sub ente, quam sub substãtia, & sub hac prius, quàm sub corpore, & si descẽdendo vsq. ad indiuiduũ, in quo omnes virtualiter continentur, ac proindè remanet probata cõclusio, quod primum cognitum secundum generationem in notitia habituali, vel virtuali sit magis vniuersale.

Quinta conclusio. Primum cognitum primitate originis in notitia actuali distincta est magis vniuersale. Est Scoti ibidem sub N. Probatur: Nihil potest cõcipi distinctè, nisi concipiam omnia, quæ continentur in eius ratione essentiali, sed ens includitur in omnibus conceptibus quiditatiuis inferioribus; ergo nullus conceptus inferior poterit distinctè concipi, nisi concepto ente, quod est magis vniuersale. Maior patet, quia cognitio distincta est, qua res cognoscitur secundum suam quiditatem; ergo nihil poterit cognosci distinctè, nisi cognoscatur tota quiditas eius. Minor est clarissima, & fuit fusè probata in Prædicam. in quæstione illa de Vniuocatione entis. Ex hoc infertur, quod si ens, vt vniuersalissimũ, est primo cognitũ in cognitione actuali distincta, substantia erit secũdũ, corpus tertium, & sic ordinatè descendendo vsq. ad hominem, in quo omnia includuntur quiditatiuè, & sic semper sequitur, magis vniuersale esse prius distinctè cognitũ, quàm minus vniuersale.

Sexta conclusio. Primum cognitum via originis in notitia actuali confusa est minimum vniuersale, scilicet species specialissima, cuius indiuiduum fortius mouet sensum. Est Scoti ibidem sub L. M. & probatur ab ipso primo sic: Causa naturalis, & non impedita agit ad effectum perfectissimum, quem tunc potest producere, siquidem agit secundum vltimum suæ potentiæ; sed intellectus, vt antecedit voluntatem, est causa merè naturalis in intelligendo; ergo si non sit impeditus, producet conceptum perfectissimum, quem, pro illo tunc, potest producere; Sed inter omnes conceptus vniuersales conceptus speciei specialissimæ est perfectissimus; ergo primus conceptus ab eo productus in notitia confusa, erit speciei specialissimæ. Minor patet, quia sola voluntas est causa libera; ergo intellectus, vt antecedit voluntas imperiũ est causa na-

naturalis. Assumptum etiam est manifestum, quia conceptus speciei specialissimæ includit omnes conceptus vniuersales superiores, & ipse in nullo vniuersali includitur, sed tantum in indiuiduo: quod cum non possit cognosci sub propria ratione, vt alias probauimus, mouet sensum, & intellectum ad cognitionem speciei specialissimæ, & sic ad conceptum perfectissimum. Secundò sic, quia secundum Auicen. 1. suæ Meth. cap. 3. ideò metaphysica dicitur vltima scientia ordine doctrinæ, & aliæ scientiæ priores, quia illa est de conceptibus vniuersalioribus, hæ verò de minus vniuersalibus; ergo conceptus minus vniuersales sunt priores in cognitione confusa, quàm magis vniuersales, sed conceptus speciei specialissimæ inter omnes est primus, cum sit proximus sensui; ergo iste erit primus in cognitione confusa, & non magis vniuersalis. Consequẽtia patet, simul cum assumpto ex dictis in præcedenti.

Obijciuntur tamen multa ab aduersarijs, & primo contra quartam conclusioné: Quia cognitio habitualis reducitur ad actum per actualem cognitioné; sed in cognitione actuali, prima est species specialissima, & minus vniuersale; ergo etiam in habituali. Maior patet, quia habitualis est cognitio potentialis; sed cognitio potentialis reducitur ad actum per actualem; ergo idem dicendum est de habituali.

Respondetur ex Lycheto in 1. sent. d. 3. q. 2. cognitionem habitualem esse mediam inter actualem distinctã, & actualem confusam hoc ordine, vt prior sit actualis confusa, deindè habitualis, & postea actualis distincta, per quam habitualis est reducta ad actum.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram de actuali distincta, nó de actuali confusa; modò primum cognitum in actuali distincta, cum sit magis vniuersale, idé erit etiã in habituali.

Secundò obijcitur contra sextam cóclusionem ex Ruuio loco citato. Natura in suis operationibus procedit ab imperfectioribus, vt per eas ad perfectas, & perfectiores perueniat; sed inter operationes intellectus, tanquam agentis naturalis, vniuersaliores sunt imperfectiores minus vniuersalibus; ergo intellectus ab illis procedere debet, vt per eas perueniat ad conceptũ speciei specialissimæ, qui est cæteris perfectior. Maior patet in generatione hominis, in quo nó statim introducitur anima rationalis in corpus, sed prius aliæ formæ imperfectiores, vt puta vegetatiua, & sensitiua; ergo natura procedit in suis operationibus ab imperfectioribus. Minor etiam patet, quia quò operationes intellectus sunt vniuersaliores, eò sunt imperfectiores, vt potè quæ includant pauciora prędicata, quàm minus vniuersales.

Respondetur: Maioré esse veram, cũ natura in operãdo patitur aliquod impedimentũ, vt etiam accidit in generatione hominis, ideò cogitur progredi de imperfecto ad perfectum, aliter ageret secundum vltimum suæ potentiæ, & sic produceret effectum perfectissimum. Idem quoque euenit intellectui, dum est impeditus, vel ob distantiam obiecti, vel ob inefficacem motionem eius in sensũ, & huius in seipsum, qua de causa producit intellectionem imperfectam circa magis vniuersalia: Cæterùm si non est impeditus, cum sit agens naturale, necessariò producit effectum perfectissimum, quem potest, & sic conceptum cõfusum speciei specialissimæ, & non magis vniuersalis.

Obijcitur tertiò. Illud est primò cognitum notitia actuali confusa, cuius indiuiduum prius, & fortius mouet sensum, & intellectum; sed huiusmodi indiuiduum, non est singulare speciei specialissimæ, verùm corporis, quod est magis vniuersale; ergo magis vniuersale est primò cognitum, & non minus vniuersale. Maior conceditur à Scoto in 1. d. 3. q. 2. L. Minor probatur, quia illud indiuiduum, quod prius & fortius mouet sensum, debet esse indiuiduum obiecti adæquati intellectus, sed obiectum adæquatum intellectus nostri pro statu isto, est corpus; ergo indiuiduum corporis, & non speciei specialissimæ, vt puta hominis, erit primum mouens sensum, & intellectum ad cognitionem sui superioris.

ris. Maior patet, quia intellectus nihil potest intelligere, quod non contineatur sub eius obiecto adæquato, alioquin obiectum excederet potentiam. Minor autem supponitur vera in sententia Diui Thomæ.

Respondetur, negando minorem, ad probationem iterùm nego minorem; siquidem obiectum adæquatum intellectus nostri pro statu isto non est corpus, vt supponitur, sed quiditas rei sensibilis, vt docet Doct. subt. in Quol. 14. P. & ideò cum sub ipsa contineatur etiam indiuiduum cuiuslibet speciei specialissimæ, poterit vtiq. prius mouere intellectum ad sui cognitionem, quàm indiuiduum corporis.

Obijcitur quartò. Arist. in t. 4. & 5. dicens, magis vniuersale esse nobis primo notum confusè; quod apertè indicat exemplo puerorum, qui primùm vocant omnes fœminas matres, & omnes viros patres, deindè determinant horum vtrumque; ergo primo cognoscunt vniuersaliora, & posteà descendunt ad particularia, hoc est ad hanc matrem, & ad illum patrem.

Respondetur ex Doct. subt. in 1. d. 3. q. 2. O. quod quãdo aliqua sunt ordinata adinuicem, prius transeundum est medium, quàm perueniatur ad extremum: modo hæc tria, scilicet ignorare, confusè scire, & distinctè, sunt ità ordinata, vt intellectus prius ignoret cognoscibile, deindè illud confusè, & demùm distinctè cognoscat. Insuper magis vniuersale, cum sit duplex, scilicet potentiale, & actuale, vtrumque est ordinatè cognoscibile, vel distinctè, aut confusè. Si sermo sit de magis vniuersali potentiali, prius est noscibile distinctè, quod est supremum in coordinatione, & posteà ordinatè descendendo, cognitio distincta terminatur in specie infima, quod est minus vniuersale potentiale. Si verò loquamur de magis vniuersali actuali, idest de specie specialissima, cùm non possit cognosci immediatè distinctè, seruandus est ordo præposterus, vt prius cognoscatur confusè magis vniuersale actuale, deindè gradatim ascendendo, cognitio confusa terminetur in minimo vniuersali actuali, quod erit genus generalissimum cognitum confusè sub ratione entis; ens verò cum sit simpliciter simplex, nequit cognosci confusè, sed tantum distinctè. Ex quo sequitur, quod cum species specialissima sit magis vniuersale actuale, & minimum potentiale, in cognitione actuali confusa, erit primum, & in distincta vltimum cognitum primitate originis.

Tuc formaliter ad auctoritatem Philosophi dico: intelligendam esse de magis vniuersali actuali, cuiusmodi est species specialissima, non verò de potentiali, vt est genus, quia tale non potest cognosci confusè antequam cognoscatur species, vt ostensum, & probatum est suprà.

Ad illud de pueris respondet Doctor esse potius pro se, quàm contrà; siquidẽ cognoscunt prius rationem matris, & patris, quàm huius, & illius matris, vel patris, & sic habent primum conceptum speciei, quàm indiuidui, quod vtique conceditur.

Obijcitur quintò. Vidẽs aliquod obiectum prius concipit in eo rationem generis, quàm speciei; ergo magis vniuersale potentiale erit primum cognitum, quam actuale, cognitione confusa. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia videns hominem à longè, prius concipit in eo rationem corporis, cum in eo percipiat latitudinem, longitudinem, & profunditatem; deindè rationem animalis ex motu progressiuo, & tandem hominis ex figura humana; ergo prius concipitur confusè ratio generis, quam speciei specialissimæ.

Respondetur ex eodem ibidem: Antecedens, & eius probationem de obiecto in distantia improportionata habere tantum veritatem; siquidem intellectus sequens sensum, impeditum ob nimiam distantiam, nequit moueri ad cognitionem hominis, sed vel corporis, vel animalis, quorum rationes tantum repræsentantur per sensum: Cæterùm si ponatur indiuiduum hominis in proportionata distantia, sicut sensus non mouebitur prius ab accidentibus corporis, vel animalis, quàm hominis, sic nec intel-

lectus formabit prius conceptum corporis, vel animalis, quam hominis; & rationem reddit Doctor, quia maior abstractio est difficilior, quam minor, at abstractio speciei fit tantum ab indiuiduis, abstractio verò generis ab indiuiduis, & speciebus; igitur faciliùs repræsentatur intellectui ratio speciei, quàm generis; & consequenter in illo deprehendet prius rationem speciei, quàm generis, vel magis vniuersalis.

Obijcitur sextò probando indiuiduū, & non speciem specialissimam, esse primum cognitum notitia actuali confusa, quia abstrahens aliquem conceptū ab aliquo, prius cognoscit illud à quo abstrahitur, quā conceptus abstractus; sed intellectus abstrahit rationem speciei ab indiuiduis; ergo prius debet cognoscere confusè indiuidua, quàm speciem specialissimam. Maior patet, quia aliter vnus, & idem conceptus posset abstrahi ab omnibus indiuiduis iuxtà libitum, & sic conceptus hominis posset abstrahi ab indiuiduis equi, & è conuersò, quod est impossibile. Minor est Philosophi 2. Poster. cap. vlt.

Respondetur: Maiorem esse veram in cognitione confusa actuali, non verò in distincta actuali, quia sic conceptus abstractus prius cognoscitur, quàm obiectum, seu inferiùs à quo abstrahitur, vt patet de ente abstracto ab omnibus, & tamen in cognitione distincta prius cognoscitur ens, quàm inferiora; modo indiuiduū à quo abstrahitur ratio speciei prius cognoscitur confusè, quàm species confusè, quia species confusè cognoscitur in conceptu generis, vt hominis in conceptu animalis; indiuiduum verò in conceptu speciei, & sic sequitur manifestè primum conceptum in cognitione confusa, esse conceptum speciei ab indiuiduis abstractum, sicque speciem, & non indiuiduum esse primum cognitum notitia actuali confusa, & secundum ordinem originis.

De opinionibus Antiquorum circa principia rerum naturalium.

SVMMA II.

Expedita prima summa Textus, in qua Philosophus egit de modo procedendi in tradenda hac scientia rerum naturalium, sequitur secunda Summa, in qua pertractat de Principijs Rerum naturalium secundum opiniones Antiquorum Philosophorum; deindè subiungit tertiam, determinando de eisdem in communi secundum propriam mentem.

Quantum ad secundam Summam, quæ incipit à t. 6. & desinit in t. 40. per quinque capita sequentia, narrat, & examinat opiniones Antiquorum circa principia Rerum naturalium, & illos reducit ad tres tantum; siquidem Aliqui ponebant tantum vnum principium; Alij plura, sed numero finita; Alij verò plura, & infinita numero.

Insuper qui ponebant tantum vnum principium, erant diuisi inter se; siquidem Melissus dicebat, huiusmodi principium esse immobile, & infinitum: Parmenides verò affirmabat, esse vnum immobile, sed negabat esse infinitum: Diogenes autem asserebat quidem esse infinitum, sed negabat esse immobile. Thales etiam ponebat vnum tantum, sed illud esse finitum, & dicebat esse aquam: Heraclitus ignem: & Hæsiodus terram ponebant: & hi tres vocantur ab Aristotele physici, idest naturaliter loquentes, quia etsi negabant plura principia rerum naturalium, & vnum tantum ponebant, tamen conueniebant in illo principio physico, quod esset mobile, & non immobile, sicut posuerunt Parmenides, & Melissus, & ob id ab eodem vocari sunt irrationales.

Vlteriùs qui ponebant plura principia numero finita, erant etiam diuisi abinuicem; quia alij ponebant tantum duo principia, vt Parmenides, qui posuit in alio libro, ignem, & terram; Plato, qui dicebat illa esse magnum, & paruum, hoc est materiam, quæ magna, & for-

formam, quæ parua dicebatur: Pithagoras etiam ponebat duo, & illa asserebat esse par, & impar, nomine paris intelligendo materiam, quæ est diuisibilis, & vocabulo imparis significando formam, vt potè, quæ est indiuisibilis.

Alij verò ponebant tria principia, & dicebant esse tria elementa, scilicet ignē, aerem, & aquam. Alij autem, vt Empedocles, & Hippocrates, ponebant quatuor, scilicet ignem, aerem, & aquam vti materiam; terram verò dicebant esse formam ob eius soliditatem.

Alij autem plura ponebant, sed contraria, vt Democritus, qui posuit calidum, & frigidum, humidum, & siccum, plenum, & vacuum, per plenum significando materiam, & per vacuum priuationem. Similiter Empedocles posuit illa opposita, scilicet litem, & amicitiam.

Alij tandem posuerunt infinita principia, & hi pariter erant diuisi in tres opiniones, quarum prima fuit Anaxagoræ dicentis, principia rerum naturalium esse infinitas particulas, quas vocabat athomos, in quibus primum erat cōpositum chaos, idest totum confusum, & ex hoc per mentem, idest Deum, posteà omnia fuisse distincta.

Secunda fuit Anaximandri, qui, quāquam poneret & ipse infinita principia, subdit tamen ex illis non fuisse compactū Chaos, vt dicebat *Anaxagoras*, sed è conuersò illa ex Chao promanasse.

Tertia tandem fuit Democriti, ponētis infinita principia indiuidualia eiusdē generis, sed differentia specie, & figura, quia alia erant calida, alia frigida &c. alia figuræ rotundæ, & alia quadratæ, & ex his omnibus principia tas fuisse res naturales.

Sunt multæ aliæ opiniones circa principia rerum, quarum meminit Arist. tùm hic, tùm in 1. Metaphysicæ, sed quæ sunt præcipuæ, recensitæ fuerunt, contra quas singillatim arguit Philosophus, demonstrando earum falsitates: & primo contra *Parmenidem*, & Melissum, qui ponebant vnum principium, & immobile. Antequam tamen adducat rationes contra ipsos, protestatur se non posse disputare contra ipsos ex principijs Philosophiæ naturalis, cum præcipuū, & principale negetur ab ipsis, scilicet principiū esse mobile, & ideò in t. 8. profert illud axioma omnibus scientijs commune.

Contra negantes principia alicuius sciētiæ non est disputandum ex principijs ipsius; siquidem (*T*. 11.) principia non probantur in scientia, sed præsupponuntur tanquàm vera; arguit igitur ex principijs metaphysicæ, (*T*. 12. probando principia rerum naturalium non posse esse vnum tantum, nec immobile, nec infinitum; & primo sic: quia ens multipliciter dicitur, (*T*. 13.) scilicet de substantia, quantitate, qualitate, relatione, & cæteris prædicamentis, in quæ diuiditur; ergo non erit tantum vnum principium. Consequentia probatur, quia si est vnum, vel est substantia tantum, vel quantitas tantum, vel qualitas tantum, vel relatio tantum, vel substantia his omnibus coniuncta, sed nullum istorum est dicendum: ergo nequit esse vnum principium. Maior patet. Minor probatur non potest dici, quod sit substantia tantum, quia tunc non esset infinitum, aut finitum, vt ipsi dicunt; siquidem (*T*. 14.) finitas, & infinitas sunt passiones quantitatis, & non substantiæ; Nec substantia cum quantitate, aut qualitate, quia iam non esset vnum, sed plura, cum distinguantur realiter ab inuicem, sicut diuersæ res, quod pariter ab ipsis negatur; ergo &c. Secundò probatur, quod non possit esse vnum, quia (*T*. 15.) vnum tripliciter dicitur, scilicet continuitate, indiuisibilitate, & diffinitione, sed nullum istorum dici potest de principio ab illis asserto; (*T*. 16.) ergo non poterit esse vnum. Maior patet à sufficienti diuisione vnius. Minor probatur: Nō potest dici primum, quia iam non esset vnum, sed multa, quia cum continuum sit diuisibile in infinitum, haberet infinitas partes, (*T*. 17.) at totum, & partes distinguuntur realiter, & sunt diuersæ res; ergo non poterit esse vnum continuitate. Nec secundū dici potest, quia (*T*. 18) tale non posset esse nec quantum, nec quale, nec infi-

nitum, aut finitum, sed nullum istorũ est dicendum; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia quantum est diuisibile per se, & quale per accidens, (*T*. 18.) sed tale ponitur vnum indiuisibile; ergo non esset quantum, nec quale; ergo nec finitum, aut infinitum, quia hæc non reperiuntur sine quantitate. Minor est manifesta, quia cum Parmenides dicat, huiusmodi principium esse finitum, & Melissus infinitum, si tale esset indiuisibile, non esset quantum; & consequenter nec finitum, nec infinitum. Nec tertium poterit dici, quia tunc contraria, & contradictoria haberent vnam, & eandem diffinitionem; (*T*. 19. *vsq. ad t.* 22.) siquidem omnia coalescerent in vnum, & sic diffinitio illius competeret omnibus, siuè talia essent contraria, vt calidum, & frigidum, siuè contradictoria, vt sunt homo, & non homo, calidum, & non calidum, quod tamen implicat, quia cum habeant quiditates diuersas; consequenter & diffinitiones diuersas habere debent; igitur tale principium non esset vnum diffinitione, nec continuitate, nec indiuisibilitate; & consequenter nec simpliciter vnum.

His positis, ac probatis contra Melissum, & Parmenidem, soluit in text. 23. 24. & 25. eorum fundamenta. Melissus enim sic probabat propriam opinionem: (*T*. 23.) omne, quod factum est, habet principium; ergo quod non est factum, non habet, sed quod caret principio, caret etiam fine; ergo & tale est infinitum; sed quod est infinitũ est vnum, & immobile; ergo de primo ad vltimum, quod non est factum, est vnum, infinitum, & immobile; sed ens non est factum; ergo ens est vnum, infinitum, & immobile. Antecedens patet, consequentia similiter est nota; sicut enim se habet affirmatio ad affirmationem, ita negatio ad negationem. Minor subsumpta est manifesta ex diffinitione infiniti. Quod autem infinitum debeat esse tantum vnum patet, quia si plura essent, alterum illorum esset finitum; siquidem pugnarent adinuicem, & alterum ab altero destrueretur, & sic tale esset finitum: similiter quod debeat esse immobile; sequitur manifestè ex ratione infinitatis, alioquin si posset moueri ad aliquam partem spatij; igitur non occuparet totum illud spatium, & sic non esset infinitum in magnitudine. Minor vltima subillata probatur, quia si ens esset factum, vel ex nihilo, vel ex aliquo; primum dici non potest, quia ex nihilo nihil fit: nec secundum, quia tunc esset antequam fieret; sequitur ergo ens esse vnum principium, & infinitum, ac immobile.

Respondet Aristoteles hoc argumentum. Melissi esse sophisticum, quia committit fallaciam, arguendo ab inferiori ad superius negatiuè, ac si diceretur: si homo est, animal est; sed homo non est; ergo animal non est; siquidem factum esse, est quid inferius ad habere principium magnitudinis, de quo loquitur Melissus; alioquin non posset inferri esse infinitum in magnitudine, ex carentia principij, & finis; vndè non sequitur si quod factum est, habet principium; ergo quod non est factum, non habet principium, quia secundum ipsum, Cœlo conuenit habere principium in magnitudine, & tamen ab eodem negatur esse genitum, vel factum. Similiter non sequitur, ergo quod non est factum est infinitum, quia Cœlum non est factum, & tamen secundum eundem, (*T*. 24.) est finitum: & tandem nequit inferri, si est infinitum in magnitudine; ergo est immobile simpliciter, quia posset moueri secundum partem, si non secundum totum, & etiam motu alterationis, quibus positis, non esset simpliciter immobile, vt prætendebat Melissus.

Parmenides etiam sic arguebat: quicquid est præter ens, est non ens, sed non ens est nihil; ergo quicquid est præter ens, est nihil, sed ens, & vnum conuertuntur; ergo quicquid est præter vnum, est nihil; ergo omnia sunt vnum ens, ergo si vnum, sequitur illud esse immobile, quia non haberet à quo moueri possit.

Re-

Respondet Aristoteles (*T*. 25. *vsque ad t*. 33.) Argumentum peccare secundum fallaciam æquiuocationis de ly ens; siquidem dicitur multipliciter, idest de substantia, & accidente, quæ sunt verè entia: si ergo in maiori sumatur ens in communi, vt præscindit à substantia, & accidenti, est falsa, quia substantia, & accidens sunt præter ens præcisiuè sumptum, & tamen non sunt non entia: si verò accipiatur ens pro particularibus, totus syllogismus primus est verus; sed minor subsumpta est falsa, quia substantia, & accidens non sunt vnum ens particulare, sed plura: Vlteriùs est etiam falsa vltima consequentia, si vnum ergo immobile, quia cum ens acceptum tantum pro substantia sit vnum; non sequitur illud esse immobile, quia posset moueri ab accidente motu alterationis, vel augmentationis.

Reiecta opinione, cum fundamentis eorum, qui ponebant tantum esse vnum principium, & immobile, stringit calamum (*T*. 32.) contra illos, qui posuerunt illa plura, & infinita, & singulariter contra Anaxagoram ponentem principia rerum naturalium esse infinitas particulas, seu athomos indiuisibiles, componentes quamcumque rem; opinabatur enim carnem fieri *ex infinitis particulis carnis*, *ossa ex infinitis particulis ossium*, & *sic de singulis*, & probabat suam opinionem dupliciter, & primo sic: (*T*. 33.) Ex omnium Physicorum consensu, quicquid fit, ex aliquo fit, quia ex nihilo nihil fit; ergo si aqua, v. g. fit, vel caro, non fit ex non aqua, vel ex non carne, sed ex aqua; & ex carne, & sic tàm aqua, quàm caro præexistebat; idem dicendum est de omnibus rebus, quæ fiunt, fieri ex seipsis præexistentibus, & sic omnia erant simul in Chao, seu Confuso; & per consequens infinita. *Secundò* probat eandem opinionem, (*T*. 34.) quia contraria fiunt *ex alterutris*; ergo vnum est in alio, *alioquin* fierent ex nihilo, quod est contra Philosophos, subsiuno: si vnum contrarium est in alio, multò magis illa, quæ non sunt contraria simul erunt; ergo omnia erunt simul in illo Chao, seu confuso, & sic erunt infinita.

Hanc opinionem si explicatam, & probatam confutare intendit Aristoteles, (*T*. 35.) supposito illo principio, quod etiam, docuerat primo Poster. pluribus in locis, infinitum nimirum esse ignotum, & ab intellectu intransibile: Ex quo sic arguit: Si principia rerum naturalium essent infinita, sequeretur de rebus naturalibus non posse dari scientiam, sed hoc improbatum est superiùs disp. 1. q. 2.; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia principia sciendi debent esse nota, siquidem per ignotum nihil scitur; sed infinitum est ignotum, & incognoscibile; ergo principia rerum naturalium sunt finita, & non infinita: Secundò arguit: (*T*. 36.) Res naturales debent esse determinatæ quantitatis, & quoad paruitatem, & quoad maioritatem, vt patet de animalibus, & plantis; ergo non possunt fieri ex infinitis particulis in eis actu existentibus, vt dicebat Anaxagoras. Consequentia probatur, quia sicut totum est determinatæ magnitudinis, & partes ità debent esse; ergo si infinitæ partes essent in aliquo toto, iam non posset esset determinatæ magnitudinis, sed cresceret in infinitum, quod est contra experientiam. Tertiò arguit reducendo opinantem ad inconueniens, nimirum dari aliquas res naturales, quæ sint actu finitæ, & infinitæ magnitudinis simul, quod est impossibile. Probat sequelam maioris, (*T*. 37.) quia per suppositum, quælibet res fieret ex infinitis particulis segregatis ab illo confuso, & sic esset infinitæ magnitudinis; aliqua tamen non sic esset, quia non posset omnes habere; siquidem Chaos est finitum, & omne finitum per ablationem partium tandem consumitur; ergo tot, & tot particulæ possent segregari, vt sola remaneret vna, & sic non omnes essent in qualibet re; ergo aliqua res, quæ sup-

ponitur infinita, esset reuera magnitudine finita, & sic simul actu finita, & infinita, quid implicat. Quartò arguit: si generatio rerum naturalium fit per segregationẽ illarum particularum; ergo cessabit generatio; Consequentia probatur, quia per ablationem partium tandem deueniendum est ad tantam paruitatem, à qua non possit amplius fieri separatio; siquidem omne finitum per ablationem partium tandem consumitur. Quintò demùm arguit, (*T.38. vsq. ad t. 40.*) quia in quolibet corpore essent infinities infinita corpora, quod est impossibile, quia tunc vnum corpus esset infinitæ magnitudinis, quod est contra sensum. Consequentia probatur, quia in qualibet parte carnis essent infinitæ partes, in sanguine infinitæ partes, in cerebro infinitæ, & sic de cæteris; ergo in quolibet corpore essent infinities infinita corpora, quod esset maximum absurdum. Vt autem illud euitemus, dicendum est, principia rerum naturalium non esse infinita, sed finita, eaque pauciora, sicut posuit Empedocles, dicendo, quatuor elementa esse principium materiale, litem verò, ac amicitiam prnicipium efficiens. Et hæc de Summa secunda, & de opinionibus Antiquorum.

De Principijs in fieri rerum naturalium in communi.

SVMMA III.

Recensitis, ac reiectis opinionibus Antiquorum, circa principia rerum naturalium in præcedenti Summa secunda; in hac tertia proponit agere de eisdem in communi secundum propriam sententiam, & diuiditur in tria Capitula, in quorum primo ostendit principia debere esse contraria, & plura quam vnum. In secundo debere esse plura duobus, & in tertio (*T.41.*) statuit esse tantum tria, duo per se, & vnum per accidens.

Quoad primum ponit vnam conclusionem, quæ est ista: Principia rerum naturalium debent esse contraria, & probat illam dupliciter: primo ex conueniẽtia omnium Antiquorum Philosophorum: secundo de mente propria. Primo igitur dicit conclusionem esse tenendam, quia in ea consenserunt etiam omnes Antiqui Philosophi: nam etsi aliqui posuerint tantum vnum principium, & ob id videbantur excludere contrarietatem, alioquin idem contrariaretur sibi, tamen secundum apparentiam ponebant plura, vt Parmenides, & Melissus, qui secundum veritatem dicebant tantum esse vnum ens, & secundum apparentiam plura contraria, scilicet calidum, & frigidum, ignem, & terram, quę sunt opposita. Similiter Democritus posuit vacuum, & plenũ, per hoc intelligens ens, & per illud non ens, quæ sunt contraria. Anaxagoras, etiam Anaximander, & alij, quamuis posuerint infinita principia, tamen dicebant multa ex illis esse contraria, quia posuerunt illa differre positione, & figura; siquidem aliqua sursum, & aliqua deorsum, alia figuræ rotundæ, alia quadratæ; insuper alia esse priora, & alia posteriora omninò dixerunt, atque adeò illa faciebant contraria; ergo secundum communem cõsensum Antiquorum; principia rerum naturalium debẽt esse contraria. Secũdo probat illam de mente propria dicens in tex.42. Illa debent poni principia, quæ neque fiunt ex alijs, neque ex alterutris, sed ex ipsis omnia; sed prima contraria sunt huiusmodi, ergo prima contraria sunt prima principia; ergo per conuersionem simplicem prima principia sunt prima contraria. Maiorem probat: quod non fiant ex alijs est manifestum, aliter non essent principia, sed principiata; nec ex alterutris, idest vnum ex alio, quia neutrum esset primum principium, siquidem adinuicem essent principium, & principiatum: sed omnia ex ipsis, alioquin non

non essent principia prima, sed darentur alia ex quibus aliqua orirentur, & fierent, quod esset destruere rationem primorum principiorum; ergo prima principia, sunt illa, quæ non fiunt ex alijs, neq. ex alterutris, sed omnia ex ipsis. Minorem probat ferè eodem modo, quia si prima contraria fierent ex alijs, iam non essent prima, sed illis posteriora, quod est contra suppositum; neque ex alterutris, quia calidum non fit ex frigido, neque è conuersò frigidum ex calido vt ex subiecto, licet fiant ex se inuicem, tanquam ex termino à quo, vt in quæstione declarabitur: at omnia fiunt ex ipsis, quia res naturales fiunt per actionem, & passionem, sed actio, & passio fiunt ex contrarijs; ergo omnia fiunt ex contrarijs. Maior est nota: Minorem probat, (*T. 43. vsque ad t. 50.*) quia non quodlibet fit ex quolibet saltem per se, alioquin non esset distinctio specifica, vel generica rerum, sed omnia essent immixta, & confusa; ergo fiunt ex contrarijs, vt album per se non fit ex musico, sed ex non albo, & nigrum ex non nigro, atqui non album est nigrum, & non nigrum est album, quæ sunt contraria; ergo omnia fiunt ex contrarijs, quomodo autem hoc fit intelligendum, dicemus in propria quæstione.

Quoad *secundum demonstrat* principia debere esse plura, non infinita, *sed finita*, nec posse consistere in dualitate, sed esse plura duobus; atque ideò statuit, ac probat (*T. 50.*) quatuor conclusiones, quarum prima est ista: Prima principia non possunt consistere in vnitate. Probatur, quia principia debent esse contraria ex præcedenti capite; sed in vnitate nequit esse contrarietas, nisi dicatur idem sibi ipsi contrariari; ergo in illa nequit esse contrarietas; & consequenter nec ratio principij rerum naturalium.

Secunda conclusio. Principia rerum naturalium nequeunt esse plura infinita. Probatur sicut prius in tex. 35. Quia de rebus naturalibus datur scientia, vt omnes Philosophi fatentur; sed ex positione principiorum, quæ sint infinita, tolleretur ab eis scientia; ergo &c. Minor probatur: Principia scientiæ debent esse nota, quia per ignotum nihil scitur, vt probatum est primo Poster. cap. 2. sed infinitum est ignotum, & incognoscibile, cum ab intellectu pertransiri non possit; ergo quod est infinitum, nequit esse principium rerum naturalium.

Tertia conclusiò. (*Tex. 51.*) Principia rerum naturalium debent esse plura duobus, & finita. Probatur, (*Tex. 52. vsque ad 56.*) quia vnum contrarium non transmutat aliud, neque in seipsum conuertit; densitas enim non facit raritatem, neque calidum frigidum, immò se expellunt ab eodem tertio, in quo tunc habent subiectari, vt patet ex diffinitione contrariorum, ergo præter duo contraria assignandum est aliquod tertium, in quo recipiantur, & à quo mutuò se expellant, vt in ipso fiant generationes, & corruptiones rerum naturalium.

Quarta conclusio. Principia rerum naturalium non sunt plura tribus. Probat, (*Tex. 56.*) quia ad patiendum sufficit vnum subiectum; ergo ad agendum sufficient duo contraria, & sic erunt tantum tria principia, & non plura. Secundò si essent quatuor principia, necessariò forent sex, sed nullus Philosophus dixit illa esse sex; ergo &c. Sequela maioris probatur si esset quatuor, essent contraria; ergo ibi essent duæ contrarietates, sed singula contrarietas exposcit vnum subiectum, in quo fiat; ergo necessariò forent sex, scilicet quatuor contraria, & duo subiecta. Tertiò in vnoquoque genere est tantum vna prima contrarietas, ad quam reduci habent aliæ contrarietates inferiores; ergo etiam in genere substantiæ, de quo potissimùm est sermo; talis autem contrarietas est inter formam, & priuationem; ergo sufficit illis assignare vnum subiectum, in quo fiat, & sic erunt tantum tria principia; non enim sunt multiplicanda entia sine necessitate.

Quoad

Quoad tertium caput. Confirmat Philosophus conclusionem præcedentem; deindè ostendit quomodo principia possint dici tria, & etiam tantum duo. Primum demonstrat (*T. 57. vsq. ad t. 67.*) inductiuè in omnibus mutationibus, tàm substantialibus, quàm accidentalibus; siquidem in qualibet sunt duo termini, scilicet à quo incipit mutatio, & ad quem desinit eadem mutatio, & subiectum; ergo in quacunque mutatione sunt tria principia; Antecedens declaratur sic: In generatione datur priuatio formæ introducendæ, & dicitur terminus à quo; deindè forma, quæ inducitur, idest anima, & appellatur terminus ad quem sistit mutatio; & tandem materia, siuè prima, siuè secunda, quæ dicitur subiectum generationis, in quo successiuè recipiuntur contrarij termini, idest forma, & eius priuatio. Similiter in augmentatione dantur terminus à quo, idest priuatio nouæ quantitatis inducendæ; & terminus ad quem, idest ipsa quantitas noua; & subiectum, idest corpus sensibile, in quo fit huiusmodi accretio quantitatis. In alteratione etiam dantur ijdem termini, quia subiectum, quod debet calefieri, prius est sub priuatione caloris, à qua incipit alteratio, deindè sub calore ad quem terminatur motus, & sic mediante alteratione transit de frigore in calorem, & sic de alijs mutationibus; ergo in quacunque mutatione dantur tria principia, scilicet materia, forma, & priuatio, nec plura sunt necessaria, ex quo infertur tantum tria, & non plura, esse principia rerum naturalium, quæ fiunt per motum, & mutationem.

Secundum præstat declarando, (*T. 67.*) quomodo principia sint tria, & quomodo tantum duo: sunt enim duo in facto esse, quia quælibet res naturalis resoluitur in materiam, & formam; & cum quælibet res in ea, ex quibus componitur, resoluatur, dicendum est, solùm materiam, & formam esse principia in facto esse, & per se existentia in composito: cæterùm, quia materia non potest recipere in se formam, & cum illa componere totum, nisi prius habeat in se priuationem eiusdem formæ, idcircò adiungitur tertium principium, scilicet priuatio, tanquàm necessaria ad factionem compositi naturalis: Vndè infertur duo esse principia in facto esse, quia remanent in composito, scilicet materia, & forma; tria verò tantum in fieri, quia adueniente forma in materia, recedit priuatio. (*T. 68.*) Secundò infertur, non omnia principia esse contraria, sed tantum duo, scilicet formam, & priuationem, cum se expellant ab eadem materia; hæc autem, quia simul cum forma, manet in eodem composito, nequaquam potest dici contraria formæ.

Et quia aliquis posset dicere materiam, & priuationem, cùm sint vnum numero, sicut quodlibet subiectum, & accidens, pugnare cum forma, & sic materiam, & formam esse contraria, saltem per accidens; & consequenter tantum duo, & non tria, esse principia rerum naturalium etiam in fieri: ostendit quomodo materia, & priuatio, sint vnum, & quomodo distinguantur; siquidem sunt vnum numero subiectiuè tantum, quamdiù materia non est sub illa forma, qua priuatur; cæterùm formaliter, & realiter distinguuntur, tùm quia alia est diffinitio materiæ, & alia priuationis; tùm quia separantur ab inuicem; & ideò cum priuatio pugnet cū forma, dum non est in materia, & non quando est in illa recepta; dicendum est, neque formam habere oppositionem cum materia ratione priuationis, cùm per aduentum formæ recesserit ab ea; neque materiam, & priuationem constituere tantum vnum numero principium, cum formaliter considerate habeant diuersas rationes principiandi, vt videbimus in sequenti Summa. Et hæc de Summa tertia dicta sint satis.

De

De Principijs Rerum naturalium in communi.

DISPVT. II.

Vtrum contra negantes principia sit disputandum?

QVÆSTIO I.

PArmenidem, & Melissum negantes mobilitatem ab illo vnico principio, quod vel finitum, vel infinitum ponebant respectu rerum naturalium; arguere volens Philosophus, protestatur, se vt philosophum id præstare non posse; siquidem, contra negantes principia non est disputandum. Cæterùm, quia huiusmodi propositio, sic absolutè prolata, aliqua videtur pati censura, ideò quæritur in præsenti: In quo sensu sit admittenda, vel respuenda.

Pro cuius declaratione igitur primò notandum est: Principia esse in triplici differentia; siquidem alia sunt essendi, alia cognoscendi, alia verò, quæ nec dicuntur essendi, nec cognoscendi principia, sed ad sensum nota: Principia essendi in Philosophia naturali sunt illa, à quibus sumit esse subiectum eius, scilicet corpus naturale, & ista sunt tria in fieri, scilicet materia, & forma, ac eius priuatio, duoque in facto esse, scilicet materia, & forma: nam corpus naturale est compositum, constans ex materia, & forma. Principia cognoscendi sunt illa, per quæ demonstrantur passiones de subiecto scientiæ, & sunt propositiones, quæ constant ex diffinitione subiecti, & eius passione, & ex diffinito, ac diffinitione; vt in Philosophia: omne habens naturam, idest materiam, & formam, est mobile, &: omne corpus naturale est habens naturam: dicuntur principia cognoscendi, quia ex illis innotescit nobis mobilitas, quæ est prima passio corporis naturalis. Principia verò tertij generis, sunt, quæ nec dant esse subiecto, nec faciunt illud cognoscere à priori, sed tantum à posteriori illud notificant, mediante cognitione sensitiua, & talia dicuntur ad sensum, seu per experientiam, nota, & sic motum esse est primum principium in Philosophia, plura entia esse in Metaphysica. Hic est sermo de omnibus.

Secundò notandum ex Philosopho 1. Poster. cap. 8. Principia cognoscendi in vniuersum, esse duplicia, scilicet communia, & propria. Communia sunt, quæ componuntur ex terminis communibus pluribus scientijs, cuiusmodi sunt hæc duo: De quolibet verum est dicere, quod est, vel non est: &: Non contingit idem inesse, & non inesse; siquidem ens, & non ens: inesse, & non inesse, sunt termini communissimi, quibus nil est communius: & in his duobus principijs conueniunt omnes scientiæ inferiores metaphysica, cùm omnes sint de terminis, qui sunt entia. Propria verò sunt, quæ componuntur ex terminis proprijs vniuscuiusque scientiæ, vt constare ex materia, & forma: & omne habens naturam, esse mobile in Philosophia: Et habere tres terminos, & duas propositiones dispositas in modo, & figura, ad inferendas conclusiones in Logica. Hæc autem principia conueniunt cum communibus, & differunt: Conueniunt quidem, quia sicut illa sunt propositiones immediatæ, nedùm in metaphysica, cuius sunt propria, sed etiã in omni scientia, quarum sunt communia, quæ non possunt absolutè probari per alias propositiones priores; ita hæc in sua quaque scientia sunt ita propositiones immediatæ, vt nequeant probaui per alias priores. Differunt verò, quia communia, si negentur, sunt omninò indemonstrabilia à priori, cum sint de terminis communissimis, priores non habentibus: propria verò, si negentur, licet probari non possint in sua scientia, cum sint propositiones de terminis non habentibus priores in illa, tamen absolutè probari possunt per principia

cipia communia, quia eorum termini communicant, cum terminis principiorum communium.

Tertiò notandum ex eodem Philosopho 1. Poster. cap. 8. & 9. Scientiarum, alias esse disparatas, & alias subordinatas. Disparatæ sunt illæ, quarum subiecta sunt disparata; idest, quæ non se habent vt superiùs, & inferius, vt Geometria, & Arithmetica; illa enim est de quantitate continua, & hæc de discreta, quæ sunt disparatæ. Similiter Philosophia, & Logica sunt disparatæ, quia corpus naturale, & syllogismus, sunt duo subiecta omninò disparata, vt est notum apud omnes. Subordinatæ verò sunt, quarum subiecta se includunt essentialiter, vt inferiùs, & superiùs, & sic omnes scientiæ reales sunt subordinatæ metaphysicæ, quia earum subiecta, cum sint entia realia, includunt essentialiter ens reale in communi, quod est subiectum in illa. Ex his infertur, quod, cùm principia cognoscendi, sumantur à principijs essendi, & hæc constituant subiectum in esse scientiæ omninò disparatæ, non possunt se inuicem iuuare, cùm non communicent in principijs, sicut nec in subiectis; scientiæ verò subordinatæ, cum in illis detur communicatio principiorum, & subiectorum, poterunt vtique mutuò se fouere, in tantum quod si negentur principia inferioris, poterunt probari per principia superioris, & sic conseruari in esse scientiæ, ne per proteruum destitui, ac destrui possint.

Quartò notandum est ex dictis in Summulis tract. 3. sect. 3. cap. 2. Disputationem esse actum syllogisticum, seu argumentatiuum vnius ad alterum, idest opponentis ad Respondentem, ad aliquod propositū ostendendum: Hæc autem potest fieri dupliciter; vel per syllogismos, seu argumentationes à priori, vel à posteriori. Si fiat priori modo, necessariò habetur per causam ad ostendēdum effectum; vel per principia ad demonstrandas passiones de suo subiecto: vndè si à Respondente negentur causæ, aut principia, necessariò cessare debet disputatio à priori. Si verò ineatur posteriori modo, cum per effectum probetur existentia causæ; vel per passionem inhærentia diffinitionis subiecti cum eodem, quod est alterum principium cognoscendi, si negetur existentia effectus, vel passionis, debet etiam talis disputatio cessare; simpliciter tamen non habet cessare disputatio ad negationem alterius tantum processus, cùm mutuò se iuuare possint; cæterùm si vterq. processus, per interemptionem causæ, & effectus, aut principiorum, & passionum, in totum negetur, omninò cessabit disputatio in tali scientia; & in tali casu recurrendum est ad superiorem sciētiam, quemadmodum fecit Aristoteles contra Parmenidem, & Melissum, vtendo principijs metaphysicis ad ostendendam pluralitatem principiorum rerum naturalium: quandoquidem negantes motum, interimebant etiam principia necessaria motus, ac proindè tollentes in totum vtrumque processum syllogisticum, & à priori, & à posteriori, necessariò silere debuit disputatio cum illis ex principijs Philosophiæ naturalis.

Ex his fit prima conclusio. Contra negantes principia vnius scientiæ disparatæ, non cessat omninò disputatio in illa scientia. Probatur, quia licet nulla scientia teneatur probare sua principia à priori, alioquin non essent principia, nec propositiones immediatæ, sed haberet alia priora, tamen nil impedit, quin possit illa probare à posteriori per effectus, vt docet Aristoteles 1. Poster. c. 10. ergo ex negatione principiorum alicuius scientiæ disparatæ, non debet in illa omninò cessare disputatio.

Secunda conclusio. Contra negantes tamen principia prima alicuius scientiæ, tàm cognoscendi, & essendi, quàm per sensum nota, debet omninò cessare disputatio in ea. Probatur, quia omnis disputatio vel fit per argumētationes à priori, vel à posteriori, sed negatis omnibus principijs tollitur omnis argumētatio: ergo negatis omnibus principijs, necessariò debet cessare omnis disputatio. Maior patet ex not. 4. Minor similiter,

liter, quia argumentatio à priori procedit à principijs à priori, seu cognoscendi, argumentatio verò à posteriori ex principijs per sensum notis, vt docet Aristoteles 1. Poster. cap. 10. ergo negatis quibuscunq. principijs, tollitur omnis argumentatio, & consequenter quælibet disputatio.

Tertia cóclusio. Negatis nihilominus omnibus principijs cuiuscunq. scientiæ inferioris, non cessat absolutè disputatio. Probatur, quia principia sciétiæ inferioris communicant cũ principijs scientiæ superioris, sicut & subiectum huius, & illius, à quibus sumuntur; ergo quemadmodum subiectum inferioris sustinetur per subiectũ superioris, in quo essentialiter includitur, sic & principia inferioris habent conseruari per principia superioris. Secundò sic, illa duo principia communissima: de quolibet verum est dicere, quod est, vel non est: Et: Non contingit idem inesse, & non inesse: includuntur virtualiter in omnibus principijs scientiarum inferiorum, vt probat Aristoteles 1. Poster. c. 8. ergo si negentur ista scientiarum inferiorum, & concedantur illa communissima, poterunt probari hæc per illa.

Quarta conclusio. Si negentur autem prima principia metaphysicæ, simpliciter, & absolutè debet silere disputatio. Probatur, quia propositiones minus vniuersales probãtur per magis vniuersales, sed primis principijs non dantur propositiones vniuersaliores; ergo nó possunt per alias probari. Secundò sic prima principia sunt firmissima, & certissima, circa quæ impossibile est mentiri ex Aristotele 4. metaph. t. 8. ergo si à proteruo negentur, non relinquitur modus illa probandi; siquidem probatio supponit aliquam dubitationem, igitur omnis disputatio cessare debet.

Obijcitur tamen contra secundam cóclusionem. Ad quemcunq. scientificum spectat remouere errores contingentes contra propriam scientiam; ergo vtcumque negentur principia eius scientiæ non debet cessare disputatio ad cauẽdos errores, & veritatem inducendam. Antecedens patet, quia aliter non posset dici perfectus scientificus, nec eius scientia perfecta scientia, cum haberet immixtos errores; siquidem scientia est verorum, & habitus omninò certus ex Aristotele 1. Poster. c 2.

Respondetur antecedens esse verum, si principia in totum non negentur, sed aliqua relinquantur, per quæ possit negata probare, & errores refellere, alioquin debet recurrere ad superiorem scientiam, scilicet ad metaphysicam, ad quam absolutè spectat, & remouere errores, & veritatem ostendere cuiuscumq. scientiæ inferioris.

Obijcitur secundò. Sicut se habet metaphysicus ad sua principia, ita physicus ad sua; sed metaphysicus vt talis, debet arguere contra negantes sua principia; ergo & physicus, vt talis, contra negantes principia naturalia disputare tenetur. Maior patet, quia sicut principia metaphysica pariunt scientiam metaphysicam, ita & physica scientiam naturalem, à quibus denominantur ille metaphysicus, & iste physicus. Minor est nota apud Aristotelem 4. metaphysicorum cap. 2. sum. 2. vbi disputat contra eos, qui dicunt, posse contingere idem esse, & non esse, quod est oppositum primi principij metaphysicæ.

Respondetur ex Doct. subt. in Expos. 4. metaphysic. super citato cap. 2. Metaphysicum posse probare sua principia, potest dupliciter intelligi, vno modo per syllogismum demonstratiuum, alio modo per elenchicum, seu probabilem; primo modo nequit probare veritatem illius principij, nisi à negante concedatur, vnum dicere quid positiuum ab ente aliquo modo distinctum; quia tunc per illud, tanquam per principium, demonstraret, à posteriori saltem, non posse contingere idem esse, & non esse, sicut nequit contingere aliquid esse vnum, & non vnum; cæterùm si vnum negetur esse quid distinctum ab ente, inquit etiam Aristoteles, impossibile est posse demonstrari veritatẽ illius principij, absq. hoc, quod in probatione petatur principium; siquidẽ omne medium, quod posset assumi, erit semper inclusum in ente, & sic idem probaretur per

per seipsum, quod est petere principiũ. At secundo modo benè potest probari veritas illius principij ostendendo per experientiam inter affirmationem, & negationem non posse dari medium; verùm si etiam hoc principium ad sensum notum, proteruiendo, negaretur, cessaret omnis probatio, & consequẽter omnis disputatio, etiam apud metaphysicũ, sicut penès physicum.

Formaliter ad argumentum dico minorem esse veram, si principia metaphysicæ in totum non fuerint negata, cùm ex vnius concessione, possit saltem à posteriori principium negatum probari: Falsam tamen cùm omnia, & in totũ, fuerint negata. Ad probationem dico Aristotelem in citato loco disputasse ex hypothesi, quod vnum sit quid distinctũ ab ente, & quod inter affirmationem, & negationem non possit dari medium; alioquin si hæc duo fuissent negata, frustra laborasset, vt ipse fatetur, in probatione illius principij negati.

Vtrum totum distinguatur realiter à suis partibus simul sumptis; vel sit solum suæ partes?

QVÆSTIO II.

Aristoteles hic sub cap. 3. sum. 2. tex. 17. arguere volens Parmenidem, & Melissum, asserentes principia rerum naturalium esse tantum vnum, hac ratione vsus est: Principium à vobis assertum, si est vnum; ergo est quoddam totum, sic totum igitur habet partes; sed partes non sunt idem vnum cum toto, alioquin essent vnum, & idem inter se; ergo dicendum est tale principium non esse vnum, sed plura. Hac ratione excitati ferè omnes eius Expositores mouent hanc quæstionem: An inter totum, & partes cadat distinctio realis, vel sufficiat illa, quæ dicitur rationis, aut ratiocinantis, aut ratiocinatæ? Cæterùm, quia Totum est multiplex; siquidem aliud est per se, & aliud per accidens. Totum per se adhuc diuidi in potentiale, & actuale. Actuale verò in Metaphysicum, Physicum, & Integrale; propterea quæritur: An quodlibet istorum distinguatur realiter à suis partibus, vel aliquod non sit aliud præter partes vnitas, vt loquuntur communiter Recentiores. Et nè in hac multiplici difficultate confuso ordine procedamus, primum examinabimus quæstionem de Toto essentiali, tùm physico, tùm metaphysico; deindè eandem renouabimus de Toto Integrali; & denique ob quorundam Recẽtiorum opinionem, illam soluemus etiam de Toto per accidens.

Vtrum Totum essentiale, siuè Physicum, siue Metaphysicum distinguatur realiter à suis partibus?

SECTIO I.

Circa primam Partem de Toto essentiali Physico recẽsentur à Modernis tres opiniones, quarum prima attribuitur D. Thom. lib. 4. contra Gentes c. 81. & 2. p. q. 77. art. 1. Gregor. in 1. d. 24. quos sequuntur ferè omnes Recentiores, & de Antiquis communiter Græci Expositores Aristotelis in primũ Physic. cap. præsenti, vt referunt Ruuius hic cap. 3. q. 1. n. 66. & Mastr. disp. 5. q. 13. sub n. 150. qui omnes asserũt Totum essentiale Physicum non distingui realiter à partibus, sed solum distinctione rationis ratiocinatæ, cum fundamento in re.

Secũda opinio huic opposita est. Scoti lib. 8. Met. q. 4. & in 3. sent. d. 2. q. 2. docentis, totum essentiale physicum distingui realiter à suis partibus, non tantum seiunctim, sed etiam simul, & coniunctim sumptis. Doctorem subt. sequuntur communiter eius Discipuli, vt Mayronius in 3. d. 1. q. 10. Lychetus ibidem d. 2. q. 2. Bassol. in 2. d. 12. q. 2. Parisien. in 1. Physic. q. 4. Ant. Andræas 7. Met. q. 18. Zerb. ibid. q. 19. Ant. Roccus in 1. Physic. q. 6. Ponc. disp. 6. q. 1. Mastr. disp. 5. q. 4. cum alijs ab eodem relatis: quinimò hanc eandem opinionem tenuerunt ex Thomistis nonnulli, vt Heruæus Natalis quol. 2. q. 15. Capreolus in 3. d. 2. q. 1. Caiet. 3. p. q. 6. art. 5. & Ferratiens. lib. 4. contra Gent. c. 81.

Tertia

Tertia sententia, quam refert Ruuius ex Suario tom. 2. Met. disp. 36. sect. 3. n. 5. asserit, totum non superaddere tertiã entitatem distinctam à partibus vt vnitis, sed tantum modum quemdam realem ab eis modaliter distinctum.

Scotistæ insuper in tuenda Magistri sententia sunt diuisi; quandoquidem aliqui defendunt distinctionem realem non mutuam inter totum, & partes, vt nimirum partes distinguantur realiter à toto, non autem totum à partibus, cum eas essentialiter includat. Ità Ant. Trombeta in Formal. Scoti art. 4. §. vltimo, & Aretinus ibi de dist. reali Comment. 11. & art. 3. 2. part. com. 9. & in 3. d. 2. art. 2. quæst. 2.

Ex altera parte Io. Canon in 1. Phys. q. 4. art. 2. concedit partes esse de essentia totius, & nihilominus totum distingui realiter à partibus, & non tantum partes à toto.

Tandem Alij meliùs indagantes mentem Doct. subt. asserunt inter totum, & partes esse distinctionem realem mutuã; siquidem inquit Doct. *Totum distinguitur realiter à partibus, cùm illarum sit effectus, & partes à toto, quia separantur ab eodem.*

Circa secundam partem quæstionis, Scotistæ communiter conueniunt, Totum metaphysicum, non distingui realiter à partibus, sed tantum ex natura rei; siquidem nequeunt abinuicem separari per vllam potentiam, & nihilominus verificantur de eis duo contradictoria ex natura rei, quia totum metaphysicum, cuiusmodi est diffinitum, est constitutum, & non constituit, & partes, quæ sunt eius diffinitio, constituunt, & non sunt constitutæ.

Pro declaratione igitur vtriusque partis primò notandum est, totum esse duplex, scilicet cathegorematicum, & sincathegorematicum. Cathegorematicũ est, quod habet partes, ex quibus componitur, vt homo dicitur hoc modo totum, quia actu continet corpus, & animam, ex quibus physicè componitur. Sincathegorematicum est signum vniuersale, quod additum termino communi, distribuit illum in suis inferioribus, vel facit illum stare pro omnibus suis partibus distributiuè, vt dicendo: Totus homo est albus, significat quamlibet partem hominis esse albam; hic est sermo de toto cathegorematico, & nõ sincathegorematico, quia cùm istud stet pro omnibus partibus distributiuè sumptis, dicendo, totum distingui realiter à partibus, idem esset, ac dicere, partes totius cathegorematici distinguuntur à seipsis, & quælibet pars à se, quod esset valdè absurdum, quia distinctio realis cum sit relatio realis, exigit extrema realiter distincta.

Secundò notandum. Totum prima sui diuisione partiri in totum per se, & per accidens. Totum per accidens est, quod componitur ex partibus diuersorũ generum; vt homo albus; Totum verò per se est, quod constat ex partibus eiusdem generis, vt substantia ex substantijs, quantitas ex quantitatibus, & sic de alijs, & hoc est duplex, scilicet potentiale, & actuale. Potentiale, quod etiam totum vniuersale dicitur, est quoddam superiùs, continens sub se plura inferiora, tanquàm partes subiectiuas; vt animal continet hominem, leonem, equum, &c. & dicitur potentiale, quia potest esse in vnoquoque illorum, si contrahatur per vniuscuiusque diffinitionem specificã. Actuale est, quod actu continet in se plures partes; vt homo, qui continet in se omnia superiora, & rationale, tanquã differentiam constitutiuam eius; & hoc est duplex, scilicet essentiale, & integrale. Essentiale adhuc duplex, scilicet physicum, & metaphysicum. Physicum est, quod constat ex partibus physicis, constituentibus eius essentiam, vt homo respectu corporis, & animæ intellectiuæ. Metaphysicum, quod constat ex partibus metaphysicis, quæ sunt genus, & differentia, vt homo ex animali, & rationali. Totum integrale est, quod componitur ex partibus habentibus quantitatem, & hoc est duplex, scilicet homogeneum, & etherogeneum. Homogeneũ est, quod constat ex partibus eiusdem rationis cum suo toto, vt aqua, vinum, & similia: quælibet enim pars aquæ est aqua, sicut quælibet pars vini appellatur vinum. Etherogeneum est, quod constat

stat ex partibus alterius rationis à seinuicem, & à toto, vt corpus humanum, cuius alia pars est caput, alia brachia, alia pedes &c. & non recipiunt prædicationem à toto corpore, quia hæ sunt falsæ, caput, vt est vnitum corpori, est corpus; similiter brachium est corpus integrale, licet vtraque sit corpus essentiale, cum constet ex materia, & forma physica. In præsenti quæstione est sermo de toto per se actuali, essentiali, tàm physico, quàm metaphysico, in sequenti verò de toto integrali, & in alia de toto per accidens.

Tertiò notandum ex dictis in Prædicamētis disp. 2. q. 14. Septem esse genera distinctionum, sed vt ad præsens spectat, tantum esse quadruplex, scilicet rationis, realis, ex natura rei, & essentialis. Distinctio rationis est duplex, scilicet rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ; Prior est, quæ totaliter pendet ab intellectu, nullo habito respectu ad rem conceptā, an sit conceptibilis sub pluribus, vel sub vno tantum conceptu, & sic homo, in hac propositione, homo est homo, distinguitur per rationem à seipso, quia à parte subiecti concipitur sub secunda intentione subiecti, & sub intentione prædicati à parte prædicati, quæ sunt diuersæ secundæ intentiones. Posterior quidem fit ab intellectu, sed cum fundamento in re, quia nimirum in ipsa virtualiter continentur plures formalitates, quæ per intellectum possunt actuari, & distingui, & sic, inquiunt Moderni, attributa misericordiæ, & iustitiæ distingui inter se, & ab essentia Diuina, quia cum contineantur virtualiter in ipsa, intellectus sumit occasionem conficiendi hanc contradictionem: Misericordia non est iustitia, & neutra est essentia formaliter, sed benè virtualiter. Distinctio ex natura rei est inter duas realitates, de quibus, independenter ab opere intellectus, possunt verificare duo contradictoria, & sic dicimus distingui diffinitum à diffinitione, quia quamuis essentialiter, & formaliter se includant, cùm tamen de diffinito verificetur à parte rei esse constitutum, & non constitutiuum, & de diffinitione esse constitutiuum, & non constitutum, propterea distinguuntur ex natura rei. Distinctio essentialis est inter diuersas essentias, vel inter illa, quæ in diuersis naturis continentur, vt inter hominem, & leonem, vel inter risibile, & rugibile. Distinctio tandem realis est illa, quæ reperitur inter diuersas res, quarum vna possit ab alia se parari, vel quæ sunt in rebus abinuicem disiunctis, vel quarum altera sit causa, & altera effectus, vel producens, & producta; ratione primæ conditionis albedo distinguitur realiter à pariete, cum possit ab eo separari; ratione secundæ albedo Petri, & albedo Pauli distinguuntur realiter, quia sunt in rebus abinuicem discretis: ratione tertiæ totum, & partes distinguuntur realiter, quia totum est effectus realis partium: ratione quartæ; Pater in diuinis distinguitur à filio, quia se habent vt producens, & productum.

Quartò notandum, quod distinctio realis, cum sit relatio realis, est duplex, scilicet mutua, & non mutua. Mutua est, quæ fundatur in vtroque extremo distinguibili, denominatque illa intrinsecè ab inuicem distincta, & secundum hanc Petrus, & Paulus dicuntur distingui realiter, quia ità Petrus dicitur realiter distinctus à Paulo, sicut è conuersò, Paulus à Petro. Non mutua est, quæ fundatur in altero extremo tantum, intrinsecè denominando illud ab altero distingui; alterum verò dicitur tantum extrinsecè distingui, quia nimirum terminat relationem distinctionis in priori fundatam; & per hanc, inquiunt multi Scotistæ, distinguitur totum à partibus, realiter, non quod relatio distinctionis realis sit in ipso fundata, & ad partes terminata, sed quia tātum terminat distinctionem realem in partibus fundatam; siquidem totum, cum includat essentialiter partes, nequit esse alia res à partibus; partes verò, quia non includunt totum, sed possunt ab eo separari, sunt aliæ res ab illo, & sic fundant relationem distinctionis realis à toto, & non è contra: quæ doctrina an sit vera, & ad mentem Doct. subt., nobisq. probetur, dicemus in conclusionibus.

Ex his igitur sit prima conclusio. Totum

tum metaphysicum nō distinguitur realiter à partibus, sed tantum ex natura rei. Est communis omnium Scotistarum. Probatur prima pars, quia nec potest separari à partibus, nec sunt in rebus abinuicem discretis; nec se habet cū partibus vt effectus, vel productum realiter, sed solùm per quandam emanationem, vel resultantiam metaphysicam; ergo nō distinguitur realiter ab illis; Consequentia patet: Antecedens probatur, quia homo, qui est totum metaphysicum, nequit separari ab animali, & rationali, cū sint de eius essentia, & quiditate formali; ex quo sequitur: quod nequeāt esse in rebus realiter abinuicē discretis: nec realiter causatur, seu producitur ab illis, cùm ad sui constitutionem nulla interueniat mutatio, aut motus, quę tamen necessariò requiruntur in causalitate reali; ergo non distinguitur realiter ab eis. Secunda pars probatur, quia quamuis homo includat animal, & rationale in suo esse quiditatiuo, tamen de illo, ac eius partibus verificantur duo contradictoria independēter ab opere intellectus, quia homo dicitur constitutus ab animali, & rationali in tali esse, & non constituens; & animal, & rationale dicuntur constitutiua, & non constituta per hominem, quæ sunt contradictoria; ergo homo, qui est totum metaphysicum, distinguitur ex natura rei à suis partibus, scilicet ab animali, & rationali. Consequentia patet per diffinitionem distinctionis ex natura rei. Antecedens pariter est notum, quia homo est diffinitum; & animal rationale eius diffinitio; sed diffinitum est constitutum, & non constituens, & diffinitio est constituens, & non constituta per diffinitū; ergo de illis verificantur duo contradictoria ex natura rei.

Secunda conclusio. Totum essentiale physicum distinguitur realiter mutuo à suis partibus. Est Scoti in 3. sent. d. 2. q. 2 art. 1. sub C. Probatur prima pars, quia terminus per se generationis habet entitatem propriam, distinctā realiter à generante; sed totum essentiale physicum est per se terminus generationis; ergo distinguitur realiter ab omni entitate generantis; ergo à suis partibus simul sumptis. Maior patet, quia nihil gignit seipsum, nec secundum totum, nec secundū partem ex D. Augustin. 7. de Trinit. & Philosopho 2. de Anima t. 47. Minor probatur, quia non generatur materia cum sit ingenerabilis, & incorruptibilis, vt probabimus inferiùs; nec forma, saltem vt quod; ergo compositum ex his. Antecedens probatur simul cum minori primi syllogismi ex Arist. 7. Met. t. 22. vbi habet hæc verba: Generationes verò, naturales quidem hæ eorum sunt, quorum generatio ex natura est; ex quo autem fit, & est, quam materiam dicimus, à quo verò quippiam eorum est, quæ natura sunt; ipsum autem aliquid homo, aut planta, aut quicquam aliud similiū, quæ maximè dicimus substantias esse: quod enim fit non est natura, sed habens naturam, idest materiam, & formam; ergo, secundum Philosophum, terminus generationis non sunt partes, sed compositū ex partibus. Secundo sic: omne causatū distinguitur realiter à suis causis; sed totum essentiale physicum causatur à materia, & forma, tanquam à suis causis intrinsecis; ergo distinguitur realiter ab eis. Maior patet per vnam conditionem distinctionis realis; & confirmatur per diffinitionem causæ, quæ est vt ad eius esse sequatur aliud secundum naturam, idest in alietate naturæ. Minor est Aristotelis 2. Physic. t. 23. & sequentibus; Et 7. Met. t. 22.

Dices: Maiorem esse veram de causis extrinsecis, cuiusmodi sunt effectus, & finis; non de intrinsecis, vt sunt materia, & forma, quia cum sint de intrinseca ratione totius essentialis physici, nequeunt causare totum aliud realiter ab ipsis, sed sufficit vt sit distinctum ex natura rei.

Contrà: Tùm quia diffinitio est de causa in communi, prout comprehendit intrinsecas; ergo de omnibus erit idem iudicium: Tùm etiam, quia nihil causat seipsum in quocunque genere causæ ex Philosopho 2. de Anima tex. 47. ergo habet esse causatum omne distinctum realiter à suis causis. Tertiò, quia Philosophus 2. de Anima

t. 25. diuidit substantiam in materiam, formam, & compositum ex vtrisque; sed diuisio non est bona, si compositum esset eadem substantia cum materia, & forma; ergo dicendum est, esse aliam substantiam à materia, & forma. Secunda pars, quod huiusmodi distinctio realis inter totum, & partes, sit mutua, probatur, quia inter causam, & causatum est distinctio mutua; sed totum, & partes se habent, vt causatum, & causæ; ergo inter illa est distinctio mutua.

Dices, maiorem esse veram de causis extrinsecis, vbi potest esse mutua separabilitas cum suis effectibus, non tamen de intrinsecis, in quibus, propter identitatem formalem effectus cum causa, non potest esse separabilitas, nisi tantum ex altera parte, & sic distinctio realis non poterit esse mutua.

Contrà, quia identitas formalis, seu essentialis inter rem, & rem, non tollit distinctionem realem, sed solum inter realitates, quarum vna includitur essentialiter in alia; sed entitas totius, & entitas partium, se habent tanquam res, & res, & non tanquam realitates; ergo quamuis vna includatur formaliter, & essentialiter in altera, non tollitur quin possint mutuò distingui realiter. Minor patet, quia ens, & res prædicantur quiditatiuè de materia, & forma; tùm etiam quia dant esse reale composito, quod est vera res, ex Philosopho pluribus in locis; ergo sunt res, & non realitates. Maior probatur, quia vbi reperitur contradictio realis, ibi debet esse distincta realis, sed, stante identitate formali, & essentiali inter rem, & rem, reperitur in illis contradictio realis; ergo & distinctio realis. Maior est Aristotelis 4. Metaphysic. text. 3. & Scoti in 2. d. 1. quæst. 4. §. Contra istam opinionem arguo &c. vbi dicunt, quod contradictio est ratio arguendi distinctionem inter illa; & eo modo, quo se contradicunt, tali modo distinguuntur; ergo vbi reperitur contradictio realis inter aliqua, inter illa debet esse distinctio realis. Minor probatur, quia de re, quæ est totum, verificatur esse realiter causatum, & non causam; & de rebus, quæ sunt partes, esse realiter causas, & non causatum, etiam stante inclusione essentiali, & quiditatiua partium in entitate totius, cum ob causalitatem non deperdant proprias entitates; ergo inter illa reperitur vera contradictio realis, & consequenter vera distinctio realis, non obstante identitate essentiali partium in toto.

Tertia conclusio. Totum essentiale physicum dicit tertiam entitatem partibus superadditam, non modalem, vt quidam Recentiores arbitrantur; nec respectiuam, quæ sit vnio partium; sed absolutam, quæ præseferat substantiam in esse completo, & perfecto in ratione totius, quemadmodum docet Scotus loco citato in 3. sent. art. 2. D. Probatur prima pars, quia illa entitas modalis, quæ asseritur superaddita partibus vnitis, quæro an sit absoluta, vel respectiua; sed neutrum dici potest; ergo non est admittenda. Maior patet, quia absolutum, & respectiuum diuidunt sufficienter ens reale saltem (quicquid sit de ente rationis) Minor probatur: Non absoluta, quia tunc vel esset substantia, vel quantitas, vel qualitas, sed nulla harum potest esse; ergo &c. Maior patet à sufficienti diuisione entis absoluti. Minor probatur, non quantitas, aut qualitas, quia totum essentiale physicum est de genere substantiæ, & non quantitatis, vel qualitatis ex Aristotele 2. Physic. tex. 4. Et 7. Metaphysic. tex. 22. Et 2. de Anima tex. 25. ergo non est quantitas, aut qualitas. Nec substantia, quia aut esset completa, aut incompleta; si dixerint completam, sunt nobiscum, sed malè vocant illam modalem, cùm modus dicat quid superadditum rei in esse completo: si verò dixerint esse substantiam incompletam; igitur erit, vel materia, vel forma, sed neutra potest esse, quia non posset dici entitas superaddita partibus totius, nisi dicantur partes superaddi sibimetipsis; ergo dicere totum superaddere partibus entitatem moda-

modalem absolutam, est imaginarium, & non realiter dictum. Nec relatiuam (& erit simul probatio secundæ partis conclusionis) tùm quia terminus generationis, vel corruptionis, nequit esse quid relatiuum, ex Aristotele 5. Physic. t. c. 10. vbi dicit, in ad aliquid non esse motum, neque mutationem: tum quia substantia nequit esse de essentia entitatis relatiuæ, cùm prædicamenta sint impermixta formaliter, secundum Aristotelem 1. Poster. cap. 25. sed materia, & forma, quæ sunt substantiæ, sunt de essentia totius; ergo nequit esse entitas relatiua. Tertia pars probatur à sufficienti diuisione, quod illa entitas tertia superaddita partibus, idest materiæ, & formæ, sit absoluta, & substantia completa; siquidem non est accidens absolutum, aut respectiuum; neque substantia incompleta, vt probatum est ex hactenus dictis, restat ergo vt sit completa substantia, alia à materia, & forma.

Obijcies primò contra primam conclusionem: Non minus sunt de essentia partes essentiales physicas totius essentialis physici, quàm partes metaphysicæ totius metaphysici, sed non obstante tali identitate essentiali, totum physicum, & eius partes distinguuntur realiter, vt probauimus in fine secundæ conclusionis; ergo neque similiter obstare debet, quin totum metaphysicum, & eius partes distinguantur realiter. Maior patet, quia vtrobique dant esse quidditatiuum, licèt in diuerso genere.

Respondetur, negando consequentiam; siquidem impedimentum in metaphysicis non prouenit ratione identitatis essentialis, vt sic, sed quia est identitas essentialis realitatum, in eadem re consistentium, quæ cum non admittant contradictionem inter rem, & rem, sed solum inter vnam, & aliam realitatem, consequenter nequeunt arguere distinctionem realem inter illas, sed tantum ex natura rei: cæterùm cum identitas essentialis in physicis sit inter rem, & rem, de quibus nihilominus possunt verificari duo contradictoria realia, hinc sequitur non posse per identitatem essentialem impediri distinctionem realem, quæ reperitur inter causam, & causatum.

Contrà, quia essentia non est aliud, quàm realitas rei; ergo sicut in physicis cum vnitate essentiæ potest stare distinctio realis, sic dicendum erit etiam in metaphysicis.

Respondetur essentiam esse duplicem aliam physicam, quæ dicit inclusionem essentialem, & quiditatiuam vnius, vel plurium rerum in alia re; aliam verò metaphysicam, quæ importat inclusionem realitatis cum realitate, vel realitatis, aut formalitatis cum re: Exemplum prioris sit de toto essentiali physico, & suis partibus in eodem inclusis. Exemplum posterioris, de toto, & partibus metaphysicis, vel diffinito, & diffinitione metaphysica, quæ se includunt formaliter modò istæ essentiæ conueniunt, & disconueniunt: Conueniunt, quia sicut illa, quæ sunt idem essentialiter physicè, non distinguuntur essentialiter physicè, ità illa, quæ sunt idem essentialiter metaphysicè, nequeunt distingui distinctione sibi opposita: Disconueniunt verò, quia essentia physica, cùm includat duas, vel plures res, de quibus possunt verificari duo contradictoria realiter, potest fundare distinctionem realem; at essentia metaphysica, cùm dicat tantum inclusionem duarum realitatum in vna re, vel realitate, non poterit fundare distinctionem realem, sed illam duntaxat, quæ à Scotistis dicitur, ex natura rei.

Formaliter ad argumentum dico: Antecedens esse verum de essentia metaphysica tantum, non de physica, quia hæc non dicit realitatem rei, sed rem, vel res inclusas essentialiter in alia re; & tunc negatur consequentia propter disconuenientiam vnius cum alia, vt declaratum est.

Obijcies secundò contra secundam partem eiusdem conclusionis: Quæ non possunt distingui ratione, nec ex na-

tura rei poterunt distingui; sed totum metaphysicum, & suæ partes, non possunt distingui ratione; ergo nec ex natura rei. Maior patet, quia maior identitas infert minorem; ergo, quæ sunt idem ratione, non possunt distingui ex natura rei. Minor probatur, quia totum metaphysicum quiditatiuè concipi nequit, nec præcisiuè sine partibus, vt homo sine animali, & rationali; ergo neque per intellectum distinguitur ab eis, & sic nec ratione, quæ fit per intellectum.

Respondetur negando minorem; ad probationem nego consequentiam; siquidem distinctio rationis non est inter illa, quorum vnum possit concipi sine alio; & identitas ei opposita, quando vnum nequit sine alio concipi, vt non benè senserunt isti Recentiores, quia tunc non confunderentur identitas, & distinctio formalis cum identitate, & distinctione rationis, quod nullus Formalista concederet: sed illa distinguuntur ratione, quæ sub diuersis secundis intentionibus concipi possunt, de quibus valeant verificari duo contradictoria rationis; vt homo à parte subiecti distinguitur à seipso à parte prædicati per rationem, quia in illo posito à parte subiecti fundat secundam intentionem subijcibilitatis, & in eodem à parte prædicati intentionem prædicabilitatis, quæ fundant hæc duo contradictoria, scilicet prædicari, & non prædicari; subijci, & non subijci. Cæterum, cùm inter totum metaphysicum, & suas partes, reperiantur duo contradictoria ex natura rei, scilicet constitutum, & non constitutum; constitutiuum, & non constitutiuum, quamuis intellectus nequeat concipere totum sine partibus, nihilominus distinguuntur ex natura rei, vt probatum est in conclusione.

Obijcies tertiò contra secundam conclusionem ex Ruuio, quia in Symbolo Sancti Athanasij dicitur: Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus. Præterea D. August. lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 3. laudat Varonem, quia hominem, nec animam solùm, nec solùm corpus, sed animam simul, & corpus esse docebat. Item Commentator 1. Physic. com. 17. dicit: Totum non esse aliud ab omnibus partibus simul sumptis; ergo totum essentiale physicum nō distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis.

Respondetur negando consequentiã; siquidem auctoritates citatæ, & si quæ aliæ afferri possint, habere veritatem solum per continentiam, vel constitutionem, non verò per identitatem.

Obijcies quartò, quia si totum esset tertia entitas distincta à partibus, sequeretur totum non esse totum; sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia, seu sequela maioris probatur: Quæ aliqua distinctione distinguuntur, non se se includunt secundum sensum eius; sed totum includit realiter partes; ergo nequit distingui realiter à suis partibus, & si sic distinguitur, tunc non includit illas, & sic totum non est totum. Maior patet inductiuè: Quæ distinguuntur formaliter, non se includunt formaliter; ergo quæ se includunt realiter, non distinguuntur realiter. Minor est nota apud omnes, quia partes sunt de essentia totius.

Respondetur negandò sequelam maioris; ad probationem dico, maiorem esse veram de inclusione per identitatem, non tamen si tantum per continentiam; ad minorem dico, totum includere realiter partes per continentiam, quia reuera illas in se habet, non tamen per identitatem, quia sic illas tantum includit essentialiter, & non realiter, & ideò distinguitur realiter ab illis.

Obijcies quintò. Partes vt vnitæ includunt omnem entitatem, & omnem modum excogitabilem in toto; ergo non distinguitur realiter, nec modaliter ab eis. Cōsequentia patet. Antecedens probatur, quia partes vt vnitæ includunt, non solùm materiam, formam, & vnionem, sed omnem effectum formalem, & materialem vtriusque, quem vt vnitæ præstare possunt; ergo vt sic includunt omnem entitatem, & omnem

omnem modum excogitabilem in toto. Conſequentia patet. Antecedens probatur, quia forma vnita materiæ, informat eam, & materia recipit formam, & per informationem, & receptionem præſtant omnem effectum formalem, & materialem, quam poſſunt; ſed quæcunque entitas totius, & quicunque modus eius eſt effectus formalis formæ, & materialis materiæ; ergo includitur in partibus, vt vnitis, ac proindè non poteſt ab eis realiter, aut modaliter diſtingui.

Reſpondetur antecedens eſſe verum per cauſalitatem, quia reuera tota entitas, & quilibet modus totius, continetur virtualiter in ſuis partibus, à quibus, vt vnitis, cauſatur; non tamen per identitatem, quia ſic alia eſt entitas totius ab entitate partium. Ad probationem diſtinguo eodem modo antecedens, ad cuius probationem dico, totum diſcurſum doctiſſimi Ruuij eſſe verum cauſaliter, non tamen identicè; immò in eo quod dicit in minori, omnem entitaté, & modum totius eſſe effectũ formalem formæ, & materialem materiæ, cogitur & ipſe fateri diſtinctionem realem totius à materia, & forma; ſiquidem cauſæ reales cauſant aliud realiter à ſe.

Dices: Antequam concipiatur tertia entitas ſubſtantialis, à nobis aſſerta, intelligitur totaliter expleta cauſalitas materiæ, & formæ; ergo effectus earum non eſt tertia entitas, ſed vnio ſubſtantialis vtriuſque. Cõſequentia patet. Antecedens probatur, quia cauſalitas materiæ totaliter expletur per receptionem formæ in ſe, & formæ per informationē materiæ; ſed in illo priori non intelligitur entitas ſubſtantialiter à nobis aſſerta, ſed tantum vnio earundem partium; ergo ratio totius, vt effectus materiæ, & formæ, non eſt entitas, ſed tantum vnio ſubſtantialis materiæ cum forma.

Reſpondetur antecedens eſſe verũ; Si *ly* antequã dicat prioritatem naturæ, nõ tamẽ ſi inſtans temporis; nam, cũ cauſalitas, nõ ſit aliquis modus, ſed entitas ipſa cauſæ, vt probabimus inferius, & entitas cauſæ ſemper præintelligatur entitati effectus, conſequenter dicendũ eſt, cauſalitatem materiæ, & formæ præintelligi in aliquo priori naturæ, entitati totius: cæterùm, quia in eodem inſtanti temporis cauſa eſt ſimul cum effectu, maximè intrinſeca, quæ, nec à Deo impediri poteſt, vt videbimus in ſequenti libro, non poteſt præintelligi vnio materiæ, & formæ in ratione cauſæ, quin ſimul intelligatur entitas ſubſtãtialis totius in eſſe poſita. Ad probationem antecedentis ſimiliter dico, minorem eſſe veram de prioritate naturæ, non tamen temporis, quia ſic in eodem inſtanti, quo forma informat materiam, ſimul cauſant totum à ſe realiter diſtinctum.

Contrà, quia compoſitum nihil ſuperaddit vnioni partium, & partibus vnitis; ergo non diſtinguitur à partibus vnitis. Antecedens probatur, quia eſſe vnitum nihil addit ſupra vnionem, & partes vnitas, ſed vnitum idem eſt, re, ac ratione, quod compoſitum; ergo compoſitum nihil addit ſupra vnionem, & vtramque partem. Maior probatur, quia partes denominantur vnitæ ab vnione, quæ in illis ſolum recipitur, & præter eas nihil denominatur ab vnione vnitum; ergo vnitum nihil addit ſupra vnionem, & partes vnitas. Minor probatur, quia vnitum dicit partes ſimul ſumptas cum vnione; ſed hoc eſt formaliſſimè compoſitum; ſiquidem compoſitio eſt ſimul poſitio, ſeu coniunctio plurium rerum; ergo eſſe vnitum, & eſſe compoſitum ſunt omninò idem.

Reſpondetur, negando antecedens, ad probationem nego minorem: immò eſſe vnitum, cum ſit effectus formalis vnionis, quæ reperitur inter materiam, & formam, denominat partes vnitas, & non compoſitum; igitur eſſe vnitum, & eſſe compoſitum non ſunt idem, re, ac ratione; Ad probationem nego iterùm minorem, & cum probatur de compoſitione, quod ſit ſimul poſitio, ſeu coniunctio plurium rerum, verum eſt de compoſitione actiua, quæ dicit cauſalitatem materiæ, & formæ, non verò de paſſiua, quæ denominat eſſe compoſiti, ac proindè non ſequitur eſſe vnitum, & eſſe compoſitum paſſiuè eſſe idem, vt prætendit argumentum.

Obijcies sextò. Si totum distinguitur à partibus vnitis, realiter, vel distinguitur ab eis secundum se totum, vel secundum aliquam sui partem; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur: Non secundum se totum, quia tunc secundum omnes suas partes distingueretur ab omnibus suis partibus, quod implicat; Nec secundum aliquam sui partem, quia tunc secundum aliquam sui partem distingueretur ab omnibus suis partibus, quod pariter implicat, cum in illis omnibus inuoluatur etiam illa, & sic illa distingueretur à seipsa.

Respondetur: Ex Doct. subt. in 4. d. 11. q. 1. art. 1. & ex primo not. Totum esse duplex, scilicet cathegorematicum, quod componitur ex partibus; & syncathegorematicũ, quod dicit omnes partes distributiuè, & sic aliquam partẽ, & aliquã totius; & ex hoc formaliter ad argumẽtum, Dico totum cathegorematicum secundum se totũ distingui à suis partibus vnitis distinctione reali; & cum probatur, quid tunc secundum omnes suas partes distingueretur ab omnibus suis partibus, neganda est consequentia, quia fit transitus à toto cathegorematico ad sincathegorematicum, & sic committitur fallacia æquiuocationis.

Contrà, quia totum cathegorematicè sumptum, vel dicit tertiam entitatem superadditam partibus, à quibus dicitur realiter distingui, illas excludendo, vel illas includendo: si dicatur primum, igitur totum illud non est compositum ex partibus, sed dicit entitatem simplicem, quod est contra rationem totius: Si verò dicatur secundum; ergo non potest ab illis distingui, quin distingui dicatur à seipso, quod implicat.

Respondetur: Totum cathegorematicum, vt includens essentialiter partes, dicitur distingui à partibus realiter, & cum probatur oppositum, quia alioquin idem totum distingueretur à seipso realiter, nego consequentiam; quia totum non includit partes realiter, idest per identitatem realem, sed solum per essentialem; & sic solùm sequitur, quod totum includens partes in sui essentia, distingueretur realiter à partibus simul sumptis, vt causant ipsum totum, quia sic non includuntur in toto per identitatem realem, sed solum per essentialem.

Obijcies septimò contra tertiam conclusionem. Si daretur tertia entitas absoluta distincta realiter à partibus simul sumptis, sequeretur, quod posset ab illis separari, & sine illis consistere; sed hoc consequens est falsum; ergo, & antecedens. Sequela maioris probatur, quia omne absolutum prius, realiter distinctum à suo posteriori, saltem per Diuinam potentiam, potest esse sine illo ex Do[illegible] su[illegible]t. in 2. d. 12. q. 2. A. sed partes, & terti[illegible] e[illegible]titas ab illis causata sunt entia absoluta, & partes sunt priores ipsa; ergo possunt abinuicem separari.

Respondetur negando sequelam maioris; ad probationem dico, illam maiorem, quæ est maxima Scoti, habere solum veritatem in absolutis, in quibus posterius non dependet essentialiter à suo priori, vt optimè docet idem Doctor in 2. d. 1. q. 5. sub M. modò licet partes vnitæ sint priores saltem natura, illa tertia entitate, non potest fieri separatio; obstat enim dependentia essentialis tertiæ entitatis à partibus, cum causetur ab illis, & sint de eius essentia physica.

Dices: igitur partes vnitæ, cum sint priores, & non dependeant essentialiter ab illa tertia entitate, siquidem nullum prius essentialiter dependet à suo posteriori, poterunt separari ab illa, sed hoc non est dicendum; ergo fatendum melius non dari illam tertiam entitatem distinctam realiter à partibus, sed totum esse partes vnitas dumtaxat.

Respondetur negando consequentiã, quia licèt posset concedi separabilitas, loquendo de partibus absolutè sumptis, tamen est neganda simpliciter sequela de eisdem, vt actu sunt vnitæ, quia vt sic inuoluunt relationem essentialem ad effectum, vt implicet, etiam per potentiam Diuinam, posse disiungi ab eo, & sine illo consistere. Multa, & penè innumerabilia alia argumenta obijciuntur ab Aduersarijs contra secundam, & tertiam conclusionem, quæ referuntur à doctissimo Mastrio; sed quia ex huc usque di-

ctis,

ctis, facillimè dissolui possũt, ideò omittuntur, ne in immensum crescat opus, præter id, quod est nobis in votis.

Vtrum Totum integrale sit quid realiter distinctum ab omnibus suis partibus simul sumptis?

SECTIO II.

Circa hanc secundam quæstionem non videtur nobis congressio cum alienis, siquidem cum maiori apparentia negant de toto integrali, quod non sunt ausi fateri de essentiali: erit igitur solùm controuersia, & pugna cum domesticis Scotistis, quandoquidem innixi varijs auctoritatibus Magistri, in diuersas abierunt sententias, quarum prima est Trombetæ in Formal. Art. 4. §. vltimo, Fuentes in 1. Physic. q.6. art.6 & in 2. Physic. q. 2. diff. 2. art. 1. Poncij in 1. *Phys. disp. 6. q. 2.* per totam, & Mastrij *disp. 5. q. 13. art. 2.* asserentium totum integrale non dicere aliquid realiter distinctum à partibus.

Secunda sententia huic omninò opposita est Zerbi in Met. lib. 7. q. 19. Parisiensium in 1. Phys. q.4. Rocci ibidem q. 6. conclus. 4. docentium cum Scoto in 3. d. 22. q. vn. L. totum integrale distingui realiter à partibus simul sumptis.

Tataretus autem media incedens via in 1. Physic. q. 2. dub. 2. sequutus à Sghema ibidem digress. 3. q. 4. concedit distinctionem realem loquendo de toto etherogeneo, & illam negat de homogeneo. Quid autem sit dicendum in re tàm graui, ac perdifficili in doctrina Doctoris subt. quibusdam notatis, nostram aperiemus opinionem.

Primò igitur notandum est: Totum, siuè homogeneum, siuè etherogeneum, esse duplex, scilicet cathegorematicum, & sincathegorematicum. Cathegorematicum dicitur illud, quod habet partes in se essentialiter inclusas. Totum verò sincathegorematicum sunt ipsæ partes distributiuè sumptæ. Hic est sermo de toto cathegorematico, quia tale causatur à partibus, ab illisq. realiter distinguitur, vt probabimus; non autem de sincathegorematico, quia cum tale sint partes distributiuè sumptæ, significaret, quod partes distinguerentur à seipsis, & aliquæ partes à cæteris, quod tamen implicat.

Secundò notãdam ex Scoto lib. 5. Meth. in Expos. t. 31. & colligitur etiam ab eodem in 4. d. 12. q. 4. I. K. quod, sicut totum, ex Aristotele 5. Met. c. de Toto, dicitur illud, cuius nulla pars eorum abest, ex quibus totum natura dicitur, partes possunt esse in toto dupliciter, vel in potentia, vel in actu: in potentia quidem sunt in toto, quod est verè vnum, idest in continuo, quod non solùm dicitur vnũ vnitate totius, resultantis ab vnione partium, ex quibus componitur, sed etiã vnitate continuitatis, vt aqua, vinum, & similia humida, quorum partes non sunt in actu, quia non habent esse diuisum, sed per solam diuisionem, & distinctionem, reducuntur de potentia partium, ad esse actu partes: sed partes sunt in actu in toto, quod non est verè vnum, sicut continuum, licet habeat vnitatem per se, sicut totum discretum, vt numerus, & oratio; vel per accidens, vt aceruus; siquidem in his partes sunt actu ab inuicem discretæ, vniuntur tamen in causalitate totius, pro quanto ex positione illarum verè, & realiter resultat aliquid ab eis distinctum realiter, quod dicitur vnum, & totum vnitate, & totalitate integritatis, vt fusiùs de numero, & oratione diximus in Prædicamento quãtitatis. Hic est sermo de vtrisque cum quæritur: An totum integrale distinguatur realiter à suis partibus, quia reuera omnes partes sunt verè partes, & realiter causant, non seipsas, cum nihil causet se, ex Aristotele 2. de Anima tex. 47. igitur aliud à seipsis realiter distinctum, vt dicebamus de partibus, & toto essentiali physico.

Ex his sit prima conclusio. Totum integrale sincathegorematicè sumptum non distinguitur realiter à suis partibus. Probatur, quia totum integrale sincathegorematicè sumptum nil aliud est, quàm partes totius cathegorematici distributiuè acceptæ, sed partes non distinguuntur rea-

realiter à seipsis; ergo totum sincathegorematicè sumptum non distinguitur reater à suis partibus. Maior patet ex primo not. Minor etiam est nota, quia distinctio realis, cum sit relatio realis, exigit extrema realiter distincta.

Secunda conclusio. Totum integrale, cathegorematicè sumptum, tàm homogeneum, quàm etherogeneum; tàm discretum, quàm continuum, & successiuum, distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis. Est conclusio Aristotelis hic in t. 17. vbi præsertim loquitur de toto continuo; & 5. Metaph. t. c. 19. vbi sermonem faciens de toto integrali discreto, inquit, sex non esse bis tria, sed semel sex sunt sex; & 7. Metaph. t. c. 60. dicit, compositum integrale non esse totum, veluti cumulus, sed vt syllaba Ba, quæ non est B, & A, sed quod distinctum ab illis. Insuper Scoti lib. 5. Met. in Expos. super cap. de Toto, vbi loquens de natura, & quiditate totius esse, quid habeat omnes partes, & nulla absit, & quid cōtineat illas, sicut continens contenta: atqui si totum esset suæ partes, & non quid ab illis distinctum, non continere illas, cum nihil dicatur continere se, ideò infert, debere esse ab illis distinctum. Præterea in 3. sent. d. 22. q. vn. sub L. dicit, numerum quinarium non esse quinque vnitates, sed quoddam totum resultans ex illis; ergo de mente Aristotelis, & Doctoris subtilis Scoti, totum integrale, siuè continuum, siuè discretum, siuè homogeneum, siuè etherogeneum, dicit tertiam entitatem distinctam ab entitatibus suarum partium. Probatur conclusio ratione, quia inter causam physicam, & realem, & suum causatum debet esse distinctio realis, quia nihil reale causat realiter seipsum, ex Aristotele 2. de Anima t. c. 37. sed partes integrales, siuè in potentia, siuè in actu sunt reales, & verè, ac realiter causant totum; ergo totum integrale debet esse aliud realiter à partibus vnitis. Confirmatur, quia Doct. subt. citatus in 3. sent. d. 22. q. vn. L. ex distinctione totius integralis à suis partibus arguit distinctionem totius essentialis à suis; sed totum essentiale distinguitur realiter à suis partibus, de mente Doctoris, vt etiam probant Doctores Scotistæ citati in prima sententia; ergo idem, & multò magis, habent dicere de toto integrali sequendo opinionem Magistri. Videant igitur, & rectè perpendant textum Scoti, & posteà iudicent, an hæc ratio vim habeat contra ipsos.

Objiciuntur tamen nobis multa, & non spernenda argumenta, tùm ex auctoritate Scoti, tùm ex rationibus, ac congruentijs desumpta, & probant totum continuum non distingui realiter à suis partibus, quia Doctor subtilis in 4. dist. 12. quæst. 4. I. & K. vbi ex professo declarans constitutionem totius continui ait; quod in diuisione continui, nulla quantitas diuersa à quantitate partium deperditur, sed solum continuitas, & habitudo vnitorum adinuicem, ac respectus quidam totalitatis resultans ex vnione partium; & similiter, quod in appositione, non acquiritur noua quantitas, sed noua continuitas, & habitudo vnitorum, & quidam respectus totalitatis ex tali habitudine resultans; sed si totum continuum esset quid distinctum realiter à suis partibus vnitis, noua totalis quantitas in appositione acquireretur, & in diuisione periret; ergo secundum Scotum totum continuum non distinguitur realiter à partibus.

Respondetur ex eodem Scoto ibidem, totum continuum dupliciter posse accipi, vel in ratione continui formaliter, & reduplicatiuè, vel in ratione totius integralis, constituti ex partibus in potentia, reducibilibus tamen ad actum per diuisionem earundem à toto; si priori modo accipiatur, fateor & ego cum Scoto non deperdi in diuisione nouam quantitatem, sed tantum discontinuationem acquiri, & earundem continuationem perire partium, quia non manent amplius continuatæ; & in appositione non acquiri nouam quantitatem, sed nouam continuationem, & habitudinem partium vnitarum inter se, & in ordine ad totum continuum; cæterùm si consideretur

deretur posteriori modo, cùm partes discontinuatæ sint eædem secundum entitatem, & solùm sint reductæ de potentia ad actum per diuisionem, sicut prius erant partes totius integralis, per ipsas constituti, & postea manent cum eadem entitate positiua in ordine ad totum ab ipsis integratum, & solùm deperditur ratio continuitatis, non verò totius integralis, & ideò rectè infert Doctor, non manere eandem entitatem totius, quæ præfuit, quia prius habebat partes continuatas, & posteà discontinuatas; asserit tamen manere eandem in ratione totius integralis, quia subdit: patet ergo quomodo ista transmutatio, idest per diuisionem, non requirit quantitatem eandem manentem, loquendo de identitate, quæ est continuitas, sed tamen requirit identitatem, loquendo de quocumque positiuo hic, & ibi; licet aliter se habente: Ecce quomodo Doctor considerat quantitatem totius continui, & in ratione continui, & in ratione totius integrati ex partibus positiuis, manentibus cum eadem identitate positiua partium, non tamen cum identitate, quæ sit continuitas.

Formaliter igitur ad argumentum dico, maiorem habere veritatem de toto integrali continuo formaliter, & reduplicatiuè accepto, non tamen de eodem secundum entitatem positiuam considerato, quia manet idem in diuisione, & variatur in appositione nouæ quantitatis, licet sit idem in reunione partium prius diuisarum, sicut accidit in aqua, & cæteris humidis.

Dices: ergo totum continuum, vt continuum, non distinguitur realiter à suis partibus, alioquin in diuisione periret, & in appositione, acquireretur noua quantitas, quod negatur à Doctore subtili.

Respondetur negando illatum, quia sicut prius partes, dùm sunt in potentia, & continuatæ, sunt veræ partes, & verè componunt, non se, sed totum; & in diuisione, & appositione non variantur secundum entitatem positiuam, sed dicunt eundem ordinem ad totum secundum entitatem positiuam, sicut prius, solùmque deperdant, vel acquirant habitudinem continuitatis, aut discontinuitatis, non impediri, quin totum illud integrale secundum entitatem positiuam, sit verè totum, & semper realiter à partibus distinctum.

Obijcitur secundò. Si totum integrale diceret tertiam entitatem realiter à partibus distinctam, sequeretur, materiam esse generabilem, & corruptibilem, sed hoc est contra Aristotelem in primo Physicorum tex. 64. ergo & illud ex quo sequitur non est sustinendum. Sequela maioris probatur, quia materia, secundum Scotum in 2. d. 12. quæst. 2. cum habeat partes integrales, & entitatiuas absque forma, in diuisione corrumperetur illa tertia entitas totius materiæ, & in continuatione earundem partium denuò generaretur, & sic esset generabilis, & corruptibilis.

Respondetur negando sequelam maioris, ad probationem dico, materiam, neque in diuisione corrumpi secundum entitatem totius integralis, neque in continuatione earundem partium, eandem generari denuò; siquidem vt optimè docet Scotus in 4. sent. d. 12. quæst. 4. I. neque in diuisione continui, neque in appositione partium eiusdem, est propriè mutatio; & consequenter neque generatio, neque corruptio aliqua propriè dicta; & ratio est, quia mutatio, quæ est generatio, & corruptio, præsupponit subiectum in quo fiat, cùm ergo ante materiam primam nulla detur materia, in qua ipsa posset mutari subiectiuè de generatione ad corruptionem, & è conuersò, consequenter non potest dici generabilis, aut corruptibilis formaliter, seu terminatiuè, vt non rectè infert Mastrius; sed solùm potest concedi corruptio, aut generatio totius in ratione continuatis, non verò in ratione entitatis, quia sicut partes perseuerant eædem secundum entitatem, ità, & tota materia ex eisdem coalescens.

Obijcitur tertiò, quia data veritate con-

conclusionis, sequerentur multa absurda; ergo non est sustinenda. Antecedens probatur, tùm quia per additionē vnius guttæ ad aquam maris, generabitur de nouo entitas substantialis per totum mare diffusa, & eam auferendo, corrumpetur: tùm etiam, quia idem posset naturaliter reproduci pluries; siquidem ex diuisione aquæ iteratò facta, semper corrumperetur totum integrale, & ex reunione earundem partium, idem totum redibit; & naturaliter potest hoc fieri, vt experientia constat; ergo idem indiuiduum totius integralis poterit naturaliter reproduci, quæ sunt maximè absurda; ergo vt euitentur, dicendum est, totum non dicere supra partes, nisi vnionem, & respectum totalitatis.

Respondetur, negando sequelam maioris, seu antecedens illatum. Ad probationem gratis conceditur vtrumque illatum, & ad primum sicut Mastrius non habet pro inconuenienti ad multiplicationem infinitorum terminorum, multiplicari in infinitum respectus super eodem fundamento, & per amotionē quorundam terminorum diminui respectus, & non nisi, quia ab illis pendent essentialiter; ita non debet habere pro absurdo, si per additionem partium integralium de nouo mutetur tertia entitas totius, & eadem corrumpatur per iteratam ablationem earundem, vel aliarum partium secundum entitatem, cùm ab omnibus simul sumptis essentialiter in esse substātiali, & entitatiuo dependeat. Ad secundum concedit Doctor subt. in 4. d. 43. q. 3. reproductionem naturalem in aliquibus, maximè quando omnes partes manent eædem secundum entitatem, sicut esset in proposito de aqua; & eam dumtaxat negat, quando aliqua pars non est in potestate agentis naturalis, vel non manet eadem secundum omnes dispositiones naturales, necessariò requisitas ad actionem circa idem passum, vt videre est apud ipsum. Non est igitur inconueniens redire eandem tertiam entitatem aquæ per continuationem partium, post earum diuisionem, iteratò factam, cum maneant omnes partes aquæ secundum eandem entitatem positiuam, quæ prius erat in continuo.

Obijcitur quartò aliud inconueniens ex eodem Mastrio, quod nimirum sequeretur, duas libras coniunctas magis ponderare, quàm diuisas, quod est contra experientiam. Probatur sequela, quia duæ libræ coniunctæ causarent tertiam entitatem, quæ haberet etiam propriam grauitatem, distinctam à grauitate partium; ergo magis ponderarent cōiunctæ, quàm diuisæ. Deindè, si eidem animali addatur per nutritionem pars notabilis, sequeretur, non fore idem animal post nutritionem, quod erat antea, quia mutata est tertia entitas, hoc autem est omninò falsum, & contra Aristotelem 5. Metaphysicorum cap. de Toto; ergo, & antecedens.

Respondetur cum Tatareto negando sequelam, ad probationem dico, tertiam entitatem non habere aliam grauitatem, quæ sit sibi propria, sed tantum illam, quæ est partium, & ideò non sequitur, duas libras coniunctas, ratione tertiæ entitatis, ab eis resultantis, plus ponderis habere, quàm diuisas; siquidem passiones cōsequentes partes, quamuis possint denominare totum, ratione inclusionis essentialiter partium in ipso, non tamen habent illud constituere, adeò vt ex illis formetur tertia passio, quæ sit propria totius, quia passiones, cum sint realiter identificatæ subiectis, nullam causalitatem habent distinctam ab entitate subiectorum. Addo, & fortè melius, quod tertia entitas, ex duabus libris resultans, cùm non ponatur in numero cum duabus, siquidem est forma totius, & illæ partium, nequit participare, saltem in recto, passiones conuenientes suis partibus: patet de materia, & forma, quæ sunt partes totius essentialis, & licèt materia habeat, vt sit ingenerabilis, & incorruptibilis formaliter, seu terminatiuè, & forma sit solùm generabilis, & corruptibilis, vt quo, etiam coniunctæ; non tamen tribuunt composito esse ingenerabile, & incorruptibile conueniens materiæ, vel solum generabile, & corruptibile vt quo competens formæ, cùm sit vtrumque, vt quod; igitur à simili dicendum est de grauitatibus conuenientibus

duabus

duabus libris ponderis, quod licèt denominent partes, nequeunt tamen denominare totum, vtpotè incapax talis granitatis; quæ sit sibi propria.

Ad secundum inconueniens, nego sequelam maioris; siquidem animal, cum sit totum etherogeneum, non habet mutari per additionem partis homogeneæ, per nutritionem acquisitæ, sed debet addi pars etherogenea, quæ etiam sit principalis, alioquin non mutaretur totum etherogeneum, sed solum homogeneũ.

Obijcies quintò ex Poncio loco citato n. 26. Nulla est necessitas ponendi hanc tertiam entitatem realiter distinctam à partibus integrantibus vnitis; ergo totũ integrale nõ debet poni distinctum realiter à partibus. Cõsequentia patet, quia in tantum ponitur à Doctore subtili totum essentiale physicum, distinctum realiter à suis partibus, in quantum aliqua verificantur de toto, quæ non possunt competere partibus, etiam vnitis, vt puta quod sit generabile, & corruptibile terminatiuè, & vt quod; quod sit mobile motu progressiuo, & alia, quæ non possunt competere partibus vnitis: ergo cùm nulla adsit necessitas ponendi totũ integrale distinctum realiter à partibus, frustra asseritur esse distinctum realiter ab illis. Antecedens probatur, quia omnia, quæ ponuntur competere toti, verificantur æquè benè de partibus vnitis; ergo nulla necessitas cogit, vt ponatur distinctum. Antecedens, quod erat probandum à Poncio, supponitur tanquam verum, quamuis reuera non sit tale, ideò

Respondetur negãdo antecedens, immò vrget duplex necessitas, altera ab intrinseco, & à priori, altera verò, quasi ab extrinseco, & à posteriori: Prior ostenditur ex eo quod causa naturalis, si non sit impedita, necessariò habet ponere in esse existentię propriũ effectum à se realiter distinctũ, vt in præcedenti sufficiẽter probatum est; cùm igitur partes integrales sint veræ causæ naturales, & reales, si non fuerint impeditæ, necessariò causabunt aliquid, non seipsas, quia nihil causat se; ergo totũ ab eis realiter distinctũ. Posterior etiam declaratur, quia numerus binarius distinguitur specie à ternario, & ternarius à quaternario; sed hoc non habent ratione vnitatum, ex quibus componuntur, cum ingrediantur constitutionem vtriusque numeri; ergo huiusmodi distinctio sibi conuenit ratione tertiæ entitatis huius, & illius, quæ constituunt formaliter diuersas species numerorum. Insuper, totum etherogeneum dicitur moueri motu progressiuo, sed huiusmodi motus non cõpetit omnibus partibus etiam vnitis, quia non manibus, nec capiti, sed tantum pedibus; ergo multa conueniunt toti, quæ partibus conuenire non possunt, ac proindè etiam ex hoc capite insurgit necessitas ponendi totum integrale à partibus realiter distinctum, quod gratis negatur à Poncio.

Vide pro hac necessitate Cursum Parisiensem in 1. Physic. cap. 2. q. 4. & habebis, quæ conueniunt toti integrali, & nequeunt conuenire partibus.

Vtrum Totum per accidens distinguatur realiter ab eius partibus simul sumptis, & vnitis?

SECTIO III.

PAter Gaspar Fuentes Hispanus, nostri Instituti, vir doctus, in suo cursu Philosophico, quem legit Romæ, quamplura docuit, nec valdè Doctori subtili, quem tamen in omnibus sequi tenebatur, consona; inter alia dixit in 1. Physic. q. 6. diffic. 1. art. 7. Totum essentiale physicum, & integrale, nullam entitatem superaddere partibus vnitis; & totum per accidens, de quo minus videtur, esse quid realiter distinctum à partibus, quæ omnia prorsus repugnant doctrinæ Scoticæ, vt inspicientibus textum Doctoris in 3. d. 2. q. 2. vbi loquitur de toto per se, & per accidens, & d. 22. q. vn. L. in quo loco agit de toto integrali, patere potest. Hanc opinionem de Toto per accidens, secutus fundamenta de la Fuentes, docuit, ac in suis scriptis euulgauit discipulis quidam ex nostris, quódam meus auditor, vir eruditus, ac doctus, non tàm veritatis, vt reor, eruendæ,

dæ, quàm cauillandæ videretur assertur, quin potiùs, vt ingenij ostentaret subtilitatem, non planè ignarus addiderim: cæterùm quā non rectè se gesserit, viderit ipse, & quonam pacto à vera sententia Scoti, vt Scotista, deuiauerit, inferiùs demonstrabo.

Vera igitur opinio Doctoris subtilis, quam (his duobus exceptis) docuerunt omnes Scotistæ, tùm veteres, tùm recentiores, asserit, totum per accidens nullam entitatem, quæ à partibus vnitis sit realiter distincta, superaddere posse, sed subiectum dumtaxat forma accidentali affectum, præseferre. Ità Scotus in 3. d.2. q. 2. F. Canonicus in 1. Physic. q. 5. concl. 3. Lychetus in Comment. ad lit. Doct. & alij communiter, quos refert, & sequitur Mastrius in principio disput. 5. quibus addendus est Poncius hic disp. 6. q. 2. concl. 2. sub nu. 28. & seq.

Pro cuius declaratione, ac fundamēto primo not. est ex dictis supra sect. 1. & alibi: Totum actuale, vt à potentiali distinguitur, esse triplex, scilicet per se, per accidens, & per aggregationem. Totum per se est illud, quod constat ex partibus per se vnitis, vt compositum ex materia, & forma. Totum per accidens est, quod componitur ex partibus per accidēs vnitis, vt homo doctus; siquidem doctrina accidit homini, cum homo habeat suum esse completum, & perfectum absque doctrina. Totum autem per aggregationem est, quod componitur ex partibus vnitis, nec per se, nec per accidens; non per se, quia neutra est in potentia substantiali ad alteram; nec per accidēs, quia nulla exigit perfici accidentaliter ab aliqua illarum, sed omnes sunt in actu completo, & perfecto in suo genere, vt cumulus lapidum, & aceruus tritici. Hæc autem tota, & conueniunt, & differunt inter se: Conueniunt quidem in vnione partium: Differunt verò, quia totum per aggregationem, præter vnionē partium nil aliud superaddit: totum verò per accidens addit informationem accidentalem: totum autem per se, informationem substantialem. Secundò differunt, quia vnio partium aggregatarum, cùm nullam dicat potentiam, ad nullā perfectionem ordinatur: vnio verò partium per accidens ordinatur ad perfectionem accidentalem partis potentialis, ab actuali, nimirum subiecti ab accidente, à quo informatur accidentaliter; vnio verò partium per se ordinatur ad perfectionem substantialem alterius cōpartis, scilicet materiæ à forma. Tertiò differunt totum per se, & per accidens, quia partes totius per se vniuntur, non tantum adinuicem, sed etiam in aliquo ex his composito: at partes totius per accidens non vniuntur in aliquo tertiò, quia tale, cum deberet esse aut substātia, aut accidens, sequeretur necessariò, accidens esse de quiditate substantiæ, vel è conuersò, substantiam esse de quiditate accidentis, quorum vtrumq. repugnat, quia prædicamenta, secundum Philosophum 1. Poster. cap. 25 sunt impermixta formaliter.

Secundò notandum ex Magistro Formalit. Scoti art. 1. principali propè finē, & ex Io. Canonico in 1. Physic. q. 4. art. 4. Compositionem, quæ opponitur simplicitati, esse duplicem, scilicet cum his & ex his. Cōpositio cum his est vnio vnius partis cum alia parte, vt vnio materiæ cū forma. Compositio verò ex his est vnio partium in aliquo tertio, ex quibus resultat, vt vnio materiæ, & formæ in toto cōposito. Differunt autem quadrupliciter hæ duæ cōpositiones, & primò, quia compositio ex his semper præsupponit compositionem cum his; non enim potest fieri ex partibus aliquod tertium, nisi prius ipsæ vniantur adinuicem. Secundò, quia in compositione cum his, idem dicitur componens, & compositum; nàm cum forma vnitur materiæ, forma dicitur componens, & materia composita, & è conuersò forma composita, cum sibi vnitur materia; at in compositione ex his, diuersa sunt componentia à composito; materia enim, & forma vnitæ habent alias entitates ab entitate totius. Tertiò, quia in compositione cū his, tot sunt componentia, quot composita, at in compositione ex his, plura sunt componentia, quam composita; siquidem in toto essentiali componentia sunt duo,

duo, & in toto integrali plura duobus multotiès; cæterùm composita sunt tantum duo. Quartò tandem differunt, quod compositio cum his reperitur in quocunque genere cum alio genere; siquidem relatio componitur cum qualitate, quantitate, & substantia, qualitas cum quantitate, & substantia, & quantitas cum substantia; at compositio ex his tantum in vno genere, scilicet in substantia duntaxat. Ex his sequitur, quod, cùm inter substantiam, & accidens non intercedat compositio ex his, sed tãtum cum his, tali compositioni non potest correspondere aliquod tertium compositum, à partibus distinctum realiter. Secundò sequitur, quod partes in compositione cum his, cùm non ordinentur ad aliquod tertium, sed tantum ad vnionem in seinuicem, non possunt habere veram rationem causarum; siquidem causa est, ad cuius positionem sequitur aliud, ex quo infertur, quòd substantia, & accidens, cum vniantur, seu componantur tantum cum his, & non ex his, nequeunt habere veram causalitatem, & cõsequenter eius totum per accidens, ab eis per accidens compositum, nequit esse aliquod ab illis realiter distinctum.

Tertiò notandum ex Arist. 8. Met. t. 15 & 16. ac ex Doct. subt. in 3. d. 2. q. 2. §. Et si quæras, sub F. Quod si quis, nimis proteruiendo; quare partes, in compositione ex his vnitæ, causent aliquod tertium ab eis realiter distinctum, & non in compositione cum his, curiosè quæreret: Respondebitur, quia partes in compositione ex his sunt partes per se vnitæ, & in cõpositione per accidens, sunt partes per accidens vnitæ: & si iterùm percontaretur: Cur illæ, & nõ istæ causant aliquid realiter ab eis distinctum; pro responsione dabitur quod, in citatis textibus, affert Philosophus, quia nimirum illæ sunt talis naturæ, & istæ alterius rationis: non enim primorum principiorum, & causarum est quærendum aliud principium, & alia causa, alioquin non essent prima, & daretur processus in infinitum in principijs, & causis, quod est contra Aristotelem, & rationem per se notam.

Ex his igitur fit conclusio. Totum per accidens, vt homo albus, vel homo doctus, non distinguitur realiter à suis partibus, simul sumptis, & vnitis. Est Scoti in 3. d. 2. q. 2. C. & F. Probatur à Canonico in 1. Physic. q. 4. art. 4. & à Parisiensibus ibidem cap. 2. q. 3. multipliciter, sed sufficiet prima ratio, quæ est huiusmodi: Si totum per accidens esset aliquod tertium à suis partibus realiter distinctum, esset aliquod ens, vel ergo ens, quod est subsistens, seu substantia, aut ens, quod est in alio, seu accidens; sed neutrum dici potest; ergo esset nihil, & sic non ens distinctum à partibus. Maior patet, quia ens sufficienter diuiditur per esse per se subsistens, & in alio; aut per substantiam, vel accidens. Minor probatur: Nõ potest dici substantia, quia tunc accidens esset de quiditate substantiæ; nec accidens, alioquin substantia esset de essentia accidentis; siquidem partes sunt de essentia totius; sed vtrumque repugnat naturæ substantiæ, & accidentis; ergo illud tertium non posset esse substantia, vel accidens. Secundò probatur, quia inter partes vnitas per accidens non intercedit vnio, & compositio ex his, sed tantum cum his; ergo compositum per accidens nequit esse realiter distinctum à partibus. Consequentia patet, quia hæc est differentia inter compositionem ex his, & cum his, quod illa ordinetur ad aliquod tertium, hæc verò ad partes in seinuicem, & non ad aliquod tertium, vt dictum est not. 2. Antecedens probatur, quia compositio ex his est inter partes vnitas per se ex Arist. 8. Met. t. 15. ad distinctionem partium vnitarum per accidens, vt declarat ibidem Arist. sed inter substantiã, & accidens, non est vnio per se, sed tantum per accidens, ergo inter illa non est cõpositio ex his, sed solũ cum his, & consequenter sibi non correspondet aliquod tertiũ ab eis realiter distinctum. Tertiò sic, quia totum est perfectius qualibet sua parte singillatim sumpta; sed illud tertium per accidens nõ esset perfectius saltem substantia, cum sit ens completum, & perfectum; ergo totum per accidens non est

quid

quid distinctum realem à suis partibus simul sumptis, & vnitis.

Obijcies tamen primò contra conclusionem: Totum, quod non est suæ partes, distinguitur realiter ab illis; sed totũ per accidens non est suæ partes; ergo distinguitur realiter ab illis. Maior patet: per hoc enim totum essentiale, & integrale distinguuntur realiter, quia non sunt suæ partes, sed aliqua per partes causata; totum verò per aggregationem nõ distingui realiter à partibus, quia nihil substantiale est præter partes. Minor est Scoti in 3. d.2. q. 2. C. in verbis formalibus: Vnum totum per accidens non est suæ partes; ergo debet esse aliquid præter partes, ac proindè distinctum realiter à partibus.

Respondetur primò: Maiorem esse insufficientem, quia non sufficit ad distinctionem totius à partibus, vt non sit tantum suæ partes, quia etiam totum metaphysicum non est suæ partes, & tamen non distinguitur realiter ab eis, quia eius partes non sunt causæ reales, physicè agentes: debet igitur illa maior sic suppleri: Totum, quod non est suæ partes, quæ sint veræ causæ physicæ, distinguitur realiter ab eis; & sic non sequitur conclusio, quia partes totius per accidẽs non sunt veræ causæ, vt vnitæ, in ordine ad totum, cum illa vnio sit tantum cum his, & non ex his, vt dictum est not. 2. licèt sint veræ causæ in seinuicem, quia accidens dat verum esse accidentale subiecto, quod prius non habebat, & subiectum tribuit accidenti esse subsistens, quo per se carebat.

Vel dicendum secundò, & ad intentionem Doctoris, qui non dixit: totum per accidens non esse suas partes absolutè, sed tantum in comparatione ad totum per aggregationem; siquidem illud vnioni partium, superaddit informationem, seu compositionem cum his, quia reuera accidens componitur cum subiecto, & è conuersò, subiectum cum accidente, non autem sic se habet totum per aggregationem, quia nil aliud dicit, quàm vnionem partium, quæ reuera non sunt partes, sed tota, cum omnia habeant esse completũ in suo genere. Neque inde sequitur distinctiò realis totius per accidens à suis partibus, sicut totius essentialis, vel integralis à suis, quia totum per accidens, quamuis non sit suæ partes comparatiuè in ordine ad totum per aggregationem, quod nullo modo distinguitur à partibus, est tamen suæ partes in comparatione ad totum essentiale, & integrale, quæ absolutè non sunt suæ partes, & ideò distinguuntur realiter ab illis.

Dices: Doctor ibidem volens probare, totum per se non esse suas partes, sicut totum per aggregationem assumit hoc medium: Totum per se est magis vnũ, quàm sit totum per accidens, & hoc est magis vnum, quàm totum per aggregationem, & minus vnum, quàm totum per se; sed, hoc non obstante, totum per accidens non est suæ partes sicut cumulus; ergo multò minus hoc idem erit totum per se: Atqui discursus non valeret, si totum per accidens non distingueretur realiter à partibus; ergo debet necessariò distingui in sententia Scoti. Assumptum probatur, quia quis posset sic arguere: Totum per accidens non est suæ partes, & tamen, hoc non obstante, non distinguitur realiter ab illis; ergo à simili, quamuis totum per se non sit suæ partes, non tamen sequitur, quod distinguatur realiter ab illis, quod esset contra intentum Doctoris, probare volentis totum per se esse aliud à partibus simul sũptis; vt igitur argumentum Doctoris vim habeat necessariò inferendum: totum per accidens esse aliud à partibus simul sumptis. Confirmatur, quia mediũ debet continere virtualiter conclusionẽ; sed ista conclusio: Totum per se est aliud à partibus, infertur ab hoc medio, totum per accidens non est suæ partes; ergo debet contineri virtualiter in illo; sed hoc non potest esse, nisi dicatur, totum per accidens esse aliud à suis partibus; ergo de mente Scoti, cum totum per accidens non sit suæ partes, inferendum est, esse aliud à partibus, & sic realiter distinctum ab illis.

Respondetur negãdo assumptum: Ad probationem nego consequentiam; siquidem distinctio realis inter totum, & partes, non est effectus illius, totum non est

est suæ partes, sic absolutè sumptæ, sed debet non esse suæ partes per se, quæ tantum verè causant distinctionem realem totius à seipsis; modò quamuis totum per accidens non sit suæ partes per accidens, non sequitur distinctio realis, sicut totius per se, quia eius partes non sunt veræ causæ in ordine ad totum, sed tantum in seinuicem; at partes per se sunt veræ causæ vtroque modo, & ideò causant distinctionem realem cum toto.

Ad confirmationem nego minorem absolutè, quia sicut est falsum, quod totum per accidens non sit suæ partes absolutè, ità falsum est: & eodem inferri totum per se nō esse suas partes, sed aliud à partibus absolutè; cæterùm, quia inquit Doctor, quod totum per accidens non est suæ partes, comparatiuè, intellige, ad totum per aggregationem, ex eo solùm potest inferri, quod multò minus, totum per se, cum sit magis vnum, quàm totum per accidens, sit suæ partes, sicut totum per aggregationem; neque hinc potest inferri alietas totius per accidens à suis partibus, sicut totius per se, quia hæc non habetur absolutè ex eo quod non sit suæ partes, sed quod non sit suæ partes per se, cum hæ solùm causent alietatem realem totius à partibus, vt probat Aristoteles 8. Metaph. t. 15. & 16. ac Doctor subtilis ex eodem in 3. d. 2. q. 2. F.

Hinc ruit totum fundamentum Fuentis, & illius Scioli; siquidem non omnis causa infert distinctionem realem in effectu, sed tantum per se, & physicè, ac realiter agens; atqui partes per accidens non sunt causæ per se, in ordine ad totū per accidens, sed tantum in comparatione ad seinuicem, igitur quamuis componant totum, compositum nō erit distinctum à partibus componentibus.

Obijcies secundò. Accidens distinguitur realiter à sua causa; sed totum per accidens est accidens resultans ab accidente actu informante subiectum tanquam à sua causa; ergo distinguitur realiter ab illis. Maior patet, quia effectus distinguitur realiter à sua causa, sed aliquod accidens potest esse effectus alicuius causæ; ergo distinguitur realiter ab illa. Minor probatur, quia totum per accidens, si non esset accidens resultans, ex positione accidentis in substātia, potissimùm proueniret ex hac duplici causa, vel quia substantia nequit esse de essentia accidētis, quod tamen esset, quia pars semper est de essentia totius; vel quia totum per accidens non dependeret ab altera concausa, scilicet à substantia, sed solum ab accidente, & sic non esset totum per accidens, quia non constaret ex partibus, sed tantum ex parte; atqui neutra harum causarum officit; ergo totum per accidens est accidens à suis partibus realiter distinctum. Maior patet, cum nulla alia afferatur causa præter enumeratas. Minor probatur: Prima non officit, quia partes non sunt de essentia totius identicè, sed tantum causaliter, & sic non inconuenit accidens causari essentialiter à substantia, absque hoc quod ingrediatur eius quiditatem, & essentiam: Nec secunda officit, quia totum non habet denominare ambas partes, à quibus resultat, sed sufficit vt vnam ostendat, vt patet de homine, qui, licèt dependeat in esse ab anima, & corpore, tamen denominatur totus corporeus, & non spiritualis, ità à simili, non erit inconueniēs Totum per accidens denominari, & esse solum accidens quamuis in fieri dependeat etiam à substantia.

Respondetur negando minorem; ad probationem iterùm nego minorem, ad cuius probationem primam dico: falsum esse quod assumitur, partes, scilicet totius esse tantum de eius essentia causaliter, & non identicè essentialiter, seu quoad inclusionem essentialem; siquidem cum sint causæ intrinsecæ, & non extrinsecæ totius, debent manere in cōposito, quodcunque sit illud; igitur cum substantia non includatur essentialiter in accidente, consequenter totum per accidens non posset esse effectus essentialis substantiæ. Ad secundam probationem, nego pariter assumptum; & cum probatur à simili de homine, qui licet resultet à corpore, & anima, tanquam à partibus vnitis, nihilominus dicitur solum corporeus, hallucinatur iste Sciolus, putans hominem dici corporum à corpore, quod est altera pars compositi; siquidem deno-

denominatur talis à corpore, quod est prædicatum essentiale contradistinctum à spiritu: à corpore enim, & anima, tanquam à partibus, nec dicitur corporeus, neque spiritualis in recto, sed solùm totum per se ex illis compositum, & vtraque denominans in obliquo: Hinc igitur non potest concludi totum per accidens esse solùm accidens; siquidem cum sit totum exprimere debet vtramque partem, ex quibus constat.

Obijcies tertiò ex Canonico citato, quia omnis transmutatio per se vna habet terminum per se vnum; sed alteratio est transmutatio per se vna, cuius terminus non est nisi totum per accidens; ergo totum per accidens est per se vnum distinctum à partibus. Maior patet ex Aristotele 3. Physic. à t. 19. vsque ad 23. Minoris prima pars est eiusdem 7. Met. t.27. Quod autem terminus sit totum per accidens, & non substantia, nec forma accidentalis, probatur: quia sicut in transmutatione substantiali, vtputa in generatione, non generatur materia, nec forma, sed compositum ex vtraque, ex Aristotele 1. Physic. t.64. Et 7. Met. t.27. ità dicendum est in alteratione, quæ est transmutatio accidentalis; ergo terminus eius erit compositum per accidens, & sic erit per se vnum distinctum à partibus.

Respondetur minorem esse veram de termino materiali, qui tamen non est aliquid per se vnum distinctum à subiecto, & accidente, sed aggregatum ex vtroque; nec ab illo alteratio sumit vnitatē, cum non sit vnum per se, sed solum à forma accidentali: & cum probatur à simili de mutatione substantiali, negatur paritas, quia per mutationē accidentalem non acquiritur aliquid per se vnum, sicut per substantialem, ideò sufficit vt habeat vnitatem per se à termino formali, cuiusmodi est forma accidentalis, quæ per alterationem acquiritur in subiecto.

Vtrum omnia entia naturalia sint determinata secundum maximum, & minimum?

QVÆSTIO III.

Quæstio ista, cum sit multiplex iuxta diuersitatem rerum naturaliũ, quippeque aliæ sint animatæ, aliæ inanimatæ, aliæ substantiales, & aliæ accidentales, exigit discussionem multarum difficultatum, quæ ab Auctoribus varijs in locis pertractantur: nos autem sequentes ordinem Textus Arist. omnes hic breuiter examinabimus, hoc ordine: Prius enim videbimus, quid dicēdum sit de facto; postea quid respondendum de possibili per naturam, & denique de possibili in ordine ad potentiam diuinam, & sic erit finis propositæ quæstionis, & solutio plurium difficultatum, quas seorsim exagitant Auctores, partim in hoc primo libro, & partim in tertio, & quarto tract. de Infinito, & Continuo.

An entia naturalia sint de facto terminata, quoad maximum, & minimum?

SECTIO I.

Circa propositam difficultatem de facto nulla est controuersia inter Doctores; siquidem omnes fatentur omnia entia naturalia, tàm substantialia, quàm accidentalia, esse determinata ad maximum, & minimum; non autem de possibili, vt in sequentibus dicemus: vndè pro intelligentia terminorum: Primo notandum est, entia esse in duplici differentia; quædam enim dicuntur non naturalia, vt Deus, Angeli, ac cæteræ substantiæ spirituales; quædam verò naturalia, quia vel constant natura, vt sunt composita physica; vel sunt ipsa natura, vt materia, & forma; vel consequuntur naturam, aut composita naturalia, cuiusmodi sunt quantitates, & qualitates. Insuper composita sunt duplicia, quia alia sunt animata, vt

vt animalia, & plantæ; alia verò inanimata, vt elementa, & mixta ex his composita. Hic est sermo de omnibus, quia in omnibus datur status & secundum magnitudinem, & secundum paruitatem.

Secundò notandum est, quod entia naturalia adhuc sunt duplicia quædam enim sunt homogenea, & quædam ethèrogenea. Priora dicuntur illa, quæ partibus eiusdem rationis adinuicem, & cū tota sunt prædita, quæque ab ipso recipiunt prædicationem in recto, vt aqua, terra, ignis, aer, caro, & cætera huiusmodi; siquidem quælibet pars aquæ est aqua, quælibet pars terræ est terra, & sic de singulis. Posteriora verò sunt, quæ constant partibus alterius rationis ad se inuicem, & à toto non recipiunt prædicationem in recto, vt homo, leo, &c. quatenus dicuntur physicè, & integraliter compositi ex capite, brachijs, manibus, pedibus, & sic de cæteris: non enim caput hominis dicitur totus homo, nec pedes leonis totus leo, vel leo in recto, sed tantum in obliquo, est aliquid hominis, vel leonis. De his omnibus pariter currit proposita difficultas.

Tertiò notandum est: maximum, vel minimum dari in entibus naturalibus prædictis posse dupliciter intelligi, vel positiuè, vt nimirum illud dicatur maximum, vel minimum, quod est maius, vel minus omnibus; aut negatiuè, vt illud dicatur maximum, quo nihil sit maius; & minimum, quo nihil sit minùs. Vtrumque autem potest adhuc dupliciter dici maximum, vel minimum, nempè simpliciter, & in genere. Maximum simpliciter dicitur illud, quod est maius omnibus in toto genere entis, vt est Deus, qui est maximum omnium entiū, & ipso nil datur maius. Maximum in aliquo genere, dicitur quod est maius omnibus in tali genere, & quo nil est maius in eodem, vt maximus homo in genere hominum, vel maxima quantitas, aut qualitas in eisdem generibus: Similiter illud est minimum simpliciter, quo nihil dicitur minus in toto genere entium; & illud dicitur minimum in genere, quo nihil est minus in tali genere, vt punctum in genere quantitatis, & gradus remississimus in genere qualitatis. Vtrumque etiam in genere acceptum potest tripliciter attendi, vel secundum multitudinem, vel secundum magnitudinem, seu extensionem, vel secundum intensionem; primum reperitur in quantitate discreta; secundum in continua; & tertium in qualitatibus.

Quartò notandum ex Ruuio tract. de Terminis rerum naturalium quæst. 1. Rocco 1. Physic. quæst. 11. Merineto ibidem quæst. 4. disp. 5. num. 2. & nouissimè ex Mastrio disp. 9. quæst. 3. num. 98. Maximum, & minimum in genere dupliciter posse considerari in quocunque ente naturali, vel ab intrinseco, vel ab extrinseco. Tunc res naturalis dicitur determinata ad maximum, vel ad minimum ab intrinseco, quando est sub maiori quantitate, ad quam naturaliter potest peruenire, & sub qua potest conseruari; vel sub minori ad quam potest reduci, & conseruari, itavt, nec sub maiori, aut minori fieri, vel conseruari nequeat, vt v. g. si natura hominum peruenire nequeat ad maiorem quantitatem, quàm sit magnitudo decem palmarum, tunc decimus palmus erit terminus intrinsecus humanæ magnitudinis, & appellabitur maximum quod sic omnium hominum; & per oppositum, si natura humana nequeat conseruari, aut generari sub minori quantitate, quam sit bipalmaris, tunc diceretur esse constituta sub minimo quod sit, seu ad quod reduci potest genus hominum. Tunc verò res naturalis dicitur determinata ad maximum, vel minimum ab extrinseco, quando consideratur sub illa magnitudine, vel paruitate ad quam non potest naturaliter peruenire, aut reduci; e. g. si magnitudo naturalis, & maxima ab intrinseco hominis sit decem palmorum tantū, tunc vndecimus palmus vocatur terminus extrinsecus suæ magnitudinis, & sic duodecimus, tertiusdecimus, & sic de reliquis dicuntur extrinseci, cū ad nullum illorū graduum pertingere potest; cæterū, quia vndecimus palmus est minima magnitudo illorū graduum, ad quos perue-

peruenire nequit, vocatur minimum quod non magnitudinis humanæ: Et per oppositum si quantitas bipalmaris sit minima, sub qua conseruari, aut generari possit homo; tunc palmaris, semipalmaris, & minor, ac minor essent termini extrinseci paruitatis humanæ; at quia inter omnes quantitates, sub quibus homo generari, aut conseruari non posset, palmaris esset maxima, ideò illa diceretur terminus extrinsecus paruitatis humanæ, & dicitur communiter maximū quod non. Hic est sermo de vtraque determinatione ad maximum, vel minimum, tàm ab intrinseco, quàm ab extrinseco.

Ex his fit prima conclusio. Entia naturalia viuentia sunt naturaliter, & ab intrinseco determinata ad maximum, & minimum. Et Aristot. hic t. 36. Et 2. de Anima t. 41. Et 2. de Gener. Animal. cap. 11., quem secuti sunt ferè omnes Philosophi, & præsertim Doctor subt. in 2. d. 2. q. 9. N. ac alij relati à Riuio, & Mastrio in locis citatis. Probatur prima pars, quia accretio in viuentibus fit per receptionem alimenti, ac eius conuersionē in substantiam, aliti, & communicationem eiusdē ad partes animalis loco distantes; sed in his omnibus datur status in sursū eundo; ergo viuentia sunt determinata quoad maximum quod sic. Maior patet ex differentia accretionis viuentium, à non viuentibus, & inanimatis; siquidem hæc crescunt per iuxtapositionem substantiæ ad substantiam, vt patet de aqua, & cæteris fluidis, ac de lapidibus, qui augentur per appositionem nouæ materiæ, ex qua sunt geniti; at viuentia augentur per intus sumptionem alimenti, ac vi potentiæ nutritiuæ, conuersi in substantiam animalis, vt docet Aristoteles 2. de Anima, Et 2. de Generat. Animal. c. 4. Et 4. de Generat. Animal. cap. 4. paulò antè finem. Minor probatur, quia potentia nutritiua, cuius virtute habet conuerti alimentum in substantiam viuentis, est determinati caloris, cum in dies languescat, & minuatur ex reactione alimenti in ipsum; similiter vis communicatiua spirituum vitalium ad partes distantes est terminata quoad excessum, vt docet Arist. de omnibus potentijs lib. 1. de Celo t. 116. & 117. ergo & accretio in viuentibus erit terminata quoad excessum, ac proindè in illis dabitur maximum quod sic, in magnitudine, & extensione. Secunda pars probatur de minimo quod sic, quia viuentia petunt organizationē partium, & membrorum, vt tradit Aristoteles 2. de Anima cap. 1. vt pedes ad ambulandum, oculos ad videndum, aures ad auditum, & sic de cæteris; similiter dispositiones potentiarum sensibilium, & insensibilium ad varias operationes exercendas, vt demonstrat ibidem, & cap. 4. sed hæc omnia, natura sua, & ab intrinseco, exigunt determinatam extensionem substantiæ; ergo non poterunt fieri in minori, & minori, & sic dabitur status in minima quod sic, ita vt vita animalis, vel plantæ in minori consistere nequeat. Minor probatur ab Aristotele de Gener. Animal. lib. 2. cap. 4. Et 2. & 3. de Anima pluribus in locis, sed præcipuè 2. lib. cap. 4. vbi dicit, quod actus actiuorum non possunt fieri nisi in patiente benè disposito. Deindè experientia comprobatur tota conclusio, quia nunquam visum est aliquod animal creuisse in montem, etiamsi diu vixerit, aut decreuisse in minus, & minus vsque ad punctum; ergo signum est, quod de facto à natura, & ab intrinseco omnia viuentia naturalia sint determinata ad maximum, & minimum.

Secunda conclusio. Entia naturalia non viuentia, & inanimata, de facto sunt determinata ad maximum, & minimum quod sic, tàm in magnitudine, & extensione, quàm in multitudine, ac intensione: Hi autem termini non conueniunt ab intrinseco, vniuersaliter loquēdo, inanimatis, sed tantum ab extrinseco. Est Arist. & Scoti in locis præcitatis. Probatur cōclusio quoad omnes partes, & primo de maximo, & minimo secundum magnitudinem, seu extensionem: quia vltima sphera, & Mundus sublunaris sunt determinata ad maximum; & punctum indiuisibile ad minimum, quia his nihil datur maius, aut minus, respectiuè loquendo, sed omnia inanimata sub his continentur quoad extensionem, aut diminu-

minutionem; ergo omnia sunt determinatæ magnitudinis, aut paruitatis ab extrinseco. Maior patet, quia non sunt infinita, nec quoad maioritaté, nec quoad paruitatem, cum sint creata; ergo sunt determinata extrinsecè, saltem quoad maximum, & minimum. Secunda pars de maximo, & minimo secundum multitudinem suadetur, & quoad minimum non est dubium, quia numero binario non datur numerus minor; sed quoad excessum: Probatur, quia dato opposito, sequeretur dari infinitum in actu secundum multitudinem, sed hoc est cõtra Aristot. 3. Physic. à t. 40. & sequentibus; ergo datur maximum in multitudine. Sequela maioris probatur, quia data aliqua multitudine magna, quæritur, an sit alia maior, & maior illa? si dicatur, non esse maiorem, habetur intentum, quod multitudo data sit maxima: si verò dicatur dari maiorem, & maiorem, tunc quærendum est de vtraque sicut prius, & sic vel dabitur status in aliqua, quæ sit maxima, vel procedetur in infinitum, & sic esset multitudo infinita, quo nil absurdius, vt in 3. demonstrabimus cum Aristotele. Tertia pars de maximo, & minimo secundum intensionem, & remissionem: Probatur eodem modo, quia non datur infinita caliditas in actu neq. secundum intensionem, neq. secundum remissionem, vt probat Arist. in 3. Physic. loco citato; ergo debet dari status in maxima secundum intensionem, & minima secundum remissionem. Consequentia probatur, quia si nõ daretur status, tunc procederetur in infinitum in additione graduum, per quam fit intensio, & in deperditione eorundem, ex qua sequeretur remissio in infinitũ; quia data quacunq. intensione adhuc daretur maior, & maior, & data quauis remissione, daretur minor, & minor, & sic procederetur in infinitum, quod non est dicendũ. Secunda pars, nimirum, quod huiusmodi maximũ, & minimũ non esset ab intrinseco, sed solũ ab extrinseco, probabitur in sequenti sectione, vbi videbimus, naturã entium homogeneorum non exposcere maximum, vel minimum, sed posse augeri, aut minui vsq. in infinitum.

An entia naturalia sint de possibili, vel naturaliter, vel supernaturaliter, determinata ad maximum, & minimum?

SECTIO II.

Supposita discretione entium naturalium viuentium à non viuentibus, & omnium diuisione Homogenea, & Etherogenea; non est omnium Expositorum Aristotelis concors sententia, vt videre est apud Ruuium, Roccum, Merinerum, & Mastrium citatos in præcedenti sect. not. 4. Siquidem Paulus Venetus in 1. Physicorum ad t. 36. & seqq. concedit viuentibus maximum, & minimum ab extrinseco dumtaxat, & negat habere vllum terminum intrinsecum augmenti, vel decrementi, etiam de possibili per naturam.

Cæterùm oppositam sententiam tuẽtur communiter Doctores, dum asserunt, viuentia, secundum propriam vniuscuiusque naturam, petere ab intrinseco, nedum de facto, sed etiam de possibili, per naturam saltem (quicquid sit de potentia diuina) maximum, & minimum quod sic, sub quo generari, & conseruari possint, ita quod non possint esse nec sub maiori, neque sub minori quantitate. Ità D. Thom. hic lect. 9. Et 2. de Anima lect. 8. & in 2. sent. d. 13. q. 1. art. 1. Et p. p. art. 3. q. 7. Scotus 5. Met. q. 9. & in 2. d. 2. q. 9. sub N. Caiet. 1. p. q. 7 art. 3. Ferrar. hic q. 7. & Soncinas 8. Met. q. 3. ac alij, quos refert, & sequitur Ruuius de Terminis Rerum Naturaliũ q. 1. n. 84.

Alij verò putantes mediare inter has duas opiniones, distinguunt de viuentibus in bono statu salutis naturalis, & in statu præternaturalis dispositionis, dùm per infirmitatem aliquam tendunt in corruptionem. Si considerentur in priori statu, dicunt, esse determinata ad maximum, & minimum quod sic ab intrinseco, vt dicit secunda opinio; Si verò in posteriori collocentur; asserunt, aiuntque non esse determinata ab intrinseco, sed posse fieri in maiori, &

maiori quoad excessum, vel in minori, & minori, quoad paruitatem. Ita nonnulli Recentiores, quos sine nomine recenset Ruuius loco proximè citato, & hos sequitur noster Merinero hic disp. 5. q. 4. n. 17. & seqq.

Circa entia naturalia non viuentia, & inanimata est dissidium inter Doctores; siquidem aliqui concedunt eis terminos magnitudinis ex natura sua, & ab intrinseco, ita vt per nullam potentiam possint esse, & conseruari sub maiori, & maiori. Sic Caiet. 1. p. quæst. 7. art. 3. & Complutenses 6. Physic. disp. 27. q. 2. §. 3.

Alij verò negant ab inanimatis hunc terminum intrinsecum suæ magnitudinis, quinimmò posse esse in maiori, & maiori asserunt cum Aristotele 2. de Anima, t. 41. & 2. de generat. Animal. cap. 4. paulò ante finem, quem secutus est Doctor subt. in 2. sent. d. 2. q 9. N. & in 5. Met. quæst 9. & Merinero disput. 5. q. 5. ac Ruuius loco sæpiùs cit. q. 2. sub n. 90.

Demùm loquendo de homogeneis inanimatis, aliqui concedunt eis minimum quod sic, ac si forent viuentia: Alij verò melius negant, asserentes huiusmodi entia inanimata, & homogenea, non esse determinata ad minimum quod sic, sed posse fieri, & conseruari sub minori, & minori quantitate. Ita Doct. subtilis, & Paulus Venetus in citatis locis, quos secuti sunt Ochamus in 2. d. 28. Vallesius controu. 5. ad Tyrones, Ruuius, & Merinero citati, & Mastrius hic disput. IX. q. 3. art. 1. num. 100. & sequentibus: Roccus cit. concl. 6. Poncius 6. Physic. disp. 18. q. vlt. concl. 1. vbi citat Auersam, Amicum, & Arriagam contra Thomistas.

Pro resolutione omnium supradictarum difficultatum, & fundamento opinionis Doctoris subtilis primò notanda sunt ea, quæ aduertimus in præcedenti sectione, & præsertim: entium naturalium alia esse viuentia, & non viuentia alia; & alia etherogenea, ac alia homogenea; insuper maximum, & minimum considerari posse, & ab intrinseco, & ab extrinseco, quia de his omnibus erit sermo in præsentiarum.

Secundò notandum est: entia naturalia esse determinata ad maximum, & minimum vel ab intrinseco, vel ab extrinseco de possibili, posse dupliciter intelligi, vno modo in ordine ad potentiam naturalem, seu ex viribus agentium naturalium, alio modo potentiam diuinam, siue ordinariam, siue absolutam considerando. Si priori modo accipiatur possibile, certum est, vt probauimus etiam in præcedenti sectione, conclusione prima, omnia viuentia esse determinata ex propria natura, & ab intrinseco, ad maximum, & minimum quod sic; siquidem nullum agens naturale potest agere vltra vires naturæ; cùm igitur natura cuiuscunque viuentis sibi præfixerit terminum augmenti ex viribus potentiæ nutritiuæ, & communicatione spirituum vitalium ad partes distantes, quæ sunt finitæ actiuitatis (vt cum Aristotele probauimus in præcedenti) sequitur, quod per nullum agens naturale possint viuentia naturalia fieri, & conseruari sub maiori, & maiori quantitate, alioquin exiret vires naturæ in agendo: similiter cùm operationes cuiusque viuentis naturalis exposcant debitas dispositiones in potentijs organicis, siue formaliter, siue æquiualenter, & potentiæ requirant determinatam quantitatem, vt nequeant consistere in minori, & minori; consequenter dicendum est: omnia viuentia naturalia esse determinata etiam ad minimum quod sic. Cæterùm si sumatur possibile in ordine ad virtutem Diuinam, saltem ordinariam, eodem modo philosophandum est, ac de possibili naturali, cùm hæc sit alligata legibus ab ipso Deo præfixis, vt demonstrat Doctor subtilis in 1. d. 44. quæst. vnica; At si sermo fiat de potentia Dei absoluta, non erit inconueniens eleuare viuentia à statu per naturam præfixo, vt possint augeri, aut minui, plusquam natura ipsa patiatur, non tamen vsque in infinitum, quia tale posse poni in actu repugnat, vt cùm Scoto probabimus

in

in 3. physicorum tract. de Infinito.

Tertiò notandũ est ex Ruuio, & Merinerio citatis: Viuentia naturalia posse in duplici statu considerari, scilicet naturalis, & præternaturalis dispositionis. Si considerentur in priori statu, cùm hic sit illæ, quem possident viuentia ratione generationis, & in ordine ad potentiam nutritiuam, per quam conseruantur in suo esse naturali, & augentur secundum determinatam quantitatem, dicendum est, exposcere maximum, & minimum tantum ab intrinseco: Si verò inspiciantur in posteriori statu, in quo tendunt ad corruptionem virtute alicuius nociui extrinseci, sicut possunt fieri sub maiori quantitate, quàm sit illa, quam aliàs haberêt ratione virtutis nutritiuæ; siquidem possent tumefieri virtute alicuius veneni; vel sub minori quantitate, ex cõdensatione humorum, & membrorum causa frigoris habitũ; concludendum est, illa exposcere terminos magnitudinis, & exiguitatis ab extrinseco agente, & consequenter non esse determinata ad maximum, & minimum intrinsecè, sed solùm extrinsecè. Vt autem vterque terminus meliùs percipiatur, & quomodo viuentia incipiãt, aut desinant intrinsecè, vel extrinsecè, ideò [illegible]

Quartò notandum est ex Scoto in Quol. 12. sub M. Res, quæ incipiunt, & desinunt, esse in triplici differentia, quædam enim sunt instantaneæ; quædam permanentes; & aliæ successiuæ. Instantaneæ, quæ durant tantum per instans temporis habent primum in esse, & vltimum in esse, vndè earum inceptio exponitur cum positione præsentis, & negatione præteriti sic: Hæc res nunc est, & ante non fuit; ergo incipit esse; Desitio verò exponitur cum positione præsentis, & negatione futuri sic: Hæc res nunc est, & posteà non erit; ergo desinit. Permanentes verò, quæ incipiunt in instanti, & durant toto tempore sequenti, sunt in duplici discrimine: quædam enim sunt naturaliter genitæ, & corruptæ, quædam verò virtute diuina productæ, aut destructæ: Res permanentes priori modo acceptæ habent primum, sed non vltimum in esse, vndè sic exponitur earum inceptio: Hæc res nunc est, & antè non fuit; ergo incipit esse. Desitio verò sic exponitur: Hæc res nunc non est, & immediatè ante fuit; ergo desinit; siquidem cùm durauerit toto tempore sequenti instans suæ inceptionis, & non sit corrumpenda in instanti, sed in tempore, non debuit habere vltimum in esse sibi intrinsecum, sed primum in non esse sibi extrinsecum. Res autem permanentes, quæ producuntur, & corrumpuntur in virtute diuina, quæ agit in instanti, possunt habere primum, & vltimum in esse, & earum inceptio, ac desitio eodem modo exponitur, sicut in his, quæ durant tantum per instans. Res denique successiuæ, quia nec raptim transeunt, nec simul manent, sed incipiunt, & desinunt in tempore, habent primum, & vltimum in non esse rei, vndè earum inceptio sic exponitur: Motus nunc non est, & immediatè post erit; ergo incipit. Desitio verò sic: Motus nunc non est, & immediatè antè hoc fuit, ergo desinit esse. Ex his ad propositum potest intelligi quisnàm sit terminus intrinsecus, & extrinsecus inceptionis, & desitionis viuentium; & non viuentium pariter; siquidem tunc res dicitur incipere intrinsecè, cùm incipit ad modum earum rerum instantanearum, & permanentium, quæ habent esse totæ simul in eodem instanti; & tunc dicitur incipere per primum esse rei, quod est sibi intrinsecum quoad totum suum esse. Tunc verò desinit intrinsecè, cum eius desitio incipit ad modum rerum instantanearum, & permanentium, quæ corrumpuntur virtute diuinæ, quia in iis datur vltimum instans esse rei sibi intrinsecum. Tunc denique res dicitur incipere, & desinere esse extrinsecè, cum incipit, & desinit ad modum rerum successiuarum, in quibus, nec datur primum, nec vltimum in esse sibi intrinsecum, sed tantum primum, & vltimum in non esse, quæ sunt termini extrinseci rei successiuæ, ita vt sit verum dicere: Hæc res nunc non est, sed immediatè post erit; ergo incipit; & Hæc res

maiori quoad excessum, vel in minori, & minori, quoad paruitatem. Ita nonnulli Recentiores, quos sine nomine recenset Ruuius loco proximè citato, & hos sequitur noster Merinero hic disp. 5. q. 4. n. 17. & seqq.

Circa entia naturalia non viuentia, & inanimata est dissidium inter Doctores; siquidem aliqui concedunt eis terminos magnitudinis ex natura sua, & ab intrinseco, ita vt per nullam potentiam possint esse, & conseruari sub maiori, & maiori. Sic Caiet. 1. p. quæst. 7. art. 3. & Complutenses 6. Physic. disp. 27. q. 2. §. 3.

Alij verò negant ab inanimatis hunc terminum intrinsecum suæ magnitudinis, quinimmò posse esse in maiori, & maiori asserunt cum Aristotele 2. de Anima, t. 41. & 2. de generat. Animal. cap. 4. paulò ante finem, quem secutus est Doctor subt. in 2. sent. d. 2. q. 9. N. & in 5. Met. quæst 9. & Merinero disput. 5. q. 5. ac Ruuius loco sæpiùs cit. q. 2. sub n. 90.

Demùm loquendo de homogeneis inanimatis, aliqui concedunt eis minimum quod sic, ac si forent viuentia: Alij verò melius negant, asserentes huiusmodi entia inanimata, & homogenea, non esse determinata ad minimum quod sic, sed posse fieri, & conseruari sub minori, & minori quantitate. Ita Doct. subtilis, & Paulus Venetus in citatis locis, quos secuti sunt Ochamus in 2. d. 28. Vallesius controu. 5. ad Tyrones, Ruuius, & Merinero citati, & Mastrius hic disput. 1x. q. 3. art. 1. num. 100. & sequentibus: Roccus cit. concl. 6. Poncius 6. Physic. disp. 18. q. vlt. concl. 1. vbi citat Auersam, Amicum, & Arriagam contra Thomistas.

Pro resolutione omnium supradictarum difficultatum, & fundamento opinionis Doctoris subtilis primò notanda sunt ea, quæ aduertimus in præcedenti sectione, & præsertim: entium naturalium alia esse viuentia, & non viuentia alia; & alia etherogenea, ac alia homogenea; insuper maximum, & minimum considerari posse, & ab intrinseco, & ab extrinseco, quia de his omnibus erit sermo in præsentiarum.

Secundò notandum est: entia naturalia esse determinata ad maximum, & minimum vel ab intrinseco, vel ab extrinseco de possibili, posse dupliciter intelligi, vno modo in ordine ad potentiam naturalem, seu ex viribus agentium naturalium, alio modo potentiam diuinam, siue ordinariam, siue absolutam considerando. Si priori modo accipiatur possibile, certum est, vt probauimus etiam in præcedenti sectione, cōclusione prima, omnia viuentia esse determinata ex propria natura, & ab intrinseco, ad maximum, & minimum quod sic; siquidem nullum agens naturale potest agere vltra vires naturæ; cùm igitur natura cuiuscunque viuentis sibi præfixerit terminum augmenti ex viribus potentiæ nutritiuæ, & communicatione spirituum vitalium ad partes distantes, quæ sunt finitæ actiuitatis (vt cum Aristotele probauimus in præcedenti) sequitur, quod per nullum agens naturale possint viuentia naturalia fieri, & conseruari sub maiori, & maiori quantitate, alioquin exiret vires naturæ in agendo: similiter cùm operationes cuiusque viuentis naturalis exposcant debitas dispositiones in potentijs organicis, siue formaliter, siue æquiualenter, & potentiæ requirant determinatam quantitatem, vt nequeant consistere in minori, & minori; consequenter dicendum est: omnia viuentia naturalia esse determinata etiam ad minimum quod sic. Cæterùm si sumatur possibile in ordine ad virtutem Diuinam, saltem ordinariam, eodem modo philosophandum est, ac de possibili naturali, cùm hæc sit alligata legibus ab ipso Deo præfixis, vt demonstrat Doctor subtilis in 1. d. 44. quæst. vnica; At si sermo fiat de potentia Dei absoluta, non erit inconueniens eleuare viuentia à statu per naturam præfixo, vt possint augeri, aut minui, plusquam natura ipsa patiatur, non tamen vsque in infinitum, quia tale posse poni in actu repugnat, vt cùm Scoto probabimus in

in 3. physicorum tract. de Infinito.

Tertiò notandū est ex Ruuio, & Mencrio citatis: Viuentia naturalia posse in duplici statu considerari, scilicet naturalis, & præternaturalis dispositionis. Si considerentur in priori statu, cùm hic sit ille, quem possident viuentia ratione generationis, & in ordine ad potentiam nutritiuam, per quam conseruantur in suo esse naturali, & augentur secundum determinatam quantitatem, dicendum est, exposcere maximum, & minimum tantum ab intrinseco: Si verò inspiciantur in posteriori statu, in quo tendunt ad corruptionem virtute alicuius nociui extrinseci, sicut possunt fieri sub maiori quantitate, quàm sit illa, quam aliàs haberēt ratione virtutis nutritiuæ; siquidem possent tumefieri virtute alicuius veneni; vel sub minori quantitate, ex cōdensatione humorum, & membrorum causa frigoris habitæ; concludendum est, illa exposcere terminos magnitudinis, & exiguitatis ab extrinseco agente, & consequenter non esse determinata ad maximum, & minimum intrinsecè, sed solùm extrinsecè. Vt autem vterque terminus meliùs percipiatur, & quomodo viuentia incipiāt, aut desinant intrinsecè, vel extrinsecè, ideò [illegible]

Quartò notandum est ex Scoto in Quol. 12. sub M. Res, quæ incipiunt, & desinunt, esse in triplici differentia, quædam enim sunt instantaneæ; quædam permanentes; & aliæ successiuæ. Instantaneæ, quæ durant tantum per instans temporis habent primum in esse, & vltimum in esse, vndè earum inceptio exponitur cum positione præsentis, & negatione præteriti sic: Hæc res nunc est, & ante non fuit; ergo incipit esse; Desitio verò exponitur cum positione præsentis, & negatione futuri sic: Hæc res nunc est, & posteà non erit; ergo desinit. Permanentes verò, quæ incipiunt in instanti, & durant toto tempore sequenti, sunt in duplici discrimine: quædam enim sunt naturaliter genitæ, & corruptæ, quædam verò virtute diuina productæ, aut destructæ: Res permanentes priori modo acceptæ habent primum, sed non vltimum in esse, vndè sic exponitur earum inceptio: Hæc res nunc est, & antè non fuit; ergo incipit esse. Desitio verò sic exponitur: Hæc res nunc non est, & immediatè ante fuit; ergo desinit; siquidem cùm durauerit toto tempore sequenti instans suæ inceptionis, & non sit corrumpenda in instanti, sed in tempore, non debuit habere vltimum in esse sibi intrinsecum, sed primum in non esse sibi extrinsecum. Res autem permanentes, quæ producuntur, & corrumpuntur in virtute diuina, quæ agit in instanti, possunt habere primum, & vltimum in esse, & earum inceptio, ac desitio eodem modo exponitur, sicut in his, quæ durant tantum per instans. Res denique successiuæ, quia nec raptim transeunt, nec simul manent, sed incipiunt, & desinunt in tempore, habent primum, & vltimum in non esse rei, vndè earum inceptio sic exponitur: Motus nunc non est, & immediatè post erit; ergo incipit. Desitio verò sic: Motus nunc non est, & immediatè antè hoc fuit; ergo desinit esse. Ex his ad propositum potest intelligi quisnàm sit terminus intrinsecus, & extrinsecus inceptionis, & desitionis viuentium; & non viuentium pariter; siquidem tunc res dicitur incipere intrinsecè, cùm incipit ad modum earum rerum instantanearum, & permanentium, quæ habent esse totæ simul in eodem instanti; & tunc dicitur incipere per primum esse rei, quod est sibi intrinsecum quoad totum suum esse. Tunc verò desinit intrinsecè, cum eius desitio incipit ad modum rerum instantanearum, & permanentium, quæ corrumpuntur virtute diuina, quia in eis datur vltimum instans esse rei sibi intrinsecum. Tunc denique res dicitur incipere, & desinere esse extrinsecè, cum incipit, & desinit ad modum rerum successiuarum, in quibus, nec datur primum, nec vltimum in esse sibi intrinsecum, sed tantum primum, & vltimum in non esse, quæ sunt termini extrinseci rei successiuæ, ita vt sit verum dicere: Hæc res nunc non est, sed immediatè post erit; ergo incipit; & Hæc res

res nunc non est, sed immediatè antè erat; ergo desinit extrinsecè. Cum ergo viuentia sint res permanentes, quæ habent suum esse totum productum in vno, & eodem instanti, & non successiuè, sequitur, quod incipiant, & desinant intrinsecè sub determinata quantitate, & non sub maiori, aut minori, quæ non sunt totæ simul, & consequenter non pertinent ad eorum esse intrinsecum, sed tantum extrinsecum, ac proindè non esse determinata ad maximum, & minimum per terminos extrinsecos, sed per intrinsecos.

Quintò notandum est ex Scoto in 2.d. 2.q.9. sub E. & F. entia substantialia cõtinua esse in duplici differentia; siquidem, alia sunt etherogenea, quorum partes non sunt eiusdem rationis specificæ cum suo toto, hoc est, nequeunt seorsim acceptæ esse indiuidua, adeò vt possint recipere prædicationem essentialem ab eo, cuiusmodi sunt omnia viuentia, siue sensitiua, siue vegetatiua: Alia verò sunt homogenea, quorum partes, singillatim sumptæ, sunt eiusdem rationis cũ suo toto, possuntque ab eo recipere prædicationem essentialem, sicut indiuidua à sua specie, vt ignis, aer, & cæteræ substantiæ inanimatæ. In prioribus, quamuis sint continua, & consequenter diuisibilia in infinitum, datur maximum, & minimum, cum ab intrinseco requirant determinatam quantitatem, sub qua generari, & conseruari possint, & sint apta ad exercendas operationes vniuscuiusq. partis, vt dictum est superiùs; in posterioribus tamen, cùm, natura sua, sint diuisibilia in infinitum, sequitur, vt non sint determinata ad minimum quod sic; & cum non augeantur ab intrinseco per intus sumptionem, sed solum ab extrinseco per iuxta positionem partium ad partes, inferendum est, nec dari maximum in illis, sed posse crescere in infinitum: ignis enim, vt inquit Aristoteles 2. de Anima t.41. si ei in infinitum apponerentur combustibilia, in infinitum cresceret; cæterum omnium natura constantium, idest animatorum, datur terminus intrinsecus magnitudinis, ac paruitatis.

Ex his igitur sit prima conclusio: Viuentia naturalia etherogenea, si considerentur in statu bonæ salutis, seu naturalis dispositionis, sunt determinata ad maximum, & minimum etiam de possibili per naturam. Est Scoti 5.Met.q.9. & in 2. d. 2. q. 9. N. Probatur primo auctoritate Aristotelis 2. de Anima t. 41. vbi ait, Omnium natura constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti; hæc autem animæ sunt, sed non ignis, & rationis magis, quàm materiæ. Item lib. 2. de gen. Animal. c. 4. paulò antè finem, arguit determinatam magnitudinem animalium ex determinata magnitudine suarum partium: inquit enim: In omnibus animalibus exitus magnitudinis est, itaque ossa quoque certo augendi termino describuntur: nam si hęc semper augerentur, animalia quoque, in quibus os, aut ossis proportionale est, augerentur, quandiu viuerent; magnitudinis animalium meta, & terminus his describitur; ergo secundum Aristotelem viuentia animalia, etiam de possibili, per naturam sunt determinata ad magnitudinem, vt naturaliter sub maiori, & maiori fieri nequeant. Secundò probatur eadem ratione, qua, in præcedenti sectione, ista conclusio probata fuit de facto; siquidem datur terminus in nutritione, & communicatione spirituum vitalium ad partes viuentium distantes à corde; ergo etiam præscribitur per naturam determinatus terminus intrinsecus eorundem. Antecedens est Aristotelis lib. 1. de Cœlo t. 116. & sequentibus, vbi probat, quod virtus in potentijs, sit quoad excessum determinata, sed nutritio fit à potentia nutritiua, & communicatio nutritionis ad partes loco discas à virtute cordis; ergo sicut istæ potentiæ sunt determinatæ virtutis, ita earum effectus debent esse determinati. Consequentia est nota, quia augmentum viuentium fit per nutritionem, ad differentiam non viuentium, quæ crescunt per iuxta positionem. Secunda pars, quod sint determinata de possibili naturaliter, etiam ad minimum, probatur eodem modo, sicut probatum fuit de facto: operationes enim exigunt determinata orga-

organa in viuentibus, vt probat Aristoteles 2. de Anima sum. 1. & 2. cap. 1. & 2. ergo etiam determinatam quantitatem, sub qua fieri, & conseruari possint, vt sub minori esse, & conseruari nequeant, ac proinde sunt determinata intrinsecè etiam ad minimum quod sic. Tertia pars, quod vtraque determinatio sit intrinseca, probatur: quia viuentia, cum sint res permanentes, incipiunt per primum sui esse, quia verum est dicere, nunc est viuens sub tanta quātitate, maiori, vel minori, & ante non erat viuens; sed instans primum in esse rei, est sibi intrinsecum, & non extrinsecum, vt dictū est not. 4. ergo quantitas maior, vel minor, ad quam determinantur viuentia in sui generatione, est illis intrinseca, & non extrinseca.

Secunda conclusio. Viuentia naturalia in statu præter naturalis dispositionis, in quo tendunt in corruptionem, sunt vtique determinata ad maximum, & minimum, vt sub maiori, aut minori quantitate, esse non possint, non tamen intrinsecè, sed extrinsecè. Est Merinero loco citato contra Ruuium, & Martinum ab eodem relatos disp. 5. q. 4. n. 17. Probatur sic: quia viuentia desinunt in aliquo instanti, sed tale non est illis intrinsecum, sed extrinsecum; ergo quantitas, sub qua constituta tendunt in corruptionem, non est *illis intrinseca*, sed *extrinseca*. *Maior patet*, quia cum sint *res permanentes*, per hoc distinguuntur à rebus successiuis, quæ desinunt in tempore, vt diximus not. 4. Minor probatur, quia viuentia in statu præter naturalis dispositionis desinunt per primū sui non esse, sicut incipiunt per vltimum sui non esse, sed primum, & vltimum sui non esse sunt extrinseca viuentibus, sic incipientibus, & desinentibus; ergo instans in quo desinunt viuentia, est extrinsecum, & non intrinsecum. Minor patet ex not. 4. Maior probatur, quia accipiatur aliquod viuens, per tumefactionem peruentum ad quantitatem maiorem, sub qua conseruari non possit; & aliud, per condensationem sic extenuatum, vt sub tali quantitate minima amplius consistere nequeat, vterque certò desinet viuere; non in tempore, alioquin non essent permanentia, sed successiua; neque in instanti vltimo sui esse, quia durant plus quam per instans; ergo in instanti sequēti ad suū esse, quod erit primum in non esse, & sic extrinsecum illis, & non intrinsecum; igitur quātitas illa, sub qua conseruari non possunt, erit illis terminus extrinsecus tantum, & non intrinsecus. Consequentia ista probatur, quia tumefactus sub quantitate minori viuere potuit; & condensatus, seu extenuatus sub maiori conseruari, & non sub illa ad quam peruenit per tumefactionem, aut condensationem; ergo signum est, quod illa minor tumefactio, erat sibi intrinseca, & non maior per tumefactionem acquisita; & similiter in extenuato maior erat sibi intrinseca, & non minor per condensationem, ad illum terminum reducta, alioquin etiam sub illis viuere potuissent, quod tamen è cōtra suppositum.

Tertia conclusio. Viuentia naturalia, de possibili Diuino absoluto, non sunt determinata ad maximum, & minimū, quod sic sibi intrinsecum, sed benè extrinsecum. Probatur prima pars: quia virtus diuina est fortior, quam naturalis; ergo possunt eleuari per ipsam ad maiorem quantitatem, & in eadem conseruari, quàm fuerit quantitas naturaliter acquisita. Consequentia probatur, quia Deus potest facere quæ non inualuunt repugnantiam, saltem absolutè loquendo, vt est compertum apud omnes Doctores; sed maior quantitas, quàm sit maxima, & minor minima per naturam, non repugnant viuentibus; ergo in illam possunt reduci viuentia per virtutem Diuinam. Minor probatur, quia in tantum naturaliter dicitur determinata ad maximum, & minimum quantitas viuentium, in quantum virtus nutritiua, & communicatiua alimenti est determinata ad tantam actiuitatem, vt maior effici nequeat, immò minorari per reactionem alimenti in calorem naturalem; sed per potentiam Diuinam potest conseruari virtus nutritiua, & communicatiua spirituum vitalium ad partes loco discitas, vt non solum non patiantur ab ali-

alimento, quinimò eandem roborare, vt fine deperditione aliqua semper conuertat, & communicet alimentum partibus viuentium; ergo maior quantitas, quàm sit naturalis, non repugnat viuentibus. Maior fuit probata cum Aristotele conclusione prima. Minor similiter conceditur ab omnibus; siquidem axioma illud Aristotelis, omne agens in agendo repatitur, & patiendo debilitatur, & eandem consumitur, est verum dumtaxat in ordine ad potentiam naturalem, & non diuinam. Eodem modo probari potest, quod minor quantitas, quàm sit minima naturalis, non repugnet viuentibus; siquidem Deus potest conseruare potentias organicas in minori quantitate, quàm sit minima naturalis, & dare illis virtutem producendi proprias operationes, sicut naturaliter exercent, imò & perfectiori modo; ergo nulla erit repugnantia, vt viuētia consistere possent sub minori quantitate, quàm sit naturalis. Secūda pars probatur, quia viuentia sub quantitate maiori, aut minori, quàm sit quantitas naturalis fieri, aut conseruari naturaliter non possent, alioquin sub illis fuissent naturaliter genita, & conseruata; ergo illa maior, & minor quantitas, sub qua constituta essent virtute Diuina, non esset illis intrinseca, sed extrinseca. Consequentia patet, quia eo modo se haberet illa quantitas maior, & minor, sicut illa, quæ acquiritur per rarefactionem, & condensationem; sed, vt probatum fuit in præcedenti conclusione, hæc est extrinseca viuentibus; ergo & illa esset extrinseca. Minor patet, quia vtraque ab agente extrinseco pendet, & non ab intrinseco. Confirmatur, quia si viuentia sub illa quantitate maiori, aut minori constituta, non conseruarentur virtute Diuina, necessariò desinerent esse per primum sui non esse, quod est illis extrinsecum, vt probatum est de constitutis in malo statu salutis; ergo & illa quantitas esset illis extrinseca, aliter sub illa possent consistere, & viuere. Tertia pars probatur, quia Deus non potest producere magnitudinem actu infinitam, vt demonstrabimus cum Aristotele, & Scoto in 3. Physicorum, sed si talis quantitas maior, aut minor quantitate naturali, non haberet terminum, procederet in infinitum, & Deus posset illas omnes quantitates conseruare simul, adeò vt esset quoddam viuens actu infinitum; ergo necessariò debet habere terminum, vt sit maximum, & minimum quod non.

Quarta conclusio. Entia naturalia inanimata de possibili, etiam per naturam, non sunt determinata ad maximum, & minimum, sed possunt augeri, & diminui in infinitum. Est Scoti in 2. sent. d. 2. q. 9. sub F. & N. Probatur prima pars. Primò auctoritate Aristotelis 2. de Anima t. 41. dicentis: Ignem posse per appositionem combustibilium crescere in infinitum; Sed ignis est quoddam ens inanimatum; ergo non est determinatus ad maximum. Secundò probatur ratione, quia in tantum viuentia sunt determinata naturaliter ad maximum, in quantum augentur per nutritionem, & communicationem spirituum vitalium ad partes distantes à corde, quæ sunt determinatæ virtutis, vt suprà ostendimus cum Aristotele; sed inanimata non crescunt per nutritionem, verùm per iuxtà positionem substantiæ ad substantiam præcedentem, quæ nullum habet terminum de possibili, etiam naturali; ergo non debent esse determinata ad maximum. Maior est probata in conclusione prima, & in sect. 1. Minoris prima pars est nota ex discrimine viuentium à non viuentibus, vt docet Arist. 2. de Anima t. 41. Et 2. de Generat. Animal. c. 4 quia nimirùm viuentia crescunt per nutritionem; non viuentia verò per iuxta positionem materiæ. Secunda pars minoris patet, quia iuxtà positio potest fieri à Deo, vel Angelo, qui nullum possunt habere terminum, cum per totam æternitatem sint duraturi, & semper possent esse inanimata; siquidem Mundus non habet repugnantiā ad esse sempiternum, vt omnes facilè concedūt; ergo inanimata non sunt determinata de possibili ad maximum. Tertiò probatur à posteriori, quia data hipothesi oppositæ sententiæ, sequeretur, quod ignis

ignis in summo, non posset comburere stupam, quod non est dicendum; sequela probatur, quia data combustione, generaretur nouus ignis, & sic ignis in summo fieret maior, quod est contra id quod negatur. Minor probatur, quia alioquin, vel destrueretur, vel impediretur natura ignis; sed neutrum est dicendum; ergo falsum est, quod non posset comburere stupam. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur: Nõ potest dici, quod ignis in summo mutauerit naturam, quia iam non esset ignis, quod est contra suppositum; neque quod impediatur, quia hoc esset vel ab intrinseco, vel ab extrinseco; non ab extrinseco, quia supponimus concursum diuinum; neque ab intrinseco, quia esset eiusdem naturæ cum seipso existente sub minori quantitate, ac substantia, quod inficiari non potest; igitur fatendum est, quod combureret; & sic fieret maior, quod tamen gratis negatur. Secunda pars de minimo probatur à Scoto loco citato sub F. multipliciter, sed sufficiet vna, vel altera ratio: Probatur ergo sic: In continuo homogeneo nequit dari minimum, cum, ex Aristotele sexto Physicorum, sit diuisibile in partes proportionales vsque in infinitum; sed entia naturalia inanimata homogenea, sunt continua; ergo nequeunt determinari ad minimum. Minor patet: Partes ignis, & aquæ copulantur aliquo termino communi, vt communiter conceditur; ergo sunt continua, & consequenter semper diuisibilia vsque in infinitum. Si dicatur veram esse maiorem de toto homogeneo continuo, non tamen de partibus, quia potest dari minima pars, quæ sit indiuisibilis. Contrà, quia quælibet pars continui homogenei potest esse hoc aliquid, & indiuiduum illius totius; per hoc enim distinguitur totum homogeneum ab etherogeneo, cuius partes nequeunt esse hoc aliquid, & indiuidua, vt cum Scoto suprà notauimus quintò; ergo quælibet pars participat naturam totius continui homogenei, & sic data quacumque minima parte, semper erit diuisibilis, & per consequens non erit minima. Secundò probatur, quia data minima aqua, quæro an possit calefieri necne? Non est dicendum, quod non possit calefieri; Tùm quia experientia esset in contrarium; Tùm etiam, quia ratione natiuæ frigiditatis haberet oppositionem contrariam cum igne, à quo posset expelli eius frigiditas, & sic calefieret per introductionem qualitatis contrariæ; igitur posset calefieri; vel ergo in instanti, vel in tempore; non in instanti, quia motus alterationis, cuiusmodi esset illa calefactio, non fit in instanti; igitur in tempore, & sic ignis prius introduceret calorem in partem immediatam illius aquæ, quam in distantem, & illa aqua haberet partes, & consequenter non esset minima, quia in eas diuisibilis. Hæc ratio est vera demonstratio, nec ita facilè potest euerti, vt fatetur etiam Ruuius cit. quæst. 2. num. 90.

Objicies tamen primò contra primam conclusionem, probando quod viuentia nullum habeant terminum intrinsecum suæ magnitudinis, aut paruitatis; Tùm quia, si haberent terminum magnitudinis, tunc non possent conuertere parum alimenti in sui substantiam, si fuisset ei per nutritionem applicatum; sed hoc est ridiculum asserere; ergo dicendum est non habere terminum intrinsecum suæ magnitudinis. Sequela maioris probatur, quia si conuerteret illud, augeretur, & sic prius non fuisset in termino magnitudinis sibi intrinseco, alioquin non potuisset illum conuertere. Minor probatur, quia viuens in termino constitutum, haberet potentiam nutritiuam maximam, & consequenter esset maximæ virtutis; ergo posset vincere resistentiam cibi, & consequenter illud conuertere in substantiam sui; Tùm secundò, quod nullum habeant terminum paruitatis, quia non essent sub determinata quantitate, aut nõ essent viuentia, quod vtrumque inuoluit repugnantiam; & contra suppositum; ergo dicendum potius non esse

esse determinata ad minimum. Sequela probatur, quia quantitas sic determinata esset incompossibilis cum minimo viuente, saltem rationali; ergo non esset sub determinata quantitate. Antecedens probatur argumento Scoti, quod conficit contra minimum in 2.d.2.q.9. sub D. tenoris sequentis: Si per se consequentia aliqua sũt incompossibilia, & illa, ad quę consequuntur, erunt incompossibilia; sed diuisibilitas in partes essentialiter cõsequitur quantitatem; & indiuisibilitas secundum partes est de ratione essentiali animæ rationalis, quæ sunt duo incompossibilia; ergo & viuens per animam rationalem, & quantitas erunt incompossibilia, & sic non erit sub determinata quantitate, ac proindè non erit minimũ quod sic; siquidem hoc exposcit determinatam quantitatem, vt sub minori esse, & conseruari nequeat.

Respondetur ad primam probationẽ negando sequelam maioris: ad probationem dico: dato casu, posse viuens conuertere illud parum alimenti in sui substantiam, non tamen per illud augeri, quia tantundem deperderetur de augmento, quantum fuisset per nutritionem acquisitum, & sic non fieret maius, sed conseruaretur in maximo.

Ad secundam probationem de minimo, nego sequelam maioris, ad probationem nego antecedens, ad cuius probationem ex Scoto desumptam, dico nil facere contra nos, sed tantum contra illos, qui ponebant minimum consistere in indiuisibili secundum partes integrales; siquidem hi negantes diuisibilitatem minimi in partes absolutè, consequenter conati erant negare ab illo quantitatem, ad quam sequitur tãquam passio diuisibilitas in partes; at nos ponimus minimnm viuens esse diuisibile in partes integrales, & esse sub quantitate determinata, vt sub minori tamen consistere non possit viuentis vita, & sic non sequitur vt non possit esse quantum; quod autem subditur de indiuisibilitate animæ rationalis, possumus dicere, quantitatem non afficere compositum ratione formæ vltimæ, & consequenter non habere incompossibilitatem cum illa, quamuis sit diuisibilis, & hæc indiuisibilis, sed quantitas sequitur formam corporeitatis, quæ est diuisibilis. Vel possumus addere: animam rationalem esse diuisibilem virtualiter, quod sufficere poterit, vt non habeat incompossibilitatem cum diuisibilitate quantitatis, vt patet in simili de motu Angelico, qui licèt sit forma diuisibilis, nihilominus potest subiectari in substantia Angelica, quæ est indiuisibilis formaliter, & virtualiter diuisibilis.

Obijcies secundò contra secundam conclusionem, quia in tumefactione, & condensatione viuentis, non acquiritur noua quantitas, sed remanet eadem, quę per vim augmentatiuam fuit acquisita, aut per reactionem cibi in calorem naturalem deperdita; ergo viuentia in statu præternaturalis dispositionis, vendicant sibi eosdem terminos intrinsecos magnitudinis, aut paruitatis, quos habere poterant in statu naturalis dispositionis. Consequentia patet. Antecedens probatur à Ruuio, quia tumefactio, & condensatio sunt quædam alterationes, quibus acquiruntur tumor, & densitas; sed per alterationẽ non acquiritur quantitas, verùm dumtaxat qualitas; ergo per tumefactionem, & condensationem non acquiritur, aut deperditur noua quantitas. Maior probatur, quia tumor, & densitas sunt qualitates, sed qualitates acquiruntur per motum alterationis, vt patet ex Aristotele 5. physic. t. 18. ergo tumefactio, & condensatiò per quas acquiruntur tumor, & densitas, sunt alterationes. Minor est Aristotelis 5. physic. t. 18. & 19. vbi distinguit motum augmentationis à motu alterationis, quia hic terminatur ad qualitatem, ille verò ad quantitatem.

Respondetur negando antecedens, immò in tumefactione, & condensatione acquiritur, aut deperditur noua quãtitas: Ad probationem nego maiorem, quinimò tumefactio, & condensatio sũt motus ad quantitatem, & non ad qualitatem, saltem formaliter; ad cuius probationem nego iterùm maiorem cum Aristotele in prædicam. cap. de quali, vbi reijcit rarũ, & densum à speciebus qualitatis,

litatis, & dicit, esse positiones quasdam quantitatis, seu partium eius ad partes loci, vel propinquas, vel distantes, vndè quamuis tumor, & densitas non sint formaliter quantitas acquisita, aut deperdita, supponunt tamen illam, vt fundamẽtum respectus, quem formaliter important. Hinc patet, quomodo per tumefactionem, & condensationem acquiratur noua quantitas, aut ex acquisita per generationem, aliqua pars deperdatur, quę tamen, cum non sit in viuente via generationis, sed vt ordinatur ad corruptionem, non erit eiusdem terminus intrinsecus magnitudinis, vel paruitatis, sed solùm extrinsecus.

Obijcies tertiò contra tertiam conclusionem: Non minus repugnat maximo substantiali maior quantitas, quàm maximo accidentali maior qualitas; sed posita maxima qualitate, impossibile est fieri sibi additionem maioris qualitatis, etiã per Diuinam potentiam absolutam, vt probat Scotus in 3.d.13.q.1. ergo eadem impossibilitas erit etiam in maximo substantiali. Maior patet, quia vtrobique est maximum, tàm positiuè, quàm negatiuè.

Respondetur, quod maximo repugnet aliquid sibi posse addi, potest dupliciter intelligi, vno modo tanquam sit terminus intrinsecus illius; alio modo vt extrinsecus eiusdem: priori modo repugnat sibi additio, etiam de potentia absoluta Dei, alioquin destrueretur ratio maximi intrinseci, quæ consistit in indiuisibili completiuo minoris quantitatis, aut qualitatis, sub qua potest ens naturale fieri, & conseruari, quousque pertingat ad maximum quod sic; cæterùm posteriori modo non sibi repugnat, tùm quia non extrahit illud extra rationem finitatis; & eius fieri, & conseruari non pendet ab agente intrinseco, sed tantum ab extrinseco, cuiusmodi in tali casu esset Deus agens præter leges naturæ præfixas; Scotus intelligendus est in primo, & non in secundo sensu, quod manifestè patet ex discrimine inter Philosophos, & Theologos, vbi secundum istos sub lit D. habet hæc verba: Sed secundum Theologos loquendo de potentia Diuina, potest esse aliquod quantum maius in potentia, quàm sit in actu, quia Deus potest maiorare aliquod quantum, non apponendo partes ablatas ab alio quanto; hoc est dictu, extrinsecè, & non intrinsecè potest illud maiorare.

Formaliter ad argumentum dico: minorem esse veram, si additio qualitatis fieret tanquam terminus intrinsecus; falsam si vti terminus extrinsecus; modò nos loquimur de additione secundo, & non primo modo.

Dices: igitur saltem extrinsecè posset procedi in infinitum, & sic non esset maximum, quod est contra conclusionem superiùs probatam. Consequentia patet, quia si posset maiorari maximum extrinsecè per additionem vnius partis; ergo per additionem infinitarum partium, quia non est maior ratio de vna, quàm de alia vsque in infinitum.

Respondetur, concedendo illatum in potentia, non tamen in actu, quia, vt inquit Doctor loco citato, illæ partes non essent vnius potentiæ demonstratæ, quia nulla daretur, quæ includeret omnes alias, sed vnirentur inter se, & cum maximo successiuè, & non omnes simul, vt meliùs declarabitur in sequenti sectione, & in 3. Physic. disp. de Infinito.

Obijcies quartò contra quartam conclusionem Aristotelem in 1. Physic. t.36. & 38. contra Anaxagoram dicit, dari minimam carnem, ex qua non possit quidpiam extrahi, & segregari. Item 2. de Anima t.41. inquit, quod omnium natura constantium est determinata ratio magnitudinis, & augmenti; sed omnia entia naturalia non viuentia constant natura, quia sunt composita ex materia, & forma; ergo &c. Item lib. de Sensu, & Sensato cap. 6. inquit, passiones naturales, idest qualitates sensibiles non esse diuisibiles in infinitum, alioquin sensus posset intendi in infinitum; siquidem ad percipiendum minus, & minus, exigitur acutior sensus, sed ex his auctoritatibus habetur dari terminum, tùm in magnitudine, tùm in paruitate in non viuentibus; ergo malè conclusimus inanimata, & non viuentia, non esse determinata ad maximum, & minimum.

Respondetur negando minorem, & ad

ad primam auctoritatem dico cum Scoto in 2. d. 2. q. 9. M intentum Aristotelis ibi, non fuisse dari minimam carnem absolutè, sed tantum in comparatione ad quodcunque generabile; siquidem omne generabile requirit determinatam carnem, ex qua, etiam secundum Anaxagoram, per segregationem extrahi possit; atqui, inquit Aristoteles, potest tādiu minorari caro, vt sit minima, & per consequens inepta, vt de illa possint generari alia, & quæcunque; ergo generatio non fit per segregationem quorumlibet ex quolibet, vt dicebat Anaxagoras: Ex hoc potest responderi in forma ad auctoritatem, dari minimā carnem, quoad continentiam virtualem omnium generabilium; non esse tamen minimam quo ad diuisibilitatem, quia esset diuisibilis in infinitum, cum esset continua, & homogenea.

Ad secundum dico, Aristotelem locutum fuisse de viuentibus, quæ constant natura, idest anima, vt ibidem se explicat; vndè & nos concedimus in illis dari maximum, & minimum, non tamen in non viuentibus.

Ad tertium respondet Doct. subt. loco citato, qualitates sensibiles non esse diuisibiles in infinitum, vt sensibiles, hoc est, vt per sensum percipi possint, quia tunc sensus deberet intendi in infinitum, vt deducitur in argumento; esse tamen diuisibiles in infinitum, vt qualitates sūt, cum sint homogeneæ, vt fusiùs demonstrabimus in sequenti sectione cum eodem Scoto.

Obijcies quintò. Quantitas, quoad suū esse sequitur materiam, & quoad suam determinationem sequitur formam; sed forma cuiuscunque entis naturalis, ex se, & ab intrinseco, est definita ad certam, & determinatam magnitudinem; ergo & quantitas, quæ est terminus intrinsecus entium naturalium, erit sic determinata.

Respondetur: Minorem esse veram de magnitudine perfectionali, & entitatiua, non tamen de quantitatiua, quæ consistit in extensione quantitatis, quia vt sic in entibus naturalibus homogeneis non est determinata, sed potest augeri, & minui in infinitum; cùm ergo quantitas sequatur formam secundum perfectionem extensiuam, & non intensiuam, sequitur non esse determinatam, sed indeterminatam in entibus naturalibus inanimatis.

Obijcies sextò contra secundam partē eiusdem conclusionis de minimo; tùm quia experientia constat, ignem, si abeat in minutas partes, illicò extingui, & aquā exsiccari, quod non contingeret, si possent diuidi in infinitum. Tùm etiā quia ex Aristotele 2. de Cœlo cap. 3. t. 17. vnūquodque ens est ob suas operationes; sed tales requirunt determinatam quantitatem; ergo nequeunt procedere in infinitum. Tùm denique, quia ex opposita sententia, quam nos tuemur, sequeretur substantias, vt sunt ignis, & aqua, incipere extrinsecè per vltimum sui non esse, & non intrinsecè per primum sui esse, quod est contra Aristotelem 5. Physic. t. 17. & 18. vbi dicit ad substantiam non esse per se motum, sed tantum mutationem, quæ fit in instanti. Probatur sequela, quia si non assignaretur pars determinata, in generatione v. g. ignis, vel aquæ, neque assignari posset instans, in quo esset verum dicere, nunc ignis est, & ante non erat, sed solum instans extrinsecum, in quo esset verum dicere: nunc ignis non est, & immediatè post hoc erit, quod est incepere successiuorum, & non permanentium, vt sunt substantiæ.

Respondetur ad primam probationē negādo consequentiam; siquidem, quod ignis extinguatur, & aqua exsiccetur, dum diuiduntur in minutas partes, hoc sibi non prouenit ab intrinseco, eo quia requirant ex natura sua determinatum terminum paruitatis; sed solum hoc sibi accidere ab extrinseco ratione continentis, à quo eius virtus impetitur; ob hoc tamen non impeditur eius diuisibilitas vsque in infinitum, cum sit continuum, & homogeneum.

Ad secundam probationem dico, minorem esse veram in viuentibus etherogeneis, non verò in homogeneis, & inanimatis; siquidem dato quocumq. igne, vel aqua minori, & minori, cum semper essent ignes, & aqua, consequenter illi possent ignire, & calefacere, & istæ frigefacere,

facere, & humectare, quæ sunt operationes illis conuenientes.

Ad tertiam concedo sequelam maioris; siquidem forma ignis non introducitur in materiam ligni in instanti, sed successiuè, prius informando vnam partem, deindè aliam: hoc autem non conuenit igni ab intrinseco, & secundum propriã naturam, sed solùm ab extrinseco, ratione diuisibilitatis suæ, & ligni, & qualitatum consequentium formam ligni, quas necesse est prius vincere, paulatim debilitando, & posteà eas expellendo cum forma; hæc autem non possunt accidere in instanti, sed successiuè, vndè ex hoc capite cogitur, ignis incipere extrinsecè ad modum successiuorum, & non substantiarum; neque hoc est contra Aristotelem in citato loco, & in 6. Physicorum, quia ibi locutus est de inceptione substantiarum ab intrinseco eis conueniente, nõ tamen vt acquiruntur per motum, vt legenti textum patere poterit: quandoquidem vt acquiruntur per motum, non totæ simul ad modum permanentium, sed per partes ad modum successiuorum habent esse, & sic extrinsecè, & non intrinsecè, vt apertè docet Scotus in 2. d. 2. q. 9. sub N. loquendo de inceptione permanentium per motum.

An quantitas, & qualitas sint determinata ad maximum, & minimum quod sic?

SECTIO III.

Circa quantitatem, siue continuam, siue discretam, nulla est controuersia inter Doctores, siquidem omnes concedunt dari minimum in quantitate discreta, & negant maximum, & minimũ à continua, si tamen spectetur quantitas secundum propriam naturam; aliàquin aliter esset dicendum loquendo de eadem, vt est dispositio generatiua, & conseruatiua entium naturalium, vt vidimus supra sect. 1. & 2.

Cæterùm circa qualitates diuersimodè philosophantur Doctores, etiam sumendo illas secundum se, & citra ordinem, quem dicunt ad generationem, & conseruationem entium naturalium; siquidem Toletus lib. 1. de Generat. & Corrupt. q. 6. sequutus Auerroem 8. Physic. com. 33. Gregor. in 1. d. 17. q. 1. art. 3. & Capreol. q. 2. art. 2. asserit, in intensione qualitatum dari minimum quod sic, & hoc esse gradum acquisitum in instanti initiatiuo alterationis successiuæ.

Alij verò negant à qualitatibus maximum quod sic, seu terminum intrinsecum magnitudinis, dum aiunt, illas posse intendi in infinitum. Ita idem Capreol. in cit. loco art. 1. & in 3. d. 13. q. vn. art. 3. Gregor. loco citato q. 6. Ochamus ibidem q. 8. Gabriel ibidem art. 2. & in 3. d. 13. q. vnic. art. 1. quos postea secuti sunt Suarez in 3. p. D. Thom. disp. 22. sect. 2. Vasquez disp. 47. cap. 3. & ex nostris Mastrius hic disp. 10. q. 5. art. 2. & in 3. sent. disp. 2. q. 3. art. 1. & communiter Recentiores.

Alij denique contra primam opin. negant in qualitatibus minimum; & cõtra secũdam affirmant dari posse maximum quod sic, etiam de possibili absoluto Dei. Priorem partẽ huius asserti docuit Scotus in 2. d. 2. q. 9. sub N. & sequuntur cõmuniter Scotistæ, ac alij permulti. Posteriorem verò probat idem Scotus tribus rationibus in 3. d. 13. q. 1. de Gratia Christi, vbi Lychetus, Tatar. ad literam Doctoris, & Aretinus art. 5. ac Faber ibidem disput. 29. cap. 2. & communiter Scotistæ, à quibus dissentit Mastrius, dum mordicus tuetur infinitum sincathegorematicum in qualitatibus quibuscunque, tùm naturalibus, tùm supernaturalibus.

Quid autẽ sit dicendum à nobis in hac perdifficili controuersia, quibusdam adnotatis, in conclusionibus nostram aperiemus opinionem.

Pro declaratione igitur totius controuersiæ, & fundamento nostræ sententiæ, primo notandum est: Quantitatem dupliciter spectari posse, vno modo entitatiuè, & secundum propriam naturã; alio modo prout est dispositio, sub qua generari, & conseruari debet entia naturalia:

Si

Si hoc posteriori modo cõsideretur, certum est in viuentibus habere terminum magnitudinis, & paruitatis, cum ipsa sit terminus intrinsecus conseruatiuus eorundem; in non viuentibus verò nullum habere terminum intrinsecum magnitudinis, aut paruitatis, si sit sermo de continua; sicut nec ipsa entia inanimata, vt superiùs probatum est; siquidem comitatur eorundem naturam, & entitatem. Si verò priori modo spectetur, quantitas continua, nullum admittit terminum intrinsecum magnitudinis, aut paruitatis; siquidem, vt inquit Aristoteles 6. Physicorum t. 18. & 19. sibi non repugnat infinitas in potentia; & ratione continuitatis est diuisibilis in infinitas partes proportionales: loquendo verò de discreta, quamuis admittat terminum paruitatis, cùm non possit per vllam potentiam dari minor numerus binario, nihilominus quoad magnitudinem est interminata; numerus enim cum fiat ex diuisione continui, vt docet Aristoteles 3. Physic. t.68. & continuum sit diuisibile in infinitum ex eodem 1. Physic. t. 17. sequitur, quod ex appositione partium in infinitum, augeatur quantitas discreta in infinitum.

Secundò notandum est, quod etiam qualitas his duobus modis considerari potest, & secundum propriam naturam, & entitatem, & quatenus est dispositio generatiua, ac conseruatiua rerum naturalium; Si hoc secundò modo attendatur, idem est iudicium ac de quantitate, quandoquidem sequitur illam in generatione rerum naturalium; cùm igitur quantitas in generatione, & conseruatione entium naturalium sit terminata, immò ipsa sit terminus intrinsecus eorundem, consequenter etiam qualitas erit sic terminata vel ad maximum, vel ad minimum, iuxta naturam, & exigentiam rerum naturalium, quas afficit: Cæterùm si primo modo consideretur, non est vna omnium sententia; siquidem aliqui concedunt ei terminum intrinsecum paruitatis, alij terminum magnitudinis, & negant ab ea terminum paruitatis, alij verò negant ab ea maximum quod sic, & dicunt posse intendi in infinitum per additionem gradus ad gradum vsque in infinitum: Nos autem philosophantes eodem modo de natura qualitatis, sicut dictum est de quantitate, spectata eius natura, dicimus non dari terminum intrinsecum in qualitatibus, nec quoad maximum, nec quoad minimum; siquidem data quacunque qualitate intensa, potest sibi fieri additio graduum ad gradus vsque in infinitum; & quælibet qualitas vtcumque remissa potest per diuisionem minorari vsque in infinitum, absque vlla implicantia, quæ non potest ita adaptari qualitatibus, quin currat eadem ratio de quãtitatibus, cùm ambæ sint homogeneæ, & habeant partes eiusdem rationis adinuicem, & cum toto; sicut enim quælibet pars quantitatis est quantitas, ita quælibet pars, seu gradus qualitatis est qualitas; & quemadmodum suscipere maius, & minus est proprietas intrinseca conueniens quantitati secundum omnes eius partes extensas vsque in infinitum, ita suscipere magis, & minus conuenit toti qualitati, & eius partibus sine termino; & denique sicut gradus intensionis in qualitatibus spectant ad perfectionem intensiuam earum, ita partes extensiuæ perficiunt quantitatem entitatiuè; quandoquidem extensio, seu habere partes extra partes est de ratione formali quantitatis: Ex quibus infertur, quod sicut quantitas, spectata eius natura, nullis clauditur terminis, quin possit maiorari, & minorari in infinitum, ita dicendum erit de qualitate, secundum eius entitatem considerata.

Tertiò notandum est hanc esse differentiam inter infinitum cathegorematicum, seu in actu, & sincathegorematicum, siue in potentia, quod illud exposcit omnes partes in vnum simul collectas; istud verò easdem non simul vnitas, sed in potentia accipiendas, cum hoc tamen, vt illa potentia nunquam exhauriri possit, vt notauit Doct. subt. in 1. d. 2.q.2. §. Ostenso proposito &c. dùm dixit: Quæcunque sunt infinita in potentia, ita quod accipiendo alterum post alterum, nullum possunt habere finem, illa omnia, si simul sunt in actu, sunt infinita

finita actu: ex quo infertur, quod licèt qualitas, & quantitas per additionem partium finitarum infinitiès replicandã, possint dici infinita syncathegorematicè, & in potentia, non tamen poterunt per quamcunque virtutem, etiam diuinam, reduci in actu, ità quod habeant omnes partes simul, quia in illis non est assignabilis vltima pars, alioquin destrueretur ratio infiniti in potentia, & syncathegorematici, cuius est accipere alterum post alterum, & non habere finem. Ratio autem à priori est illa, quam affert Scotus in 2. d. 2. q. 9. sub H. loquendo de diuisione continui, quia licet continuum sit in infinitum diuisibile, nunquam tamé continget vt totum sit actu diuisum, quia cum vna potentia reducta ad actum per vnam diuisionem, semper stet alia reducenda vsque in infinitum; ita pariter dicendum est de infinitate partium quantitatis, & qualitatis, quod nunquam sit deueniendum ad vltimam, ita vt infinitæ possint esse simul in actu, cùm per reductionem vnius potentiæ, per additionem vnius partis factam, semper remaneat alia, & alia potentia reducenda in actu per additionem partis ad partem vsque in infinitum.

Ex his igitur fit prima conclusio. Quãtitas continua, spectata eius natura, non est determinata, de possibili etiam absoluto Dei, ad maximum, & minimum. Prima pars videtur esse Scoti in 3. d. 13. q. 1. sub D, vbi loquens de quantitate molis dicit, quod de potentia diuina potest esse aliquod quantum maius in potentia, quàm sit in actu, quia Deus potest maiorare aliquod quantum, non apponendo partes ablatas ab alio quanto, sicut supponit Philosophus 3. Physic. t. 69. sed aliundè per creationem appositas: & probatur: Tùm quia homogenea non sunt determinata ad maximum, sed possunt crescere in infinitum, vt cum Philosopho 2. de Anima tex. 41 probat Scotus in 2. d. 2. q. 9. sub N. de igne: Non enim homogenea augentur per intus sumptionem, sed per appositionem partis ad partem, virtute agentis extrinseci, quod si sit infinitum, potest in infinitum apponere partem ad partem; atqui quantitas, secundum suam naturam, est homogenea, vt nemo inficiari potest; ergo non est determinata ad maximum. Tùm secundò, quia data vna quantitate pedali, nõ repugnat maiorari vsquequò perueniatur ad maximam, vt omnes concedunt; ergo non erit repugnantia, vt maioretur vsque in infinitum. Consequentia probatur, quia suscipere maius est proprietas conueniens quantitati vt sic, & non tantæ, & tantæ quantitati; ergo si quantitas pedalis habet in se vt possit fieri maior, & maior, donec perueniat ad certam quantitatem, ex eo quod est nata suscipere maius, & maius poterit vtique maiorari in infinitum. Nec potest dici, quod ratio maximi obstet, vt aliquid sibi possit addi; tùm quia hæc responsio esset petitio principij: tùm etiam, quia sicut ratio maximi non impedit, quin maximus ignis possit fieri maior per combustionem stuppæ sibi appositæ, nec pariter poterit obstare, quin quantitas aliqua, quamuis summa, possit fieri maior, & maior per additionem nouæ quantitatis. Secunda pars, quæ est Aristotelis 3. Phys. t. 68. & Scoti in 2. d. 2. q. 9. sub F. & N. Probatur, quia continuum est diuisibile in infinitum, vt probat Arist. 1. Physic. t. 17. & 6. Physic. cap. 1. sed quantitas, vt distinguitur à discreta, est quoddam continuum; ergo est diuisibilis in infinitum, ac proindè non est ad minimum determinabilis.

Secunda conclusio. Quantitas discreta, nec per potentiam diuinam potest determinari ad maximum quod sic, licèt benè ad minimum quod sic. Vtraque pars est Aristotelis 3. Physic. t. 68. & cõmuniter tenetur à Doctoribus. Probatur prima pars in numero, qui est præcipua species quantitatis discretæ, quia numerus causatur, & crescit ex diuisione continui, vt probat Aristoteles loco citato; sed continuum est diuisibile in infinitas partes, quarum quælibet potest applicari, & apponi ad alteram; ergo numerus ex his confectus poterit in infinitum augeri. Secundò homines, & Angeli per totam æternitatem elicient plures operationes immanentes, & non tot, quin plures; ergo erunt infinitæ in multitudine,

ne, saltem in potentia, & syncathegorematicè. Secunda pars patet, quia sub binario non possunt esse alij numeri, quia nec aliæ vnitates; ergo numerus binarius, qui est quantitas discreta, est determinatus ad minimum quod sic, vt minor esse nequeat.

Tertia conclusio. Nulla qualitas siue naturalis, siue supernaturalis, est determinata de possibili, etiam diuino, ad maximum, & minimum, sed potest augeri in infinitum, per graduum infinitam additionem, aut in infinitũ diminui per eorundem graduum in infinitum deperditionem. Prima pars videtur esse apertè contra Doctorem subtilem in 3. d. 13. q. 1. vbi loquens de gratia Christi, dicit illam fuisse maximam, nedùm positiuè, sed etiam negatiuè, cùm Deus non potuerit maiorem facere; sed quia ibidem non est locutus de qualitate supernaturali; spectata eius natura, sed solùm de gratia, vt cedit in maius decus; & ornamentum animæ Christi, vt patet ex verbis, quæ protulit respondendo ad secundam quæstionem dum dixit: In commendando enim Christum, malo excedere, quàm deficere à laude sibi debita; ideò non debet dici, conclusionem esse immediatè contra Doctorem, cùm in ea sit sermo de natura qualitatis secundum se, & absolutè considerata, quæ etiã per ipsum debet dici indeterminata ad maximum, sicut apertè fatetur de quantitate, tùm continua, tùm discreta in 2. Met. q. 6. & in 2. d. 2. q. 9. N., cùm nihil possit, quo ad hoc, attribui quantitati, quin verificetur etiam de qualitate secũdum se spectata. Probatur igitur prima pars conclusionis, eodem modo, sicut probata fuit conclusio prima de magnitudine quantitatis; siquidem qualitas, vt sic, est homogenea, & suscipit magis, & minus, sicut quantitas maius, & minus, non respectu tantæ, vel tantæ qualitatis, sed absolutè, cùm sit proprietas sibi conueniens in quarto modo, ac proindè egressa à principijs intrinsecis qualitatis, vt sic consideratæ; ergo quamuis qualitas permenta fuerit ad certum gradum, vt potuerit dici maxima, nihilominus cũ sit vera qualitas, & eiusdem rationis cum qualitate minori; sicut hæc poterit intendi per susceptionem maioris gradus, & gradus, & illa poterit magis intendi, adeò vt nequeat dici determinata.

Dices cum Merinero hic disp. 5. q. 6. n. 27. latam esse differentiam inter intensionem qualitatis, & extensionem quantitatis; siquidem intensio dicit perfectionem entitatiuam qualitatis, quia qualitas præexistens constituitur in perfectiori gradu entis, ab illo, quem ante intensionem habebat; at extensio quantitatis nõ est perfectio entitatiua ipsius, quia per extensionem non acquirit quantitas præexistens nouam perfectionem in ratione entis, sed solum gradus præexistens extenditur ad maiorem partem subiecti; ideò quamuis in extensione quantitatis non possit dari status, necessario tamen est ponendus in intensione qualitatis, alioquin deberet concedi infinita qualitas in perfectione, quod apertè negatur à Doct. subt. in 2. Met. q. 6. & in 3. d. 13. q. 1.

Contrà; quia ita extensio spectat ad perfectionem quantitatis entitatiuam, sicut intensio ad perfectionem qualitatis; siquidem extensio partium in quantitate est ratio formalis constitutiua quãtitatis, vt distinguitur à qualitate, sicut probatum est à nobis in Logica cap. de Quantitate disp. 6. q. 2. cum Scoto in 4. d. 10. q. 1. M. ergo eodem modo philosophandum est de vtrisque. Deindè falsum est, extensionem maiorem, & maiorem non fieri per additionem partium nouæ quantitatis: Tum quia quantitas, quæ extenditur, est homogenea: Tum quia Aristoteles 3. Physic. t. 68. & 69. dixit, magnitudinem augeri per additionem secundum formam; ergo maior extensio in quantitate est constitutiua perfectioris gradus entitatiuè, sicut intensio in qualitate. Alias probationes affert Mastrius hic disp. 10. q. 5. art 2. n 82. ad probandam hanc primam partem, sed ista sufficit, cum sit fundamentalis.

Secunda pars conclusionis, quæ est Scoti in 2. d. 2. q. 9. sub N. probatur ab eodem, quia in motu non est assignabile minimum quod sic, quia secundum Aristotelem 6. Phyûc. omne moueri præce-

præcedit mutatum esse vsque in infinitum; ergo neque in qualitatum intensione, quæ fit per motum alterationis. Consequentia probatur, quia sicut motus mensuratur tempore, & quælibet pars motus qualibet parte temporis, ita mobile, & quælibet eius pars habet mensuram à motu, & qualibet eius parte; ergo si non est assignabilis minima pars in motu, quæ sit initiatiua motus, neque poterit assignari minima pars qualitatis, quæ sit initiatiua intensionis eiusdem qualitatis. Secundo probatur, quia qualitas est homogenea, & continua, vt omnes fateri debent, quia gradus intensionis non differunt specificè, sed tantum numeraliter; sed in homogeneis, & continuis non datur minimum quod sic, vt superiùs ostensum est cum Aristotele 1. Physicorum t. 17. ergo qualitates non sunt determinatæ ad minimum quod sic, sed possunt in infinitum remitti, sicut probatum est posse in infinitum intendi.

Obijcitur tamen primò contra primam conclusionem; quia si non daretur status in quantitate quoad magnitudinem, sequeretur posse fieri à Deo magnitudinem actu infinitam; sed hoc esse falsum probabimus etiam nos cum communi Doctorum sententia; ergo falsum est non dari statum, & maximum quod sic in quantitatibus. Sequela maioris probatur, quia secundum Aristotelem 3. Physicorum tex. 69. Quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu, maximè quando est vna potentia demonstrata, & signata, & non plures, vt declarat Doct. subt. in 3. d. 13. quæst. 1. ergo si quantitas in augmento non habet terminum, sed potest procedere in infinitum, etiam in actu poterit fieri infinita; siquidem quantitas cum sit permanens, non exposcit necessariò in sui factione plures potentias, sed vnam tantum determinatè.

Respondetur negando sequelam maioris, quia, vt inquit Doct. subt. 2. Met. quæst. 6. num. 4. ex infinitate potentiali, non rectè concluditur actualis, cum sint alterius rationis hæc, & illa; siquidem potentialis consistit essentialiter in accipiendo semper partem post partem, vt docet Aristoteles 3. Physic. t. 63. & actualis in habere omnes partes simul sine terminis: Ad probationem dico, antecedés esse verum de magnitudine determinata, & demonstrata, non tamen de absolutè possibili; siquidem hæc cum incerta, sit, & indeterminata, & nunquam reducibilis ad finem, consequenter non est vnica actione, sed pluribus factibilis, atque adeò non est vnius potentiæ demonstratæ, sed plurium, cum quarum vna in actum reducta, stat semper alia reducenda, sicut dicit Doct. in 2. d. 2. q. 9. de diuisione continui. Nec officit, quod quantitas sit res permanens, ac proindè vnica factione produeibilis, quia id solum verum est de quantitate determinatè signabili, non tamen de indeterminatè signabili, & absolutè possibili, vt est quantitas secundum se considerata, quia talis nec per potentiam Dei absolutam potest vnica actione, seu factione produci.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem. Non est maior ratio de speciebus rerum naturalium, quàm de numeris, sed quacunque specie data non potest dari perfectior vsque in infinitum; ergo quocunque numero dato non poterit dari maior, & maior vsque in infinitum. Maior patet ex Aristotele 8. Metaphys. t. 10. vbi comparat diffinitionem, & quiditatem cum numeris; ergo eadem ratio erit de vtrisque. Minor est Scoti in 2. Metaphysic. quæst. 6. §. De multitudine transumptiuè &c.

Respondetur negando minorem: Ad probationem dico, Scotum fuisse locutum argumentatiuè, & non decisiuè, quod patet ex eo quod subiungit sub n. 7. vbi habet hæc verba: Secundum veritatem circa hoc sunt opiniones, vna, quod Deus potest facere speciem vltra speciem in infinitum in potentia, quia quælibet factibilis in infinitum distat à Deo; ergo si perfectior intelligatur, adhuc stat limes creaturæ: alia opinio tacta est supra cum vna ratione ad hoc, quia nimirum esset intensiuè infinitæ perfectionis, & esset Deus; ecce quomodo

arguit ad vtramque partem, & neutram assertiuè tenet. Et quamuis videatur fauere potius huic posteriori, dum astruit in 3. d. 13. q. 4. dari summam gratiam, & consequenter summam speciem, tamen vt notat Cauellus in Scholio 1. & 2. ad præfatam quæstionem 6. nihil firmiter in hoc resoluit, & oppositum est satis probabile, vt demonstrabimus in 3. Physic. tract. de Infinito.

Obijcitur tertiò contra primam partẽ tertiæ conclusionis. Quæcunque qualitas creata natura sua finita est; ergo ab intrinseco postulat terminum, & finem in sua entitate, & perfectione. Tum secundò, quia Deus sua infinita cognitione cognoscit summam intensionem, in qua qualitates produci possunt, cum sit omnisciens, tunc quæro, an ista intensio sit finita, vel infinita? si detur primum habetur intentum, quod nimirum qualitas habeat in sua intensione terminum, vltra quem progredi non possit. Si verò dicatur secundum; sequitur Deum posse actu illam producere, cum omnes eius partes sint vnius potentiæ determinatæ, quod est maximum inconueniens, vt in 3. Physicorum demonstrabimus.

Respondetur ad primum; antecedens esse verum de facto, & in ordine ad potentiam naturalem; falsum de possibili absoluto Dei, quia sic potest augeri in infinitum, nec propterea infertur infinitas in actu; Tum quia non exeret limites creaturæ; Tum quia, cùm non sit dabilis vltimus gradus in esse signato, ac determinato, sed tantum in esse possibili, ac indeterminato, non posset esse simul actu cum præcedentibus, quod potissimùm requiritur ad infinitum actu.

Ad secundum nego: Deum cognoscere summam intensionem, in qua qualitas produci potest, quia, cum in illo priori habeat esse incertum, ac indeterminatum, sicut nequit esse terminus omnipotentiæ, vt produci possit simul cum alijs in vna qualitate, ita non potest esse obiectum omniscientiæ Diuinæ: Cæterùm dato, & non cõcesso antecedenti, cum quæritur: An talis intensio summa possibilis, esset finita, vel infinita, dico fore finitam in infinitum potentialiter assignabilem; & etiam infinitam in potentia; quæ tamen, cùm foret incerta, ac indeterminata, non posset vniri cum alijs ad constituendam qualitatem actu infinitam.

Obijcitur quartò contra secundam partem eiusdem conclusionis, probando, dari minimum in qualitatibus, quia Aristoteles 8. Physic. t. 61. 63. & 69. inquit, quod permanentia incipiunt per primum sui esse, & desinunt per primum sui non esse; sed qualitates sunt res permanentes; ergo habent primum sui esse acquisitum in Intensione, quod est minimum in alteratione successiua.

Respondetur ex Doctore subtili quol. 12. Qualitates, cum sint res permanentes, posse dupliciter acquiri in subiecto, vno modo cum contrarietate oppositi, alio modo absque illa; si priori modo acquirantur, tunc coguntur acquiri successiuè per motum, & hoc ex resistentia qualitatis contrariæ, & sic non habent primum in esse, sicut nec motus alterationis, sed solum primum in non esse: Si verò posteriori modo acquirantur, tunc habent esse totæ simul, & sic accipiunt esse in instanti, ad modum eorum, quæ generantur; & de his solum loquitur Aristoteles in citatis locis, & non de priori modo acquisitis; nec indè sequitur dari primum instans initiatiuum, vt prætendit Toletus, in qualitatum intensione, quia cum intensio fiat successiuè per motum alterationis, non potest assignari primum in esse, sed tantum vltimum in non esse.

Formaliter ad argumentum, dico maiorem esse veram de permanentibus, non habentibus contrarium, siue sint substantiæ, siue qualitates; non tamen de illis, quæ habent contrarium in subiecto, quia tales, licèt permanentes sint, non habent primum sui esse in motu alterationis, sed vltimum in non esse, vt docet Scotus, nedum loco citato, sed etiam in 2. d. 2. q. 9. N. & O. vbi ex professo declarat modum acquisitionis in qualitatibus contrarijs.

Obij-

Obijcitur quintò. Quando calor remittitur in subiecto per frigus, quod introducitur, incipit remoueri à subiecto extrinsecè, & per primum sui non esse; sed primum non esse exclusionis caloris est primum esse introductionis frigoris, quia exclusio formæ corrumpendæ, & introductio generandæ simul sunt; ergo datur primum esse frigoris, & consequenter minimum quod sic.

Respondetur ex eodem Scoto nuperrimè citato, negando minorem; siquidem & remissio caloris, & introductio frigoris fiunt in eodem instanti, neutri tamen intrinseco, sed extrinseco, vt sit verum dicere nunc non est remissio caloris, & post immediatæ erit, & nunc non est intensio frigoris, & tempore immediato erit, alioquin motus inciperet, & desineret in instanti, quod esset contra Aristotelem 6. Physicorum t. 50. & 55.

Obijcitur sextò. Si non daretur minimus calor; sed, dato quocunque gradu eiusdem, daretur minor, & minor in infinitum, sequeretur, remissionem fore motum perpetuum, sed hoc est contra Philosophum 8. Physicorum tex. 94. vbi hoc concedit solum motui locali circulari; & contra experientiam, quia videmus calorem penitus remitti in aqua per frigoris perfectam introductionem; ergo &c.

Respondetur negando sequelam maioris; siquidem in motu possunt considerari & partes proportionales, & aliquotæ, seu eiusdem quantitatis; priores sunt in infinitum acceptibiles, & secundum has motus est infinitus in potentia, & per consequens mensurabilis tempore infinito, ac perpetuo: Posteriores verò sunt determinabiles, & finibiles, ac proindè mensurabiles tempore finito, ac determinato. Remissio igitur esset motus perpetuus secundum partes proportionales, esset tamen finitus, & terminatus secundum partes aliquotas: & cùm Philosophus, & experientia ostendat terminum in cæteris motibus, præter circularem, intelligendum est esse verum hoc de motibus secundum partes aliquotas, quia ad has tantum iungit experientia, non autem ad proportionales, cùm sint indeterminatæ, & in potentia tantum assignabiles. Et hæc de hac perdifficili materia dicta sint satis.

Vtrum diffinitio primorum principiorum rerum naturalium, sit benè tradita ab Aristotele in tex. 42.?

QVÆSTIO IV.

Conueniunt omnes Doctores: per diffinitionem traditam ab Aristotele in citato textu 42. non diffiniri prima principia rerum naturalium simpliciter, & absolutè sumpta, in genere entis vt sic, alioquin prædicta diffinitio soli Deo competeret, cùm ipse solus sit omnium rerum primum principium; sed exprimi prima principia in determinato genere; at quia ex his alia sunt principia in fieri, & non in facto esse tantum, alia sunt intrinseca, & alia extrinseca; ideò quæritur, quibus conueniat huiusmodi diffinitio, an omnibus indiscriminatim; an verò tantum aliquibus? Et si aliquibus, an huiusmodi sint extrinseca, vel intrinseca? & si intrinsecis dumtaxat; an materiæ, & formæ tantum, vel etiam priuationi?

Quo circa extant Doctorum tria placita inter se disparata; siquidem Hurtadus in 1. Physic. disp. 1. sect. 2. tenet, huiusmodi diffinitionem generaliter conuenire omnibus principijs, tàm intrinsecis, vt sunt materia, forma, & priuatio; quàm extrinsecis, cuiusmodi sunt efficiens, & finis.

Ruuius verò ait, diffiniri tantum principia intrinseca, tàm in fieri, quàm in facto esse generationis, non autem extrinseca. Ita in 1. Physic. cap. 5. q. 1. parte 2. cui adiungi possunt Conimbric. & Complutenses, & ferè omnes Expositores Aristotelis.

Martinius autem, relatus à Merinero hic disput. 2. quæst. 1. num. 9., secutus versionem Argyropoli, ac Boetij, asserit, per hanc diffinitionem, exprimi dumtaxat principia rerum naturalium in facto esse, non autem in fieri; siquidem datur per esse, & non per fieri, dum dicitur: Oportet enim principia neque ex alterutris esse, neque ex alijs, & ex his omnia, inquit Boetius; vel prima principia namque, neque ex se se mutuò, neque ex alijs, & ex his omnia esse oportet, vertit Argyropolus.

Pro intelligentia diffinitionis primorum principiorum, ex Aristotele in tex. 42. relatæ, & fundamento conclusionum ponendarum, præter ea, quæ diximus in aliquali expositione illius textus, primò notandum est ex Philosopho 5. Metaph. cap. 1. Principium generaliter sumptum esse illud, vndè res incipit, aut esse, aut fieri, aut cognosci; in qua diffinitione tanguntur diuersa genera principiorum, vt obseruat Doctor subt. in expositione huius capitis; Per hoc enim quod dicitur vndè res incipit, indicatur prima acceptio principij, & est illud, à quo incipit prima pars motus, vt prima pars spatij, cui correspondet prima pars motus, dicitur principium motus, cum ab ipsa incipiat mobile moueri. Quando autem subditur: Aut esse, aut fieri, designantur principia tùm intrinseca, tùm extrinseca generationis, vel naturalis, vel artificialis, & sic cor dicitur principium animalis, cum ab ipso incipiat generatio animalis, & carina dicitur principium nauis, & fundamentum domus, cum à quolibet istorum fiat inceptio. Cùm tandem additur: Aut cognosci, denotantur principia cognoscendi, & sic dignitates in demonstratione dicuntur principia, quia illa sunt causa notitiæ conclusionis. Hic est sermo de principijs in esse, & fieri intrinsecis, non tamen de extrinsecis, cùm ab illis incipiat generatio rerum naturalium, & sunt tria, scilicet materia, forma, & priuatio. Quæ tamen dupliciter considerantur, scilicet pro formali, & sic dicunt relationem ad principiatum per illa, scilicet ad compositum; & pro materiali, & sic sunt res, quæ denominantur principia: Hic agitur de principijs intrinsecis, tàm in fieri, quàm in facto esse, non pro formali, sed pro denominato sumptis.

Secundò notandum est, quod principium, & causa distinguuntur; siquidem principium abstrahit ab influxu in principiatum, alioquin priuatio non esset principium, quia nihil influit in compositum, sed se habet tanquam causa sine qua materia, & forma non influerent in illud: Causa verò semper influit in effectum, siue intrinsecè, vt sunt materia, & forma, siue extrinsecè, cuiusmodi sunt finis, & efficiens; ex quo sequitur, quod omnis causa est principium, cum ab eis res habeat fieri, & esse; non tamen è conuersò, quia priuatio est principium, siquidem sine ipsa, materia principiare non posset; non est tamen causa, quia nihil influit in compositum, vt inferiùs dicemus.

Tertiò notandum ex Aristotele in tex. 42. & 43. tres conditiones requiri, vt aliqua dicantur principia: Prima vt præcedant omnia principiata, saltem natura, qua ratione etiam dicuntur prima in suo genere, non tamen simpliciter, & absolutè, quia sic datur tantum vnum omnium rerum principium, quod est Deus; at in genere sunt plura; materia enim non supponit aliam materiam; nec forma aliam formam; nec priuatio aliam priuationem, quamuis adinuicem se supponant in diuerso genere; siquidem materia præsupponitur formæ, ac eius priuationi, cum sit subiectum vtriusque; & priuatio præintelligitur formæ, tanquam terminus à quo termino ad quem. Secunda conditio, quod sint simplicia in tali genere, idest physicè, non metaphysicè, & hæc sequitur ex priori; si enim principia habent præcedere omnia in tali genere, sequitur, quod non sint composita in genere physico, aliter supponerent partes componentes, & sic non essent prima. Tertia conditio, quod

ex

ex illis omnia fiant, non promiscuè, & confusè, sed ab vnoquoque secundum propriam rationem principiandi, hoc est dictu, ex materia, tanquam ex subiecto, ex priuatione, vt ex termino à quo, & ex forma, vt ex termino ad quem: vndè

Quartò notandum est: Vnum fieri, vel non fieri, ex alio, posse quadrupliciter intelligi, iuxta quadruplicem sensum, què admittit ly ex. Primò vt ly ex, dicit habitudinem principij componentis intrinseci; quomodo dicimus statuam fieri ex ære. Secundò, vt dicit habitudinem causæ extrinsecè; qua ratione dicitur filius fieri ex patre, & omnia creata ex Deo. Tertiò, vt dicit habitudinem partium; quomodo dicitur numerus ternarius fieri ex tribus vnitatibus. Quartò, vt dicit ordinem termini à quo; & sic dicimus lucem fieri ex tenebris, & habitum ex priuatione, idest visum ex cecitate, & auditum ex surditate. Ad propositum principia non fiunt ex alterutris, primis tribus modis, alioquin non essent nec prima, nec simplicia, nec intrinseca; sed tantum quarto modo, quia forma fit ex priuatione, tanquam ex termino à quo, & sicut contrarium ex contrario: nec fiunt ex alijs primo modo, aliter non essent simplicia; nec tertio modo, cum careant partibus integralibus, & non sint tota, sed partes; nec quarto modo, quia præsupponerent aliam materiam, formam, & priuationem, tanquam subiectum, in quo esset priuatio, vt terminus à quo, sed tantū secundo modo, quia saltem materia, & forma fiunt efficienter à Deo: omnia tamen fiunt ex ipsis, tanquam ex principijs intrinsecis componentibus; vt sunt materia, & forma; vel ex termino à quo, cuiusmodi est priuatio: & his duobus modis accipitur ly ex, in diffinitione principiorum, vt innuat verificari dumtaxat de principijs intrinsecis; quandoquidem ratio principiandi ex alio non conuenit propriè extrinsecis, quia efficiens non est causa ex qua, sed à qua fit res aliqua; finis verò propter quem aliquid fit, & non ex quo aliquid habet esse.

Ex his fit prima conclusio. Diffinitio *Physic-* principiorum rerum naturalium, est rectè, & sufficienter tradita ab Aristotele in tex. 42. dum ait: Oportet enim principia neque ex alterutris esse, neque ex alijs, & ex his omnia. Probatur, quia illa diffinitio est bona, & sufficienter tradita, per quam exprimitur natura, & quiditas rei diffinitæ, & non conuenit alijs ab ipsa re diffinita, ea Aristotele 7. Met. t. 42. & 43., sed diffinitio principiorum tradita est huiusmodi; ergo est bona, & sufficienter tradita. Minor probatur, quia principia rerum naturalium sunt materia, forma, & priuatio, vt cum Aristotele probabimus in sequenti quæstione; sed hæc non fiunt ex alterutris, neque ex alijs, & omnia ex ipsis, vt declaratum, & ostensum est not. 3. & 4. ergo per ipsum exprimitur natura principiorum rerum naturalium. Confirmatur, quia natura principiorum exigit vt sint principia prima, simplicia, & omnia principiata pendeant ex ipsis ex Aristotele in textu, & 5. Met. cap. 1. & 3. sed hæ conditiones exprimuntur per diffinitionem datam in t. 42. ergo per ipsam exprimitur natura, & ratio principiorum rerum naturalium. Minor probatur, quia ex eo quod principia non debent fieri ex alijs, indicatur eorum primitas; cum additur: neque ex alterutris, manifestatur eorum simplicitas physica; quando verò concluditur, omnia fieri ex ipsis, indicatur, quod omnia principiata pendeant necessariò ex ipsis quoad suum fieri, & esse: ergo per huiusmodi diffinitionem exprimitur natura primorum principiorum rerum naturalium. Quod autem huiusmodi diffinitio non conueniat alijs ab his tribus principijs, probabitur in sequentibus conclusionibus.

Secunda conclusio. Hæc diffinitio nō conuenit principijs extrinsecis, sed intrinsecis, non tantum in facto esse, verum etiam in fieri. Probatur prima pars contra Hurtadum, quia per hanc diffiniuntur tantum illa principia, de quibus erat contentio cum Antiquis Philosophis; sed Aristoteles non contendebat de principijs extrinsecis rerum naturaliū; ergo huiusmodi principia non

exprimuntur per hanc diffinitionem. Maior patet, quia confutatis opinionibus Antiquorum circa qualitatem, & quantitatem, determinat qualia, & quanta debent esse principia rerum naturalium; oportet enim principia neque ex alterutris esse, neque ex alijs, & ex ipsis omnia; ergo deffinit illa principia de quibus contendebat cum Antiquis, & quoad qualitatem, & quantitatem. Minor probatur, quia Lis, & contentio erat de numero, & qualitate principiorum, quia alij ponebant vnum infinitum, & immobile; alij vnum finitum, & immobile; alij plura infinita; alij finita, sed tamen duo; alij verò quatuor; quoad qualitatem verò omnes ponebant principia contraria; sed principia extrinseca non sunt contraria, vt patet de efficiente, & fine; ergo de his non contendebat Aristoteles cum Antiquis, & consequenter de illis non tradidit huiusmodi diffinitionem. Secundò illa principia hic diffiniũtur, quæ non fiunt ex alterutris, nec ex alijs, sed ex ipsis omnia, sed omnia non fiunt ex efficiente, & ex fine, vt ex principijs; ergo &c. Maior patet ex diffinitione. Minor probatur, quia res, quæ fiunt effectiuè, non dicuntur fieri ex efficiente, sed ab efficiente; & quæ habẽt esse à causa finali, non habent esse ex fine, sed ab efficiente propter aliquem finem; ergo principio finali, & efficienti non conuenit huiusmodi diffinitio. Secunda pars probatur, quia per huiusmodi diffinitionem diffiniuntur principia rerum naturalium; sed non diffiniuntur extrinseca, vt probatum est; ergo intrinseca, cum sufficienter principium diuidatur in principium intrinsecum, & extrinsecũ. Tertia, & quarta pars probantur simul, quia illa principia hic diffiniuntur, ex quibus res naturales habent esse, & sunt contraria, sed principia essentialia, vt sunt materia, & forma non sunt contraria, sed benè forma, & priuatio; ergo hic diffiniuntur principia in fieri, & non tantum in facto esse. Maior patet, quia Aristoteles dicit, prima principia à se diffinita esse prima contraria, & ex eis omnia fieri, vel tanquam à componentibus intrinsecis, & sic dantur materia, & forma, vel sicut à termino à quo, & sic assignatur priuatio; ergo &c. Minor patet, quia contraria nequeunt cõsistere simul in eodem; sed materia, & forma, quæ sunt principia tantum in facto esse rei naturalis, stant simul in eodem composito, non autem forma, & priuatio; ergo hæc sunt contraria, & non illa. Superest igitur, vt per hanc diffinitionem exprimantur principia intrinseca, & non extrinseca, rerum naturalium, non solùm illa duo, quæ appellantur in facto esse, verum cum his & priuatio, quæ constituit numerum ternarium principiorum in fieri.

Obijcitur tamen contra primam conclusionem, probando, aliqua principia fieri ex alterutris, & per consequens, diffinitionem non esse bonam. Forma fit ex materia, & ex priuatione; hæc verò ex materia, & forma; ergo aliqua principia fiunt ex alterutris. Consequentia patet, quia forma, & priuatio sunt principia rerum naturaliũ. Antecedens probatur, quia forma educitur de potentia materiæ, mediãte sua priuatione, & materia appetit formam propter priuationem; ergo sicut forma est in materia ratione priuationis, etiam priuatio inest materiæ, causa appetitus, quem habet de possessione formæ, & sic mutuò fiunt ex se se, ac proindè, vel non sunt principia, vel diffinitio tradita non exprimit sufficienter naturam principiorum.

Respondetur: formam fieri ex materia, tanquam ex subiecto in quo fit generatio eiusdem vt quo; ex priuatione verò vt ex termino à quo incipit transmutatio materiæ de vna forma in aliam; nec indè sequitur, vnum principium fieri ex alio, vt principium est; siquidem ratio principiandi formæ, quæ est dari esse composito, tanquam terminus ad quem nõ fit ex materia, cuius ratio principiandi non est dare formaliter, sed recipere ipsam formam, & cum ipsa causare compositum: similiter forma in ratione principij non fit ex priuatione, quia hæc principiat, vt terminus à quo incipit motus generationis, illa verò tanquam terminus ad quem fit generatio: & quamuis priuatio aliquo modo, vt à termino

mino à quo, pendeat à materia, & forma, illæ tamen sunt termini à quibus positiui, non priuatiui, cuiusmodi est ratio principiandi in priuatione.

Obijcitur secundò. Corpora cælestia non fiunt ex materia, & forma, quia secundum Philosophum carent materia, vt notat Scotus in 2.d.12.q.1. nec ex priuatione, quia hæc supponit materiam, tùm quia non sunt corruptibilia; ergo illa particula, ex ipsis omnia fiunt, non est benè posita in diffinitione principiorum.

Respondetur, negando consequentiã; siquidè Philosophus diffiniuit hæc principia, non simpliciter, & absolutè, sed tantum in ordine ad generationem, in quantum generatio habet annexam mutationem, quæ fit in materia, tanquam in subiecto; vndè non est necesse vt ex eis simpliciter omnia fiant, sed tantum generabilia, & corruptibilia; quare etsi corpora cælestia non fiant ex illis, cum secũdum Philosophum careant materia, & forma, & consequenter sint incorruptibilia, nihilominus subsistit illa particula ex alijs omnia fiunt, quia explicanda est secundum sensum accomodum, vt nimirum, quæ fiunt per generationem, & desinunt per corruptionem, necessariò ex illis fiant.

Obijcitur tertiò contra secundam cõclusionem: Tùm quia illa principia debent esse diffinita ab Aristotele per hanc diffinitionem, de quibus proposuit cap. 1. huius primi libri, se actutum in ordine ad res naturales; sed talia non sunt tãtum intrinseca, sed etiam extrinseca, vt patet; ergo &c. Tùm secundò, quia in huiusmodi diffinitione non exprimuntur principia fieri, sed tantum esse, vt patet, quia Aristoteles vsus est verbo *esse*, & non *fieri*; ergo signum est, diffiniuisse tantum principia essentialia, & in facto esse.

Respondetur, ad primum negando maiorem, quia si omnia diffinijsset, quæ primo capite proposuit, non reduxisset illa ad tria tantum, vt fecit contra Philosophos Antiquos, qui vel plura, vel pauciora ponebant, sed dixisse esse quinque, vt comprehenderet etiam extrinseca; cùm igitur dixerit esse tantum tria, & nõ plura, fatendum est, voluisse tantum intrinseca, & in fieri diffinire, & non extrinseca.

Ad secundũ negatur antecedens, quia cùm in eadem diffinitione, comparauerit prima principia primis contrarijs, & principia *esse*, non sint contraria, dicendum est, non illa diffiniuisse, vt talia, sed tantum vt sunt principia *fieri*. Nec quicquam facessit, quod in diffinitione non ponatur verbum *fieri*, sed solum *esse*; siquidem verbum græcum, quo vsus est Aristoteles, significat ita *fieri*, sicut *esse*, vt adnotarunt Complut. disp. 2. q. 1. & Roccus in Paraphrasi sum. 3. cap. 1. & confirmatur ex textu Argyropoli, qui, licet verterit in diffinitione illud verbum in *esse*, & non in *fieri*: tamen paulò inferiùs abstinuit à verbo esse, & posuit fieri, cùm dixit, quia verò principia sunt contraria, ideò non ex se se mutuò *fiunt*: ex quo datur intelligi, quod sicut verbum græcum poterat verti in *fieri*, ac in *esse*, innuere voluit Aristoteles, quod per eãdem diffinitionem exprimere intendebat non tantum principia, quæ dicunt *esse*, sed etiam illa, quæ dicunt *fieri*.

Vtrum prima principia rerum naturalium sint tantum tria, & non plura, nec pauciora?

QVÆSTIO V.

CVm in proposita quæstione sit sermo tantum de principijs intrinsecis, & non extrinsecis rerum naturaliũ; post Aristotelem nulla videtur inter Expositores adesse controuersia, omnes enim sequuntur auctoritatem Philosophi ponentis contra Antiquos tria principia rerum naturalium, scilicet materiam; formam; & priuationem. Cæterùm in explicando quænam sint res naturales sub eisdem principijs comprehensæ, an tantum substantiæ generabiles, & corruptibiles, vt quod; an etiam accidentia, quæ acquiruntur per motũ, & mutationem: Similiter an nomine

materiæ, & formæ veniant dumtaxat materia prima, & forma substantialis, vel etiam materia secunda, idest subiectum completum, & forma accidentalis, non conueniunt Doctores; siquidem Aliqui putant per materiam, & formam intellixisse Aristotelem, tantũ materiam primam, & formam substantialem; & per res naturales, composita dumtaxat, vtpotè quæ dicuntur propriè generabilia, & corruptibilia vt quod.

Alij verò extendunt & materiam, & formam ad quodcunque subiectum, in quo possit fieri aliqua mutatio, & ad quamcunque formam transmutabilem, siue substantialem, siue accidentalem, & consequenter sub nomine rerum naturalium, quæ à principijs intrinsecis enumeratis fieri possunt, comprehendunt etiam formas accidentales absolutas, quia istæ propria actione acquiri, & deperdi possunt in subiectis: & ducuntur ad hoc asserendum, tum quia Aristoteles in textu exemplificat tàm de compositis substantialibus, quàm de accidentalibus; Tùm etiam, quia alioquin non omnes res naturales fierent ex ipsis, cum corpora cælestia non sint generabilia, & corruptibilia substantialiter, sed tantum accidentaliter.

Verùm, an hæc secunda opinio sit de mẽte Aristotelis, & nobis probetur, quibusdam prænotatis nostram aperiemus sententiam.

Primò igitur notandum est: Principia intrinseca rerum naturalium posse dupliciter dici talia, vel ratione compositionis, vel ratione generationis: Priori modo dicuntur intrinseca & quia sunt de essentia rei naturalis, & quia, transacta generatione, manent intrinsecus in composito, vti partes componentes essentialiter in suo toto essentiali, & sic nomine principiorum non veniunt, nisi materia prima, & eius forma substantialis; & nomine rei naturalis intelligitur solum compositum substantiale, nàm materia secunda, & eius forma accidentalis non componunt essentialiter aliquod tertium, in quo remanere possint, transacta mutatione, seu generatione accidentali, & hæc dicuntur principia intrinseca *esse* rerum naturalium, suntque tantum duo, & non plura, nec pauciora. Posteriori verò modo dicuntur intrinseca generationi rerum naturalium, quia sine eis generatio naturalis haud diffiniri, aut cognosci, aut imaginari potest; & hæc sunt tria, scilicet materia, forma, & priuatio; quandoquidem generatio, cum sit quædam mutatio, fieri nequit absque subiecto, in quo fiat, quod est materia, sine termino à quo incipiat motus, & sic habetur priuatio, & sine termino ad quem terminetur (saltem vt quo, & formaliter) generatio, & tunc datur forma. Ex quo sequitur, quod principia in facto esse, & in fieri rerũ naturalium, saltem positiua, cum sint eadem omninò, & differant solum ratione compositionis, & generationis, quæ sunt modi accidentales illis superadditi; sicut illa in facto esse necessariò sunt materia prima, & eius forma substantialis, ita debent esse etiam principia in fieri: & sic nomine rerum naturalium respectu priorum, veniunt tantum composita substantialia, & non accidentalia; ita in fieri res generabiles ab eis pendentes erunt tantum substantiales, & non accidentales.

Secundò notandum est, quod quando Aristoteles reduxit hæc principia contra Antiquos, ad hunc numerum ternarium, necessariò requisitum ad fieri rerum naturalium, sicut non fuit locutus de quibuscunq. principijs, sed tantum de primis, quæ non fiunt ex alijs, neque ex alterutris, vt patet ex diffinitione tradita in t. 42. ita per fieri rerum naturalium, non potuit intelligere quamcunque mutationem, sed solum substantialem, quæ dicitur generatio; alioquin nomine materiæ, non potuisset intelligere materiam primam, sed quodcunque subiectũ transmutabile, etiam ad formas accidentales; quod manifestè conuincitur esse falsum ex duobus; altero quod materia non esset primum principium; siquidẽ materia secunda, seu subiectum accidentium, in eodem genere principiãdi supponit materiam primam, quæ est primum subiectum,

ctum, vt dicit Arist. in t. 81.; altero verò, quod res naturales accidentales non fierent ex illo, sicut ex principio materiali; siquidem accidentia non habent materiam ex qua, sed solum in qua, vt docet idem Aristoteles 8. Metaphys. t. 12. & 14. alioquin essent generabilia, & corruptibilia ex se, quod tamen est falsum, vt probat ibidem; Restat igitur, quod Aristoteles enumerando illa tria principia, necessariò requisita ad fieri rerum naturalium, intellexerit solùm de mutatione substantiali, quæ dicitur generatio, & non de accidentali, cuiusmodi sunt augmentatio, alteratio, & latio: nec nomine materiæ sumpserit materiam secundam, quia illa non est materia, ex qua generentur accidentia, sed solum in qua recipiantur.

Tertiò notandum est, quod ista propositio: prima principia rerum naturalium sunt tantum tria: cum habeat dictionem exclusiuam, potest exponi & gratia alietatis, & gratia pluralitatis. Si exponatur primo modo, facit hunc sensum, quod tria sint principia, & alia à tribus non sint principia, & iste sensus est falsus, quia materia, & forma, cum sint duo, sunt alia à tribus, & nihilominus sunt principia. Si verò exponatur secundo modo, facit sensum, quod principia rerum naturalium sunt tantum tria, & non plura, nec pauciora tribus, & iste sensus est verus; siquidem sunt tantum tria, & non plura, nec pauciora, quia generatio substantialis, ad quam tantum ordinantur, cum sit quædam mutatio, exigit subiectũ mutabile de vna forma ad aliam, & sic est materia, terminũ à quo incipiat generatio, & sic habetur priuatio, & tandem terminus ad quẽ terminetur, & sic datur forma acquisita per talem generationem, vt mutatio est.

Quartò notandum est, quod res naturales sunt in quadruplici differentia, siquidem aliæ sunt compositæ ex natura, idest ex materia, & forma; aliæ sunt partes componentes, & sic materia, & forma substantialis dicuntur res naturales, sed impropriè, quia sunt ipsa natura: Aliæ verò sunt accidentia consequentia res naturales, vel compositas, vel componentes, & sic quantitates, & qualitates, quæ antecedant, & sequuntur generationem naturalem, possunt dici aliquo modo res naturales, sed non propriè, quia carent natura, idest materia, & forma: aliæ tandem dicuntur res naturales, quia sunt effectus, vel operationes rerum naturalium, & sic sensationes tùm internæ, tùm externæ, intellectiones, volitiones dicuntur quodammodo res naturales, quia exeunt à natura, vel ab habente naturam, vel saltem à consequentibus naturam. Hic est sermo de rebus naturalibus primo modo acceptis, cum eæ tantum dicantur fieri per generationem: cæteræ verò aut non fiunt; vel si fiunt, non per generationem, sed vel per augmentationem, aut alterationem, vel lationem, aut elicitionem acquiruntur in suis subiectis. Ex quo sequitur, quod hæc propositio: Omnia fiunt ex ipsis: non est vniuersaliter vera, sed debet intelligi in sensu accommodo, nimirum, quod omnia generabilia fiant ex ipsis, idest ex materia, forma, & priuatione, veluti ex principijs intrinsecis ad generationem ordinatis.

Ex his fit prima conclusio. Principia essendi, seu compositionis, aut in facto esse rerum naturalium, sunt tantum duo. Est communis apud omnes Philosophos. Probatur, quia materia, & forma sunt duo principia rerum naturalium, cum habeant distinctam rationem principiandi, vt patet ex quæstione præcedenti; sed materia, & forma sunt principia essendi rerum naturalium; ergo huiusmodi principia sunt tantum duo. Minor probatur, quia ea, quæ manent in composito, transacta generatione, dicuntur principia essendi compositi; siquidem ab eis sumit suum esse intrinsecum, & essentiale; sed, transacta generatione, materia, & forma manent in composito, cum sint eius partes essentiales ex Philosopho hic, & 8. Met. t. 15 & 16. ergo materia, & forma sunt principia essendi rerum naturalium.

Se-

Secunda conclusio. Principia generationis rerum naturalium, modo exposito in 4. not. sunt tantum tria, scilicet materia, forma, & priuatio. Est communis apud omnes Peripateticos. Probatur: Omnis mutatio, vt talis cognosci, & diffiniri possit, exigit de necessitate tria principia, & non plura, nec pauciora; sed generatio rerum naturalium est quędam mutatio; ergo exigit tantum tria principia, nec plura, nec pauciora. Maior probatur, quia mutatio intrinsecè dicit transitum subiecti, seu rei mutabilis de contradictorio in contradictorium, hoc est, de non esse ad esse; sed in huiusmodi transitu necessariò requiruntur tria, scilicet subiectum, seu mobile, quod transit, terminus à quo fit, seu incipit transitus, & terminus ad quem terminatur transitus, seu motus: exemplum fit in aqua, dum mutatur de frigida in calidam, in qua mutatione aqua est subiectũ mutabile, priuatio caloris est terminus à quo, & calor acquisitus in aqua est terminus ad quem terminatur huiusmodi transitus, seu mutatio; ergo mutatio intrinsecè exigit tria principia, & non plura, nec pauciora. Maior patet per diffinitionem mutationis, quam innuit Arist. 5. Physic. t. 7. Minor primi syllogismi est eiusdem ibidem, & sub t. 9. Secunda pars, quod huiusmodi principia sint materia, forma, & priuatio, patet, quia materia est, quæ mutatur de non esse formæ ad esse eiusdem; priuatio formæ, est terminus à quo incipit generatio mutatio, & forma est terminus ad quem tendit generatio; ergo principia generationis rerum naturalium generabilium, sunt materia, forma, & priuatio.

Tertia conclusio. Secundum Aristotelem, nomine materiæ, & formæ, non veniunt quod vis subiectum mobile, & quæcunque forma, sed solum materia prima, & forma substantialis; nec nomine generationis rerum naturalium, intelligi potest quæcunque mutatio, sed substantialis dumtaxat. Est Canonici, contra Thomam Anglicum, ab eodem relatum in 1. Physicorum q. VIII. art. 1. & Mastrium ibidem disp. 1. q. 3. n. 18. Probatur prima pars, quia principia generationis rerum naturalium, ex quibus omnia fiunt, sunt principia prima, vt constat ex diffinitione principiorum relata hic t. 42. sed quoduis subiectum mutationis naturalis, & quæuis forma, non sunt prima principia, de quibus locutus est Aristoteles, verùm dumtaxat materia prima, & forma substantialis; ergo secundum Aristotelem nomine principiorum veniunt tantum istæ, & non alia. Minor probatur, quia prima principia nõ fiunt ex alio; sed subiectum accidentium, & forma accidentalis, in ratione principiandi fiunt ex alijs, non sic materia prima, & forma substantialis; ergo istæ tãtum, & non illa sunt prima principia secundum Aristotelem. Maior patet in t. 42. Minor probatur, quia ratio principiandi materiæ est per modum subiecti, aliter se habentis nunc, quam prius; formæ verò per modum termini ad quem transit, & quem acquirit per informationem ipsa materia, ex ipso Mastrio ibidem q. 4. n. 23. sed subiectum accidentiũ, & eius forma supponunt hos modos principiandi in materia prima, & forma substantiali, ex quibus fiunt; ergo in ratione principiandi non sunt prima principia, & consequenter nec principia generationis rerum naturalium secundum Aristotelem. Secundò probatur: Principia generationis saltem positiua, secundum Aristotelem sunt eadem omninò realiter, & formaliter cum principijs essendi, quia transacta generatione manet intrinsecus in re genita, sed subiectum accidentium, & eius forma non manent intrinsecus in aliqua re naturali, quæcunque sit illa; ergo nomine principiorum rerum naturaliũ non venit quoduis subiectum, nec quæuis forma. Minor patet ex dictis superiùs in quæstione illa de toto per accidens. Secunda pars cõclusionis probatur, quia prima principia rerum naturalium non ordinantur ad quamcunque mutationem, sed tantum ad substantialem; sed prima principia ordinantur ad generationem, seu fieri rerum naturalium; ergo nomine generationis, seu fieri rerum naturalium, non intelligitur quæcunque mutatio, sed tantum substantialis. Maior probatur, quia

prima

prima contrarietas est primi generis, scilicet substantiæ ex Aristotele 1. Physic. t. 50. sed prima contrarietas facit prima principia, ex eodem ibidem t. 42. ergo in genere substantiæ solùm sunt prima principia, & consequenter ad generationem substantialem, & non accidentalem. Secundò: Generatio rerũ naturalium est, quæ connectitur principijs, ex quibus, & non in quibus, seu à quibus, ex præcedenti quæstione; sed nulla mutatio, præter substantialem, connectitur principijs ex quibus; ergo sola mutatio substantialis poterit, secundum Aristotelem, gaudere nomine generationis rerum naturalium. Maior patet ex diffinitione principiorum rerum naturalium in t. 42. Minor probatur, quia accidentia, quæ fiunt per alias mutationes, præter substantialem, non habent materiam ex qua, sed tantum in qua, physicè loquendo, ex eodem Aristotele 8. Met. t. 12. & 14. & Doctore subtili in expositione eiusdem, & in 2. d. 16. q. vn. A. & in 3. d. 2. q. 2. F. ergo nulla mutatio, præter substantialem, est connexa principijs intrinsecis, & ex quibus.

Obijciuntur tamen multa contra secundam conclusionem, quorum ea quæ videntur maiorem habere efficaciam, hic adducemus, & diluemus. Primò igitur probatur esse plura, quam tria, principia rerum naturalium, quia dispositiones accidentales sunt necessario requisitæ ad generationem rerum naturalium; siquidem nunquam introducetur forma nisi in materia disposita; ergo principia rerum naturalium sunt plura tribus.

Respondetur negando consequentiã, quia hic est sermo de principijs intrinsecis, non de extrinsecis, modo dispositiones quamuis aliquo modo possint dici principia dispositiua, tamen cum sint extrinsecæ generationi, sicut & ipsum agens, à quo inducuntur in materiam, ideò non veniunt annumerandæ inter *principia* prima rerum naturalium.

Vel distinguendum de dispositionibus actiuis, & passiuis; siquidem neutræ faciunt distinctum principium à materia, & forma, quia actiuæ formali principio; & passiuæ materiali connectuntur, & ita non faciunt distinctum principium à materia, & forma, cum conueniant in eadem ratione principiandi cum illis.

Obijcitur secundò, quia in tantum priuatio ponitur principium distinctum ab alijs, in quantum est terminus à quo incipit generatio, sed etiam generatio procedit à pereunte forma; siquidem corruptio vnius est generatio alterius; ergo non tantum tria, sed quatuor erunt prima principia rerum naturalium intrinseca.

Respondetur negando minorem, absolutè loquendo; siquidem potest dari generatio per quam acquiritur aliqua forma in materia absque dependentia à forma pereunte, vt à termino à quo, cuiusmodi cõtingeret, si Deus crearet materiam sine forma, & postea in talem materiam induceret aliquam formam substantialem, essent ibi tria principia, scilicet materia, forma, & priuatio, & tamen nulla esset forma corrumpenda; ergo quod generatio præsupponat illam vt terminum à quo, accidit sibi; siquidem de necessitate non exigit nisi illa tria principia.

Obijcitur tertiò probando esse pauciora tribus, quia forma nequit esse de numero principiorum generationis; ergo non sunt tria princepia generationis, sed tantum duo. Consequentia patet. Antecedẽs probatur: De ratione principij est, quod præcedat generationem, sed forma est terminus generationis; ergo nequit esse principium generationis.

Respondetur negando antecedens, ad probationem negatur maior, sufficit enim quod principium præcedat tem genitam, non autem generationem; quia cum generatio sit quædam mutatio, & ista sit via ad terminum per ipsam acquirendum, non debet terminus ad quem præcedere generationem, sed solum habere cum illo talem connexionem, vt sine eo cognosci, aut diffiniri non possit; & solum hoc modo forma dicitur principium generationis, & non quia ipsa præcedere habeat.

Obijcitur quartò, quia principium, & principiatum debent esse simul, sed priuatio nequit esse simul cum forma generanda,

randa, quia eo ipso, quod hæc introducitur in materia, illa recedit; ergo nequit esse principium generationis.

Respondetur maiorem esse veram formaliter accipiendo vtrumque, non tamen si materialiter, seu fundamentaliter sumantur, quia principium à quo, cuiusmodi est priuatio, habet præcedere principiatum, vt est res genita; & etiam formam generandam.

Obijcitur quintò contra tertiam conclusionem, quia primò contraria sunt principia rerum naturalium ex Aristotele 1. Physic. t. 42. & 43. sed in omni genere est vna contrarietas, vt probatur ibidem à t. 50. vsque ad 57. & 10. Met. t. 15. ergo in quolibet genere sunt prima principia, ac proindè nomine materiæ, & formæ, non veniunt, secundum Aristotelem, solum materia prima, & forma substantialis, sed quoduis subiectum, & quæcunque forma, etiam accidentalis.

Respondetur maiorem esse veram de primis contrarijs largè sumptis, vt nimirum contrarietas se extendit etiam ad priuatiuè opposita, & de his, non de quibuscunque, sed tantum de primis simpliciter, qualia sunt primo contraria in genere simpliciter, idest substantiæ, non tamen de primis contrarijs strictè sumptis, vt sunt primæ quatuor qualitates, vel de primis largè sumptis in entibus secundum quid, vt meliùs explicabitur in sequenti quæstione; modò, quamuis verum sit in vnoquoque genere dari vnam primam contrarietatem largè sumptam, scilicet pro oppositione priuatiua, quia tamen non est prima simpliciter, sed tantum secundum quid, hinc sequitur non posse constituere prima principia rerum naturalium, quæ deberet esse simpliciter prima, ad hoc vt nequeant fieri ex alijs, quod est potissima conditio requisita ad esse primorum principiorum.

Vtrum omnia primò contraria sint primæ principia rerum naturalium, & è conuersò?

QVÆSTIO VI.

Aristoteles inuestigare volens naturam, & conditionem primorum principiorum, desumit illam ex natura primorum contrariorum, dum dicit: Quod igitur contraria quodammodo omnes faciunt principia, manifestum est, & hoc rationabiliter: Oportet enim principia, neque ex alterutris esse, neque ex alijs, & ex his omnia: contrarijs autē primis insunt hæc, ob id quidem quod prima sunt, non sunt ex alijs; ob id vero, quod sunt contraria, non sunt ex alterutris; ex quibus liquidò constare videtur, quod prima principia debent esse primò contraria, & è conuersò primo contraria inferunt prima principia: Cæterùm, quia in t. 50. & 56. subiungit, dari in vnoquoque genere vnam primam contrarietatem, non immeritò quæritur: An omnia primo contraria constituant prima principia rerum naturalium, aut illa dumtaxat, quæ est generis primi, nimirum substantiæ? & è cōuersò: An prima principia sint omnia contraria, vel solum aliqua?

Hæ difficultates, quamuis ex dictis in præcedenti quæstione facillimè solui possent, nihilominus ad maiorem declarationem dictorum, & ad pleniorem intelligentiam naturæ principiorum rerum naturalium, seorsim discutientur in præsenti quæstione, quibusdam adnotatis.

Primò igitur notandum est ex Arist. 5. Met. cap. 10. t. 16. contraria dupliciter accipi posse, vno modo strictè, alio modo largè: Contraria primo modo sunt, quæ sub eodem genere posita maximè à seinuicem distant, mutuò se expellunt ab eodem subiecto, cui successiuè nata sunt inesse, vt album, & nigrum; calidum, & frigidum; humidum, & siccum: & hæc sunt duplicia, scilicet prima; & secunda iuxta diuisionem qualitatum in primas, & secundas. Prima sunt, quæ pugnant ratio-

ratione primarum qualitatum, vt calidum, & frigidum; humidum, & ſiccum. Secunda, quæ opponuntur ex cauſa ſecundarum qualitatum, vt album, & nigrum; amarum, & dulce. Contraria verò ſecundo modo, ideſt largè ſumpta, ſunt quæ adinuicem pugnant ad eſſe ſimul in eodem, ſiue ambo ſint poſitiua, ſiue alterum extremum ſit priuatiuum, vel negatiuum, & ſic lux, & tenebræ; album, & non album; magnum, & paruum; rarum, & denſum poſſunt appellari contraria: & hæc pariter diuiduntur in primò, & ſecundò contraria. Primo contraria largè ſumpta ſunt ea, quæ opponuntur priuatiuè, quia, vt docet Ariſtoteles 10. Met. t. 15. cap. 3. ad ipſa cætera reducuntur; ſiquidem nigrum dicit priuationem albi, & è conuersò, magnum parui; non album priuat album, & ſic de cæteris. Secundò contraria largè ſumpta ſunt cætera oppoſita, quæ veluti inferiora continentur ſub priuatiuè oppoſitis. Hic eſt ſermo de primo contrarijs largè ſumptis, ideſt de priuatiuè oppoſitis, quia talia appellantur maximè contraria, non tantum quia ad ipſa cætera reducuntur, ſed etiam, quia reperiuntur in quolibet genere, tum ſubſtantiæ, tum accidentium; ſiquidem quælibet differentia dicit priuationem ſuæ oppoſitæ; & quodlibet accidens includit priuationem ſui diſparati in quouis genere, vt diſcurrenti per ſingula patere poteſt.

Secundò notandum ex eodem in præcitatis locis. Primo contraria largè sũpta adhuc eſſe duplicia, quædã dicũtur ſimpliciter primo contraria, & ſunt illa, quæ reperiuntur in genere ſimpliciter, cuiuſmodi eſt prædicamentum ſubſtantiæ, & ſic forma ſubſtantialis, & eius priuatio appellantur prima contraria ſimpliciter. quædam verò ſunt primo contraria ſecundum quid, & dicuntur illa, quæ inueniuntur in generibus ſecundum quid, vt ſunt prædicamenta accidentiũ, & ſic forma accidentalis, & eius priuatio in quocunq. genere, dicuntur primo contraria ſecundum quid. Hic agimus de primo contrarijs largè ſumptis ſimpliciter, quia illa, cũ reperiantur in primo genere, quo nihil eſt prius, conſtituũt prima principia rerum naturalium, alioquin ſi etiam cætera conſtituerent, prima principia fierent ex alijs, cum ſupponerent in eodẽ genere principiandi, prima contraria in genere ſubſtantiæ, quod eſſet contra naturam primorum principiorum.

Tertiò notandum eſt, principia rerum naturaliũ eſſe contraria poſſe dupliciter intelligi, vno modo vniuerſaliter, ita quod ſit verum dicere omnia principia rerum naturalium ſunt contraria, & hic ſenſus eſt falſus, quia materia nulli contrariatur, cum interdum ſub priuatione, & interdum ſub forma perſeueret. Alio modo particulariter, vt ſit verũ dicere, aliqua principia rerum naturalium ſunt contraria, & hic ſenſus eſt verus, quia priuatio, & forma ſunt duo termini incompoſſibiles ſimul, & ſemel in eadem materia; hoc autem intelligendum eſt de forma habenda, non verò de habita, quia hæc ſimul ſtat cum priuatione alterius formæ, cùm illi, & non ſibi opponatur priuatiuè.

Ex his igitur ſit prima concluſio. Non omnia primo contraria, ſunt prima principia, ſed ſolum ea, quæ contrariantur ſimpliciter priuatiuè, cuiuſmodi ſunt forma, & ſua priuatio in genere ſubſtantiæ. Probatur, quia prima principia non ſunt ex alijs, ſed primo contraria in quouis genere, præter ſubſtantiam, ſiunt ex alijs; ergo talia primo contraria nequeunt eſſe prima principia. Maior patet ex diffinitione primorum principiorum in tex. 42. huius primi Phyſicorum. Minor probatur, quia accidentia educuntur de ſubſtantia, vt habet Ariſtoteles 5. Metaphyſic. t. c. 15. & 7. Metaphyſ. t. c. 2. tanquam ex cauſa materiali, vt exponit Scotus in 4. d. 12. q. 1. ſub G. & H. ergo etiam forma accidentalis, & eius priuatio ſiunt ex forma ſubſtantiali, & eius priuatione. Secundò ſubſtantia præcedit omne accidens natura, tempore, & diffinitione, vt docet Ariſtoteles 7. Metaphyſic. tex. 4. & 5. ergo contraria ſubſtantialia præcedere debent omnia contraria accidentalia, ac proindè illa erunt primo contraria ſimpliciter prima, & ita conſtitutiua

dumta-

dumtaxat primorum principiorũ. Consequentia patet, quia datur ordo inter priuationes etiam, sicut inter positiua, si ergo substantia secundum se totam præcedit omne accidens, etiam priuatio formæ substantialis debet præcedere quamcunque priuationem formarum accidentalium.

Secunda conclusio. Non omnia prima principia sunt primò contraria, sed solum forma, & priuatio in genere substantiæ. Hæc conclusio remanet probata ex præcedenti, & ex not. 1. nihilominus declaratur etiam sic, quia primò cōtraria hic non sumuntur strictè, sed largè, vt contrarietas se extendit ad oppositionem priuatiuam, vt adnotauimus primo; sed materia non habet oppositionē priuatiuam, nec cum forma, quia est entitas positiua, neque cum priuatione, alioquin daretur priuatio priuationis vsque in infinitum; ergo materia nulli est contraria; cæterùm ipsa est vnũ ex primis principijs rerum naturalium; igitur, non omnia principia rerum naturalium sunt contraria.

Obijcitur tamen primò contra primã conclusionem: Si prima contraria forent prima principia rerum naturalium, maximè essent forma substantialis, & eius priuatio; sed tales non sunt primæ; ergo nec prima contraria, neque prima principia. Maioris sequela patet. Minor probatur, quia forma in communi, vt sub se compræhendit formam substantialem, & accidentalem, est prior ipsis, & similiter priuatio communis, priuationi substantiali, & accidentali, est ipsis prior; ergo forma substantialis, & eius priuatio nequeunt esse primo contraria, & consequenter nec prima principia rerũ naturalium. Antecedens patet, quia superiora sunt priora inferioribus, vt docet Aristoteles 5. Met. cap. de Priori; ergo forma in communi, & priuatio sibi opposita sunt priores forma substantiali, & accidentali, ac earum priuationibus.

Respondetur negando minorem, ad probationem dico, antecedens, & eius probationem habere veritatem de priori secundum prædicationem, & subsistendi consequentiã, non tamen secundum existentiam, & ratione principiandi res naturales, quia superioribus non cōpetit factionis, siue actionis ratio, cùm hæc sit suppositorum, vel singularium, vt aliàs dictum est.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem, quia substantiæ nihil est contrarium ex Philosopho in prædicamentis cap. de substantia; sed principia rerum naturalium sunt substantiæ, vt patet, quia res naturales ex his principiatæ sunt substantiæ; ergo principia rerum naturalium non sunt contraria.

Respondetur maiorem esse veram de contrarijs propriè acceptis, non tamen impropriè sumptis pro oppositis priuatiuè, quia sic substantiæ inest contrarietas, vt ostendimus not. 1. modo principia rerum naturalium sunt contraria secundo, non primo modo.

Obijcitur tertiò. Principia componũt rem, cuius sunt principia; sed contraria non componunt aliquid; ergo principia rerum naturalium non sunt contraria. Maior patet ex tex. 42. vbi dicitur, ex his omnia fieri. Minor est eiusdem Philosophi in tex. 43. & 50.

Respondetur maiorem esse veram de principijs in facto esse, seu compositionis; non tamen de principijs in fieri, seu generationis; modo principia compositionis non sunt contraria, sed tantum generationis, nec etiam ex his omnia, verùm dumtaxat forma, & eius priuatio.

Contrà: Si priuatio esset contraria formæ; vel esset contraria formæ habitæ, vel formæ habendæ in materia; sed neutrum dici potest; ergo forma, & priuatio non sunt contraria. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur: Non potest dici primum, quia forma habita, & priuatio stant simul in eadem materia. Nec secundum, quia terminus ad quem corruptionis est priuatio, quæ simul stat cum forma habenda.

Respondetur negando minorem: ad probationem dico: in acquisitiuis mutationibus, cuiusmodi est generatio, priuationem stare simul cum forma habita in materia, quia sibi non opponitur, sed formæ habendæ, cum qua nequit consistere; at in mutationibus deperditiuis,

quia

quia terminus à quo est forma, & ad quem, est priuatio, tunc dicendum est, priuationem opponi formæ præhabitæ, & corrumpendæ, cum qua sistere nequit, non tamen formæ habendæ, quia nulla talis reperitur.

Obijcies quartò, quia in tantum priuatio, & forma essent contraria, in quãtum terminus à quo, & terminus ad quẽ essẽt cõtrarij, sed hæc ratio nulla est; ergo non sunt contraria. Maior patet. Minor probatur, quia terminus ad quem, non est principium, sed principiatum, cum forma acquiratur per generationem, vt quo; ergo forma non esset principium contrarium priuationi.

Respondetur negando minorem; ad probationem dico, generationem dupliciter spectari posse, & in ratione productionis, & in ratione mutationis: Si primo modo consideretur, terminus ad quẽ est principiatum, & non principium, & sic non opponitur priuatiuè cum termino à quo, sed tantum relatiuè cum producente. Si verò secundo modo spectetur, tunc terminus ad quem est principium, & opponitur priuatiuè cum termino à quo, sicque dicimus formam, & priuationem, quæ se habent vt termini à quo, & ad quem, esse contraria; & non primo modo.

Obijcitur quintò. Probando omnia principia esse contraria, quia contrariorum effectuum sunt contrariæ causæ ex Aristotele 2. de Gener. t. 56. sed effectus materiæ, & formæ sunt contrarij ergo, & materia, & forma sunt contraria.

Respondetur negando minorem: immò cum sint compossibiles in eodem composito, arguere debemus non esse contrarios, & consequenter nec materiam, aut formam esse adinuicem contraria.

Obijcitur sextò. Quæ habẽt conditiones primorum contrariorum, debent esse primo cõtraria; sed materia, & forma sũt huiusmodi; ergo debent esse primo contraria. Maior patet. Minor probatur, quia conditiones primorum contrariorum sunt, non fieri ex alterutris, neque ex alijs, & omnia ex ipsis; sed hæ conditiones verificantur de materia, & forma, cum sint prima principia, ergo &c. Maior, & minor patent ex tex. 42. & 43.

Respondetur negando minorem, ad probationem dico, illas non sufficere, sed debet addi alia conditio, nimirum, quod se habent, tanquam positiuum, & priuatiuum, quia de huiusmodi contrarijs locutus est Aristoteles; modo, quamuis materiæ, & formæ conueniant aliæ conditiones, vtpotè quæ sint prima principia, cum tamen sint ambæ positiuæ, & neutra priuatiua, neutiquam poterunt esse primo contraria.

Dices: igitur ex conditionibus primorum principiorum malè Aristoteles intulit prima principia debere esse primo contraria, & è conuersò.

Respondetur negando consequentiã, quia sicut Aristoteles non fecit omnia principia contraria; siquidem dixit, subiectum, idest materiam nulli esse contrariam, sic ex contrarijs primis non potuit arguere omnia principia prima, sed tantum aliqua, scilicet formam, & priuationem: ex quo infertur, quod istæ duæ propositiones conuertentes, & inseinuicem conuersæ, scilicet primo contraria sunt prima principia, & prima principia sunt primo contraria, non sunt vniuersales, sed tantum indefinitæ, aut particulares.

Obijcies septimò. Principia prima nõ fiunt ex alterutris ex Aristotele t. 42. sed contraria prima fiunt ex alterutris; ergo contraria prima non sunt prima principia, & per conuersionem simplicem prima principia non sunt primo contraria. Minor probatur, quia forma fit ex priuatione sui ipsius; sed forma, & eius priuatio sunt primo contraria; ergo primo contraria fiunt ex alterutris.

Respondetur maiorem esse veram secundum eandem rationem principiandi, secundum quam dicũtur prima principia, falsam secundum aliam, & aliam rationem principiandi, vt declaratum fuit suprà q. 4. Ad minorem, nego illam, secundum eandem rationem principiandi; & cum probatur de forma, & eius priuationem, dico, formam fieri ex sua priuatione secundum diuersam rationẽ principiandi; siquidem forma principiat gene-

generationem per modum termini ad quem tendit generatio mutatio; priuatio verò per modum termini à quo incipit generatio mutatio; & ita quamuis fiant ex seinuicem secundum diuersos modos principiandi, nequit inferri non esse prima principia; immò totum oppositum, cum diuersa ratio principiandi constituat diuersitatem primorum principiorum. Si plura cupitis videre argumenta contra has duas conclusiones, cõsulite Mastrium, & cæteros Recentiores, & habebitis intentum: nostrum enim non est omnia congerere, sed necessaria dumtaxat. Quare pro hac quęstione, & disp. 2. dicta hæc sint satis.

De principijs rerum naturalium in particulari.

SVMMA IV.

HÆc vltima summa, in qua Philosophus agere intendit de materia, forma, & priuatione in speciali, diuiditur in tria capitula, in quorum primo notificat aliquo modo: An, & qualiter materia sit à nobis cognoscibilis, & incipit à t. 69. In secundo soluit quasdam dubitationes Antiquorum circa existentiam materiæ, & incipit à tex. 71. vsque ad 81. exclusiuè: In tertio tandem docet, quid sit materia quatenus est principium rerum naturalium, & quid sit forma, ac priuatio remissiue, idque exorditur à t. 81. vsquem ad finem primi libri Physicorum.

De cognoscibilitate materiæ primæ per ordinem ad formam.

CAP. I.

MAteriam dupliciter posse nobis innotescere, perspicuũ est apud omnes, & quo ad quid nominis, & quo ad quid rei. Materia enim antiquitus varijs nominibus est appellata, vt aduertit Alcinous de doctr. Platonis cap. 8. & Albertus Magnus in 1. Physic. tract. 3. cap. 12. siquidem Hebræi dixerunt illam inanem, quasi priuatam omni forma: Arabes vocarunt eandem, origo, massa, sylua, seminarium; dicitur origo, & seminarium, quia continentur, & ab ea originantur omnes formæ; massa verò, quia habet partes diuisibiles entitatiuè; & sylua, quasi ex ea præcidantur omnes plantæ formarum. Platonici nominarunt illam, receptaculum formarum; locum, & gremium earundem. Peripatetici tãdem notificarunt illam nomine materiæ, idest potentiæ, in qua continentur actus; subiecti, quia in ipsa sustentificãtur formæ generabiles, & corruptibiles; Elementi, quia ex ea fiunt omnia generabilia, & in ipsa resoluuntur omnia corruptibilia; Fœminæ ratione appetitus, quē habet erga omnes formas, sicut fœmina appetit indifferenter omnes viros, seu mares; & tandem Turpis, quia secũdum se caret omni formositate.

Materia verò, quoad sui existentiam, notificatur à Philosopho in t. 69. ex Platone in Thimæo, per analogiam ad res artificiales, dum dicit: Subiecta autem natura scibilis est secundum analogiam; idest quod materia sit, & existat in rebus naturalibus dignoscimus ex comparatione eiusdem ad res artificiales, sicut enim æs se habet ad statuam, & lignum ad lectum, ita materia prima ad formas substantiales; & sicut æs ante formam statuæ, & lignum ante formam lecti dicuntur informia, ita materia secundum se considerata sine forma informis appellatur. Vel sicut ex diuersa transmutatione rerum artificialium arguimus in eisdem aliquam subiectum materiam, quæ transmutetur de vna in aliam formam, seu figuram artificialem, sic ex diuersa mutatione rerum naturalium, debemus in illis arguere aliquod subiectũ, transmutabile e. g. de forma ligni ad formam ignis, & de forma ignis ad formam cineris; siquidem, naturaliter loquendo, sicut forma accidentalis nequit esse sine subiecto, ita substantialis absque materia; ex quo infertur, dari in rebus naturalibus materiam, & formam substantialem, sicut datur materia secunda, & forma accidentalis, vt clariùs explicabimus

musin propria quæstione.

Deinde in t. 70. recapitulat supradicta dicendo, tria esse principia rerum naturalium, scilicet materiam, formam, & priuationem. Quare autem hæc sint tātum tria, & non plura, nec pauciora; & quomodo sint, & non sint contraria, dictum est sufficienter, non solum in expositione textus, sed etiam in quæstionibus.

De quibusdam dubitationibus, & earundem solutionibus circa existenstentiam materiæ.

CAPVT II.

ANtiqui, negantes aliquid fieri, aut corrumpi de nouo, consequenter de medio tollebant materiam, in qua fieri deberet huiusmodi generatio, quapropter ad ostendendam veritatem suæ conclusionis, sic discurebant. Quicquid fit, aut fit ex nihilo, aut ex aliquo (*T. 71. vsq. ad 73.*) sed neutrum horum est dicendū; ergo nihil fit de nouo. Maior patet à sufficienti diuisione; siquidem inter nihil, & aliquid non potest dari medium. Minor probatur: Non ex nihilo, quia ex nihilo, nihil fit, saltem naturaliter loquendo. Neque ex aliquo, quia aut tale esset eiusdem, aut diuersæ rationis ab eo, quod diceretur fieri; sed neutrum dici potest; ergo non fit ex aliquo. Maior patet, quia inter idem, & diuersum, non datur medium. Minor probatur: Non ex diuersæ rationis aliquo, quia ex diuersis, & dissimilibus nequit fieri aliquid veluti ex materia: Neque ex aliquo eiusdem rationis, quia tunc id, quod fieret, esset antequam fieret; & tunc de illo posset quæri eodem modo, ex quo factum esset; An ex nihilo, vel ex aliquo, & sic vel esset processus in infinitum, vel dabile esset aliquod ex nihilo factum, quod vtrumque vt vitemus potius dicendum est nihil esse de nouo factum, & consequenter non dari materiam, quæ sit subiectum huiusmodi factionis.

Respondet ad argumentum (*T. 74.*) suppolita duplici distinctionē de ly fieri, quarum prima est ista: Aliquid facere, vel fieri ex aliquo dupliciter contingere potest, nempè, per se, & per accidēs. Illud dicitur fieri per se, quod fit à determinata causa; & illud dicitur facere per se, quod est determinatum agens alicuius: exemplificat de medico sanante, quia tunc dicitur per se sanare, quando operatur, vt medicus. Illud verò dicitur per accidens facere, aut fieri, quod est coniunctum cū causa per se faciente; vt si dicamus medicum ædificare, vel ab eo domum fieri; siquidem domus non fit à medico per se, sed solum per accidens, quatenus est cōiunctus cum ædificatore, qui est per se causa ædificij domus. Secunda distinctio: ens est duplex, in actu, & in potentia: ens in actu dicitur illud, quod dicit esse completum, vt homo, qui habet esse cōpletum ex anima, & corpore; ens verò in potentia, quod actu non est, sed potest coniungi cum ente in actu, & sic materia est ens in potentia, potest enim recipere in se formam, & coniungi cum ente in actu cōpleto, & perfecto ex materia, & forma. Similiter: Nihil potest sumi dupliciter vno modo simpliciter, & sic negat omne ens, siue in actu, siue in potētia, & ex tali nihilo nequit fieri aliquid, vt ex subiecto: alio modo secundum quid, & sic negat tantum esse actuale, non autem potentiale, atque ita materia potest dici non ens, quia cum sit coniuncta cum priuatione formæ, nequit esse actu, est tamen ens in potentia, quia potest coniungi cum forma, & ex ea aliquid fieri.

His positis, respondetur formaliter ad argumentum Antiquorum, negantium generationem, & corruptionem substantialem: Aliquid esse posse ex nihilo, & ex aliquo, sed diuersimodè; & cum probatur, ex nihilo posse fieri nihil; verum est ex nihilo simpliciter, non tamen ex nihilo secundum quid, quia cum tale sit ens in potentia, ex ipso cum forma, quæ dicitur ens actu, potest fieri aliquid in esse actuali completo. Ad secundam partem, cum probatur aliquid non posse fieri ex aliquo, alioquin idem esset antequam fieret, distinguitur, aliquid in actu potest fieri ex aliquo in potentia per se, ex aliquo verò in actu per accidens, quia accidit materiæ, vt ex ea

fiat aliquid, quod sit in actu per formam in se receptam; & sic patet, quod fieret ex aliquo hoc modo, per se fieret ex materia, quamuis coniuncta formæ; per accidens verò ex illa forma, seu ex illo toto completo ex materia, & forma.

Soluta prima dubitatione Antiquorũ, ob quam conabantur negare generationem, & consequenter materiam primam esse earundem subiectum, subiungit (*T. 79. usq. ad* 81.) aliam dubitationem Platonicorum circa materiam, & dicebant, materiam, ex eo quod nõ sit ens in actu, sed solum in potentia, ac proindè coniũcta cum priuatione formæ, esse non ens, sicut priuatio; & probabant argumento Parmenidis: Quicquid est præter ens, est non ens; sed materia est præter ens; ergo est non ens. Probabant minorem, Quod est idem numero cum priuatione, est præter ens; quia priuatio est non ens, sed materia coniuncta priuationi, est idẽ numero cum illa; ergo materia est præter ens, & consequenter non ens.

Respondet ad argumentũ, ostendendo diuersitatem materiæ à priuatione; quia materia, quamuis per accidens sit coniũcta priuationi, quæ est per se non ens, est tamen per se ens in potentia, tũ quia materia est propè substantiam, quia ex ea fit substantia in actu, tum etiam quia materia est pars essentialis substantiæ; priuatio verò neque est pars substantiæ, neque propè substantiam; & quamuis dicatur vna numero cum priuatione, sunt tamen diuersa principia, cum habeant diuersas rationes principiandi; siquidem materia per modum subiecti, priuatio verò per modum termini à quo, & abiectionis principiat.

Ex hac doctrina possumus respondere formaliter ad argumentũ distinguendo maiorem, & dicere esse verã, si sit præter ens tàm in actu, quàm in potentia; falsã, si tantum fuerit præter ens in actu, quia datur ens in potentia: & cum probatur minor, quod materia est coniuncta, & vna numero cum priuatione; conceditur, sed negatur quod sit non ens per se; siquidem est solum non ens per accidens, & per se ens in potentia.

Tandem refert opinionem aliam negantem dari priuationem, tãquam tertiũ principium rerũ naturalium: Dicebatq. generationẽ sufficienter fieri ex materia cum forma, sicut mater cum semine: Priuationem verò potius tendere in maleficium, & in corruptionem, ac propterea nihil facere ad esse geniti, & consequenter non esse principium. Impugnat hanc opinionem, probando admittendam esse priuationem, tanquam principium necessarium ad generationem, ex suppositione, quod detur forma, & ipsa sit quid diuinum, & optimum, & consequenter appetibile, ac desiderabile ab ipsa materia; quia materia appetit formam, veluti bonum, & optimum desiderabile; aut ergo appetit formam, quam habet, aut quã non habet: non potest dici primum, quia appetitus est propter indigentiam; at non indiget forma habita, cum iam ipsa m possideat; igitur debet appetere formã, quam non habet; sed talis appetitus non est ratione formæ habitæ, quia ipsa appeteret sui corruptionem, quod non est dicendum; ergo talis appetitus est in materia prout est priuata forma habenda, atque adeò ratio appetendi est ipsa priuatio; cùm igitur in tali consistat ratio principiandi in priuatione, sequitur, nedum esse tertium principium distinctum ab alijs duobus, sed esse ita necessarium, vt sine ipso nulla fieret generatio, aut corruptio: quia si materia non appeteret formam habendam, hæc non introduceretur, & illa iam præhabita non corrumperetur, & sic non fierent generationes, & corruptiones.

Concludit ergo, materiam appetere formam propter priuationem, sicut fœmina marem, & turpe pulchrum cupit, ac desiderat, vt ab his perficiantur.

De diffinitione materiæ, ac eius esse ingenerabili, & incorruptibili.

CAP. III.

POstquam enim Philosophus ostendit in præcedentibus, materiam existere, & esse principium distinctum à forma, & priuatione, in præsenti nititur demonstrare, quid sit materia, in ordine ad gene-

generationem, & corruptionem, & quomodo ipsa sit ingenerabilis, & incorruptibilis, & quomodo non: vndè in tex. 82. dicit, materiam esse generabilem, & corruptibilem per accidens, quatenus nimirum est subiectum in quo fiunt generationes, & corruptiones; esse tamen ingenerabilem, & incorruptibilem per se, & probat vtramque partem: quia si materia esset generabilis, & corruptibilis per se, & non tantum per accidens, sequeretur processus in infinitum in materiebus; sed talis non est concedendus, cùm ab ipso abhorreat natura, & sit incognoscibilis; ergo non debet esse generabilis, & corruptibilis per se. Maior probatur, quia quicquid generatur, & corrumpitur per se, ex aliqua materia generatur, & in aliqua corrumpitur; ergo si materia generatur, & corrumpitur præsupponit aliam materiam, de quo quæri potest, sicut de priori & sic dabitur processus in infinitum, quem vt vitemus, fatendum est, materiam esse per se ingenerabilem, & incorruptibilem, & tantum per accidens generari, ac corrumpi, quatenus est subiectum generationis, & corruptionis.

Hoc probato, ostẽdit quid sit materia, dicens: Est igitur materia primum subiectum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum, hoc est. materia est subiectum, primum generationis, & corruptionis per se, & non secundum accidens, ex quo aliquid fit cum insit forma, idest compositum; quod si corrumpatur, resolutio fiet in eandem materiam.

Tãdem loquens de forma, inquit, posse fieri sermonem vel de forma corruptibili, vel de incorruptibili, & abstracta à materia; & si de hac loquendum sit, dicit differendum esse sermonem vsque ad primam Philosophiam; si verò de illa redibit sermo opportuniori loco in sequenti libro, & ita finem posuit huic 1. Physicorum.

De materia prima, seu de primo principio rerum naturalium in particulari.

DISP. III.

PErsoluta secũda disputatione, in qua, occasione textus Aristotelis, egimus de principijs rerum naturalium in communi, ac de quibusdam alijs eadem, sic generatim, consequentibus; in præsenti agendum nobis est de eisdem in particulari: Et quoniam inter principia, primum locum sibi vendicat materiale, in quo pugnant adinuicem alia duo contraria, scilicet priuatio, & forma sibi opposita, idcircò de materia prima erit nobis sermo, circa quam examinabimus omnes quæstiones necessarias, hac tempestate, à Recentioribus agitari solitas, illas, de more, resoluendo iuxta mentem Doctoris subtilis.

Vtrum detur principium materiale rerum naturalium? & an rectè diffiniatur ab Arist. in t. 82.?

QVÆSTIO I.

ADmittendum esse in rerum natura aliquod principium materiale, in quo fiant transmutationes de contrario in contrarium, fuit constans sententia Arist. nedum in hoc 1. libro Physicorum, vbi demonstrauit necessitatem trium principiorum rerum naturalium, quorũ vnum esset cæterorum subiectum, sed etiam lib. 8. Met. cap. 2. & lib. 12. cap. 2., vbi ostendit inductiuè, in omni transmutatione, necessario dandam esse materiã, in qua fiant mutationes, & vicissitudines de contrario in contrarium, à qua nullo pacto est recedendum, quicquid dicant Aliqui, quorum meminit Doct. subt. in 2. d. 12. q. 1. §. Hic dicitur &c. & §. Positio ista &c. & Merinero hic disp. 3. q. 1. n. 3. & seqq. vsque ad n. 16.

Circa secundam partem quæstionis, nulla reperitur controuersia, omnes .n. libenter recipiunt diffinitionem, quã tradidit Arist. de materia, in ordine ad generabilia, & corruptibilia, in hoc 1. Phys. sub tex. 82. nimirũ, quod sit subiectũ vniuscuiusq.

cuiusq. primum, ex quo aliquid fit, cum insit primo, & per se, & non secundum accidens, quare quibusdam adnotatis pro declaratione vtriusq. partis, deueniemus ad resolutionem totius quæstionis.

Primò igitur notandum est: Materiã, quæ ponitur subiectum transmutationũ naturalium, esse duplicem, primam, scilicet & secundam. Materia prima est subiectum primum, in quo fiunt transmutationes substantiales, nimirum generatio, & corruptio, vt dum corrumpitur forma ligni per actionem ignis, & introducitur eius forma per generationem alterius ignis in materia ligni, est aliquid, quod transit de forma ligni ad formam ignis; siquidem totum lignum, secundũ omnẽ sui entitatem, non destruitur, alioquin eius deperditio non esset corruptio, sed annihilatio, & tale subiectũ, quod idẽ numero remanet sub vtraq. forma, dicitur ab Arist. materia prima, ex qua fiunt generationes, & in qua pariter fiunt corruptiones rerũ naturaliũ. Materia verò secunda est subiectũ secundum (ad differentiã subiecti primi) in quo fiunt transmutationes accidẽtales s. augmentationes, & diminutiones cõuenientes quantitatibus, alterationes secundũ intensionẽ, & remissionem in qualitatibus eiusdem, vel diuersarum specierum, & mutationes de vno in alium locum, & cum vnũ subiectum de paruo fit magnũ, de calido fit frigidum, dicitur transmutari accidentaliter, quia formæ, quæ acquirũtur, & deperduntur sunt accidentia; ex quo sequitur cõuenientia, & discõueniẽtia vtriusq. materiæ. Cõueniunt, quia vtraq. est subiectũ, in quo fiunt aliquæ mutationes, tum acquisitiuę, tùm deperditiuę formarum. Disconueniunt verò multipliciter, & primò quia materia prima est subiectũ simplex, carens omni compositione physica, tàm substãtiali, quàm accidẽtali; materia verò secunda est subiectũ compositum ex materia prima, & forma substantiali. Secundò, quia materia prima est subiectum ex quo, cũ forma, fit compositũ substantiale & in quo fiunt tantum trãsmutationes substantiales s. generatio, & corruptio; cæterũ materia secunda, quãuis sit subiectum in quo fiunt tantũ mutationes accidentales, non est tamen subiectum ex quo, cum accidentia careant materia ex qua, vt docet Arist. 8. Met. t. 12. & 14. Tertiò disconueniũt, quia materia prima est ens potentiale carẽs omni actualitate formali: Materia verò secũda & si ens potẽtiale sit, tamen est ẽt actuatum per formã substantialẽ, qua ratione prohibetur, ne cũ quacunq. forma possit ex ipso fieri vnũ per se, sed tantũ vnũ per accidens. Quartò tandem differunt, quia materia prima est in potentia subiectiua tantũ ad formas substantiales; verũ materia secunda tantũ ad formas accidẽtales, alioquin duæ formæ substãtiales possent informare eandem numero materiam, quod esse falsum demonstrabimus in sequenti disput. de Forma.

Secundò notandum est: Latã esse differentiã inter creationem, generationẽ, & transsubstantiationem ex vna, ac inter annihilationẽ, & corruptionẽ, & desitionẽ totalem ex alia; siquidẽ creatio est alicuius in esse reali ex nihilo productio .i. ex nullo subiecto præsupposito, saltem ex quo, quod additur ob creationẽ aĩæ rationalis, & gratiæ habitualis, quia prior supponit subiectũ in quo .i. corpus debitè organizatũ, posterior verò ipsam animã rationalẽ. Generatio verò ex Philosopho 1. de Gen. t. 10. 23. & 24. est mutatio totius cathegorematici in aliud totũ cathegorematicũ substantiale, nullo sensibili manẽte, quod additur ad differentiam alterationis, in qua, facta mutatione, manet totum subiectum sensibile .i. compositũ ex materia, & forma substantiali, in generatione manet solum subiectum insẽsibile .i. materia prima sub vtroque termino mutationis, vt cùm ex aere generatur ignis, mutatur tertia entitas aeris in tertiam entitatem ignis, manente insensibiliter sola materia prima sub vtroque termino à quo aeris corrumpendi, & ad quem ignis generandi, & geniti; verùm cum mutatur aqua de calida in frigidam, manet sensibiliter totum compositum aquæ sub vtroque termino caliditatis, & frigiditatis. Transubstantiatio autem ex Scoto in 4 d. 11 q. 1. est transitio totalis substantiæ in aliam substantiam, idest totius cathegorematici,

tici, & sincathegorematici simul in aliud totum substantiale vtroque modo sumptum, vt si totus aer, & qualibet pars eius converteretur in totum ignem, & in quamlibet eius partem, talis conversio diceretur transubstantiatio, & non generatio, quia nihil aeris remaneret sub vtroque termino, sed totus totaliter transiret in substantiam ignis; neque creatio, quia terminus à quo non esset nihil reale, sed aliquid, nimirum substantia aeris: Et per oppositum annihilatio est reductio esse realis creaturæ in nihilum sui totaliter, quæ non fit per aliquam actionem positiuam, sed tantũ per negationem concursus diuinæ voluntatis, nolentis creaturam in esse reali conseruare. Corruptio verò, quæ opponitur generationi, est mutatio de esse substantiali totius cathegorematici, ad non esse eiusdem, nullo sensibili remanente, sed tantum perseuerante materia prima, quę transit de non esse corrupti, ad esse reale *geniti*. Desitio tandem totalis, quæ opponitur *transubstantiationi*, est negatio totius esse substantialis, in aliud esse substãtiale conuersi, vt si *ignis* per negationem concursus diuini redigeretur in nihilum sui realiter, diceretur annihilatus; si verò desineret esse per mutationem eius in aerem, diceretur corruptus; si autem cessaret esse ignis, per eius conuersionem totalem in aerem, tunc desineret esse per *transubstantiationem* sui ipsius in aerem: *Ex his* omnibus sequitur, quod si non daretur *principium* materiale, seu materia prima in generatione, & corruptione rerum naturalium, nulla daretur mutatio, quæ esset generatio, vel corruptio, sed omnia haberẽt esse, vel per creationem, vel per transubstantiationẽ supernaturaliter, cum nulla creatura habeat virtutem creatiuam, aut conuersiuam, & consequenter omnia desinerent esse per annihilationem, ac proindè destrueretur tota Philosophia naturalis, quod esset maximum inconueniens.

Tertiò notandum est ex Philosopho 6. Phys. t. 32. 73. & 74. quod mutatio est qua aliquid potest aliter se habere nunc, quã prius, quæ diffinitio, secundũ Doct. subt. in 4. d. 11. q. 1. art. 3. nequit conuenire termino; sed tantũ subiecto mutationis; siquidem terminus, cum per mutationem nunc acquirat primum esse sui, vt patet in alteratione aquæ de frigida in calidam, non potest dici aliter prius se habuisse; at subiectum, scilicet aqua sub frigiditate prius existens, cum sit calida, acquirit nouum esse accidentale, quod prius non habebat, & ideò ipsa sola dicitur esse mutata, & non caliditas acquisita, quæ est terminus mutationis. Hæc autem mutatio, secundum Philosophũ 5. Phys. sub t. 7. & 8. potest dupliciter fieri, vel ex priuatiuo in positiuũ, & sic est generatio; vel ex positiuo in priuatiuum, & talis est corruptio; vel deniq. de positiuo in positiuum, & sic est motus augmentationis, alterationis, & locimutationis, in quibus omnibus est necessarium subiectũ mutabile de vno in aliud contrarium, vt inductiuè probat Arist. in 8. Met. c. 2. Et 12 Met. c. 2. hoc autem subiectum in generatione, & corruptione substantiali, est materia prima, vt superiùs diximus in 1. not.; igitur dandum est necessario primũ principium materiale rerũ naturalium, quod est materia prima à forma, & priuatione distincta.

Quartò notandũ prò explicatione diffinitionis materiæ primæ, quod ly subiectũ tenet locum generis, cum sit quid cõmune ad subiectum primum, & secundum: ly primum additur ad differentiam materiæ secundæ, quæ non est subiectum primum, cum supponat materiã primã, ex qua, cum forma substãtiali, cõponitur in esse subiecti transmutationum accidẽtalium: Dicitur vniuscuiusq. rei generabilis, & corruptibilis, ad differentiam materiæ secundũ, quæ est subiectũ rei augmentabilis, alterabilis, & locomutabilis. Additur, ex quo aliquid fit cũ insit, idest forma, ad differentiam causarum extrinsecarũ, quæ non concurrunt ad generationem rerum naturalium, tãquam principia ex quibus, vel vt à quibus, aut propter quæ. Ponitur tãdem per se, & nõ secundũ accidens, ad differentiã formarũ accidentaliũ, ex quibus cũ subiecto, nõ fit compositũ per se, sed tantũ per accidens.

Ex his sit prima conclusio. Necessario ponendum est primum principium ma-

Physic. G 3 teria-

teriale, distinctum realiter à forma. Est Aristotelis 1. Physic. t. 69. & seqq. & 8. Met. cap. 2. & 12. Met. cap. 10. ac Doctoris subtilis in 2. d. 12. q. 1. §. Positio ista; & alibi sæpè; & probatur ab ipso prima pars multis rationibus, tamen breuitati studentes, referremus vnam; aut alterã: primò igitur ostenditur sic veritas conclusionis: Si non daretur tale principium materiale, seu materia prima sequeretur destructio totius Philosophiæ naturalis; sed hoc nullo pacto concedendum est; ergo &c. Minor patet, quia destructa, ac sublata Philosophia naturali, de medio tollitur ferè tota Theologia; siquidem ista emendicat eius lumen, ac declarationem, à Philosophia naturali, vt superiùs declarauimus, & iterùm inferiùs dicturi sumus. Sequela maioris suadetur sic, tota, vel saltem maior pars consistentiæ Philosophiæ, consistit in demonstrandis mutationibus rerum naturaliũ; siquidem mutabilitas est passio, consequens esse rerum naturalium; sed abnegato principio materiali rerum naturalium, tollitur quæcunque mutatio in rebus naturalibus; ergo abnegata materia, seu principio materiali, sequitur destructio Philosophiæ naturalis. Minor probatur, quia mutatio est qua res potest aliter se habere nunc, quam prius ex Aristotele 6. Physic. t. 32. 73. & 74. sed ablato principio materiali, nõ potest res aliter se habere nunc, quam prius; ergo &c. Minor probatur, quia terminus, qui acquiritur nunc, non prius habuit esse; ergo nequit aliter se habere nunc, quam prius; igitur illud quod aliter sic se habet, erit subiectum mutationis, quod est principium materiale. Confirmatur, quia ablata generatione, & corruptione, tollitur Philosophia naturalis, sed abnegato principio materiali, aufertur generatio, & corruptio rerum naturalium; ergo ablata generatione, & corruptione rerum naturalium, tollitur philosophia naturalis. Maior probatur, quia ablato subiecto philosophiæ naturalis, tollitur philosophia naturalis; siquidem scientia refertur ad scibile, & scientia est vnius generis subiecti ex Aristotele 1. Poster. cap. 23. sed ablata generatione, & corruptione aufertur corpus naturale, quod est subiectum philosophiæ naturalis; ergo ablata generatione, & corruptione, tollitur philosophia naturalis. Minor est nota, quia si auferatur passio à subiecto, tollitur subiectum, cum sint idem realiter; sed generatio, & corruptio sunt passiones corporis naturalis, vt patet ex Aristotele in 1. de Gener. & Corrupt. ergo ablata generatione à rebus naturalibus, & earum corruptione, auferri necesse est corpus naturale. Minor primi syllogismi probatur, quia generationes, & corruptiones fiunt in aliquo subiecto, vt docet Aristoteles 8. Met. cap. 2. Et 12. Met. cap. 2. sed huiusmodi subiectum est principium materiale, seu materia prima, vt habetur ab eodem 1. Physicorum t. 82. ergo ablato principio primo materiali, tollitur generatio, & corruptio. Secundo probatur conclusio, quia naturaliter loquendo, ex nihilo nihil fit, nec ex aliquo totaliter, sed si auferatur principium materiale à rebus naturalibus, omnia fierent, vel ex nihilo, vel ex aliquo totaliter; ergo ad fieri rerum naturalium necessariò requiritur principium materiale. Maior patet, quia agens naturale nequit creare, aut transubstantiare, cum non habeat in virtute sua terminos creationis, & transubstantiationis, vt alibi, Deo dante, probaturi sumus; sed productio ex nihilo est creatio, & ex aliquo totaliter est transubstantiatio; ergo agens naturale, nequit aliquid facere ex nihilo, aut ex aliquo totaliter. Minor probatur, quia omnia crearentur, vel transubstantiarentur, vt probatum est in 2. not. ergo, vt omnia hæc absurda euitentur, fatendum est dari necessario aliquod primum principium materiale ad fieri rerum naturalium. Secunda pars conclusionis faciliùs suadetur, quia illa, quæ sic se habent, quod, vno destructo, alterum manet, distinguuntur realiter; sed in generatione, & corruptione, destructa forma habita, adhuc remanet principiũ materiale, tanquã subiectum formæ habendæ, vt probatũ est vtq. modo; ergo principiũ materiale est distinctũ realiter à forma.

Secunda conclusio. Principium materiale rerum naturalium huiusmodi, est

ens

ens reale, quod est substantia, & non accidens. Est Scoti in 1. d. 3. q. 3. K. vbi probat, ens reale prædicari quiditatiuè, & vniuocè de materia, & de forma; ac in 2. d. 12. q. 1. C. Probatur prima pars: Quod componit essētialiter aliquod ens reale, substantiale, debet esse ens reale, & substantia, sed corpus naturale, quod est substantia, componitur essentialiter ex materia, & forma, vt docet Aristoteles 1. Phys. t. 52. & 2. Physic. t. 4. & 7. Met. t. 7. & seqq. ergo principium materiale, est ens reale, quod est substantia. Maior patet ex Aristotele 1. Physic. t. 52. vbi dicit, ex nō substantijs, non posse fieri substantiam. Secunda pars eodem modo suadetur, quia compositum naturale nō est accidens, sed substantia; ergo materia prima nequit esse accidens. Antecedens est Aristotelis 2. de Anima t. 2. vbi diuidit substantiam in materiam, formam, & compositum; & 7. Met. t. 7. vbi repetit eandem diuisionem.

Tertia conclusio. Principium primū materiale, seu materia prima dicit substantiam incompletam, distinctam, nedum realiter, sed etiam essentialiter à principio formali, seu forma. Est Scoti in 2. d. 12. q. 1. sub E. Probatur prima pars, quia ex materia, & forma fit compositum per se vnum ex Arist. 3. Phys. t. 66. & 7. Met. t. 7. & 8. Met. c. 1. & t. 15. sed ex duabus substantijs completis nequit fieri vnum per se, ex eodem Aristotele 8. Met. t. 15. & 16. ergo materia, & forma, non sunt substantiæ completæ, sed incompletæ. Secunda pars probatur, quæ habent distinctas essentias distinguuntur essentialiter; sed materia, & forma sunt huiusmodi; ergo distinguuntur essentialiter. Maior patet, quia subiectum includit prædicatum. Minor probatur, quæ habent distinctas passiones, & proprietates, habent distinctas essentias; siquidem ab essentia fluunt passiones, & proprietates; sed materia, & forma habent distinctas passiones, & proprietates; ergo distinctas essentias. Minor probatur, quia materia est ingenerabilis, & incorruptibilis, ex Aristotele 1. Phys. t. 81. Forma verò generabilis, & corruptibilis: deindè materia est tantum cognoscibilis per analogiam ad formam, hæc verò per se, ex eodem ibidem t. 69. Insuper, materia est subiectum primum generationis, & corruptionis, ibidem t. 82. forma verò est terminus siue à quo, siue ad quem earundem mutationum, ex eodem 6. Physic. t. 32. 73. & 74. ergo materia, & forma habent distinctas passiones, & proprietates, & consequenter diuersas essentias.

Quarta conclusio. Diffinitio materiæ, tradita ab Aristotele hic t. 82. est bona, & sufficienter assignata in ordine ad generationem, & corruptionem. Probatur, quia diffinitio, per quam expenditur natura diffiniti per genus, & differentiam, est bona, & conuenienter assignata ex Aristotele 7. Met. t. 43. sed diffinitio data expendit naturam, & essentiā materiæ in ordine ad generationem, & corruptionem, vt declaratū est in 4. not. ergo est bona, & conuenienter assignata.

Obijcitur tamen contra supradictas conclusiones multipliciter, & primo cōtra primam: Saluatur ratio generationis, & corruptionis absque aliquo principio materiali; ergo non est necessario ponendum; consequentia patet, quia tota necessitas oritur ex parte generationis, & corruptionis, quæ cum sint mutationes naturales, indigent aliquo subiecto, in quo fiant. Antecedens probatur, quia secundum Aristotelem 1. de Gen. t. 23. Generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, ad differentiā alterationis, in qua necessario remanet subiectum transmutabile de vno contrario in aliud contrarium.

Respondetur negando antecedens cū Scoto in 2. d. 12. q. 1. A. & in 4. d. 11. q. 1. A. ad cuius probationem dico cum eodem, per ly totum, non intelligi totum sincathegorematicum, sed tantum cathegorematicum, hoc est tertiam entitatem, resultantem ex materia, & forma per generationem, alioquin non esset huiusmodi mutatio generatio, sed transsubstantiatio, cum mutaretur totum totaliter, idest secundum omnes partes distributiuè sumptas: Est igitur sensus diffinitionis, generatio est mutatio totius cathegorematici in aliud totum cathe-

gorematicum, nullo sensibili manente, quia manet materia dumtaxat, quæ per se non cadit sub aliquo sensu, sed solum per analogiam ad formam, quæ per generationem acquiritur, aut per corruptionem deperditur.

Obijcitur secundò contra secundã cõclusionem: quod est propè nihil, non est ens reale, sed materia est propè nihil; ergo nõ est ens reale. Maior probatur, quia ens transcendentissimè sumptum, quatenus includit ens in anima, & extra animam, idest ens reale, & ens rationis, est oppositum contradictorium de ly nihil; ergo quod est propriè nihil, non erit ens reale, sed minus ente reali, quod est ens rationis. Minor est D. Augustini lib. 12. Confess. cap. 32. & super Genesim cap. 7. vbi dicit: Duo fecisti Domine vnũ propè te, hoc est naturam Angelicã, & aliud propè nihil, idest materiam primam. Cõfirmatur à fortiori, quia Arist. 5. Physic. t. c. 8. appellat materiam primã non ens; ergo non solũ est propè nihil, sed est ipsum nihil, ac proindè non est ens reale.

Respondetur ex Doct. subt. quol. 7. in principio, quod nihil potest dupliciter accipi, vno modo, vt est oppositum contradictorium entis communissimè sũpti, alio modo, vt est contradictorium entis realis tantum; primo modo excludit per negationem quodcunq. ens, siue in anima, siue extra animam; secundo modo negat tantum ens reale, & non ens rationis: modo ad propositum dico, quod est propè nihil omninò, & primo modo sumptum, est ens rationis, cócedo; quod verò est propè nihil secundo modo, nego, quia cum contineatur infra latitudinem entis realis, debet esse ens reale, licèt minimæ fuerit entitatis realis. D. Augustinus intelligendus est de nihilo secũdo, non primo modo, quod manifestè conuincitur, ex comparatione materiæ primæ cum natura Angelica, de qua nemo ambigit, quod sit ens reale.

Ad confirmationem dico, vocari non ens, tantũ per accidens, quatenus est coniuncta cum priuatione, cum hoc tamen stat, vt absolutè & per se, sit ens, quia secundum ipsum pluribus in locis, & præcipuè 7. & 8. Metaph. citatis, sit altera pars compositi realis.

Obijcies tertiò contra secundam partẽ eiusdem conclusionis, quia Arist. 1. Phys. t. 79. dicit materiam, non esse substantiã, sed propè substantiam. Deindè: Illud, de quo non prædicatur substantia, non est substantia; sed de materia prima non prædicatur substantia; ergo non est substantia. Maior patet, quia illud de quo nõ prædicatur animal, non est animal; ergo illud de quo non prædicatur substantia, non est substantia. Minor probatur, quia hæc est falsa, materia est homo, sed hæc est quiditatiua, & vera homo est substantia; ergo hæc est falsa, materia est substãtia. Consequentia tenet per regulam antepraedicamentalem, quando alterum de altero prædicatur, quæcunq. de eo, quod prædicatur dicuntur, omnia de subiecto dicuntur; ergo ex opposito, cũ alterũ ab altero remouetur, quæcumq. de eo quod remouetur, dicuntur, omnia à subiecto remouentur, sed homo remouetur à materia, & de homine prædicatur quiditatiuè substantia; ergo à materia necessariò remouetur substantia.

Respondetur Aristotelem ibidem esse loquutum de substãtia completa, & perfecta, & ideò cum materia non sit substantia completa, & perfecta, potest hoc modo dici non esse substantiã: cum hoc tamen stat, vt absolutè sit substantia, cum sit pars essentialis compositi substantialis.

Ad secũdum dico maiorem esse verã, si nullo modo prædicetur de materia, nec in recto, nec in obliquo: modo substantia saltem in obliquo prædicatur de materia prima, quia hæc vera: materia prima est aliquid substantię; cum sit pars essentialis totius physici, quod est substãtia in recto.

Obijcitur quartò contra tertiam conclusionem. Formæ substantiali conueniunt conditiones essentiales materiæ; ergo non distinguitur essentialiter ab ea. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia esse subiectũ formæ substantialis est conditio essentialis materiæ, sed etiam forma corporeitatis, est subiectum formæ viuentium, quæ est substantialis; ergo conditio essentialis materiæ competit etiam formæ substantiali.

Respondetur negando antecedens, ad pro-

probationem dico, quod esse subiectum primum formæ substantialis, est conditio essentialis materiæ, quod nequit conuenire formæ corporeitatis respectu formę viuentis, cum sit illius subiectum secundum; siquidem subiectum primũ, quod est materia, supponitur sibi.

Obijcitur quintò contra quintam conclusionem. Vnius rei non possunt esse plures diffinitiones, sed materia rectè diffinitur ab Aristotele 7. Met. t. 8. Dico autem materiam, quæ per seipsam, neque quid, neque quantum, nec aliquid aliud quippiam dicitur, quibus ens determinatur; ergo diffinitio data esse subiectum vniuscuiusque &c. nõ est bona, alioquin eiusdẽ rei possẽt esse plures diffinitiones, exprimentes eandem quiditatem, quod est inconueniens; immò falsum.

Respõdetur materiam primam dupliciter cõsiderari posse, vel physicè, vel metaphysicè; priori modo consideratur, vt est primum principium, & subiectum generationis, & sic rectè diffinitur in 1. Physicorum, per esse subiectum primum generationis, & corruptionis. Posteriori verò modo spectatur secundũ se, quatenus sibi cõueniunt, aut repugnant prędicata quiditatiua, & sic per negationem rectè diffinitur in 7 Metaphys. t. 8. siquidem, cum non ponatur directè in aliquo decem prædicamentorum, nullum illorũ de ipsa potest prædicari *in recto*, sed ens duntaxat dicitur de *illa* quiditatiuè, & in recto, vt probat Doct. subt. in 1. d. 3. q. 3. sub k. in fine.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram eodem modo, falsam si diuersimodè fuerit considerata, vt est in proposito de materia prima, quæ physicè spectata diffinitur in 1. Physicorum, & metaphysicè in 7. Metaphysicorum, vt declaratum est.

Vtrum materia prima habeat actum entitatiuum, vel solum sit pura potentia?

QVÆSTIO II.

HIc est sermo de materia prima, secũdum se considerata, quatenus nimirum est substantia incompleta, distincta realiter, & essentialiter à forma substantiali, & realiter à composito.

Circa quam quæstionem sic explicatam extant duæ famosæ sententiæ, quarũ prima est D Thomæ 1. p. q. 7. art. 2. vbi dicit: Materia prima non existit in rerum natura per seipsam, cum non sit ens in actu, sed potentia tantum: Et q. 4. de potentia art. 1. idem asserit, dũ dicit: Quicquid in rerũ natura inuenitur, actu existit, quod quidem non habet materia nisi per formam, quæ est actus eius. Ex his habetur constans Doct. Angelici sententia, quod materia nullum habeat actum entitatiuum, sed sit pura potentia. Magistrum sequuntur ferè omnes eius Discipuli, vt Caietanus de Ente, & Essentia c. 5. q 8. & in 1. p. q. 76 art. 1. Ferrariens. lib. 1. contra Gent. c. 4. lib. 2. cap. 68 & 1. Physic. q. 11. Soncinas 7. Met. q. 17. & 8. Met. q. 1. Iauellus 5. Met. q. 3. & 8. q. 1. Cursus Carmel. 1. Physic. q. 2. 3. & 5. & alij permulti, tùm ex Antiquis, tùm & ex Modernis, & presertim Ruuius in primũ Physicorum tract. 1. de Mater. q. 2. n. 12. vbi citat multos, & etiam alia loca D. Thomæ præter enumerata.

Secunda sententia est Doct. subt. in 2. dist. 12. q. 1. Ricardi ibid. art. 1. q. 4. Gabriel. Gregorij, & aliorum Nominal. Pererij lib. 5. c. 13. Toleti in 1. Physic. q. 11. & aliorũ, asserentium, materiã esse vtiq. puram potentiam subiectiuam, & etiam habere de se actum entitatiuum, & non emendicatum à forma. Scotũ sequuntur omnes eius Discipuli, vt Lychetus in 2. d. 12. q. 1. Tatar. ibid. & in 1. Phys. c. 8. q. 7. Rada 2. par. controu. 12. art. 2. Faber Theorem. 22. & ex alienis; Hurtado hìc disp. 2. sect. 2. §. 30. & Suarez in Met. disp. 13. sect. 4. n. 13. cui & nos subscribimus.

Pro cuius declaratione, ac fundamẽto, primo notandum est ex Doct. subt. in 2. d. 12. q. 1. quod aliquid esse in potentia, & in actu potest dupliciter intelligi, iuxta duplicẽ acceptionẽ potentiæ passiuę, s. in potẽtia obiectiua, & in actu entitatiuo, & in potentia subiectiua, & in actu formali sibi opposito. Illud est in potẽtia obiectiua, quod nõ est actu existẽs extra suas causas, & tamen potest esse; & sic res in esse possi-

possibili, vt habent esse obiectiuum in intellectu diuino, & rosa in hieme, dicuntur esse in potentia obiectiua, quia habent esse tantum possibile; & per oppositum; illud dicitur habere actum entitatiuum, quod actu existit extra suas causas, vt rosa in vere, & omnia creata; siquidem illa habet esse extra radicem, & hæc extra omnipotentiam Dei. Illud verò dicitur esse in potentia subiectiua, quod actu existit extra suas causas,& potest esse subiectum alicuius formæ, siue substantialis, siue accidentalis, & sic materia, secundum se considerata dicitur esse in potentia subiectiua, quia cum sit à Deo creata, actu existit extra productionem diuinam, & potest esse subiectum omnium formarum substantialiũ: similiter compositum substantiale, tàm incompletum, vt est corpus, quod est altera pars viuentis; quàm completum, vt paries, dicuntur esse in potentia subiectiua, quia actu existunt, & possunt recipere aliquam formam. Et per oppositum; illud est in actu formali, vel quod potest aliquid informare, vel quod actu informatur aliqua forma, siue substantiali, siue accidentali, & sic compositum substantiale, & eius forma dicuntur esse in actu formali, seu actus formalis. Ex his sequitur: quod materia prima, secundum se considerata, cum sit à Deo creata ex nihilo,& actu existat extra suas causas, non est in potentia obiectiua, sed in actu entitatiuo, eidem opposito, & cum sit in potentia ad recipiendas omnes formas, dicitur esse in potentia subiectiua, non tamen in actu formali; siquidem hoc obtinet per receptionem alicuius formæ.

Secundò notandum est, pro maiori explicatione vtriusque potentiæ, quod ad hoc, vt aliquid sit in potentia obiectiua, duæ conditiones requiruntur, prima quod actu non existat, & sic nullum creatum potest dici esse in potentia obiectiua, quia omne tale actu existit extra suas causas: Secunda, quod non solum, non habeat repugnantiam ad esse, sed etiam quod habeat esse possibile, idest, quod sit obiectum diuinæ potentiæ productiuæ ad extra, & ideò chimera non est in potentia obiectiua; tum quia non habet esse possibile in intellectu diuino; tum etiam quia includit repugnantiam ad esse. Similiter duæ aliæ conditiones requiruntur ad hoc vt aliquid sit in potentia subiectiua. Et prima, quod sit extra suas causas, & sic Antichristus non est in potentia subiectiua, quia nondum existit. Secunda, quòd possit aliquid recipere in se per modum formæ informãtis, & hac de causa Deus nequit esse in potentia subiectiua, quia licet existat actualiter, tamen non potest quicquam in se recipere per modum formæ informantis, vt omnibus notissimum est.

Tertiò notandum est. Potentiam obiectiuam dupliciter differre à potentia subiectiua. Primò, quia potentia obiectiua non est subiectum alicuius transmutationis, sed potius est terminus à quo, saltem mutationis impropriæ, vt probat Scotus in 4. d. 11. q. 1. potentia verò subiectiua est subiectum transmutationis realis. Secundò differunt, quia potentia obiectiua multiplicatur ad multiplicationem suorum actuum entitatiuorum, siquidem alia est potentia rosæ in hieme, alia hominis,& alia leonis, quia leo, homo, & rosa actu existentes, sunt alij, & alij; Verùm potentia subiectiua non necessario multiplicatur ad multiplicationem formarum, seu actuum, sed potest esse vna respectu omnium, vt aliàs videbimus, & probabimus.

Ex his sit prima conclusio. Materia prima ex se nullum actum formalem habet, sed est pura potentia subiectiua. Est Scoti in 2. d. 12. q. 1. sub C. Probatur prima pars, quia materia prima, & forma, nedum realiter, sed etiam essentialiter distinguuntur, vt probatum est in præcedenti conclusione tertia, sed forma, & actus formalis sunt penitùs idem; ergo materia prima nullum ex se habet actum formalem. Secunda pars probatur: Quicquid actu existit extra suas causa, & potest esse subiectum alicuius formæ, est in potentia subiectiua; sed materia est huiusmodi, vt probabitur in sequenti conclusione; ergo materia prima est in pura potentia subiectiua. Maior patet ex dictis not. 1. & 3.

Secun-

Secunda conclusio. Materia prima ex se non est pura potentia obiectiua, sed est actus entitatiuus incompletus, habens esse extra suas causas. Est Scoti loco proximè citato, & probatur ab eo sub lit. B. & C. multipliciter vtraque pars; & primò, quod non sit pura potentia obiectiua, quia materia est terminus ad quem creationis; ergo non est pura potentia obiectiua. Consequentia patet, quia potentia obiectiua est terminus à quo creationis, vt docet optimè Scotus in 2. d. 1. q. 2. Antecedens probatur per illud Genesis c. 1. In principio creauit Deus Celum, & terram, vbi per Cælum, intelligunt multi Sancti Patres, naturam Angelicam, & nomine terræ, materiam primam, ex qua omnia corporalia producta sunt. Deindè D. August. lib. 12. Confessionum c. 32. inquit, Duo fecisti Domine, vnum propè te, idest naturam Angelicam, & aliud propè nihil, quod vocat materiam primam; ergo materia prima est terminus, ad quem terminatur creatio. Secunda pars, quod sit actus entitatiuus, suadetur sic: Materia prima est primum principium naturalium, causa per se compositi, pars essentialis eiusdē, & subiectum mutationum substantialiū; ergo materia prima est actus entitatiuus. Antecedens quoad omnes sui partes est probatum superiùs disp. 2. & in præcedenti quæstione, & est Aristot. 1. Physic. t. 52. 2. Physic. t. 28. 7. Met. t. 24. & 34. & 5. Physic. t. 7. & 8. Consequentia probatur, quia quod est pura potentia, nec potest esse principium rerum naturalium, nec per se causa, aut pars essentialis compositi substantialis, nec subiectum mutationum realium, cùm habeat dumtaxat esse possibile, & in sua causa; cæterum res naturales, & composita, & mutationes substantiales, sunt entia realia, actu existentia extra suas causas; ergo earum principia, causæ, & subiectum debent esse realia, & actu existentia extra suas causas. Consequentia patet, quia aliter omnes res naturales essent entia simplicia, & non composita; siquidem materia prima, cum non haberet esse reale actuale, non posset esse pars essentialis illarum constitutiua. Secundò probatur, quia dato, quod materia prima non esset actu existens, sed pura potentia obiectiua, sequeretur nullam dari generationē substantialem, sed omnes productiones substantiales fore creationes; sed consequens est contra Aristotelem 5. Physicorum t. 7. & 8. ergo, & id ex quo sequitur. Sequela maioris probatur, quia si materia esset potentia obiectiua, & non actus entitatiuus, esset actu nihil; sed productio ex nihilo est creatio; ergo productio ex materia esset creatio, & sic omnis productio substantialis, esset creatio.

Tertia conclusio. Materia prima habet actualem existentiam extra suas causas, distinctam realiter ab existentia formæ, & compositi substantialis. Est Scoti in 2. d. 12. q. 1. E. & F. Probatur primò: Materia prima habet essentiam, seu entitatem distinctam realiter ab entitate formæ, & compositi, vt superiùs satis probatum est; ergo & existentiam distinctā realiter ab existentia formæ, & compositi. Consequentia probatur; tùm quia essentia, & existentia cuiuscumque rei sunt idem realiter, vt inferiùs demonstrabimus: Tum etiam quia materia prima nō posset esse principium generationis rerū naturalium, distinctum realiter à forma, nec pars essentialis compositi, nec receptaculum formarum, nec subiectum transmutationis substātialis, existens sub vtroque termino, si actu non existeret; siquidem omnia hæc fiunt à principio, causa, & subiecto existente extra suas causas.

Dices: tunc in his muneribus obeundis materiam vtique existere, at non propria, sed aliena existentia, nempè formæ, aut compositi.

Contrà: quia nullum posterius potest dare esse, aut existere priori; sed materia, vt est principium, & generationis subiectum, est prior secundum entitatem forma; siquidem educitur de eius potentia ab agente extrinseco, & ambæ vt causæ per se compositi, sunt ipso priores; ergo nequit ab eis recipere rationem principiandi, & causandi, quæ necessariò exigunt existentiam principij, & causæ. Cōfirmatur, quia in illo priori, quo materia præcedit formam, exercet rationem

priu-

principiandi sibi propriam, cum illam ab agente eductam de eius potentia, in se recipiat, ac foueat; ergo necessariò supponitur præexistere formæ, & ambæ cōposito, ac proindè fatendum est, materiam habere propriam existentiam, distinctam realiter ab existentia formæ, & compositi.

Obijcitur tamen multipliciter contra supradictas conclusiones ab Aduersarijs, & primo auctoritate Aristot. 1. Physic. t. 69. vbi comparat res naturales ad artificiales, & dicit materiam ita se habere ad res naturales, sicut naturales ad artificiales; atque verum est res naturales esse tantum in pura potentia ad res artificiales; ergo & materia ad res naturales est in pura potentia. Item lib. de Gener. cap. 3. dicit, essentiam materiæ consistere in ipso posse: Et Commentator de subst. Orbis, & 1. Physic. com. 12. inquit, materiam substantiari per posse. Item 8. Met. t. 3. Et 11. Met. cap. 2. Et 5. Physic. t. 8. inquit Philosophus, materiam esse nō ens actu; ergo de mēte Aristotelis, & Auerrois, Materia est pura potentia carens omni actu.

Respondetur ad has, & similes auctoritates Aristotelis, Illas habere veritatē de pura potentia subiectiua, quæ secum admittit actum entitatiuum; non tamen de potentia obiectiua, quæ ipsum excludit; & quod ita intelligat Philosophus, manifestè conuincitur ex comparatione materiæ primæ ad res artificiales; siquidem, quemadmodum potentia in his ad suas formas non est pura obiectiua, sed subiectiua, ita materia prima ad formas naturales non erit in pura obiectiua potentia, sed solum subiectiua. Ad illam autem de 8. & 11. Metaphys. ac 5. Physicorum dico, ibi locutum fuisse de actu formali, quia in comparatione ad illum, reuera appellari potest non ens actu, cum ex se non habeat actum formalem, sed solum entitatiuum.

Obijcitur secūdò ex Complutensibus, quia ens extra suas causas diuiditur in potentiam, & actū ex Aristotele 9 Met. t. 1., sed materia prima est ens, quod est potentia; ergo non est actus entitatiuus.

Respondetur: Huiusmodi diuisionem entis in potentiam, & actum, non esse, vt arbitrantur Aduersarij, in potentiam obiectiuam, & actum entitatiuum, quia reuera potentia obiectiua non dicit ens simpliciter, sed tantum secundum quid; sed esse diuisionē entis in potentiam subiectiuam, & actum formalem; cæterùm, cum materia nō sit de se actus formalis, superest vt sit potentia subiectiua.

Obijcies tertiò contra primam, & secundam conclusionem. Materia prima est essentialiter potentia; ergo nequit esse essentialiter actus. Consequentia patet, quia actus, & potentia diuidunt omne ens.

Respondetur: Consequens esse verū de actu formali, falsum de actu entitatiuo, quia sic materia est essentialiter potentia subiectiua, & etiam actus entitatiuus.

Obijcitur quartò, quia materia prima non est in aliqua determinata specie entis; ergo nequit esse entitas actualis. Antecedens patet, quia talis species aut esset substantia, aut accidens, sed neutrū est dicendum; ergo &c. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur, quia materia prima non est quid, nec quale, nec quantum; ergo nequit esse in aliqua specie determinata, quæ sit, vel substantia, vel accidens. Antecedens est Aristot. 7. Met. t. 8. Consequentia patet, quia per quid intelligitur substantia, per quale, & quantum duo genera, scilicet qualitatis, & quantitatis significantur.

Respondetur: Materiam primam esse substantiam incompletam, ac propterea non potest esse in aliqua determinata specie, cùm in tali reponantur tantum substantiæ, vel accidentia completa: Et cum probatur per auctoritatem Aristotelis 7. Met. dico, ibi diuidere ens in decem prædicamenta, quibus determinatur in recto, nec materiam primam sub aliquo illorum collocat in recto; siquidem est tantum quid, idest substantia in obliquo, cum sit pars essentialis compositi substantialis.

Obijcitur quintò contra tertiam conclusionem: Si materia prima haberet propriam existentiam distinctam realiter ab existentia formæ, sequeretur, in compo-

composito dari plures existentias partiales, quarum vna esset potentialis ad alteram; sed hoc non est admittendum; ergo nec existentia, quæ sit propria materiæ, admitti potest. Sequela maioris patet. Minor probatur, tum quia existentia est vltima actualitas rei; igitur nequit esse potentialis ad existentiam formæ, & compositi: tum etiam, quia existentia est terminus naturæ compositæ; ergo nequit esse composita ex pluribus existentijs, quarum vna sit actus, & altera potentia. Consequentia probatur, quia de ratione termini est esse indiuisibile, vt patet in linea, quæ quia terminat latitudinem superficiei, est indiuisibilis secundum latitudinem.

Respondetur negando minorem, ad primam probationem dico, veram esse de existentia vltimata, qualis est existentia compositi, non tamen de non vltimata, cuiusmodi est existentia partium; quia sicut entitas partium est ordinata ad vlteriorem entitatem, nempè totius, ita existentia partium ad existentiam totius. Ad secundam probationem nego consequentiam, ad cuius probationem dico, non esse simile de termino quantitatis, & substantiæ, cuiusmodi est existentia, quia cum ista sequatur entitatem substantiæ, debet sapere naturam eius, ita quod, si entitas est simplex, & existentia debet esse simplex, si verò composita, & illa erit composita; cæterùm terminus quantitatis non sapit naturam eiusdem, alioquin esset diuisibilis, sicut ipsa; sed solum componit partes diuisibiles adinuicem in continuo, & distinguit ipsum à quocumque non est tale, quod non posset præstare, si non esset indiuisibilis.

Obijcitur sextò. Si materia haberet propriam existentiam distinctam ab existentia formæ, non remaneret aliquid, per quod posset ab ipsa distingui; siquidem vtraque est ens substantiale, incompletum, & ordinatum ad constitutionem totius; vtraque pariter esset constituta in vltima actualitate, & nullo modo differrent, sed essent eiusdem speciei; quod est tamen falsum; ergo ad hoc, vt possint dici differentes specie, fatendum est materiam non habere propriam existentiam, sed illam à forma recipere.

Respondetur negando sequelam illatam in antecedente, & ad eius probationem respondet Scotus in 2. d. 12. q. 1. E. materiam, & formam esse primo diuersas in ratione principiandi, quia illa principiat per modum receptiui; hæc verò per modum dantis esse, seu informantis, & isti modi sunt ita diuersi, vt neuter alterum includere possit nec secundum totum, nec secundum partem; quare probatio cum sit insufficiens, neganda est consequentia illata.

Vtrum potentia subiectiua materiæ sit de eius essentia, vel propria passio, aut accidens commune eiusdem?

QVÆSTIO III.

Doctor Angelicus pluribus in locis suæ doctrinæ, sed præcipuè in primum Physicorum ad text. 79. & 1. p. quæst. 5. artic. 3. ad 3. & contra Gentes cap. 43 sustinet, potentiam esse rationem constitutiuam materiæ in esse, cùm per ipsam diffiniatur in 1. Physic. t. 82. D Thomam sequuntur, nedum eius discipuli, nempè Sotus in primum Physicorum quæst. 6. Sonc. 8. Metaph. quæst. 6. Ferrariens. 1. contra Gentes c. 27. sed etiam alij, vt Durand. in 2. d. 12. q. 2. Suarez in Metaph. disput. 13. sect. 8. Conimbric. hic q. 3. art. 1. & multi ex Recentioribus.

Doctor subtilis ex opposito in 2. d. 12. q. 1. & in 4. d. 11. q. 3. sub D, & d. 43. sub H. I K negat potentiam esse de essentia materiæ, sed aliquam esse passionem, consequentem entitatem eiusdem; aliam verò esse respectum, seu relationem materiæ ad formam, vt inferiùs declarabimus. Scotū sequuntur omnes eius discipuli, & ex alienis, refertur a Mastrio hic disp. 2. q 5. art. 5. Contarenus Iunior tom. 1. quæst. Peripatet. q. de Potentia Mate-

Materiæ; & à Merinero disp. 3. q. 3. recensentur Thæmistius in 1. Physic. t. 61. & Simplicius 2. de Anima com. 2.

Pro cuius intelligentia, ac fundamento opinionis Scoticæ primo notandum est ex eodem Doct. subtili in citatis locis, & præsertim in 4. d. 43. q. 3. & colligitur ex Thæmistio cit. Materiam dupliciter considerari posse, vel secundum suum esse absolutum, quod in se habet; quatenus est substantia incompleta, perfecta in genere suo; vel secundum esse relatiuum, quod importat, vt est principium generationis; subiectum formarum; & pars essentialis compositi: priori modo sibi conueniunt dumtaxat prædicata quiditatiua, nempè esse ens reale, substantiale, & incompletum; at posteriori modo sibi competunt aliquæ relationes transcendentales ad formas, quas recipere potest, & ad compositum, quod simul cum forma in esse physico totali cõstituit essentialiter.

Secundò notandum ex eodem: potentiam posse dupliciter accipi, vno modo pro habilitate operandi, & sic pertinet ad secundam speciem qualitatis, & non facit ad propositum: alio modo pro agẽdi, vel patiendi principio, & hæc est duplex .s. actiua, & passiua. Potentia actiua est, qua agens dicitur agere, vt est potentia ignis ad comburendum; intellectus ad producendam intellectionem, & de hoc non est sermo in proposito; siquidem materia non est principium actiuũ, sed passiuum. Potentia verò passiua est, qua passum denominatur pati, seu aliquid recipere, quod prius non habebat, vt potentia materia, per quam dicitur recipere formas; & hæc dupliciter accipitur, scilicet fundamentaliter, & formaliter: Potentia primo modo est principium potentiale, seu entitas materiæ absolutè sumpta, quæ semper manet: Secundo modo importat relationem materiæ ad formam; & talis est duplex, scilicet aptitudinalis, & actualis. Potentia aptitudinalis est, qua materia est apta nata recipere formas, & dicit relationem receptiui ad receptibile; & talis, cum promaneat ab entitate materiæ, est sibi realiter identificata. Potẽtia verò actualis est duplex, altera, quæ dicit relationẽ actualem informati ad informans, & hæc fundatur in materia, & terminatur ad formam actu perficientem materiam; altera verò, quæ importat relationem actualem informantis ad informatum, & ista fundatur in forma, & terminatur ad materiam actu perfectam, & actuatam. Hic non est sermo de potentia materiæ, prout dicit realem, actualemque relationem ad formam, quia hæc est separabilis ab ipsa per corruptionem, siue amissionem formæ, neque est vna tantum ad omnes formas, sed multiplicatur ad multiplicationem formarum, quas recipit; sed solum de potentia materiæ, quę importat relationem aptitudinalem receptiui ad formas receptibiles, quia hæc semper manet eadem in materia, vt docet Doctor in 4. d. 43. q. 3. paulò antè I. per hoc: quod si Deus reduceret eandem numero formam in materiam, faceret per se vnum cum ipsa, ex quo infert, pręfuisse in materia potentiam per se ad illam recipiendam, non aliam, quia forma esset eadem per suppositum; ergo eamdem & de potentia hoc modo sumpta: procedit quæstio, an sit de essentia materiæ, vel solum eiusdem propria passio sibi realiter identificata.

Tertiò notandum est: potentiã esse de essentia materiæ posse dupliciter intelligi, vno modo, vt ly de essentia sit idem, quod de ratione formali constitutiua materiæ, & sic potentia, vt dicit aptitudinem ad recipiendas formas, nequit dici de essentia materiæ, tum quia nulla relatio est de quiditate entis absoluti, cuiusmodi est materia; tum etiam, quia semper præsupponitur entitas rei secundum totum suum esse quiditatiuum, antequam ordinetur ad aliud: Alio modo, vt ly de essentia, sit idem, quod realiter, & inseparabiliter à materia, & sic potentia aptitudinalis in materia ad recipiendas formas, potest dici sibi essentialis, cùm inamissibiliter intelligatur esse coniuncta materiæ.

Ex his igitur fit prima conclusio. Potentia materiæ fundamentaliter sumpta, est de essentia materiæ. Est Scoti in 4. d. 43. sub H. §. Ad aliud dico &c. Probatur

tur, quia potentia materiæ fundamentaliter sumpta, est entitas eiusdem, prout est fundamentum illius ordinis, quem dicit ad formas; sed in entitate cuiuscũque rei consistit eius quiditas, & essentia; ergo potentia fundamentaliter sumpta est de essentia materiæ. Maior patet, quia materia absolutè considerata, est principium potentiale, perfectibile ab aliquo, ex D. August. lib. 12. Confess. vbi dicit: Materia ipsa accipit à Deo hoc imperfectum esse, quod habet, scilicet esse in potentia; & necesse est ipsũ hoc ponere, inquit Scotus in 4. d. 11. q. 3. sub D. quia materiam concedit à Deo creari; ergo potentia materiæ fundamentaliter sumpta, est entitas eiusdem absolutè accepta, quatenus intelligitur denudata quacumque forma. Minor est nota apud omnes.

Secunda conclusio. Potentia materię formaliter sumpta, vt importat relationem receptiui ad receptibile, non est de essentia, sed solùm eadem realiter materiæ. *Est Scoti in 2. d. 12. q. 1. E. & in 4. d. 11. q. 3. D. & d. 43. q. 3. sub I.* Probatur prima pars, quia nulla relatio est de essentia rei absolutæ; sed potentia formaliter sumpta, dicit formaliter relationem receptiui ad receptibile, & materia est res absoluta, cum sit de genere substantiæ, vt superiùs probauimus; ergo nequit esse de eius essentia. Maior patet, quia Prædicamenta secundum Aristotelem 1. Post. cap. 25. sunt realiter, & formaliter impermixta. Minor est nota ex 2. not. Confirmatur, quia nullum posterius potest esse de ratione constitutiua, & essentiali prioris; sed potentia materiæ hoc modo sumpta, est posterior entitate materiæ, cùm ab ipsa emanet; siquidem quælibet res intelligitur prius in esse, antequam ordinetur ad aliud, alioquin quod nondum est, primo ordinaretur ad aliud, quod est impossibile; ergo potentia materiæ formaliter sumpta, est posterior entitate materiæ, & consequenter non est de ratione eius cõstitutiua, & essentiali. Secunda pars probatur, quia circumscripto quocumque realiter distincto à materia, adhuc ipsa est apta nata recipere aliquam formam; ergo talis aptitudo, in qua consistit potentia formaliter sumpta, est realiter eadem cum materia; consequentia patet, quia ex opposito antecedentis infertur oppositum consequentis. Antecedens probatur, quia materia, per hoc, quod sit receptiuum formæ, distinguitur essentialiter, & realiter ab ipsa, cuius esse est dare esse perfectum materiæ; ergo, circumscripto quocunque realiter distincto à materia, adhuc ipsa esset nata recipere formam. Secundo probatur, quia inseparabilitas vnius ab alio, proueniens ab intrinseco, arguit identitatem realem inter illa; sed potentia formalis aptitudinalis in materia, est inseparabilis ab ipsa; ergo est eadem realiter sibi. Maior patet, quia sicut ex separabilitate duorum abinuicem inferri debet distinctio realis inter illa, sic ex opposito, inseparabilitas arguere debet identitatem realem. Minor probatur, quia si per potentiam diuinam, forma destructa rediret eadem numero in eadem materia, faceret cum illa vnum per se compositum, sicut erat prius; sed hoc non posset sequi, nisi in materia esset vna per se potentia manẽs, & aptitudinaliter ordinata ad omnes formas; ergo potentia materiæ aptitudinalis est inseparabilis ab ipsa. Maior patet, quia rediret idem numero compositum sicut prius. Minor est nota ex Philosopho 8. Met. 15. vbi dicit, quod ideò ex materia, & forma fit vnum per se, quia materia est per se potentia, sicut forma est per se actus.

Dices negando consequentiam, quia potentia ad formam, quæ rediret eadem numero, nõ esset aptitudinalis, sed actualis, quæ simul cum forma rediret in materia.

Contrà: quia potentia, quâ materia constitueret vnum per se cum forma denuò redita, debet præcedere ipsam formam, sed potentia actualis, deperdita per amissionem formæ, non præcederet illam, immò sequeretur, cum sit relatio actualis, quæ insurgit ad positionem fundamenti, & termini; ergo si materia haberet constituere vnum per se cum illa forma, deberet esse in alia potentia aptitudinali. Maior patet, quia pars s essen-

essentiales totius per se necessario debent præcedere ipsum totum per se; sed materia, quatenus est per se potentia, & forma, vt est per se actus, sunt partes essentiales totius per se; ergo materiæ potentia, quæ est ratio constitutiua vnius per se cum forma, debet præcedere ipsam formam.

Tertia cóclusio. Potentia verò actualis materiæ, vt dicit relationem realem informati ad informans, distinguitur realiter ab ipsa, & multiplicatur ad multiplicationem formarum. Est Scoti in 4. d. 43. q. 3 sub L. Probatur prima pars, quia relatio realis actualis, si sit prædicamentalis, distinguitur realiter à fundamento, & termino, vt satis probauimus in Prædicam. disp. de Relat. q. 1. sect. 1. sed potentia actualis materiæ dicit relationem realem actualem informati ad informans, vt patet ex not. 2. ergo distinguitur realiter à materia. Secundò probatur quia relatio, cuius fundamentum potest esse sine termino, distinguitur realiter à fundamento; sed relatio informati ad informans, est huiusmodi; ergo &c. maior patet, quia manétibus fundaméto, & termino vnitis, semper manet relatio; altero amoto, destruitur relatio; ergo distinguitur realiter ab eo. Minor probatur, quia materia potest esse naturaliter sine tali forma, à qua informatur, & supernaturaliter sine omni forma, vt probabimus inferiùs; ergo fundamentum potest esse sine termino, & consequenter sine relatione informati ad informans. Secunda pars probatur, quia multiplicatis terminis, multiplicantur etiam relationes in eodem fundamento, vt fusè demonstrauimus in Logica lib. de Prædicam. disp. 7. q. 1. sect. 3. sed in eadem materia possunt esse, successiuè saltem, plures formæ; ergo & in ipsa erunt plures potentiæ actuales ad illas terminatæ.

Obijcies primò contra primam conclusionem: Materia prima est essentialiter actus entitatiuus, secundum Doctorem subt. in 2. d. 12. q. 1 sub C. & D. ergo non potest esse essentialiter potentia, quouismodo sumpta, etiam fundamentaliter. Consequentia probatur, quia actus, & potentia diuidunt quamcunque entitatem ex Aristotele 9. Met. sum. 1. c. 1. & summa 2. cap. 1. ergo si entitas materiæ est essentialiter actus, nequit esse essentialiter potentia.

Respondet Doct. loco citato, & in 4. d. 11. q. 3. D. negando consequentiam; siquidem actus entitatiuus, & potentia subiectiua materiæ non opponuntur, sed sunt omninò idem, quia ambo important entitatem materiæ incompletam, existentem extra suas causas. Ad probationem desumptã ex 9. Met. dico, veram esse auctoritatem de actu formali, & potentia subiectiua; vel de potentia obiectiua, & actu entitatiuo, qui vt sic opponuntur circa quamcunque entitatem in se respectiuè consideratam, non tamen de actu entitatiuo, & potentia subiectiua, quia sic non opponuntur, vt alias adnotauimus.

Obijcies secundò contra secundam conclusionem: Materia prima diffinitur per potentiam ex Aristotele 2. de Anima t. 2. & 8. Met. t. 15. & 9. eiusdem operis t. 26. in quibus locis notificat materiam per potentiam excludentem actum; sed pars diffinitionis est de essentia diffiniti; ergo potentia est de essentia materiæ.

Respondetur duplicem esse diffinitionem rei, alteram quiditatiuam, quæ datur per prædicata quiditatiua in primo modo dicendi per se; alteram verò descriptiuam, quæ notificatur per prædicata in secundo modo dicendi per se: Materia, si diffiniatur quiditatiuè, eius diffinitionem habet ingredi potentia fundamentalis; si autem descriptiuè exprimatur eius diffinitio dabitur per potentiam formalem aptitudinalem: siue igitur loquatur Aristoteles de potentia fundamentali, siue de formali materiæ, benè sequitur materiam diffiniri per potentiam, aut quiditatiuè, aut descriptiuè; non indè tamen inferendum est, materiam esse puram potentiam formaliter sumptam essentialiter, sed tantum esse puram potentiam fundamentaliter, quæ tamen est idem quiditatiuè, quod eius actus entitatiuus.

Obijcies tertiò contra eandem; ita se habet materia ad potentiam, sicut forma ad actũ, sed forma est essentialiter actus; ergo

ergo & materia debet esse essentialiter potentia. Maior patet ex correlatione actus, & potentiæ. Minor similiter, quia anima nostra, quæ est forma substantialis, diffinitur per actum in 2. de Anima t.6. sed partes diffinitionis sunt de essētia rei diffinitæ; ergo actus est de essentia formæ, & consequenter potentia de essentia materiæ.

Respondetur eodem modo nos posse philosophari de actu, sicut dictum est de potentia: vndè si accipiatur actus fundamentaliter, idem est ac entitas formę, & sic est de eiusdem essentia; si verò sumatur formaliter, hoc potest esse dupliciter, vel vt dicit actualem informationem, seu actuationem in materia, & sic dicit relationem realem informantis ad informatum, quæ distinguitur realiter à forma, sicut potentia eius correlatiua distinguitur realiter à materia; vel vt dicit aptitudinem in forma ad informandum materiam, & sic est passio formæ, realiter sibi identificata, sicut dictum est de potentia aptitudinali. Tunc ad formam argumenti, dico, minorem esse veram, sumendo actum fundamentaliter; falsam si accipiatur formaliter; ad probationem de 2. de Anima, dico animam, quæ est forma corporis organici in potentia vitam habentis, diffiniri per actum fundamentaliter quidditatiuè; per formalem verò descriptiuè tantum.

Obijcies quartò. Illa sunt idem essentialiter, quorum alterum sine altero cognosci non potest; sed materia nequit cognosci sine ordine ad formam; ergo talis ordo est de essentia materiæ; atqui talis ordo ad formam est potentia materiæ; ergo materiæ potentia est eadem sibi essentialiter. Minor est Aristotelis in 1. Physicorum t.c.69. Assumptum verò est Scoti in 4. d. 43. quæst. 3. sub lit. H.

Respondetur, maiore cōcessa, negando minorem, ad probationem dico, veram esse de materia relatiuè sumpta, quia vt sic dicit ordinem ad formam; non tamen de ipsa absolutè considerata, quia sic potest cognosci simpliciter sine ordine ad formam, quatenus nimirum est ens substantiale incompletum, vt videbimus infrà in propria quæstione.

Vel dicendum, maiorem esse veram in absolutis; falsam verò in relatiuis, quia vnum relatiuum exigit essentialiter alterum correlatiuum ad sui notionem, & tamen non sunt idem realiter; modò, cum materia dicat ordinem ad formas, & sit relatiua, quamuis cognosci nequeat sine tali ordine, non inde sequitur, fore de eius essentia, sed sufficit, vt sit idem sibi realiter.

Obijcies quintò contra tertiam conclusionem: Relatio, cuius fundamentum nequit esse sine termino, est eadem realiter fundamento, ex Doctore subtili pluribus in locis suæ doctrinæ, sed præcipuè in 2. d. 1. q. 4. & 5. sed relatio, quam dicit potentia actualis materiæ, est huiusmodi; ergo est eadem realiter materiæ. Minor probatur, quia materia nequit expoliari omni forma; ergo fundamentum illius relationis nequit esse sine termino. Antecedens probatur, quia materia nuda non esset in genere substantiæ; sed hoc est contra ea, quæ diximus in superioribus quæst. huius disput. ergo dicendum est, non posse spoliari quacumque forma. Maior probatur, quia nihil potest poni sub determinato genere, quin sit etiam sub aliqua specie illius generis; sed materia sine forma sub nulla specie esset substantiæ; ergo &c. Maior patet, quia tota natura generis existit in speciebus; ergo, quicquid est in genere, debet esse in aliqua eius specie. Minor probatur, quia quælibet species habet esse à forma, vt patet discurrendo per omnes species animalis; sed per suppositum materia esset denudata omni forma; ergo etiam omni specie substantiæ; & sic non esset substātia, quod est falsum.

Respondetur negando minorem; ad probationem negatur antecedens; ad cuius probationem negāda est maior, & cum probatur quia non esset sub aliqua specie, quia species habet esse à forma, dico,

dico, verum esse de specie completa, quæ constat ex genere, & differentia metaphysicè; vel ex materia, & forma physicè loquendo, non tamen de specie incompleta, quia sic, tàm materia, quàm forma constituunt propriam speciem in genere entis substantialis incompleti, vt aliàs dicturi sumus in quæstione de separabilitate materiæ ab omni forma, saltem supernaturaliter possibili.

Vtrum materia prima possit esse denudata, & existere sine omni forma substantiali, saltem de potentia Dei?

QVÆSTIO IV.

SI considerentur materia, & forma substātialis, vt subsunt viribus Agentium naturalium; omnes Doctores respondent negatiuè ad quæstionem propositam; siquidem experientia constat; nec materiam sine forma, neque formam absque materia consistere posse, ob essentialem dependentiam, quam dicit forma materialis ab ipsa materia quoad suum educi de eius potentia; & ob innatum appetitum materiæ ad omnes formas, vt inferiùs dicemus: Cæterùm loquendo de potentia Dei absoluta, secundum quam præter leges, ab exordio vniuersi à se conditas, operari perhibetur, vt aduertit Scotus in 1. d. 44. q. vnica sub A., extat lis, & controuersia inter Thomistas, & Scotistas; nàm D. Thom. 3. contra Gentes c. 4. & 1. p. q. 66. art. 1. & quol. 3. art. 1. cum omnibus Auctoribus, quos suprà retulimus contra actum entitatiuum materiæ, negatiuè respondet, etiam spectata vi absoluta, ac supernaturali ipsius Dei, quandoquidem materia, cum nullam habeat de se existentiam, & subsistentiam, sed eius esse, & subsistere sit à forma, implicat contradictionem, vt possit ab ipsa separari, & separata consistere.

Oppositam tamen sententiam docet Scotus in 2. d. 12. quæst. 2. §. Respondeo ad quæstionem, vbi efficaciter demonstrat, materiam supernaturaliter posse denudari omni forma, tàm substantiali, quàm accidentali absoluta, & sic separatam conseruari. Doct. subtilem sequuntur omnes eius Discipuli, & ex alienis Ricardus in 2. d. 12. quæst. 4. Gabriel quæst. 1. art. 3. Gregor. quæst. 2. Molina in 1. par. D. Thom. quæst. 3. art. 4. disput. 2. Vasquez ibidem disput. 74. num. 9. & disput. 174. num. 19. Sotus in 1. Physic. quæst. 6. art. 2. conc. 2. & Bañez in 1. par. quæst. 66. art. 1. dub. 2. conc. 3., qui à Sancto Magistro in hoc dissentiens, asserit, materiam posse conseruari sine omni forma, cui & nos libentèr subscribimus, vndè

Pro eius declaratione, ac fundamento primo notandum est, materiam posse esse sine omni forma, dupliciter spectari posse, vno modo diuisim, & successiuè; alio modo coniunctim, & collectiuè; primo modo nulla est controuersia; siquidem experimur materiam substratam formæ ligni, illam exuere, & recipere formam ignis; deindè hanc etiam deperdere, & sibi acquirere formam cineris, & sic discurrendo per omnia composita ex materia, & forma, tàm simplicia, quàm mixta: at secundo modo Thomistæ negant; affirmant Scotistæ.

Secundò notandum est ex Doct. subt. in 2. d. 12. quæst. 2. formas esse in duplici differentia; aliæ enim sunt substantiales, quæ dant esse substantiale, vt anima cuiuslibet viuentis, & forma corporeitatis; aliæ verò sunt accidentales, quæ nimirum dant esse accidentale composito; & hæ sunt adhuc in duplici differentia, quia aliæ sunt absolutæ, vt quantitates, & qualitates; aliæ autem relatiuæ, cuiusmodi sunt omnes relationes prædicamentales, & transcendentales; quæ omnes iterùm diuiduntur in formas relatiuas identificatas realiter suis fundamentis, vt sunt relationes dependentiæ omnium rerum creatarum ad Deum creantem, & conseruantem; & in realiter distinctas ab eisdem.

eisdem, vt sunt omnes relationes reales prædicamentales, tum intrinsecùs, tum extrinsecùs aduenientes. Hic est sermo de formis, tàm substantialibus, quàm accidentalibus; tum absolutis, tum relatiuis, distinctis tamen realiter, quia supernaturaliter loquendo, materia potest intelligi sine quacunque, & consequenter denudata sic conseruari; tum quia dicit entitatem realiter, & essentialiter ab illis seiunctam; tum etiam quia nulla talis ab ea essentialiter dependet, cùm distinguantur realiter, & essentialiter ab eadem, vt superiùs ostensum est, & mox probabimus.

Tertiò notandum est ex eodem ibidem, quod aliter respondendum est ad propositam quæstionem sequendo principia Philosophi, & aliter secundum principia fidei; quandoquidem Aristoteles, cùm posuerit necessariam connexionem inter primam, & secundas causas, intantum quod, sicut nulla causa secunda potest suos effectus moliri independenter à prima, ita hæc non potest quicquam producere sine causis secundis; consequenter dicere debet, quod quemadmodum materia, virtute alicuius causæ secundæ, non potest intelligi separata ab omni forma substantiali; cùm agens naturale corrumpendo vnam formam, intendat generationem alterius in eadem materia, & sic successiuè de forma in formam fiat transitus materiæ in quacunque generatione substantiali; ita nec virtute causæ primæ poterit intelligi denudata omni forma, saltem substantiali; cæterùm quia, spectatis principijs fidei nostræ, prima causa, cuiusmodi est Deus, est agens independens à causis secundis, vt possit sine illis quicquid cum illis operari dignatur, dicendum est, quod sicut potest creare materiam sine forma quacunque substantiali, vt superiùs ostensum est, ita poterit illam omni forma denudare, & sic denudatam conseruare; non enim videtur implicantia, neque ex parte Dei, cum sit infinitæ virtutis, & independens in operando, sicut in essendo; neque ex parte materiæ, aut formæ, quia habent propriam essentiam, & existentiam à seinuicem realiter, & essentialiter distinctam, vt demonstrauimus suprà q. 1. & 2. huius disp.

Ex his igitur fit prima conclusio. Materia prima, spectata potentia agentium naturalium, nequit expoliari omni forma collectiuè sumpta. Est communis omnium Doctorum, qui sequuntur principia Aristotelis. Probatur, quia agens naturale non agit, nisi per motum, & mutationem; sed in quolibet motu, & mutatione semper reperitur aliquod subiectum materiale, quod transit de vna forma in aliam, vel de opposito in oppositum, vt probat Aristoteles inductiuè in hoc 1. Physicorum à text. 60. vsque ad 63. & 8. Metaphysic. cap. 2. & 12. Metaphysic. cap. 2. ergo principium materiale semper est sub aliqua forma, ita quod nequeat esse naturaliter sine aliqua forma. Maior patet, quia aliter dato opposito posset agere ex nihilo, & sic creare, quod nemo sanæ mentis concederet.

Secunda conclusio. Materia prima, de potentia Dei absoluta, potest separari ab omni forma absoluta, siue substantiali, siue accidentali. Est Scoti in 2. d. 12. quæst. 2. A. Probatur, quia quod non implicat contradictionem potest fieri à Deo, sed materiam primam posse fieri sine omni forma substantiali, & accidentali absoluta, non implicat contradictionem; ergo &c. Maior conceditur communiter ab omnibus Theologis. Minor probatur à Scoto ibidem, quia omne absolutum prius, realiter distinctum à suo posteriori, potest fieri, & esse sine illo; materia prima est ens absolutum, prius, & realiter distinctum ab omni forma absoluta; ergo non implicat posse fieri, & esse sine omni forma. Maior probatur, quia prius realiter distinctum, & absolutum, aut habet esse ante posterius, aut non habet esse; si dicatur quod non habet esse ante posterius; igitur non est prius, quia prius dicit ordinem ad posterius: si verò habeat esse; ergo non inconuenit, quod in tali esse semper maneat absque posteri-

ri. Minor fuit probata superiùs quæstione 1 & 2. siquidem materia prima est substantia incompleta, distincta realiter, & essentialiter, ac prior forma, cum sit receptiua, & sustentatiua eiusdem.

Dices: Maiorem, & eius probationẽ habere veritatem, vbi non adsit necessaria connexio, & coexigentia inter absolutum prius, & posterius, vt patet de toto essentiali, & eius partibus vnitis, quæ, quamuis se habeant vt prius, & posterius, tamen non possunt separari, ob necessariam connexionem, quam habent adinuicem; modò materia habet necessariam connexionem cum forma in communi, ideò, licet sit prior forma, & sit ens absolutum, distinctum realiter ab entitate formæ, non poterit ab ea seiungi, nec per potentiam diuinam.

Contrà: quia hæc necessaria connexio inter materiam, & formam, est commentitia; ergo non subsistit responsio. Antecedens probatur, quod necessario determinat sibi aliquod genus, necessariò debet determinare sibi etiam aliquam speciem, & indiuiduum illius generis; siquidem genus nequit esse extra species, nec species extra aliquod indiuiduum; sed materia prima non determinat sibi necessario aliquam formam, nec in indiuiduo, neque in specie, cum sit indifferens ad omnes, vt probabimus infrà; ergo non necessario sibi determinat genus formæ in communi, & ita cum sit prior, & ab ea realiter distincta, poterit, saltem virtute diuina, fieri, & conseruari sine quacunque forma.

Secundò probatur conclusio. Quicquid creatur à Deo, poterit esse sine illo, quod causatur à natura; sed materia prima creatur immediatè à Deo, cum sit primum omnium entium corporalium; & forma causatur à natura per generationem, vt inferiùs probabimus; ergo materia poterit esse sine forma. Maior patet, quia sicut se habet causa ad causam, ita effectus ad effectum, sed Deus, qui est causa prima, potest esse sine natura, quæ est causa secunda; ergo effectus immediatè prouenieus à Deo per creationem, poterit esse sine effectu procedente à natura per generationem.

Tertia conclusio. Materia prima potest fieri, & conseruari absque omni forma relatiua prædicamentali, non tamen transcendentali. Est Scoti in 2. d. 12. quæst. 2. sub D. & d. 1. quæst. 4. & 5. ac alibi sæpè, vbi ostendit relationes prædicamentales esse separabiles à subiectis, non autem transcendentales. Probatur prima pars: Quæcumque realiter distinguuntur, & nullam dicunt essentialem connexionem inter se, vnum potest fieri, & conseruari absque alio, saltem de potentia absoluta Dei; sed materia prima, & quælibet relatio prædicamentalis in ipsa fundata sunt huiusmodi; ergo materia potest fieri, & conseruari sine illis. Maior patet, quia tota ratio, quare duo distincta realiter non possint abinuicem separari, est necessaria, & essentialis connexio, vel dependentia vnius ab alio, vt patet de toto essentiali, & sui partibus vnitis in nostra sententia. Minor probatur, quia materia prima dicit relationem realem informati, ad formam informantem, realiter distinctam, cum per deperditionem vnius formæ, & acquisitionem alterius formæ, mutetur prima relatio informationis, & alia acquiratur; quod non esset, si non forent realiter distinctæ à materia, & forma: Quod etiam nulla sit essentialis connexio inter materiam, & huiusmodi relationes, patet etiam, quia nulla est essentialis connexio inter materiam, & formas substantiales, vt probatum est, quia ad omnes contingenter se habet; ergo nec inter materiam, & relationes prædicamentales; siquidem amoto altero extremorum, & relationem amoueri necesse est. Secunda pars probatur. Quæ sunt eadem realiter, impossibile est abinuicem separari; sed relationes transcendentales fundatæ in materia, sunt eædem realiter illi; ergo nequeunt ab illa separari. Maior patet, quia sicut distinctio realis, est ratio separabilitatis, nisi aliundè impedia-

tur,

tur, ita ex opposito, identitas realis est ratio inseparabilitatis. Minor probatur, quia relatio receptiui ad receptibile; appetitus ad formas sunt præcipuè relationes transcendetales aptitudinales materiæ ad formam; relatio verò, quam importat materia ad Deum creantem, & conseruantem, sunt relationes actuales transcendentales; sed omnes istæ sunt identificatæ realiter ipsi materiæ; ergo sunt inseparabiles ab ipsa. Maior patet, quia quæ conueniunt materiæ ratione entis, sunt transcendentia; sed tales relationes, tàm aptitudinales, quàm actuales conueniunt sibi ratione entis; ergo sunt transcendentales. Maior patet, quia ens est transcendens; ergo quæcunque conueniunt materiæ ratione entis, sunt ipsi transcendentia. Minor probatur, quia relationes aptitudinales reperiuntur in omni genere, cum sint propriæ passiones identificatæ realiter suis subiectis: relationes verò, quas dicit materia ad Deum creantem, & conseruantem, sunt identificatæ realiter; siquidem relatio, cuius fundamentum nequit esse sine termino, est eadem realiter fundamento, vt probauimus in Logica disp. 7. q. 1. sect. 1. atqui materia nequit esse sine Deo creante, & conseruante; ergo sunt eædem realiter ipsi materiæ, atque adeò inseparabiles ab ipsa.

In oppositum tamen obijciuntur multa, & primo contra primam conclusionem: Quæ sunt primo diuersa essentialiter, non inconuenit, etiam naturaliter separari posse; sed materia, & forma, sunt primo diuersæ essentialiter ex Scoto in 2. d. 12. q. 1. sub E. ergo non inconuenit abinuicem separari, etiam naturaliter. Maior patet, quia, cùm primo diuersa in nullo conceptu conueniant ex *Aristotele* 5. Metaph. cap. 9. non habent vndè possint identificari, & consequenter reddi inseparabilia. Confirmatur, quia materia in exordio creationis fuit informis producta; dicitur enim *Gen* cap. 1. Terra autem erat inanis, & vacua, vbi D. August. cap. 4. ad litteram, per terram, materiam primam, & per inanitatem, informitatem eius intelligit; ergo non solum potentia, sed etiã actu materia prima fuit denudata omni forma, saltem substantiali.

Respondetur negando maiorẽ, quia, etiam substantia, & quantitas sunt primo diuersæ essentialiter, & tamen substãtia nulla reperiri potest absque quantitate; siquidem agens naturaliter semper præsupponit subiectum quantum: ita à simili dicendum est de materia, & forma; quamuis sint entitates primo diuersæ inter se, vt docet Scotus, tamen in ordine ad agens naturale nequit inueniri materia sine aliqua forma; neque forma sine materia, quia agens naturale, corrumpendo vnam formam, semper intendit generationem alterius in eadem materia, & vna forma conseruari nequit naturaliter extra materiam, cum sit eius subiectum, & fundamentum.

Ad confirmationem negatur consequentiam, quia, quamuis Diuus Augustinus per terram intellexerit materiam primam, & per vacuitatem, & inanitatem eius informitatem; hoc tamen non debet intelligi, quod in aliqua duratione temporis præfuerit materia prima informis, sed tantum in prioritate originis; siquidem omnes formæ, cum extractæ fuerint de potentia materiæ, præsupponenda fuit creatio materiæ, tamquam fons, & origo omnium formarum materialium, seu corporalium.

Objicitur secundò contra secundam conclusionem: Quanto aliqua sunt magis vnum, tantò minus sunt separabilia; sed materia est magis vnum cum forma, quàm propria passio cum suo subiecto, & passio, in sententia Scoti, est inseparabilis à subiecto etiam de potentia Dei absoluta; ergo multò magis erit sic inseparabilis materia à forma. Maior patet. Minor probatur, quia materia cum forma facit vnum per se essentialiter, & in primo modo dicendi per se; passio verò cum subiectis tantum vnum per se secundo modo.

Respondetur maiorem esse veram de vnitate identitatis, falsam de vnitate vnionis aliquorum in aliquo tertio; mo-

Physic. H 3 do

do quamuis materia cum forma faciat magis vnum vnitate vnionis per se, quam passio cum subiecto; tamen passio cum suo subiecto facit magis vnum per identitatem, quàm materia cum forma, quia hæ distinguuntur realiter inter se, non sic subiectum, & passio, quę sunt idem realiter; & hac de causa hæc sunt inseparabilia simpliciter, non autem illæ.

Obijcitur tertiò: omni eo, quod potest per se esse, Deus potest facere aliquid imperfectius, sed Deus nihil fecit imperfectius materia prima; ergo ipsa nequit per se esse. Maior patet, quia ideò relatio est imperfectior quolibet ente reali, quia non potest per se existere, sed eget duplici fulcimine, scilicet fundamento, & termino. Minor est D. August. lib. 12. Confess. cap. 32. dicentis: Duo fecisti Domine, vnum propè te, idest Angelū, & aliud propè nihil, idest materiam primam, sed quod est inferiùs eo quod est propè nihil, est ipsum nihil; ergo materia prima est ens inferius, & imperfectius omni eo, quod potest per se esse, ac proindè ipsa non poterit esse per se sine forma.

Respondetur minorem esse veram in genere substantiæ; siquidem supremum in perfectione illius generis, est Angelus, infimum verò materia prima, non tamen simpliciter, quia potest facere Deus accidens, quod esset imperfectius materia prima; ac proindè cum ipsa contineatur infra seriem præsenti substantiæ, quæ dicitur ens per se, & ipsa poterit per se esse, saltem supernaturaliter, & de potentia Dei absoluta.

Obijcitur quartò: si materia posset esse sine omni forma absoluta, sequeretur, quod priuationes oppositæ possent esse simul in eodem, sed hoc implicat; ergo & materiam posse esse sine omni forma. Maior probatur, quia haberet priuationes albedinis, & nigredinis, caliditatis, & frigiditatis simul, quæ opponuntur cōtrariè, sicut earum formæ. Minor probatur, quia implicat opposita formaliter esse simul in eodem; siquidem se expellunt formaliter ab eodem susceptibili, vt patet ex diffinitione oppositorum contrariè, sed huiusmodi priuationes sunt oppositæ contrariæ, sicut earum formæ; ergo &c.

Respondetur negando minorem, ad probationem dico, opposita esse in duplici differentia, quædam enim sunt immediata, & talia de necessitate se consequuntur, vt sanum, & ægrum, in animali, quia ad positionem sanitatis aufertur ægritudo, & è conuersò; quædam verò sunt opposita mediata, quia non necessario se consequuntur in eodem vt calidum, & frigidum; siquidem subiectum potest esse sine illis; ad propositum dico, quod priuationes oppositorum immediatorum sunt incompossibiles, sicut earum formæ, non item priuationes oppositorum mediatorum, cum hæc non necessario se consequantur circa idem subiectum; siquidem caliditas, & frigiditas possunt esse in eodem, saltem in gradibus remissis: At circa materiam primam nullæ priuationes sunt oppositæ, sicut nullæ formæ sunt immediatæ, saltem respectu agentis supernaturalis, quod potest attingere ad nudam essentiam materiæ.

Formaliter igitur ad argumentum dico, minorem, & eius probationem habere veritatem respectu agentis naturaliter, quod non agit, nisi in subiecto quāto, non tamen respectu Dei, cum possit attingere vsque ad nudam essentiam materiæ primæ.

Obijcitur quintò contra tertiam conclusionem: materia prima nequit creari absque dependentia ad Deum creantem, neque conseruari absque existentia, sed dependentia, & existentia sunt formæ; ergo nequit fieri sine omni forma accidentali.

Respondet Doctor in 2. d. 12. q. 2. sub D. concedendo totum argumentum, & negando consequentiam; siquidem dependentia ad Deum, ratione creationis, & conseruationis, & existentia, sunt formæ identificatæ realiter cum materia, & ob id nequeunt ab ea seiungi; modo nos loquimur de formis accidentalibus ab ea realiter distinctis.

Obijcitur sextò: si materia posset denudari omni forma, etiam accidentali, quero.

quæro, si esset in loco, vel non: si detur primum sequitur, non fore ipsam sine omni forma, quia respectus vbi, quem diceret ad locum, esset aliqua forma: si verò dicatur secundum habetur intentum, quod non existeret separata ab omni forma, quia talis nulla esset.

Respondet Doctor subtilis loco citato, tunc fore in loco diffinitiuè, si fieret in vniuerso; & ad probationem dico, huiusmodi respectum, esse formam transcendentalem, qua exui nequit materia, sicut nulla alia res creata: si verò fieret extra vniuersum, nullibi esset localiter, neq. diffinitiuè, sed existeret, quasi quædam natura absoluta, separata ab omni forma possibili, negatiuè, non autem positiuè.

Vtrum materia, separata à quantitate, esset diuisibilis, & extensa? an verò indiuisibilis.

QVÆSTIO V.

Diuus Thomas 1. p. summæ q. 50. art. 2. in corpore articuli, docuit, materiam citra quantitatem, fore indiuisibilem; siquidem omnis diuisio, prouenit à quantitate.

Doctor subt. ex opposito in 2. d. 12. q. 2. sub D. defendit materiam primam, seclusa quantitate, fore diuisibilem entitatiuè, non quantitatiuè. Hoc idem docet in 4. d. 12. q. 2. sub B. & d. 44. q. 1. per totam de forma corporeitatis, & de qualibet substantia materiali, si contingat separari à quantitate.

Pro clara notitia Scoticæ sententiæ, & confutatione oppositæ, primò notandum est, materiam, aliam dici primam, & aliam appellari secundam. Materia prima est primum subiectum, in quo fiũt generationes, & corruptiones substantiales, vt dicit Aristoteles in 1. Physic. t. 82. Materia verò secunda est compositum substantiale, resultans ex vnione materiæ primæ cum forma substantiali, in quo fiunt transmutationes accidentales, scilicet alterationes, augmentationes, diminutiones, & cæteræ huiusmodi. Vtraque autem potest considerari dupliciter & cum forma, & absque illa. Si primo modo attendatur est diuisibilis, nedum entitatiuè, sed etiam quantitatiuè, cùm eius partes, non tantùm sint distinctæ, sed etiam distantes à seinuicem localiter; si verò secundo modo spectetur, est tantum diuisibilis entitatiuè, quia, cùm fuerit exuta quantitate, non habet partes distantes localiter, sed tantum distinctas inter se, itaut pedes non sint manus, nec manus caput, & sic de alijs; similiter vna pars materiæ non est alia: Ratio autem vtriusque, conuincitur ex eo quod materia prima est receptiua formæ corporalis, quæ secundum se est diuisibilis; materia verò secunda est receptiua quantitatis, quæ pariter est forma diuisibilis, & extensa, modò nullum diuisibile potest recipi in subiecto indiuisibili; igitur infertur necessario, quod si recipiantur in materia, tàm prima, quàm secunda, vtramque fore diuisibilem, non quantitatiuè, cùm supponantur separatæ à quantitate; igitur entitatiuè.

Secundò notandum. Diuisibilitatem, seu extensionem esse duplicem, scilicet entitatiuam, & quantitatiuam. Prior importat distinctionem partium in toto, siue homogeneo, siue etherogeneo, itaut vna non sit alia: Posterior verò, vltra hanc distinctionem, præsefert etiam distantiam localem, seu in ordine ad partes loci earundem partium, & hæc non habetur in materia, siue prima, siue secunda absque quantitate, cùm sit eius effectus formalis: vndè si Deus de potentia sua absoluta faceret materiam primam absque omni forma, vel substãtiam materialem sine quantitate, non haberent diuisibilitatem, vel extensionem partium quantitatiuam, quia partes non dicerent ordinem ad partes loci ipsas circumscribentis, sed solùm entitatiuam, cùm partes essent abinuicem distinctæ vt vna non esset alia; & non distantes localiter.

Ex his fit vnica conclusio. Materia prima, & quælibet substantia materialis, si forent ab omni forma denudatæ, & præsertim quantitate, non essent diuisibiles, & extensæ quantitatiuè, sed tantum

entitatiuè: Est Scoti in præcitatis locis, contra D. Thomam, & eius Discipulos. Probatur prima pars, quia effectus formalis nequit esse absque causa formali, cùm simul sint, & non sint, ex Aristotele 2. physicorum t. c. 37 sed diuisio, & extensio quantitatiua est effectus formalis quantitatis, ex eodem Philosopho 1. physic. t. c. 28. ergo si ab eis secludatur quantitas, non erunt diuisibiles quantitatiuè. Secunda pars probatur, quia omne accidens diuisibile debet recipi in subiecto diuisibili, ex Auer. 3. de Cælo, & Mundo; sed quantitas est accidens diuisibile, & recipitur in materia, siue prima, siue secunda, tanquam in subiecto; ergo vtraque debet esse diuisibilis; non quantitatiuè, cum careat quantitate, igitur entitatiuè. Secundò probatur, quia omne accidens præsupponit substantiam, cum hæc sit prior omni accidente, tempore, natura, & diffinitione ex Aristotele 7. Metaph. t. 4. sed quantitas, quæ est in capite, thorace, cruribus, manibus, & pedibus est accidens; ergo præsupponit has partes substantiales inter se distinctas; sed quod habet partes, & partes ab inuicem distinctas, est diuisibile entitatiuè; ergo substantia materialis est diuisibilis entitatiuè.

Obijcitur tamen contra hanc secundam partem, quia omne diuisibile habet partes extra partes; sed materia, seu substantia materialis, seclusa quantitate, non habet partes extra partes; ergo non est diuisibilis. Maior patet. Minor probatur, quia intra, & extra sunt passiones quantitatis, quæ debent esse eidem realiter; ergo seclusa quantitate à substantia materiali, illa non habebit partes extra partes.

Respondetur negando minorem, ad probationem dico, veram esse de intra, & extra acceptis quantitatiuè, quatenus nimirum dicunt distantiam localem partium adinuicem, & in ordine ad locum, non tamen entitatiuè prout important distinctionem entium, quia sic sunt passiones entium, & non quantitatis.

Obijcitur secundò, quia materia nudè sumpta, vel est ens simplex, vel compositum; sed neutrum dici potest; ergo non habet partes extra partes. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur: Non potest dici quod sit simplex, quia tunc non esset diuisibilis, sed indiuisibilis. Nec composita, quia aut esset composita per se, aut per accidens; sed neutrum est dicendũ; ergo &c. minor probatur non per se, quia cum hæc fiat ex materia, & forma substantiali, ex Aristotele 8. Metaphys. tex. 15. ante materiam esset alia materia, & sic non esset materia prima, sed secunda: Nec per accidens, quia cum talis constet ex subiecto, & accidente, tunc non esset absque omni forma, quod est contra suppositum.

Respondetur materiam nudè consideratam posse dici simplicem, & compositam, sed diuersimodè: diceretur simplex, prout simplicitas opponitur compositioni ex his, quia alioquin non esset materia prima, sed separata ab omni forma; non esset tamen simplex, quatenus simplicitas distinguitur à compositione cum his, quia sic diceretur cõposita, tanquam totum homogeneum ex suis partibus. Et sic diceretur composita cum his, non tantum ex his, vt declaratum est.

Formaliter ad argumentum; nego minorem, ad probationem primam dico, data hypothesi, materiam nudam fore simplicem, vt simplicitas opponitur cõpositioni ex his, quæ tamen non excludit diuisibilitatem. Ad secundam probationem dico, non fore compositam ex his, & sic nec per se, nec per accidens, sed tantum cum his, cum eius partes cõponerent materiam in ratione totius homogenei.

Obijcitur tertiò: Nullum indistinctum est diuisibile, nec entitatiuè, sed materia, seclusa quantitate, esset quid indistinctum; ergo non esset diuisibilis entitatiuè. Maior patet. Minor probatur, quia omnis distinctio prouenit ab actu, seu forma; sed materia, seclusa quantitate, nullum haberet actum, sed esset puta potentia, & sic indistincta.

Respondetur negando maiorem, ad pro-

probationem dico, veram esse de distinctione formali, quia hæc est distinctio formarum, & sine ipsis fieri nequit; non tamen de entitatiua, quia cum hæc sit passio entis, reperitur in quolibet ente, siue sit in potentia, siue in actu.

Obijcitur quartò: Si materia esset diuisibilis in partes, quæro de illis, an forent differentes essentialiter, aut accidentaliter, sed neutrum dici posset; ergo &c. Minor probatur, quia omnia differentia fit per aliquam formam, sed ex suppositione, materia nullam haberet formam; ergo eius partes nullo modo essent differentes, nec essentialiter, nec accidentaliter.

Respondetur maiorem, & probationem minoris esse veras de differentia formali, non tamen de entitatiua, quia talis non fit per aliquod superadditum, sed quæ differunt, seipsis differunt: modo partes materiæ essent differentes tantum seipsis, & sic nec essentialiter, nec accidentaliter, sed solum entitatiuè, cum vna non esset alia, sed distincta negatiuè.

Vtrum in materia, ante aduentum formæ, sint ponendæ dimensiones interminatæ?

QVÆSTIO VI.

QVamuis ista quæstio remaneat soluta ex dictis in præcedenti; siquidem considerando materiam sine omni forma, ab ea excludendum est omne accidens, quod potest præcedere ingressum formæ substantialis in materiam nihilominus quia Auerroes 1. physicorum t. 63. videtur in eadem ponere quasdam dimensiones quantitatiuas interminatas, antequam recipiat formas substantiales, ideò necessum fuit illam seorsim pertractare, non tantum vt oppositam statuamus sententiam, cum Scotistis, & Thomistis, verùm etiam vt declaremus, quid intelligendum sit nomine dimensionis interminatæ; vndè pro eiusdem clara notitia.

Primò notandum est, quod aliqui per dimensiones interminatas, coæuas materiæ primæ, intelligunt quantitatem corpoream, cum longitudine, latitudine, & profunditate, nullis tamen limitibus, ac terminis clausam, aptam tamen terminari per aduentum formæ, vt v. g. in materia ligni, antequam informetur forma ignis, imaginantur reperiri quandam latitudinem, longitudinem, & profunditatem, terminatam quidem per formam ligni, sed interminatam respectu formæ ignis, alioquin non posset ipsam recipere; & postea dum erit sub forma ignis, habebit dimensiones terminatas per ipsam, & interminatas in ordine ad alias formas, quas potest recipere. Alij verò nomine dimensionum interminatarum intelligunt distinctionem partium entitatiuarum, quæ reperiuntur in materia, vt est in potentia ad omnes formas: cæterùm, vt aduertit Antonius Roccus in primo Physicorum q. 19. impropriè loquuntur, quia partes materiæ sunt substantiales; dimensiones verò interminatæ ab Auerroe assertæ, sunt quantitatiuæ; & cùm hanc distinctionem partium in materia dari cum Scoto, conclusum sit in præcedenti, nullum esset dissidium cum Auerroistis, quod non est dicendum, quia Doctor subtilis impugnat opinionem Auerrois, & sequacium in 2. d. 3. quæst. 4. vt videbimus in conclusione; superest igitur, vt dicamus, quod Auerroes per dimensiones interminatas, intellexit illam quantitatem explicatam in principio huius notabilis, & non distinctionem entitatiuam partium materiæ, quatenus præcedit formas substantialis.

Secundò notandum est, has dimensiones assertas ab Auerroe in materia, quamuis ponantur coæuæ eidem materiæ, non fore substantiales, sed accidentales, & ideò ex hoc necessario infertur, non posse poni in materia ante aduentum formæ; siquidem forma, cum sit substantia; & substantia præcedat omne accidens, tempore, natura, & diffinitione, ex Aristotele 7. Metaphysic. t. 4.

conclu-

concludendum est, formam non præcedi ab huiusmodi dimensionibus, sed benè è conuersò.

Ex his fit conclusio. In materia prima ante aduentum formæ substantialis, non sunt ponendæ dimensiones interminatæ quantitatiuæ, sed solum entitatiuæ. Est Scoti in 2. d. 3. q. 4. contra Auerroem citatum, Achillinum lib. 1. de Elementis dub. 17. & Zabarellam lib. 2. de Materia cap. 8. Probatur prima pars, quia substantia secundum se totam præcedit omne accidens tempore, natura, & diffinitione secundū Aristotelem 7. Met. t. 4. sed forma est substantia, & tales dimensiones, cum sint quantitates, sunt accidentia; ergo forma præcedit tales dimensiones, ac proindè ante eius aduentum non sunt ponendæ in materia. Secundo probatur, quia causa semper præcedit effectum, sed tales dimensiones, si darentur in materia, essent effectus formæ; ergo nequeunt præcedere aduentum formæ in materia. Minor probatur, quia omne accidens causatur à substantia, sed tales dimensiones sunt accidentia, & non causantur à materia, quia hæc nihil causat effectiuè; ergo à forma; ergo essent effectus formæ, & consequēter ipsa posteriores. Secunda pars probatur, quia in materia, ante aduentum formæ est distinctio partium, vt probatum est in præcedenti quæstione, sed huiusmodi distinctio partium potest appellari dimensio entitatiua; ergo ante aduentum formæ in materia datur dimensio entitatiua.

Obijcitur pro Auerroe, & sequacibus primò contra primam partem conclusionis: Quicquid est æternum in composito, est in sola materia, sed quantitas est æterna, & est in composito substantiali, vt patet; ergo quantitas est in sola materia. Maior patet, quia sola materia est ingenerabilis, & incorruptibilis, vt dicit Aristoteles 1. Physic. t. 82. ergo sola materia in composito est æterna, ac proindè, quicquid est æternum, in materia debet esse, si ponatur existere in composito. Minor probatur, quia quantitas est ingenerabilis; ergo est æterna. Consequentia patet ex Aristotele 8. Physicorū. Antecedens probatur, quia si quantitas generabilis, vel à materia, vel à forma; non à materia, quia non agit; nec à forma, quia cum sit indiuisibilis, non potest causare quantitatem, quæ est diuisibilis.

Respondetur negando minorem, ad probationem nego antecedens, ad probationem dico, quantitatem generari à forma, & cum probatur quod, cum forma sit indiuisibilis, non potest causare accidens diuisibile, est falsum, quia Deus est indiuisibilis, & tamen causat tot entia diuisibilia.

Vel dicendum secundò formam, ante quantitatem, esse diuisibilem entitatiuè, & hoc sufficit, vt possit causare eandem quantitatem, quamuis sit accidens diuisibile.

Dices: indiuisibile nullo modo posse constituere aliquod diuisibile, vt probat Aristoteles in 6. physic. siquidem indiuisibile additum indiuisibili, non facit aliquod maius; ergo cum forma sit indiuisibilis quantitatiuè non poterit constituere quantitatem, quæ est accidens diuisibile.

Respondetur antecedens, cum sua probatione esse verum de indiuisibili quantitatiuo, de quo locutus est Aristoteles in 6. physic. non tamen de indiuisibili substantiali, quia tale, cum sit diuisibile virtualiter, benè poterit causare aliquod diuisibile; modo forma est indiuisibilis de genere substantiæ formaliter, diuisibilis tamen virtualiter, & ideò benè poterit generare quantitatem.

Obijcitur secundò: Agens naturale nequit agere in subiectum non quantū, sed agens naturale agit in materiam, ante aduentum formæ; ergo materia ante aduentum formæ debet esse quanta, non quantitate terminata, quia hæc terminatur per formam; igitur quantitate interminata. Maior probatur, quia omnis actio naturalis fit per contactum, vt probat Aristoteles 3. physic. t. 16. ergo agens naturale nequit agere in subiectum non quantum. Consequentia patet, quia cōtactus est inter illa, quorum extrema sūt simul, ex 5. physic. t. 22. sed quæ habent extrema sunt quanta; ergo si agens naturale agit per contactum, necessario debet

bet agere in subiectum quantum. Minor primi syllogismi probatur, quia agens naturale educit formam de potentia materiæ; ergo prius agere debet in illam, introducendo dispositiones necessarias ad eductiones formæ.

Respondetur: Agens naturale agere in materiam quantitate formæ corrumpendæ affectum, antequam inducat nouam formam, & non in materiam nudam; vndè non sequitur, quantitatem interminatam præcedere quamcunque formam in materia ante illius aduentũ, cùm nullo modo dari possit quantitas, quæ subiectetur in materia nuda, vt aliàs demonstrabimus.

Formaliter ad argumentũ dico, agens naturale agere in materiam ante aduentum formæ, non nudè acceptam, sed informatam forma corrumpenda, ac proindè in materiam quantam, quantitate terminata per formam corrumpendam, non autem generandam, quia talis subsequitur, & nõ antecedit ipsius inductionem in materiam. Ad probationem minoris dico, agens naturale, cum educit formam de potentia materiæ, introducit dispositiones necessarias pro inductione nouæ formæ, non in materiam nudam, sed in totum compositum, quæ, cum pugnent cum qualitatibus formæ corrumpendæ, disponunt materiam ad receptionem nouæ formæ, corrumpuntur tamen, & quæ ad destructionem totius compositi, ita vt forma noua non inducatur in materiam eisdem præaffectam, sed immediatè in materiam nudam, ac proindè absque aliqua quantitate præeunte formam inducendam.

Obijcitur tertiò. Si materia ante aduentum formæ non esset quanta, sequeretur nec compositum postea fore quantum, sed hoc est contra experientiam; ergo dicendum est, quod ante aduentum formæ, materia debet esse quanta. Sequela maioris probatur, quia quantum non fit ex non quantis, vt docet Philosophus 8. physic. t. 2. sed compositum quãtum, fit ex materia; ergo materia debet esse quanta antecedenter ad formam.

Respondetur negando sequelam maioris, ad cuius probationem desumptam ex 6. Physic. t. 2. dico, Philosophum ibi locutum de indiuisibilibus de genere quantitatis, cuiusmodi sunt puncta in linea, & instantia in tempore, quæ cum sint non quanta, nedum actu, sed etiam potentia, ex illis non potest fieri quantũ, cuiusmodi sunt linea, & tempus; cæterùm, cùm materia, & forma, ex quibus coalescit compositũ quantum, sint quanta, saltem potentia, quatenus ex illis vnitis potest educi quantitas, quæ dat esse quantum formaliter, non inconuenit ex illis fieri compositum quantum, etiam si materia, & forma sint non quanta actu.

Vel dicendum secundò: compositum fieri ex materia, & forma, non in ratione quanti, quia sic habet esse à quantitate formaliter, non effectiuè, sed solum in ratione totius per se, vt docet Aristoteles 8. Met. t. 15. vndè non sequitur, quod si compositum sit quantum, etiam materia, & forma debeant esse quanta formaliter, cùm sufficiat esse quanta virtualiter, vt ab illis compositum aliquo modo sit quantum.

Vtrum materia sit per se cognoscibilis sine ordine ad formam, & ad transmutationes?

QVÆSTIO VII.

THomistæ, & Auerroistæ, quos ex Recentioribus secuti sunt nonnulli, cùm agnoscant materiam primam esse puram potentiam, & essentialiter ordinatam ad formam, consequenter habent dicere, materiam nullo modo esse cognoscibilem sine ordine ad formas, & ad transmutationem formarum. Ita docuit Achillinus lib. 1. de Elementis dubit. 10. Zimara Theorem. 36. & alij.

Scotistæ ex opposito, sequuti Magistrum in 2. d. 12. q. 1. sub k. cùm fateantur, materiam præseferre actum entitatiuum, essentialiter distinctum ab entitate formæ, & ipsi coguntur dicere, materiam secundum se, & absolutè sumptã, esse cognoscibilem absque ordine, seu relatione ad formas ab intellectu Angelico, vel etiam à nostro ex natura potentiæ

consideratò, non tamen pro statu isto, in quo sensus nostri non se profundant vsque ad substantiam. Ita Fauentinus Theor.25. Sghema quæsito 13. digress.5. quos citat, & sequitur Mastrius disp.2.q. 8. art.1. sub n.157. Ant.Roccus q. 15. ad tex.69. Arist. cum Zabarella ab eodem relato lib. 2. de reb. natural. cap. 11. & omnes alij, qui concedunt materiæ propriam essentiam, & existentiam, distinctam ab essentia, & existentia formæ.

Pro cuius resolutione, & fundamento, primò notandum est ex Doct. subtili in 2. d.12.q.1. materiam primam dupliciter considerari posse, vno modo secundum se, & absolutè, & sic dicit entitatem substantialem, distinctam realiter, & essentialiter ab entitate formæ, vt diximus suprà hac eadem disp. q.1. & q.5. conclusimus enim posse separari ab omni forma, tàm substantiali, quàm accidentali. Alio modo secundum esse relatiuum, quod importat ad formam, & sic induit plures relationes, seu respectus ad ipsam, nimirum receptiui ad receptum; informati ad informans; substentificantis ad substentificatum; & subiecti ad mutationes, seu transmutabilis ad transmutatum. Si accipiatur materia in prima consideratione, nulli debet esse dubium, quin sit per se cognoscibilis sine ordine ad formam; siquidem cognoscibilitas, cum sit passio entis, sequitur entitatem; cùm igitur entitas materiæ sit primo diuersa ab entitate formæ, consequenter & cognoscibilitas illius debet esse independens, & primo diuersa à cognoscibilitate huius. Cęterùm in secunda notione sumpta materia, aliter dicendum est, cùm enim relatiua sint talis naturæ, quod posita se ponunt, & perempta se perimunt; & quod sunt simul naturali intelligentia, necessario fatendum est vnum sine altero cognosci perfectè non posse; quare cogimur inferre, quod materia in tali sensu cognosci non possit sine ordine ad formam, neque forma absque relatione ad materiam.

Secundò notandum est ex eodem ibidem, quòd, materiam secundum se, & absolutè acceptam posse cognosci ab intellectu nostro independenter à forma, potest dupliciter intelligi, vno modo sumendo intellectum nostrum ex natura potentiæ; alio modo pro statu isto, quatenus est alligatus sensibus. Primo modo, materia absolutè considerata est ab eo cognoscibilis; siquidè habet pro obiecto adæquato totum ens creatum, tàm absolutum, quàm respectiuum, cuius tamen terminus non sit Deus, & consequenter etiam materiam, cum sit ens de genere substantiæ: At secundò modo nequit per se cognosci ab intellectu nostro; quandoquidem omnis nostra cognitio, pro hoc statu cum ortum habeat à sensu, vt docet Aristoteles 1 Post. cap 1. & 24. & de sensu, ac sensili; & sensus noster nō se profundat vsque ad substantiam immediatè, sed solum quatenus dicit ordinem, & analogiam ad formas substantiales, & accidentales; consequenter dicendum est, materiam secundum se, & per se, esse incognoscibilem ab intellectu nostro pro hoc statu. Ex quo infertur, quod, cùm Philosophus 1. Physic. t. 69. dixerit subiectam naturam esse cognoscibilem tantum in analogia ad formas, & ad trāsmutationes, intelligendus venit de materia cōsiderata in ratione partis, & quatenus est subiectum transmutationum, non autem de eadem in se, & absolutè spectata, quia sic est cognoscibilis per se, si non pro hoc statu, saltem ex natura potentiæ, consideratò intellectu nostro.

Tertiò notandum est ex eodem ibidē, materiam, vt est subiectū transmutationum, dupliciter sumi posse, vel vt dicit ordinem ad mutationes substantiales tātum .s. ad generationem, & corruptionem, & sic est materia prima ordinata solum ad formas substantiales, sine quibus cognosci non poterit, cum vt sic dicat relationem ad illas; vel vt dicit ordinem ad mutationes accidentales, nempè ad augmentationem, diminutionem, alterationem, & secundum locum mutationem, & sic est materia secunda, seu compositum substantiale, ordinaturq. ad formas accidentales, quibus mediantibus innotescit, vt illarum subiectum; siquidem, quemadmodum cognosci non potest materia prima in ratione subiecti transmutabilis, v.g. de forma ligni ad formam

mam ignis, nisi ex ordine, quem dicit ad illas; sic nec aqua poterit dignosci esse subiectum transmutabile de caliditate ad frigiditatem, nisi quia interdum est sub vna, & interdum sub alia.

Ex his igitur sit prima conclusio. Materia, secundum esse relatiuum spectata, non est in se, nec per se cognoscibilis, sed tantum in ordine ad formas. Est communis apud omnes Doctores. Probatur, quia relatiuum nequit cognosci in se, & per se, sed tantum in ordine ad suum correlatiuum; sed materia dicit relationes ad formas, & ambæ ad compositum; ergo nequit per se cognosci. Maior probatur, quia intelligibilitas sequitur entitatem, vnumquodque enim sicut se habet ad esse, ita ad veritatem, ex Aristotele 2. Met. t. 4. sed relatiuum habet esse in ordine ad correlatiuum, vt probat Aristoteles in Prædicam. & 5. Met. cap. de Ad aliquid; ergo relatiuum nequit in se cognosci, sed solum in ordine ad suum correlatiuum. Minor probatur, quia materia refertur ad formam, vt receptiuum ad receptibile: vt informabile ad informans: & vt substentificans ad substentificabile; similiter materia dicit relationem ad compositum; ergo cum materia sit relatiua ad formas, & compositum, secundum tale esse non poterit sine illis cognosci.

Secunda cõclusio. Materia verò in se, & secundũ esse absolutum cõsiderata est per se cognoscibilis, nedum ab intellectu Angelico, sed etiam ab humano, ex natura potentiæ spectato. Est Scoti in 2. d. 12. q. 1. sub K. Probatur, quia obiectũ adæquatum intellectus Angelici, & humani ex natura potentiæ considerati, est ens omne creatũ, & limitatum, & finitum, tã absolutum, quàm respectiuum, cuius terminus non sit Deus, vt optimè probat Doct. subt. in 1. d. 3. q. 3. & in Quol. 14. sub P. sed materia in se cõsiderata est huiusmodi, cùm sit substantia realiter distincta à forma, vt superiùs probauimus in hac disput. 3. q. 1. ergo est per se cognoscibilis. Maior probatur, quia intelligibilitas est passio entis, quia non entis non est cognitio, neque scientia, ex Aristotele 1. Poster. cap. 25. & 2. Met. t. 3. & 4. ac alibi sæpè; ergo saltem omne ens finitum, & limitatum est intelligibile ab intellectu finito, & limitato, cuiusmodi est intellectus Angelicus, & humanus. Secundò probatur, quia ens absolutum est per se intelligibile, per hoc enim distinguitur ab ente relatiuo; sed materia, in se spectata, est ens absolutũ, cum sit reponibilis in Prædicamẽto substantiæ; ergo est per se intelligibilis. Tertiò: Materia est in actu entitatiuo, vt probatum est suprà q. 2. ergo est per se cognoscibilis. Consequentia patet, quia ratio, quare Aduersarij negant per se cognoscibilitatẽ à materia, est quia materia non sit actus, sed pura potẽtia; ergo cùm materia sit actus, vel in actu entitatiuo, sequitur quod sit per se cognoscibilis.

Tertia conclusio. Materia prima secundum esse absolutum, quamuis sit per se cognoscibilis, non tamen à nobis pro hoc statu. Est conclusio Scoti in 1. d. 3. q. 3. & in 2. d. 12. q. 1. propè finem. Probatur, quia pro statu isto forma est magis cognoscibilis, cum sit proximior sensibus, quã materia; sed forma non cognoscitur per se pro hoc statu à nobis, sed solùm ex operationibus suis; ergo nec materia erit per se cognoscibilis à nobis. Minor probatur, tum quia omnis nostra cognitio pro hoc statu, ortum habet à sẽsu, ex Arist. 1. Post. c. 1. & 24. & lib. de sensu, & sensili, nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu; atqui forma substantialis non est sensibilis, nisi in suis operationibus; ergo forma pro hoc statu non est per se à nobis cognoscibilis. Minor probatur, quia sensus nostri non se profundũt vsq. ad substantiam, cum non sit sensibilis, nisi per accidentia, quibus substat; sed forma substantialis est substantia, & eius operationes sunt accidentia; ergo non est sensibilis, nisi in suis operationibus. Confirmatur, quia per effectus cognoscuntur causæ à posteriori, & pro statu isto; sed operationes sunt effectus formæ; siquidẽ ex eo quod videmus in composito nouã operationẽ, arguimus in illo nouã formã; ergo formæ sunt sensibiles, & cõsequenter intelligibiles, ex suis operationibus.

Quarta conclusio. Materia, tàm prima, quàm secunda non cognoscitur à nobis

nobis pro statu isto, nisi per ordinem ad transmutationem formarum, tum substantialium, tum accidentalium. Est Scoti in 2. sent. d. 12. q. 1. citata. Probatur, quia omnis nostra cognitio pro hoc statu habetur ex sensibilibus, ex Aristotele in locis sæpiùs citatis; sed materia prima non sentitur, nisi per ordinem ad formas substantiales; & secunda per ordinem ad formas accidentales; ergo cognoscũtur pro hoc statu tantum per ordinem ad transmutationē formarum. Minor probatur ipsam declarãdo; ex eo enim quod sentio aquam interdum frigefacere, & interdum calefacere, infero ipsam mutari de caliditate in frigiditatem, non substantialiter, quia perseuerat eadem aqua; ergo accidentaliter; Rursus, quia scio accidentia non posse existere sine subiecto (saltem naturaliter) arguo ibi esse subiectum commune, quod transmutatur de vna forma accidentali in aliam, & cognosco ibi esse materiam secundam. Deindè quia video ex ligno fieri ignem, ibi arguo formam ligni, & ignis in aliquo subiecto, quod mutetur de vna in aliam, tale subiectum est materia prima ex Arist. 1. Physic. t. 82. ergo per huiusmodi transmutationem cognoscimus materiam primam, & sic per ordinem ad formas, quas successiuè recipit.

Obijcitur tamen contra supradictas conclusiones, & præsertim contra secũdam, & primo sic, quia omne cognoscibile per se dicit actum; sed materia prima non dicit actum; ergo materia prima non est per se cognoscibilis. Maior probatur, quia omne cognoscibile mouet potentiam cognoscentem; sed illud quod mouet, debet esse in actu; ergo &c. Minor ista probatur, quia illud, quod mouet potentiam, agit in potentiam; at omne agens debet esse in actu; ergo, quod mouet potentiam debet esse in actu. Minor primi syllogismi supponitur vera, ex Aristotele 1. Physicorum, dicente, materiam esse ens in potentia; & formam in actu.

Respondetur maiorē esse verã de actu entitatiuo, non tamen formali, hoc est dictu, sufficit ad hoc, vt aliquod sit cognoscibile, quod sit ens extra suas causas; modo materia, quamuis sit ens in potentia subiectiua, est etiam ens in actu entitatiuo, vt probauimus suprà q. 2. & consequenter erit per se cognoscibilis.

Obijcitur secundò. Quod est propriũ formæ, nequit competere materiæ; sed esse intelligibile per se, est proprium formæ; ergo nequit cõpetere materiæ primæ. Maior patet, quia proprium competit soli ex Porphyrio cap. de Proposit. ergo quod est proprium formæ non potest competere materiæ. Minor probatur, quia informare est proprium formę, sicut informari materiæ; sed intelligibile informat intellectum; ergo esse intelligibile est proprium formæ.

Respondetur negando minorem, ad probationem dico, maiorem esse veram de informatione subiectiua, non verò de obiectiua; modo intelligibile informat intellectum obiectiuè, quatenus obijcitur sibi in ratione obiecti mouentis, non tamen subiectiuè, vt accidens subiectũ, vel vt forma suam materiam, quia sic intelligibile daret esse intelligibile intellectui, quod est falsum; quandoquidem intellectus habet esse intelligibile ex se, quia est ens, & non vt recipit obiectum in se.

Obijcitur tertiò. Potentia dicit quandam latentiam, sicut actus ostensionem; sed materia est ens in potentia; ergo in se dicit latentiam; at quod latet non est per se cognoscibile; ergo materia non est per se cognoscibilis.

Respondetur maiorem esse veram de illis, quæ sunt in potentia obiectiua, quia talia, cum non sint extra suas causas, nos latent, & consequenter non sunt cognoscibilia; non tamen de illis, quæ sunt in potentia subiectiua, quia cũ huiusmodi sint entia realia, quæ habent esse extra suas causas, apparent, vt intelligi possint; modo materia dicitur esse in potentia subiectiua, & non obiectiua.

Obijcitur quartò. Infinitum in potentia cognosci non potest, cum sit impertransibile; sed materia est huiusmodi; ergo materia non est cognoscibilis. Minor probatur, quia materia potest recipere infinitas formas.

Re-

Respondetur materiam dupliciter cōsiderari, & secundum entitatem absolutam, & secundum entitatem relatiuam, ordinabilem ad formas; primo modo habet esse finitum, & sic est per se cognoscibilis; secundo modo importat infinitatem in potentia, cum possit recipere infinitas formas, si Mundus duraret in infinitum, & sic non est cognoscibilis ab intellectu nostro, vel Angelico, sed tantum à Deo, à quo cognoscuntur infinitæ formæ receptibiles in potentia materiæ.

Formaliter ad argumentum dico, minorem esse veram de materia relatiuè, non absolutè sumpta, quia sic habet entitatem finitam, cognoscibilem in se ab intellectu nostro ex natura potentiæ, non autem pro statu isto.

Vtrum materia prima sit ingenerabilis, & incorruptibilis?

QVÆSTIO VIII.

Circa hanc quæstionem nulla est cōtrouersia; siquidem omnes fatentur cum Aristotele in hoc 1. Physicorum t. 82. materiam primam necessariò esse incorruptibilem, & ingenitam, alioquin si generaretur, non esset prima, quia supponeret aliam materiam, ex qua esset genita, & si corrumperetur, aliam pariter supponeret, in qua fieret resolutio, quod esset contra naturam primi principij materialis. Cæterùm, quia non est ita facile nosse quonam pacto eximatur à generatione, & corruptione id, in quo fiūt omnes generationes, & corruptiones, idcircò pro eius declaratione.

Primò notandum est ex Doct. subtili in 1. Physicorum q. 20. aliquid posse dici generabile, & corruptibile dupliciter .s. subiectiuè, & terminatiuè. Illud est generabile, & corruptibile subiectiuè, quod est, vel potest esse subiectum generationis, & corruptionis; aut subiectum illius, quod generatur, aut corrumpitur, & sic sola materia prima est generabilis, & corruptibilis, quia in ipsa fiunt generationes, & corruptiones, tanquam in subiecto; aut est subiectum formæ, & priuationis, quæ generantur, & corrumpuntur, cum accipiant esse post non esse, vel non esse post esse. Illud verò est generabile, & corruptibile terminatiuè, quod est terminus generationis, & corruptionis actiuæ, & sic forma substantialis dicitur generari vt quo, & compositum vt quod, quia forma terminat formaliter, & compositum totaliter generationem, cum accipiunt esse post non esse; aut corruptionem, cùm illud deperdunt: Materia autem hoc modo est ingenerabilis, & incorruptibilis; siquidem generatio fit ex aliquo subiecto præsupposito, ad differentiam creationis, quæ fit ex nihilo; similiter corruptio supponit subiectum in quo fiat resolutio formæ corrumpendæ, vt contradistinguatur ab annihilatione; modò materia non præsupponit aliam materiam, alioquin non esset prima, & daretur processus in infinitum in materijs, quod non est admittendum.

Secundò notandum ex Scoto in 1. d. 2. q. 7. K. & d. 5. q. 2. E. & d. 9. q. vnica A. in generatione creata, duo reperiri, & mutationem, & productionem. Prior respicit subiectum mutabile de vna forma in aliam; siquidem mutari ex Arist. 6. Physic. t. 32. & 73. est rem aliter se habere nunc, quàm prius; quod non potest competere termino, vt optimè demonstrat Doctor subt. in 4. d. 11. q. 1. D. sed tantum subiecto; nam subiectum cum perseueret idem sub vtroque termino, à quo, & ad quem, dum est sub termino ad quem, idest sub forma, aliter se habet, quā prius se habebat sub termino à quo, idest sub priuatione; quandoquidem nunc habet formam, quam prius non habebat. Posterior verò, ex opposito tantum respicit terminum, aut formalem, cuiusmodi est forma genita, vt quo, aut totalem, vt est compositum ex materia, & forma, quod dicitur generari, vt quod, quia totaliter terminat productionem generantis; siquidem productio est positio alicuius in esse. Ex his infertur, quod materia, cùm non ponatur in esse per generationem, sicut forma, & compositum, nequit dici genita generatione, quæ fit productio; cùm verò transmute-

mutetur de vna in aliam formam, poterit vtique dici genita generatione mutatione, quod idem est dicere subiectiuè, & non terminatiuè.

Tertiò notandum est ex Rocco lib 1. Physicorum q.26. subiectum generationis, & corruptionis esse duplex, scilicet remotum, & propinquum. Remotum est ipsa materia prima, in qua vltimatè recipitur generatio, & corruptio. Propinquum verò est ipsum compositum, quod à generatione, & corruptione denominatur genitum, & corruptum. Differt autem hoc subiectum à subiectis aliorum motuum dupliciter, & primò, quia subiectum generationis, & corruptionis, vel in principio generationis non est, vel in fine corruptionis deficit, at subiecta aliorum motuum semper eadem perseuerant in principio, & in fine motus, vt patet de aqua, quæ alteratur de frigiditate in caliditatem. Secundò differunt, quia subiecta aliorum motuũ nũquam sunt termini; non enim acquiruntur, aut deperduntur per motum; cæterùm subiectum generationis, & corruptionis propinquum est terminus ad quem generationis, & à quo corruptionis, & vlterius est etiam vtriusque susceptiuum.

Quartò notandum, vt colligitur ex Scoto in 4.d.12.q.4. I.& K. aliquid posse dici generari, & corrumpi dupliciter .s. simpliciter, & secundum quid. Illud generatur, & corrumpitur simpliciter, quod fit, aut desinit esse secundum substantiam, vt homo dum nascitur, aut moritur; siquidem per generationẽ acquirit esse substantiale, & per corruptionem illud deperdit, & hoc esse est esse totius essentialis, quod fit per se ex materia, & forma. Illud verò generatur, aut corrumpitur secundum quid, quod generatur, aut corrumpitur ad generationem, & corruptionem alterius, quod fit per se, aut desinit esse; vel acquirit, aut deperdit aliquo modo esse totius integralis. Exemplum primi fit de quantitate, quæ acquiritur, aut deperditur ad generationem, vel corruptionem totius hominis. Exemplum secundi sumitur ab aqua, cuius esse totius integralis quodammodo corrumpitur ad discontinuationem partium eiusdem, & secundum quid generatur ad continuitatem, seu reunionem earundem. Ad propositum, materia prima, secundum suam entitatem considerata, nequit generari, aut corrumpi simpliciter, quia huiusmodi generatio, & corruptio, cùm sint mutationes substantiales, præsupponunt necessario aliquod subiectum, ex quo, & in quo fiāt; quod nequit assignari respectu materiæ primæ, aliter ipsa non esset prima, sed secunda: potest tamen generari, & corrumpi secundum quid; tum quia est subiectum generationis, & corruptionis substantialis, tum etiam, quia in diuisione potest deperdere continuitatem partium, & illam acquirere in reunione earundem; ibi autem non esset vera generatio, vel corruptio, quia, vt dicit Doctor in præcitato loco, nec appositio, neque diuisio partium est vera mutatio subiecti, quæ tamen necessario requiritur ad generationem, & corruptionem propriè dictam in creaturis.

Ex his fit prima conclusio. Materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis simpliciter, & terminatiuè. Probatur quia, quod fit ex nullo subiecto præsupposito, & in nullo subiecto desinit esse, est ingenerabile, & incorruptibile simpliciter; sed materia prima est huiusmodi, ergo &c. Maior patet, quia generabile, & corruptibile terminatiuè, per hoc, differt à creabili, & annihilabili, quod illa præsupponunt aliquod subiectũ ex quo, & in quo; hæc verò nihil supponunt, vt communiter tradunt Doctores in materia de Creatione; ergo quod fit ex nullo præsupposito subiecto, & in nullo desinit, est ingenerabile, & incorruptibile. Minor probatur, quia ex Aristotele 1. Physicorum t.82. Materia est subiectum primum vnicuique rei generabili, & corruptibili &c. sed si fieret ex aliquo subiecto præsupposito, aut in aliquo desineret esse, iam non esset primum subiectum contra Aristotelem; ergo dicendum est, materiam primam esse ingenerabilem, & incorruptibilem terminatiuè, & simpliciter.

Secunda conclusio Materia prima tamen

men est generabilis, & corruptibilis subiectiuè, & secundū quid etiam terminatiuè. Probatur prima pars. Quod est subiectum generationis, & corruptionis substantialis. est generabile, & corruptibile subiectiuè; sed materia prima est huius modi; ergo est generabilis, & corruptibilis subiectiuè. Maior patet ex 1. not. Minor est Aristotelis 1. Physicorum tex. 82., vbi diffinit materiam per esse subiectum vnicuique rei generabili, & corruptibili. Secunda pars probatur. Id est generabile, & corruptibile secundum quid, quod aliquo modo fit, vel desinit esse secundum quid, vt patet ex 4. not. sed materia prima est huiusmodi; siquidem cùm sit diuisibilis entitatiuè, si actu diuideretur in partes, deperderet illam vnionem partium, & ipsam acquireret, si iterum reunirentur partes; ergo aliquo modo fieret, & desineret esse, ac proindè foret secundum quid generabilis, & corruptibilis terminatiuè.

Obijcitur primò contra primam conclusionem: Omnis motus denominat suum subiectum; siquidem omne accidens denominat illud subiectum, quod afficit; sed materia prima est subiectum generationis, & corruptionis, quæ sunt species motus; ergo ab ipsis denominatur generabilis, & corruptibilis.

Respondetur minorem esse veram de subiecto remoto, non tamen de propinquo, quia sic generatio, & corruptio denominant formam, & compositum, & non materiam, ex quo infertur materiam esse generabilem, & corruptibilem subiectiuè, & remotè; non verò terminatiuè, & propinquè.

Obijcitur secundò. Si materia esset ingenerabilis, & incorruptibilis, esset præstantior forma, & composito substantiali; sed hoc est falsum, & contra Aristotelem & 1. & 2 Physicorum; ergo falsum est, esse ingenerabilem, & incorruptibilem. Sequela maioris probatur, quia ingenerabile, & incorruptibile est præstantius eo, quod est generabile, & corruptibile; sed forma, & compositum sunt generabilia, & corruptibilia; ergo si materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis, materia erit præstantior forma, & composito.

Respondetur sequelam maioris esse veram, quo ad durationem, non quo ad entitatem, quia sic forma, & compositum dicunt perfectiorem entitatem, quàm materia, modo non inconuenit aliquod corruptibile esse imperfectius in duratione aliquo incorruptibili in entitate imperfectiori, vt patet de homine, qui licèt sit perfectior cœlo in entitate, est tamen ipso imperfectior in duratione.

Obijcitur tertiò. Si materia prima esset ingenerabilis, & incorruptibilis, sequeretur compositum substantiale fore ingenerabile, & incorruptibile; sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia ex eo quod compositum constat ex altera parte materiali, totum compositum dicitur materiale; ergo etiam cum constet ex altera parte ingenerabili, & incorruptibili, compositum debet esse ingenerabile, & incorruptibile.

Respondetur negando sequelam maioris; ad probationem negatur paritas; non enim eodem modo se habet materia ad compositum, cum ei tribuit esse materiale, & vt est incorruptibilis; siquidem, vt dat esse composito, habet rationem subiecti materialis, & ideò tribuit sibi esse materiale; similiter quatenus dat esse composito habet esse corruptibile subiectiuè, & non incorruptibile terminatiuè, nisi per accidens, vndè non habet sibi tribuere incorruptibilitatem, sed corruptibilitatem.

Dices: ergo compositum esset tantum corruptibile subiectiuè, non terminatiuè. Sequela probatur, quia materia, vt dat esse composito, non est corruptibilis terminatiuè, sed solum subiectiuè.

Respondetur: Compositū, vt sit corruptibile, hoc habet à materia passiuè; vt verò corrumpatur illud habet ab agente actiuè; formaliter verò à forma, ex quibus sequitur, quod à materia dicitur corrumpi subiectiuè, formaliter à forma à se verò terminatiuè totaliter, cum

ipsum terminet corruptionis mutationem, vt luculentiùs declarabimus inferiùs in propria quæstione.

Obijcies quartò. Materia est causa corruptionis compositi, ex Aristotele 7. Met. t. 22. & 29. ac lib. 1. de Generat. & Corrupt. cap. 3. ergo materia erit magis corruptibilis, quàm compositum, & sic terminatiuè. Cōsequentia probatur per Aristotelem 1. Poster. cap. 2. Propter vnumquodque tale, & illud magis.

Respondetur negando consequentiā; ad probationem dico cū Scoto in 1. Poster. q. 12. quod illud axioma philosophicum, propter vnū &c. valet tantum, vbi illud tertium, in quo fit comparatio, sit vniuocum rebus comparabilibus, & cū suscipit magis, & minus, vt diximus in propria quæstione; modò non sic res se habet in proposito, quia corruptibile nō est vniuocum materiæ, & composito; sed æquiuocum; siquidem materia est corruptibilis tantum subiectiuè, & per accidens; compositum verò terminatiuè, & per se: similiter corruptibile non suscipit magis, & minus, cum omnia sint æqualiter corruptibilia, quæ sunt corruptioni obnoxia.

Obijcitur quintò Generatio est transmutatio totius in totum, nullo sensibili manente, ex lib. 1. de Gener. & Corrupt. t. 10. & 24. & corruptio est desitio totius, nullo sensibili manente; sed si materia non esset generabilis, & corruptibilis terminatiuè, nec compositum posset dici verè genitum, aut corruptum, sed potius alteratum; ergo dicendum est, materiam generabilem, & corruptibilem esse, nedum subiectiuè, sed etiam terminatiuè.

Respondetur ex Doct. subt. in 4. d. 11. q. 1. art. 1. diffinitionem illam generationis, & corruptionis verificari de toto categorematico per se, quia tale reuera generatur, & corrumpitur, & sic transmutatur totum vnum per se .i. lignum, in aliud totum per se, nempè ignē; non tamen de toto sincategorematico, quia tā in generatione, quàm in corruptione remanet materia sub vtraque forma geniti, & corrupti.

Obijcitur quintò contra secundā conclusionē, quia esse totius integralis materiæ per separationem partium, in quas est diuisibilis entitatiuè, destruitur, & per appositionem earundem iterùm acquiritur; sed talis acquisitio, & destructio, esset vera generatio, & corruptio, quia totius substantialis, realiter à suis partibus distincti; ergo tota materia entitatiuè sumpta est simpliciter generabilis, & corruptibilis.

Respondetur negando minorem, tùm quia ibi non esset vera mutatio, nec in diuisione, nec in appositione partium ad partes, vt suprà notauimus cum Scoto in 4. d. 12. q. 4. I. & K. tùm etiam quia nō desineret esse tota materia secundū suū esse substantiale per separationem partium abinuicem, nec per reunionem aliquid substantiale acquireretur, vt falsò supponitur, sed solum secundum esse relatiuū identitatis, aut distinctionis; quod esse, cum sit accidentale, esset ibi, ad sūmum, generatio, & corruptio secundum quid; non verò simpliciter.

Vtrum omnium generabilium, & corruptibilium materia sit vna numero, vel specie?

QVÆSTIO IX.

QVamuis ista quęstio posset facili negotio solui, ex his, quæ diximus de vnitate naturæ cōmunis in Prædicamento substantiæ, nihilominus lubet eam seorsim tractare, ne videamur præterire difficultates, quæ cōmuniter à Doctoribus super hoc 1. Physic. moueri solent: Vndè circa ipsam extant duæ opiniones, quarum prima est Auerrois in 1. Physic. com. 63. & in 1. Met. com. 17. & 12. Met. com. 14. dicentis, omnium generabilium, & corruptibilium esse vnam numero materiam, non quidem positiuè, cum per formas diuersas, distincta reperiatur, sed priuatiuè solum, ita quod si per possibile omnes formæ auferantur ab ea, vnā numero remaneret, etiam positiuè. Auerroem sequuntur nonnulli, vt Achillinus lib. de Elementis dub. 8. Io. Canonicus in 1. Physic. q. 9. dub. 6. Ægidius in Theorem. 1. & 2. ac alij,

alij, quorum meminit Trombeta 8. Met. q. 3. com. 6.

Secunda est Doctoris subtilis in 4. d. 11. q. 3. art. 2. H. asserentis, materiam omnium generabilium, & corruptibilium esse vnam vnitate specifica; non verò numerica. Magistrum sequuntur communiter eius Discipuli, & ex alienis Ochamus in 1. Physic. cap. 18. p. 1. Suarez in Met. disp. 13. sect. 3. & alij quos refert, ac sequitur Mastrius hic disp. 2. q. 4. sub n. 57. & 59.

Pro cuius declaratione, & fundamento primò notandum est: Materiam esse vnam numero posse dupliciter intelligi, vno modo in actu, ita quod actualiter materia, quę est in me, sit eadem numero cũ illa, quæ est in te; & hoc est falsũ, quia clarum est, quod materia mea, & tua sũt numero diuersæ, sicut ego, & tu; siquidem materia, cum sit de quiditate compositi, & compositum meum, & tuum sint diuersa numero, etiam materia *huius* erit numero diuersa à materia *illius*; alio modo in aptitudine, seu potentialiter, ita quod si per possibile à Deo destruerentur omnes formæ, & sola remaneret materia, omnes materiæ, quæ modò sunt distinctæ per diuersas formas, in vnam coalescerent, & sic potest concedi materiam esse vnam numero etiam modo; vndè si prima opinio explicaret vnitatem numericam materiæ hoc secundo modo, posset defendi, nec esset contra mentem Doctoris *subtilis*, cum in præcitato loco impugnet vnitatem numericam positiuam, & in actu; non verò priuatiuam, & potentialem.

Secundò notandum est, quod aliquid esse vnum numero adhuc stat dupliciter, vno modo vnitate essentiæ, alio modo vnitate incommunicabili vt quod: Primo modo materia, & quælibet natura, siue essentia est vna numero, cùm in ordine ad aliam fundet diuersitatem numeralẽ: Secundo modo autem, indiuiduum dũtaxat est vnum numero, quia repugnat sibi communicari pluribus inferioribus, de quibus possit prædicari prædicatione dicente, hoc est hoc, & sic materia non est vna numero in omnibus, imò vna specie, cùm dicatur de materijs omniũ, tanquam de differentibus numero.

Tertiò notandum est: Materiam esse vnam numero, vel specie, adhuc potest dupliciter intelligi, vno modo intrinsecè, & ratione differentiæ vel indiuidualis, vel specificæ; alio modo extrinsecè, & ratione formarum, à quibus determinatur in composito hoc, vel illo. Primo modo, materia dicitur vna numero, vel specie, quæ est determinata per differentiam numericam, vel specificam, & sic materia, quæ est in me, est vna numero, quia secundum suam entitatem intrinsecè considerata, est hæc per suam hæceitatem, per quam differt à materia, quæ est in te; materia verò mea, & tua sunt vnum specie, cum conueniant in materia, quam contrahunt per proprias differentias indiuiduales; neutra tamen vnitas, propriè loquendo, potest dici, aut specifica, aut numerica, sicut nec materia est propriè species, aut indiuiduum, sed pars speciei, vel indiuidui; non enim ponitur directè, sed solum indirectè in prædicamento substantiæ. Secundo modo, materia sortitur vnitatem numericam, aut specificam, quatenus determinatur per formam ad esse huius, vel illius compositi, quod differt numero, vel specie ab alio; siquidem docet Aristoteles 12. Metaph. t. 27. cap. 4. quod qualia sunt principiata, talia & principia esse debent, scilicet materia, & forma; cùm igitur compositum Petri, & compositum Pauli differant numero, & conueniant in specie, consequenter dicendum est materiam, & formam, ex quibus coalescunt, esse differentes numero, & conuenire in vnitate specifica: cæterùm, quia compositum hominis & compositum leonis distinguuntur specie abinuicem, idem dicendum est de materia, & forma hominis, & leonis, quod nimirum distinguantur specie extrinsecè: & si corpora existentia distinguuntur genere, etiam materia, & forma erunt distinctæ genere, vt patet de corpore humano, & plantæ, quorum principia debent distingui genere proximo, sicut & ipsa distinguuntur genere.

Ex his fit prima conclusio. Omnium gene-

generabilium, & corruptibilium existentium permanenter materia non est vna numero, nec intrinsecè, nec extrinsecè actualiter, sed benè potentialiter. Est Scoti in 4. d. 11. quæst. 4. sub H. & I. contra Auctores citatos pro prima sententia. Probatur prima pars. Illa sunt vnum numero, quorum materia est vna, idest differentia indiuidualis vna ex Aristotele 5. Metaphysic. cap de vno sub text. 12. sed alia est differentia indiuidualis materiæ Petri, & materiæ Pauli; ergo alia numero est materia Petri à materia Pauli. Minor probatur, quia si per potentiam diuinam separarentur formæ Petri, & Pauli à materia huius, & illius, certum est, quod materia Petri non esset materia Pauli, sed vtraque esset hæc; sed non possent esse hæc, absque propria hæcceitate, quæ est differentia indiuidualis constitutiua indiuidui, vt probauimus in Logica dispur. de Indiuiduatione; ergo alia esset differentia indiuidualis materiæ Petri, & alia materiæ Pauli, ac proindè constitutiua duarum materierum differentium numero intrinsecè. Secunda pars probatur primo auctoritate Aristotelis 12. Metaphys. cap. 4. text. 27. qualia sunt principiata, talia debent esse principia; sed composita omnium generabilium, & corruptibilium, quæ constant ex materia, & forma, non sunt vnum numero, immò numero diuersa, vt de se patet; ergo etiam materia, & forma debent esse diuersæ numero. Confirmatur, quia materia est de quiditate physica vniuscuiusque compositi naturalis, vt probabimus inferiùs in propria quæstione; sed si materia esset vna numero in omnibus compositis, non esset de illorum quiditate; ergo dicendum est materiam non esse vnam numero omnium generabilium, & corruptibilium. Minor probatur, quia si foret de illorum quiditate; ergo mortuo homine, moreretur Asinus necessariò; siquidem nemo viuere potest sine omni eo, quod est de quiditate eius; hoc autem conuincitur per experientiam esse manifestè falsum; ergo, & antecedens. Tertia probatur, quia si destruerentur omnes formæ informantes diuersas materias, illæ materiæ, cum sint incorruptiles, remanerent sic diuisæ, sed per potentiam diuinam possent confluere in vnum, & facere quoddam totum integrale entitatiuum; ergo data hypothesi, materiæ illæ essent vnum numero. Consequentia patet, quia tunc materia esset vnum continuitate; sed continuum est formaliter vnum numero, licet potentialiter sint plura numero ratione plurium partium, in quas potest diuidi; ergo materia modo existentes sub diuersis formis, & actu numero diuersæ, sunt vnum numero potentialiter.

Secunda conclusio. Materia intrinsecè est vna specie; extrinsecè verò diuersa specie, & forsan genere. Est Scoti in præcitato. Probatur pars prima. Materia est vna entitas substantialis, prædicabilis de omnibus materijs horum inferiorum; sed materiæ horum inferiorum intrinsecè considetæ differunt numero; ergo materia de illis prædicabilis erit vna specie. Maior patet, quia omnes materiæ participant nomen, & diffinitionem materiæ primæ, quia omnes sunt materiæ, & subiecta rerum generabilium, & corruptibilium, ex quibus, cum formis, fiunt composita substantialia: ergo materia est entitas substantialis, prædicabilis de omnibus materijs horum inferiorum. Confirmatur auctoritate Aristotelis in 1. Physicorum text. 69. vbi loquens de vnitate materiæ, habet hæc verba: Vnum igitur principium hæc, non sic vnum existens, neque sic ens, vt hoc aliquid, vnum autem ratio: sed per hoc aliquid, intelligit indiuiduum, & per ly ratio, essentia communis materiæ, vt patet ex diuersis locis suorum operum, & præsertim in Prædicamentis cap. de Vniuocis; cap. de substantia; & 5 Met. cap. de Vno; & 12. Met. cap. 3. t. 27. ergo materia dicit vnam essentiam communicabilem omnibus materijs horum inferio-

rio-

riorum. Confirmatur secundò, quia potentia ad omnes formas est æqualis in omnibus materijs ad omnes formas; ergo materiæ supponunt vnam materiam cōmunem, in qua sit potentia cōmunis ad omnes formas. Consequentia probatur, quia potentia, cum sit passio in secūdo modo dicendi per se, cōueniens æqualiter omnibus materijs particularibus, prius debet conuenire materiæ specificæ ex Porphyrio in suo lib. Vniuers. tract. 2. c. 1. Confirmatur tertiò, quia non reperitur in entitate materiæ aliqua differentia specifica, diuidens diuersas materias horum inferiorū; ergo omnes cōueniunt in vnitate specifica materiæ in cōmuni. *Secunda pars conclusionis probatur primò auctoritate Arist. in hoc 1. lib. Physic.* t. 60. vbi habet hæc verba, quæ probant diuersitatem specificam in materijs ratione diuersarum formarū, & compositorum. Ex omnibus, quę fiunt, hoc est accipere, si aliquis inspexerit, sicut dicimus, quod oportet sēper aliquid subijci, quod fit, & hoc, etsi numero est vnum, at forma quidem non vnum: forma enim dico, & ratione idem; ergo materia, quæ semper debet subijci composito, quod fit per generationem, quamuis sit vna essentia, seu entitas numero intrinsecè, tamen ratiōne diuersarum formarum, quas in se recipit, non est vna specie, sed diuersa iuxta formarum diuersitatem. *Secundò probatur* ratione, quia vnitas extrinseca materiæ desumitur ab vnitate compositi substantialis, ad quod per formam determinatur; sed composita substantialia non sunt vnum, sed diuersa in specie; quinimmò, & in genere, vt patet de homine, & leone, & de planta insuper cum his comparata; ergo materia extrinsecè considerata nequit esse vna specie, sed diuersa, & specie, & genere. Maior est nota ex dictis in 4. not. Minor patet, quia homo, & leo differunt quiditatiuè, nedum metaphysicè, sed etiam physicè; & homo, & planta differunt genere; ergo composita substantialia sunt diuersa specie, & etiam genere.

Tertia conclusio. Materia in genito, & corrupto, & in cæteris corporibus naturalibus sibi succedentibus, est vna numero intrinsecè; diuersa verò extrinsecè. Est Scoti in præcitato loco, ex Aristotele in 1. Physicorum tex. 60. 62. & 66. ac 82. Probatur, quia materia est subiectum primum vnicuique rei generabili, & corruptibili, ex quo aliquid fit, cum insit, ex Aristotele in præcitato textu 82. sed in corrupto non esset subiectum primum; verùm secundum, & tertium, si foret diuersa numero; ergo dicendum est, in genito, & corrupto esse eandem materiam numero. Secundò: Mutationes sibi succedentes fiunt in eodem subiecto numero; siquidem mutari est eandem rem aliter se habere nunc, quàm prius, ex Aristotele 6. Physicorum tex. 32. & 73. sed generatio, & corruptio sunt duæ mutationes sibi succedentes; siquidem generatio vnius est corruptio alterius, & patet etiam per Aristotelem 5. Physicorum t. 7. & 9. ergo subiectum generationis, & corruptionis erit vnum numero secundum suam entitatem. Secunda pars remanet sufficienter probata ex dictis conclusione prima, & secunda; siquidem respicit distinctas numero formas, & composita.

Obijcitur primò contra primam conclusionem ex Aristotele 1. Physicorum t. 60. 62. & 66. Omnium, quæ transmutantur est vnum subiectum numero; & hoc idem repetit 5. Physicorum t. 7. & 9. similiter 1. de Generatione, & Corruptione t. 23. & 24. inquit Philosophus: Materiam in omnibus esse vnam numero; ergo nisi velimus contradicere Philosopho, fateri debemus, omnium generabilium, & corruptibilium, dari vnam materiam numero.

Respōdetur, quod auctoritates citatæ ex 1. & 5. Physic. probant nostrā tertiam conclusionem, quæ re non officiunt primæ conclusioni, in qua loquimur dumtaxat de materia diuersorum corporum existentium, & non sibi succedentiū per transmutationes. Ad illam desumptam ex 1. de Gener. & Corrupt. dico, intelligendam esse de vnitate materiæ in aptitudine, & hanc esse numericam probauimus, & nos in tertia parte primæ conclusionis.

Obijcitur secundò contra primam partem secundæ conclusionis: Illa sunt vnum specie, quæ sunt vnum per actum formalem; sed materia non habet actum formalem sibi intrinsecum; ergo non est vna specie. Minor patet. Maior probatur, quia eadem sunt principia essendi, & distinguendi; sed omnis diuersitas specifica fit per actum formalem, siquidem forma, & actus est, qui distinguit, & separat ex Aristotele pluribus in locis; ergo vnitas specifica nequit esse, nisi per vnum actum formalem.

Respondetur maiorem esse veram de actu formali constitutiuo, & intrinseco; falsam de actu formali superaddito, vt prætendit argumentum; & ideò negatur minor, quia materia habet actum formalem sibi intrinsecum, qui non distinguitur ab eius entitate, notificatur tamen nobis per suam potentiam ad recipiendum omnes formas, quæ cum sit passio diuisa in omnibus materijs numero distinctis, & passio prius competat superiori, quam inferioribus, indicat entitatem materiæ, quæ est eius subiectum, habere vnitatem specificam, contrahibilem ad materias indiuiduales per suas differentias indiuiduales.

Vel dicendum, maiorem esse veram de vnitate specifica quiditatis completæ, quia cum constet ex genere, & differentia, ista semper est vna per actum formalem, qui est differentia constitutiua; falsam de quiditate incompleta, cuiusmodi est materia, & forma, quia talis non est vna per actum formalem, sed per suam entitatem cõmunicabilem pluribus differentibus numero.

Obijcitur tertiò. Nihil potest esse vnũ specie, quod non includit genus; sed materia nullum includit genus, alioquin non esset ens incompletum, sed completum, quod est contra naturam eiusdem materiæ; ergo &c. Maior patet, quia species constituitur ex genere, & differentia.

Respondetur maiorem esse veram de vno specie subijcibili, & completa, qualis non est materia; falsam tamen de specie prædicabili, & incompleta, quia talis nõ debet includere genus in recto, sed sufficit illud includere in obliquo; modò materia est species prædicabilis, & incompleta tantum, & ideò non debet continere genus in recto, sed sufficit, vt illud habeat in obliquo; est enim aliquid substantiæ.

Obijcitur quartò probando, quod non sit vna specie, aut numero, sed genere, quia plura composita differunt plusquã specie, & numero; ergo & partes componentes. Antecedens patet de homine, & planta; siquidem pertinet ad diuersa genera. Consequentia probatur ex illo 12. Met. t. 27. qualia sunt principiata, talia etiãq; debent debent esse principia; sed composita sunt principiata, & partes componentes sunt principia; ergo qualia sunt composita, tales esse debent etiã partes componentes.

Respondetur concedendo totum argumentum; siquidem probat secundam partem nostræ secundæ conclusionis, in qua fassi sumus vnitatem extrinsecam materiæ, siuè numericam, siuè specificam, siuè genericam, desumendam esse ab vnitate compositorum, quæ si fuerint diuersa specie inter se, arguent, vnitatẽ, nedum in seipsis reperiri, sed etiam in principijs; & specificam si composita fuerint differentia numero dumtaxat. Nec assertum illud potest esse contra Doctorem, quamuis videatur contendere solum vnitatem specificam materiæ, cùm in citato loco sit locutus de vnitate intrinseca, & non de extrinseca, de qua modo nos loquimur. Legatur attentè eius litera, & præsertim in illo §. Cõtra hoc etiam est ratio manifesta &c. & non obscurè deprænhendet ipsius mentem fuisse concludere, contra Ægidium, vnitatem intrinsecam materiæ, quam ipse negabat, specificam nimirum esse, & non numericam in omnibus compositis sublunaribus.

Virum

Vtrum materia, quam esse vnam specie hactenus conclusimus, in omnibus sublunaribus extendatur etiam ad corpora cœlestia?

QVÆSTIO X.

Circa hanc quæstionem est lis, & cõtrouersia inter Doctores, tàm Philosophos, quàm Theologos; siquidem aliqui, secuti Auerroem lib. de substantia orbis cap. 2. & lib. 1. de Cælo com. 7. & 10. docent partem negatiuam; alioquin cælum esset corruptibile; sicut & corpora sublunaria, quod videtur repugnare doctrinæ Aristotelis, dicentis, cælum esse sempiternum, & incorruptibile. Ita Durandus in 2. d. 12. q. 1. n. 14. Gabriel ibid. q. 2. Maior d. 14. q. 2. Bassolius q. 1. art. 4. Antonius Andr. 8. Met. q. 4. Iandunus ibidem q. 7. & alij relati ab Antonio Ruuio lib. 1. de Cælo cap. 2. q. 5. Alij verò ex opposito afferunt, in Cælo dari materiam, ex qua cum forma fiunt corpora cælestia. Ita ex Philosophis antiquis Auempace, relatus ab Alberto Magno lib. 1. de Cælo tract. 1. cap 3. Alex. Aphrodisæus lib. 1. Naturalium Quæst. cap. 10. & Simplicius lib. de Cælo com. 3. & 35. Ex Theologis verò D. Thom. 3. p. q. 66. art. 2. Caiet. ibidem, D. Bonauentura, Ægidius, & Capreolus in 2. d. 12. & 14. ac nonnulli Recentiores, quos refert Mastrius de Cœlo, & Mundo disp. 2. q. 2. art. 1. n. 40.

Cæterùm Doctor subtilis, quasi mediando inter vtramque opinionem, docet cum Theologis Cælum esse compositum ex materia, & forma; negat verò huiusmodi compositionẽ principijs Aristotelis inhærendo, dicitq. in hoc Auerroem, meliùs, quàm cæteros Philosophos, habuisse intentionem eiusdem Aristotelis. Scotum sequuntur omnes Discipuli, præter relatos pro prima opinione, Zerbus verò 8 Met. q. 3. quamuis sequatur Magistrum, addit etiam posse vtramque probabiliter sustineri, sequendo etiam principia Philosophi; idemque affirmant Arriaga disp. 2. Physicali sect. 11. & Auersa q. 33. sect. 5. licèt hic in affirmatiuam sit propensior.

Pro declaratione, & fundamento sententiæ Scoticæ, quam & nos sequi debemus, primò notandum est ex Doctore subtili in 2. d. 14. q. 1. quod lata est differentia inter Philosophos, & Theologos circa naturam, & essentiam Celi; siquidem Philosophi, & maximè Peripatetici, cum asserant Cœlum esse æternum, sempiternum, necessarium, & incorruptibile, vt docet Aristoteles lib. 1. de Celo t. 20. & 21. debuerunt illud ostendere absque principio corruptionis, & transmutationis substantialis, & consequenter absque materia; siquidẽ hæc est principium corruptionis, ex 1. Physic. t. 81. & potentia passiua contradictionis, qua nimirum res potest esse, & non esse ex 9. Met. t. 27. Ex opposito autem Theologi, cùm agnoscant, celum habuisse principium simul cum terra, dicente Moyse 1. Geneseos. In principio creauit Deus Celum, & Terram, vbi Basilius, Chrysostomus, Augustinus, & Nicolaus de Lyra per terram intelligunt materiam primam, ex qua compacta sunt corpora celestia, & sublunaria, vndè dicunt contra Aristotelem, celos esse corruptibiles, habereque in seipsis principium corruptibilitatis, quod est materia, seu potentia passiua ad non esse: & quamuis hactenus corrupti non fuerint, non propterea inferendum est, non habere in se principium sui non esse, sed solum, quod vsq. modo non fuerit aliquod agens naturale ita validum, vt potuerit vincere illorum formas, & contrarias inducere in illam materiam.

Secundò notandum est, materiam esse duplicem, aliam, quæ ponitur subiectum transmutationum substantialium; aliam verò, in qua fiunt transmutationes accidentales: Priorem admittit Aristoteles duntaxat in illis, quæ generatione fiunt, & corruptione deperduntur, inquit enim 8. Met. t. 14. Nec omnium materia est, sed quorumcunque generatio, & transmutatio inuicem sunt. Quæcunque verò absque eo quod trãsmutentur sunt, aut non, horum materia non est. Posteriorem

riorem verò concedit in ijs, quæ mouentur aut secundum augmentationem, & diminutionem; aut secundum alterationem; aut secundum loci mutationem; siquidem 8. Met. t. 4. ait: In cunctis namque oppositis transmutationibus est aliquod transmutationis subiectum, vt puta secundum locum, quod nunc hic, rursus alibi; secundum augmentationem, quod nunc tantum, rursus minus, aut maius; & secundum alteratione n, quod nunc sanum, rursus ægrum: Ex quo infertur, quod cum Cœli, secundum Philosophum, non sint generabiles, & corruptibiles, sed solum nobiles circulariter, seu localiter, saltem secundum partes, vt suo loco dicemus, concludendum est, secundum eius principia, cęlos carere materia prima, & habere dumtaxat secundam, per quam possint moueri localiter secundum partes, & recipere in se quantitaté, & alia accidentia sensibilia.

Tertiò notandum est, compositionem quadrupliciter accipi posse. Primò, vt opponitur sūmæ simplicitati, & sic omnia alia à Deo dicuntur composita, & solus Deus potest dici summè simplex. Secundò, vt opponitur simpliciter simplicitati, & sic ens, & eius passiones, ac vltimę differentiæ indiuiduales dicuntur simpliciter simplicia, quia nequeunt resolui in conceptus superiores, de ipsis dicibiles, & cætera omnia, siuè creata, siuè increata dicuntur composita. Tertiò, prout importat vnionem duarum rerū in aliquo tertio, quarum altera sit per se actus, & altera per se potentia; & hæc est duplex .s. physica, quę nimirum fit ex materia, & forma; & metaphysica, quæ constat ex genere, & differentia, & sic homo dicitur compositus physicè ex anima, & corpore; metaphysicè verò ex animali, & rationali; partes autem cōponentes dicuntur entia simplicia, quia non fiunt ex alijs rebus se habentibus per modum actus, & potentiæ. Quartò tādem dicitur compositio, quæcunque vnio constans ex subiecto, & accidente, vt homo albus; vel ex mouente, & mobili, & sic dicimus cęlum esse quoddam compositum ex natura mobili, & intelligentia mouente. Ad propositum applicādo possumus dicere, quod cęlum, etiam secundum Philosophum, sit compositū quauis ex prædictis compositionibus, excepta illa, quæ constat ex materia, & forma physica; tū quia non est summè simplex, nec simpliciter simplex, cum sit corpus naturale, constans metaphysicè ex genere, & differentia; physicè verò ex ente, & essentia; tum etiam quia est subiectū accidentiū sensibilium, & est mobile localiter, vel ab intrinseco, vel ab extrinseco ab intelligētia, tanquam à forma assistente: At secundum Theologos, præter iam enumeratas compositiones, dicitur etiam compositum ex materia, & forma physica, cum sit corpus naturale, & subiectum generabilitati, & corruptibilitati, saltem in potentia remota, reducibileq. ad actū vtriusque, si Deo placeret, vel si inueniretur aliquod agens naturale, vincere potens formam cęli.

Ex his sit prima conclusio. Cęlum, secundum principia Aristotelis, est corpus simplex, expers materiæ, & formæ physicæ. Est Scoti in 2. d. 14. q. 1. sub A. desūpta ab Arist. 1. de Celo t. 7. & 20. Probatur primò: Quod est ingenerabile, & incorruptibile, inalterabile, & inaugmētabile est corpus materiæ, & formæ physicæ, sed Cęlum est huiusmodi, ex Arist. in præcitato loco à t. 20. vsq. ad 22. inclusiuè; ergo Celum est expers materiæ, & formæ physicæ. Maior probatur, quia materia est principium corruptionis, & generationis, similiter alterationis, & augmētationis ex eodem Arist. 1. Phys. t. 81. & 82. ergo quod est ingenerabile, incorruptibile, inalterabile, & inaugmētabile nō eget materia, & per cōsequens est expers materiæ. Secundò probatur: Materiā dari in aliquo, cognoscitur per trāsmutationē formarū, ex eodem 1. Phys. t. 69. sed in Cęlo nō fuit hucusq. visa aliqua transmutatio; ergo fatuum, & absq. fundamento dicimus habere materiam. Tertiò probatur, quia impossibile est habenti materiam non existere aliquod cōtrarium, ex eodem lib. de longitudine, & breuit vitæ cap. 2. sed Cœlum caret contrarijs ex eodem lib. 1. de Cœlo t. 20. 21. & 22. ergo impossibile est, quod habeat materiam, secundum principia Arist.

Se-

Secunda conclusio. Inhærendo tamen principijs Theologicis, & veritati, etiam lumine naturali cognitæ, dicendum est, Cœlum esse compositum ex materia, & forma. Est Scoti in 2. d. 14. q. 1. D. Probatur prima pars, quia multi Sancti Patres, exponendo illud Gen. cap. 1. In principio creauit Deus Cœlum, & Terram, per Cœlum intelligunt Empyreum, locum Angelorum; & per Terram materiam primam, ex qua fuerunt postea facta corpora cœlestia, & sublunaria: & confirmari potest per illud Sapientiæ cap. 11. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem ex inuisa materia; atqui certum est, quod in toto orbe continentur etiam Cęli, nedum secundum veritatem catholicam; quinimmò secundum Aristotelem lib. 1. de Cęlo t. 95. & 96. ergo Cęlum est compositum ex materia, & forma. Secunda pars probatur ratione desumpta ex alijs principijs Aristotelicis, quia omne corpus naturale constat ex materia, & forma ex 2. Physicorum cap. 2. sed Cœlum est corpus naturale ex 1. de Cœlo cap. 1. & 2. ergo Cœlum constat ex materia, & forma. Secundò probatur omne corpus sensibile constat ex materia, & forma; sed Cęlum est corpus sensibile ex 1. de Cœlo cap. 1. 2. & 3. & t. 94. & 95. ergo &c. Maior est eiusdem Aristotelis lib. 8. Met. cap. 2. t. 3. his verbis: Sensibiles verò cunctæ substantiæ materiam habent; ergo cum lumine naturali percipiamus cœlum esse corpus naturale, & sensibile; siquidem videtur à nobis, dicendum est cœlum constare ex materia, & forma.

Tertia conclusio. Vtraque opinio de simplicitate, & de compositione cœli ex materia, & forma physica est probabilis, etiam in sententia Aristotelis. Probatur, quia vtraque opinione fulcitur rationibus desumptis ex principijs Aristotelis; ergo vtraq. opinio debet esse probabilis etiam in sententia eiusdem Aristot. Cōsequentia patet, quia probabilitas opinionū desumitur ex probabilitate rationum, quibus innituntur vt est in cōfessò apud oēs. Antecedens remanet probatū ex rationibus desūptis ab auctoritatibus Arist. allatis in probatione primæ, & secundæ cōclusionis: sed ex abundāti adhuc suadetur, & primo simplicitas corporum cęlestium, quia medium inueniendi materiam in aliquo indiuiduo, est generatio substantialis; siquidem mutatio accidentalis non sufficit, cum etiam creaturæ spirituales possint mutari, nedum localiter, sed etiam per alterationem respectu diuersarum operationum, & tamen carent materia; sed corpora cœlestia non sunt generabilia, cum nec sint corruptilia; ergo signum est, quod non habent materiam. Secundò suadetur compositio ex materia, & forma, quia Aristoteles 2. de Gener. & Corrupt. tex. 51. inquit: Principia sunt numero æqualia quæ in æternis, & corruptibilibus; sed corruptibilia constant ex materia, & forma; ergo & æterna; sed corpora cęlestia sunt æterna ex eodem 8. Physicorum, & 12. Metaphysicorum; ergo corpora cœlestia constant ex materia, & forma. Confirmatur ex eodem 2 de Gener. t. 37. quæ comparantur secundum molem, & dimensiones, habent materiam communem; sed cœlum, & sublunaria sunt huiusmodi, quia dicimus Solem esse maiorem terra, & Lunam minorem; ergo comparantur adinuicem secundum dimensiones, & molem, ac proindè communicant in materia. Sunt multæ aliæ auctoritates, quæ probare possent compositionem corporum cęlestium ex materia, & forma physica, sed breuitatis causa omittuntur.

Obijcitur tamen primò contra primam conclusionem ex doctrina Aristotelis, quia Aristoteles 12. Metaph. t. 10. inquit: Cuncta verò quæcumque mutantur habent materiam; at cœli mutantur saltem localiter; ergo &c. Deindè 8. Metaph. t. 3. Sensibiles verò cunctæ substantiæ habent materiam; atqui cœlum habet substantiam sensibilem, cū sit visibile; ergo hab t materiā. Rursus 1. de Celo t. 92. dicit: Cœlum esse materia mistum; & t. 94. subiungit, esse eorum, quæ ex materia. Denique in eodem lib. cap. 1. inquit: Cœlum esse corpus habens naturam, sed quæ habent natu-

naturam, habent materiam, & formam ex 2. Physicorum t. 4. ergo de mente Aristotelis Cęlum constat ex materia, & forma.

Respondetur: Has, & similes auctoritates nihil facere contra primã conclusionem, quia non loquuntur de materia prima, quæ sit altera pars cõpositi, sed vel de materia secũda, accepta pro subiecto accidentium, & præsertim motus localis, vel de materia totius, quæ est differentia indiuidualis, & ideò ad primam desumptam ex 12. Met. t. 10. dico, Philosophum ibi accipere materiam, vt est communis ad primam, quæ est subiectũ mutationum substantialium, scilicet generationem, & corruptionem; & ad tertiam, quæ est subiectum accidentalium mutationum, & ideò inquit: Cũcta, quę mutantur debent habere de necessitate alteram ex his materijs; si enim mutantur substantialiter, exigunt materiam primam, si tantum accidentaliter, sufficit, vt secundam habeant; & quod expositio sit vera, depræhenditur ex verbis ipsius, dùm dicit: Cuncta verò, quæcunque mutantur, habent materiam, sed diuersam; nam & ipsorum sempiternorum quæcumque non sunt generabilia, sed latione mobilia; attamen non generabilem, supple materiam habent, sed vndè quo, hoc est, subiectum, vndè sumatur motus lationis, seu localis; cùm igitur cœlum, ex ipso Aristotele, sit de numero sempiternorum, sufficit sibi, vt habeat materiam secundam, & non primam, quæ officit puritati eiusdem naturæ, vt potè, quæ indicat corruptibilitatem in habente.

Ad secundam de 8. Met. t. 3. dico, eodem modo, Aristotelem fuisse locutum de materia sumpta pro subiecto sic generaliter, quod non obscurè depræhenditur, cum in t. 4. sequenti exemplificet in omnibus mutationibus, quæ in aliqua materia, siuè prima, siuè secunda necessario fiunt; & concludit has materias ab inuicem separari, cùm altera sine altera, idest materia, accepta pro subiecto accidentium, reperiri possit absque materia partis, inquit enim: Nõ enim est necesse, si quid materiam habet localem, hoc generabilem etiam, & corruptibilem habere: ecce quomodo ex sensibilitate motus celorum, non licet inferre ipsos habere materiam generabilem, & corruptibilem, cum ad eorum sensibilitatem ostendendam sufficiat localis materia.

Ad tertiam, & quartam allatas ex 1. de Cęlo t. 92. & 94. dico, Philosophum ibidem sermonem fecisse de materia totius, quæ est differentia indiuidualis, opposita formæ totius, quæ est natura cõmunis, non verò de materia partis, quæ sit altera pars compositi, de qua loquimur in conclusione; quod manifestè cõuincitur ex his, quæ habet in t. 92. dum dicit: Quantum igitur celum est sensibile, singularium vtique erit; sensibile enim omne in materia existit; si autem singularium, aliud erit esse huic celo, & cœlo simpliciter; alterum igitur est hoc cœlum, & cęlum simpliciter, & hoc quidem, vt species, & forma; illud autem vt cum materia mistum: En quomodo celum simpliciter, idest essentia celi, vocatur ab ipso species, & forma; & hoc celum, cum materia mistum; quod nequit intelligi de materia partis, quia, cum secundum ipsum in 1. Physicorum t. 52. & 65. & 8. Met. t. 13. & 15. sit de essentia, & quiditate compositi, etiam cęlum simpliciter esset cum materia mistum, quod tamen ab ipso negatur: loquitur ergo de materia totius, quæ est differentia indiuidualis, constitutiua singularium sensibilium; & ideò concludit, cælum esse eorum, quæ singularia sunt, & eorum, quæ ex materia, idest celum, nedũ est de numero eorum, quæ possunt contrahi ad singularitatem, sed etiam ad sensibilitatem per materiam totius, non tamen per materiam partis, cum ipsa careat.

Ad quintam dico, non accipi naturam ibi propriè, vt restringitur ad materiam, & formam, quomodo loquitur in 2. Physicorum cap. 1. & 2. sed pro quouis principio passiuo motus, & quietis, siue tale sit compositum ex materia, & forma, siue solum sit subiectum quantum, & extensum; & hoc modo solùm dicimus cum ipso, cęlum habere naturam, quia est subiectum motus lationis circularis;

non

non verò, quòd constet ex materia, & forma physica.

Ad secundum allatum pro probatione antecedentis in tertia conclusione, quatenus militat aduersus primam, dico, auctoritatem illam de 1. Cæli t. 51. habere veritatem proportionaliter, non tamen identicè; hoc est, sicut in corruptibilibus tria sunt principia requisita ad generationem, & corruptionem, scilicet materia, forma, & priuatio, ita in æternis ad mobilitatem tria pariter requiruntur, scilicet corpus cæleste, quod est materia secunda; intelligentia, quæ se habet, vt forma; & priuatio etiam esset necessaria, si motus illius non esset æternus, vndè non sequitur postea, quod si in corruptibilibus datur materia partis, dari etiam in cælo, quod est sempiternum secundum Philosophum.

Ad confirmationem dico, intelligendam esse de materia secunda, quæ est subiectum mobilitatis; non tamen de prima, in qua solum fiunt generationes, & corruptiones.

Ad primum pro secunda conclusione desumptum ex principijs Philosophi, dico, maiorem esse veram de corpore naturali generabili, & corruptibili; falsam de corpore naturali ingenerabili, & incorruptibili, cuiusmodi est cęlum.

Ad secundum desumptum ex 8. Metaphysicorum, responsum est suprà ad secundam auctoritatem allatam in prima obiectione, verum esse de materia secunda; non verò de prima, de quâ solum est sermo in prima conclusione.

Ad argumenta, quæ probant primam conclusionem, vt faciunt contra secundam possemus dicere, quod procedunt ex falso principio Aristotelis, quod nimirum cęlum sit sempiternum, & necessarium; & ideò nihil faciunt cõtra Theologos tenentes creationem cœlorum, & eorum corruptibilitatem, saltem remotam naturaliter, & propinquam etiam de potentia Dei: tamen quia militant cõtra secundam partem conclusionis positæ secundum veritatem naturalem, & etiam contra probabilitatem tertiæ conclusionis, ideò

Ad primum dico, maiorem esse verã in potentia propinqua, quia nullum hucusque inuentum est agens, potens corrumpere formam cęli; falsam verò in potentia remota, quia sic est generabile, & corruptibile, ex quo infertur habere materiam primam, & formam physicam.

Ad secundum dico, maiorem esse veram in generabilibus, & corruptibilibus in potentia propinqua; falsam si sint corruptibilia tantum remotè, quia in his potest cognosci materia ex sola transmutatione accidentali, & ex sola latione, vt docet Aristoteles 8. Metaph. t. 4. & 1. Physicorum à t. 62. vsque ad 64. inclusiuè.

Ad tertium dico, cęlum nullum habere contrarium in potentia propinqua, & ideò non est corruptibile in potentia propinqua; habere tamen in potentia remota, & hoc sufficit, vt in ipso arguamus materiam, & formam, & sit corruptibile.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem. Medium cognoscendi materiam in aliquo composito est vicissitudo generationum, & corruptionum, vt dicit Scotus in 2. d. 12. sub R. ex Comentatore 8. Met. com. 12. sed innixi solo lumini naturæ, non possumus scire vllam esse, vel fuisse generationem, aut corruptionem in cęlo; ergo dicendum est, cęlum carere materia, & forma.

Respondetur maiorem esse veram in compositis corruptibilibus in potentia propinqua; falsam verò in his, quæ sunt corruptibilia in potentia remota tantũ, cuiusmodi est cęlum; siquidem in talibus, media inueniendi materiam, & formam sunt accidentia, scilicet quantitates, & qualitates, quæ, cum secundum Scotum nequeant subiectari in subiecto simplici; quinimmò exigant compositum, possunt optimè demonstrare materiam, & formam substantialem, absque generatione, & corruptione substantiali. Cùm igitur lumine naturæ cognoscamus cęlum esse quantum, dimensũ, partibile, rarum, densum, perspicuum, & diaphanum, quæ sunt accidentia consequentia materiam, & formam alicuius compositi substantialis, vtiq. poterimus

scire,

scire, solo lumine naturali ducti, cælum esse compositum ex materia, & forma physica, quicquid dicat Mastrius citatus n.45. ex Auersa q. 33. sect. 2. Neque ista resolutio est contra Scotum loco citato à Mastrio, cum loquatur non præcisè de generatione substantiali, sed de quacunque transmutatione formarum.

Vtrum materia corporum cælestium sit eiusdem rationis cum materia corporum sublunarium?

QVÆSTIO XI.

Circa hanc quæstionem non leuis est controuersia inter Theologos admittentes in Cœlo materiam; siquidem D.Thom. 1.p q. 66. art. 2. secutus Alensem 1. p. q. 44. membro 2. & Albertum Magnum in 4 d.6. art.6. sustinet cum suis Discipulis, materiam corporum cælestium esse diuersæ rationis à materia corporum sublunarium. Doct. Angelicum sequuntur Ricardus in 2. d. 12. q.8. & communiter Recentiores, quos citat, & sequitur Ruuius de Cœlo, & Mundo cap.2. q.6. & alij, quorum meminit Mastrius citatus in præcedenti art. 2. n. 56.

Ex opposito Doctor subtilis in 2. d. 14. q. 1. D. secutus, & ipse Aegidium eadem distinct. & quæst. de materia Cœli; ac D. Bonauenturam d. 12. q. 1. docet materiam cœlorum esse eiusdem rationis cum materia nostra. Hanc eandem opinionem tutati sunt ferè omnes Philosophi Antiqui, vt testantur Theodoretus de Materia, & Mundo; & Plutarchus de Placitis Philosophorum, & ex Theologis Ocham in 2.q.22. & Tostatus in cap. 1. Genesis, & alij non pauci, tum ex nostris, tum ex alienis, cui & nos libentèr subscribimus.

Pro cuius declaratione, & fundamento primò notandum est: Materiam cœli esse eiusdem rationis cum materia horũ corporum sublunarium, non est aliud, nisi eandem materiam esse omnibus cõmunem; hoc autem potest dupliciter intelligi, vel de communitate Logica, seu Metaphysica; vel de Physica. Si loquamur de communitate Logica, aut Metaphysica, est sensus, quod vtraque conueniant in aliquo conceptu materiæ de ipsis prædicabili per modum speciei, & hic sensus est verus, quia tàm materia cœli, quàm horum corporum sublunarium conueniunt in diffinitione materiæ, quę est esse subiectum vnicuique rei generabili, & corruptibili, ex quo cum forma fit compositum: Et quamuis materia cœli non sit in potentia propinqua, vt possit esse subiectum alterius formæ, cũ non inueniatur aliquod agens naturale, potens vincere, & corrumpere formam cœli, non impedit, quin possit alias formas simpliciter recipere, sicut & materia horum corporum sublunarium; siquidem habet priuationem omnium formarum, præter illam, quam habet, sicut & materia nostra; igitur potest simpliciter quamcunque recipere, sicut de facto nostra est receptiua omnium, ad quas naturaliter inclinatur. Si verò sit sermo de communitate physica, erit sensus, quod ambæ conueniant in qualitate sensibili illis communi, & hic sensus est falsus, quia materia non est communis nobis, & cœlis per aliquam qualitatem sensibilem (siquidem non informatur mediante aliquo accidente, vt inferiùs videbimus) sed per suam nudam essentiam, alioquin ex materia, & forma non fieret aliquod vnum per se, sed per accidens, quod est contra Aristotelem 8.Metaph. t. 15.

Secundò notandum est, quod ratio specifica alicuius, cum sit ignota à priori, potest manifestari à posteriori per passiones, & proprietates; siquidem hæ, cũ fluant à principijs intrinsecis specificis, per ipsas possunt demonstrari principia illa intrinseca, vt docet Aristoteles 1.Poster. cap. 10. patet enim de homine, cuius naturam, & quiditatem si ignoraremus, possemus illam demonstrare per risibilitatem, & cæteras passiones hominis nobis notas; ex quo infertur, quibuscumque conueniunt huiusmodi passiones, eisdem necessario habet conuenire & subiectum & principia specifica, à quibus fluunt; cùm igitur materię cęli, & nostræ conueniant eædem proprietates, quia ambæ sunt natæ recipere quacunque

cunque formam, cuius habent priuationem, consequenter dicendum est, eas conuenire in vna, & eadem ratione specifica, ac proindè esse eiusdē rationis.

Tertiò notāda est illa distinctio de duplici vnitate materiæ, intrinseca .s. & extrinseca, & quod hic est de intrinseca, & non de extrinseca, quia sic materia cœli, & horum inferiorum non est vna specie, sed potius vna genere, sicut corpora celestia, & sublunaria possunt esse vnum genere.

Ex his fit conclusio. Materia corporū cœlestium, & sublunarium sunt eiusdem rationis specificæ. Est Scoti contra D. Thomam in locis citatis. Probatur, quia illa, quæ habent easdem proprietates, sunt eiusdem rationis specificæ; sed materia corporum celestium, & materia sublunarium habent easdem proprietates; ergo sunt eiusdem rationis specificæ. Maior patet, quia proprietates, & passiones fluunt à principijs intrinsecis specificis; sed in istis consistit ratio specifica; ergo quæ habent easdem proprietates, sunt eiusdem rationis specificæ. Minor probatur, quia sicut materia corporum sublunarium est receptiua quarumcunque formarum, quarum habet priuationem, & est constitutiua compositi, ita se habet etiam materia corporum cęlestium; ergo habent easdem proprietates. Secundò probatur vtraque materia conuenit in conceptu diffinitiuo materiæ; ergo sunt eiusdē rationis specificæ. Cōsequentia patet. Antecedens probatur, quia vtraq. est subiectum rei generabili, & corruptibili; ergo conueniunt in conceptu diffinitiuo materiæ primæ. Consequentia patet ex Aristotele 1. Physic. t. 82. Antecedens probatur: tū quia cęlum est generabile, & corruptibile, saltem in potentia remota, vt probatum est in præcedenti quæstione: Tum etiam quia cœlum posset corrumpere ignem, cum eius virtus excedat formam ignis; ergo posset conuertere ignē in cęlū, & sic forma cęli posset transmutari. Tertiò probatur, quia si materia cęlorum non esset eiusdem rationis cū materia horum sublunarium; ergo darētur duæ materiæ primæ specificè distinctæ; sed hoc est impossibile; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia vna non esset alteri subordinata, cum essent alterius rationis specificæ, sicut nec species subordinantur; ergo essent æquales, & sic duæ primæ materiæ. Minor probatur, quia causa materialis non habet minorem primitatem, quam efficiens, & finalis; sed impossibile est dari duos primos fines, & duo prima efficientia; ergo etiam duæ primæ materiæ sunt impossibiles. Maior patet, quia causa æqualiter diuiditur in quatuor causas ab Aristotele 2. Poster. & 2. Physicorum; ergo omnes habent æqualem primitatem. Minorem probat Doctor subtilis in 1. d. 2. q. 1. ex Aristotele 8. Physicorum tex. 44. & 12. Metaphysic. à tex. 52. vsque ad finem libri, & nos cum vtroque demonstrabimus in sequenti libro 2. ergo cum sint impossibiles duo primi fines, & efficientes, duæ primæ materiæ quoque erunt impossibiles. Quartò probatur, quia ideò astruitur ab Aduersarijs materia corporum cęlestium alterius rationis à materia sublunarium, vt saluetur incorruptibilitas cœlorum; sed hæc ratio, nec est necessaria, nec affert intentum; ergo non est ponenda illa diuersitas materierum. Maior est præcipuum fundamentum opinantium, vt videre est apud Ruuium loco citato. Minor probatur quoad vtramque partem; & primò, quod non sit necessaria, quia huiusmodi incorruptibilitas haberi potest ab extrinseco, cum nullum detur agens, qui valeat corrumpere formam cœli. Secundò, quod non consequantur intentum, quia, vt arguit Doctor ibi, sub B. contra D. Thomā, data huiusmodi materia, esset in potentia saltem ad hanc formam huius cœli, & ad priuationem eius; sed tunc induceret corruptibilitatem; ergo data illa materia, adhuc non saluaretur incorruptibilitas cœlorum. Maior patet, quia forma cœli, cum non esset coæua illi materiæ, sed ab ea separabilis; & materia prior illa, sequitur, quod in illo priori esset in potentia ad illam, & ad priuationem eius. Minor probatur, quia corruptibilitas non inducitur in forma,

& in

& in composito per materiam, quatenus est in potentia ad aliam formam distinctam ab ea, quam habet; sed quantum est in potentia ad priuationem formæ, quam habet; ergo si huiusmodi materia esset in potentia ad formam cœli, & ad priuationem eius, etiamsi esset alterius rationis à materia horum sublunarium, nam propterea induceret incorruptibilitatem, quinimmò esset per se ratio corruptibilitatis formæ cœli. Antecedens est manifestum ex Aristotele 9. Met. t. 17. vbi dicit: Quod est possibile esse, contingit esse, & non esse; quod verò est possibile non esse, contingit non esse, quod autem contingit non esse, corruptibile est; ergo si materia huiusmodi est in potentia ad formam, quam habet, & ad priuationē eius; sequitur manifestè contingentia eius ad non esse, & consequenter corruptibilitas. Superest, cùm huiusmodi materia nec sit necessaria, nec vtilis ad inducendam incorruptibilitatem in corporibus cœlestibus, ne multiplicentur entia sine necessitate, vt dicamus illam esse eiusdem rationis cum materia horum sublunarium.

Obijcies tamen contra eum D. Thoma, ac sequacibus multipliciter, & primò sic: Ex Aristotele diuersis in locis habetur, quod materia cœli sit diuersa à materia horum sublunarium; ergo opposita non est sustinenda. Antecedens probatur, quia 8. Physicorum t. 12. habet hæc verba: De naturalibus autem, sed perpetuis substantijs alia ratio est: fortassis etenim quædam non habent materiam, aut non talem, sed solam, quæ secundum locum mobilis est. Deinde 9. Met. t. 17. inquit: Nihil igitur simpliciter incorruptibilium simpliciter potentia est, idest materia, secundum aliquid autem nihil prohibet, vt quale, aut vbi: sed cœli secundum Philosophum sunt perpetuæ substantiæ, & simpliciter incorruptibiles, igitur vel non habent materiam, vel si habent, est alia à materia rerum generabilium, & corruptibilium. Rursus 12. Met. t. 10. subiungit: Cuncta verò quæcunq. mutantur, materiā habēt, sed diuersam; nam, & ipsorum sempiternorum, quæcunque non sunt generabilia, sed latione mobilia, attamen non generabile, sed vndè quo; ergo de mente Aristotelis materia cœlorum, qui dicuntur sempiterni, est diuersa à materia generabilium, & corruptibilium.

Respondetur negando consequentiā; quandoquidem Aristoteles vel nullam astruit dari materiam in cœlis, vel si aliquam posuit, talis non est materia prima, de qua tantum est nobis sermo; sed secunda, quæ secundum ipsum est subiectum quantum, in quo fit latio, seu motus circularis; vndè manifestè patet, quod auctoritates adductæ non faciunt contra nostram conclusionem, in qua locuti sumus de materia, quæ est altera pars compositi.

Obijcies secundò ex eodem 1. de Gener. & Corrupt. t. 53. 54 & 87. quæcunque communicant in materia, sunt adinuicem passibilia; & impassibilia, si non communicent in materia; sed cœli, quāuis agant in hæc inferiora, non possunt tamen ab eis pati, alioquin possent tandem ab eis corrumpi; ergo signum est, quod cœli non communicant in materia cum his inferioribus.

Respondetur ab aliquibus, quasi vt euadant argumenti vim negando quod Aristoteles faciat propositionem affirmatiuam, hoc est, quæcunque communicant in materia, sunt adinuicem passibilia; siquidem, inquiunt, habet tantum negatiuam, idest, quæ non communicāt in materia, sunt impassibilia: ex quo non licet inferre propositionem oppositam affirmatiuā. Sed reuera minus benè locuti sunt; siquidem Aristoteles habet vtramque, nam in t. 54. habet hæc verba: Quæcunque igitur actiuorum, non in materia habent formam; hæc quidem impassibilia sunt: quæcunque autem in materia, passibilia: & clarius in tex. 87. eiusdem libri mentem suam aperit, dum dicit: Quorumcunq. eadem materia est, & actiua adinuicem, & passiua abinuicem: hæc autem faciunt impassibilia existentia, quorum non est eadem materia: horum igitur nō est mistio: En quomodo effugiunt difficultatem, negando veritatem textus Aristotelici; & apertiùs eludere satagunt, dum ostendunt, exemplo

plo ignis, & adamantis, communicantium in eadem materia, non tamen se vincentium, eiusdem propositionis affirmatiuæ falsitatem, saltem vniuersaliter in omnibus mistis: quod, quam benè, vel malè egerint, iudicent alij; nostrum tantum erit in præsenti propositam difficultatem diluere.

Respondetur igitur, Aristotelem esse locutum dumtaxat de mistis sublunaribus, in quibus tantum potest dari communicatio materiæ primæ, quæ sit altera pars compositi physici, non verò de quibuscunque actiuis, & passiuis, vt patet in exemplis ibidem adductis: vnde ex illis non licet inferre passionem in cęlis ab his inferioribus, cùm secundum ipsū non communicent cum illis in materia partis.

Contrà: ergo secundum Theologos, & secundum veritatem, cum cœli communicent in materia partis eiusdem rationis cum materia horum inferiorum, poterunt vtique ab eis pati, & pati, ac tandem corrumpi, quod esset contra sacram Scripturam, in qua diuersis in locis, apparet cœlorum perpetua consistentia.

Respondetur vtique illatum secuturū ab intrinseco, nisi ab extrinseco Deus dedisset illis incorruptibilitatem, tribuēdo eis formam cum tanta resistentia, vt à nullo agente naturali vinci possit.

Contra: quia huiusmodi resistentia, attributa formæ cœli, aut prouenit ex eo quod materia cœli respiciat essentialiter formam inseparabili modo informantem, & cum talibus dispositionibus carentibus contrario; aut, licet materia respiciat formam cum indifferētia, quia Deus statuit se nolle concurrere ad amissionem eiusdem, quamuis ab agentibus contrarijs possit oppugnari; sed neutrum istorum dici potest; ergo dicendum potius, vel cœlos carere materia cum Philosopho, vel si habeant, illam esse alterius rationis à materia horum sublunarium. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur: Non primum dici potest, tum quia esset contra Doct. subtilem in 2. d. 14 vbi dicit, quod etiam data alteritate materię, illa respiceret formam cœli cum potentia contradictionis ad illam, & ad priuationem eiusdem: tū quia ex tali modo respiciendi formam inamissibiliter, concluderetur materiæ distinctio specifica à materia horum sublunarium, quæ semper indeterminatè, & cum priuatione ad oppositam, respicit quamcunque formam: nec secundum, quia fieret recursus ad miraculum absq. necessitate; siquidem incorruptibilitas cœlorum haberi posset, ponendo in illis materiam alterius rationis à materijs horum sublunarium.

Respondetur negando minorem; ad probationem dico, incorruptibilitatem in cœlis prouenire ab extrinseco, tum ex imbecillitate agentium inferiorum, non valentium vincere formam cœli: tum etiam ex denegatione concursus Diuini, quatenus validè oppugnari posset ab aliquo agente sublunari: nec esset miraculum absque necessitate, quia non est verum, quod incorruptibilitas in cœlis posset haberi ex positione materiæ alterius rationis à materia horum sublunarium, vt suprà demonstrauimus cum Scoto in quarta probatione pro conclusione.

Obijcies tertiò. Sicut se habent principiata, ita principia se habere debent; sed corpora celestia, quæ sunt principiata, sunt alterius rationis à sublunaribus; ergo etiam materia corporum celestium debet esse alterius rationis à materia sublunarium. Maior est Aristotelis 12. Metaphysic. tex. 27. Minor pariter est eiusdem lib. 1. de Cœlo à tex. 5. vsque ad 23.

Respondetur primò, negando minorem; imò corpora celestia, & sublunaria vniuocantur, cum omnia constent ex materia, & forma physica. Ad probationem dico, auctoritatem Philosophi non valere, cum ex falso fundamento asseruerit Cœlos esse ingenerabiles, & incorruptibiles, esse entia necessaria, æterna, & sempiterna, quæ dedecent, non solum Theologum, sed etiam Philosophum Christianum, apud quos sūt principia omninò contraria.

Vel dicendum secundò argumentum concludere dumtaxat diuersitatem extrinsecam in materia corporum cœlestium,

stium, & sublunarium, non autem intrinsecam, de qua tantum nos loquimur, vt monuimus suprà not. vltimo.

Vtrum materia sit pars quiditatis compositi substantialis?

QVÆSTIO XII.

Circa propositam difficultatem duo sunt Doctorum placita; siquidem Auerroes 7. Met. com. tex. 21. 34. & 35. Aphrodisæus 2. Met. t. 12. Themistius 3. de Anima t. 9. Simplicius ibidem, & nonnulli ex Recentioribus Philosophis docent, materiam esse quidem partem constitutiuam compositi substantialis; negant verò esse partem quiditatis eiusdem, cùm illam collocent in sola forma substantiali.

Ex opposito Theologi melioris notæ asserunt materiam, non tãtum esse partem integrantem compositi substantialis, sed etiam quiditatiuam, licèt minus principalem. Ità Alensis 3. p. sum. q. 6. D. Thom. 1. p. q. 75. art. 4. Scotus in 7. Met. q. 16. & in 3. sent. d. 22. q. vn. Durandus in 4. d. 44. q. 1. Vasquius in 3. p. tom. 1. disp. 19. & communiter Thomistæ, ac Scotistæ, quos referunt, & sequuntur Mastrius disp. 5. q. 12. n. 137. & Merinero disp. 3. q. 7. quibus adiungi potest Roccus in 1. Physic. q. 23.

Pro declaratione ac fundamento sententiæ Theologorum primò notandum ex Scoto in 2 d. 3. q. 6. & in 3. d. 22. q. vn. tàm materiam, quàm formam dupliciter accipi posse, scilicet pro materia, & forma totius, & pro materia, & forma partis. Materia primo modo est differentia indiuidualis, per quam contrahitur natura communis materialis ad esse indiuiduale, vt hæcceitas huius, vel illius hominis, & de hac intelligitur dictum Aristotelis 7. Met. t. 20. quod in conceptis cum materia, non est idē quod quid est, cum eo cuius est, idest inconceptis cum materia indiuiduali, non est idem quod quid est &c. .f. natura quiditatiua per se primo, cum indiuiduo; siquidem non identificantur formaliter, sed tantum realiter, & per se secundo. Forma autem huic materiæ opposita, dicitur à Scoto forma totius, cum sit quid abstractum à toto composito, & eiusdem denominatiua, vt humanitas à quo dicitur homo formaliter. Materia verò, & forma partis secundo modo acceptæ, sunt illæ, ex quibus coalescit compositum, tanquam ex per se actu, & per se potentia, vt docet Aristoteles 8. Met. t. 15. & 16. vt anima, & corpus organicum respectu hominis; vel materia prima, & forma corporeitatis respectu corporis naturalis. Hic non est sermo de materia, & forma totius, sed solum de materia, & forma partis, cum quæritur: An sint de quiditate compositi substantialis.

Secundò notandum ex eodem in præcitatis locis, quiditatem esse duplicem, sicut duplex est compositum, scilicet metaphysicam, & physicam. Quiditas metaphysica est, quæ coalescit ex principijs metaphysicis, scilicet ex genere, & differentia, vt homo ex animali, & rationali. Physica verò constat ex materia, & forma physica, tanquam ex principijs physicis, vt homo ex anima rationali, & corpore organico. De hac quiditate loquimur in præsenti, aliàs acturi de altera.

Tertiò notandum, ex eodem ibidem, formam dicere totam quiditatem compositi substantialis, potest dupliciter intelligi, vno modo absolutè, & simpliciter, ita quod quiditas compositi substantialis contenta sit sola forma substantiali, & materia ad ipsum nil conferat: Alio modo comparatiuè, ita vt perfectiori modo explicetur quiditas compositi per formam, quam per materiam: Priori modo nequit intelligi formam dicere totam quiditatem compositi; siquidem non diffinitur per solam formam, sed per vtrãque; modo cum diffinitio exprimat totam quiditatem rei, dicẽdum est, quod etiam materia spectet aliquo modo ad eius quiditatem: cæterùm posteriori modo possumus dicere formam dicere totam quiditatem compositi; tùm quia ab ipsam habet perfectiorem entitatem, quam à materia; Tum etiam, quia forma, cùm sit ratio innotescendi materiã, & composita, quodammodo tribuit notiorem

riorem quiditatem, quàm materia.

Ex his fit prima conclusio. Materia prima, non tantum est pars constitutiua, sed etiam quiditatiua compositi substantialis. Probatur à Doctore subtili in citatis locis multipliciter, sed nobis sufficiet vna, vel altera ratio; Primò igitur probatur sic, quia circumscripta materia ab aliquo composito substantiali, non remanet eius essentia; ergo signum est quod materia spectat ad eius essentiam. Consequentia patet, quia illud est de essentia alicuius, quo circumscripto non remanet eius essentia; siquidem partes essentiales nequeunt circumscribi, alioquin destruitur essentia, vt patet de animali, & rationali: de corpore, & anima rationali respectu essentiæ quiditatiuæ hominis, quia si alterum abfuerit, non erit amplius homo. Antecedens probatur, quia si Deus crearet nudam formam ignis, non esset ignis; sicut nec sola anima rationalis esset homo; & ratio est, quia *totus ignis*, sicut totus homo non sunt *entitates simplices*, sed compositæ ex materia, & forma; ergo si ab alterutro demas partem materialem, non remanet illorum entitas, & sic nec essentia, quia hæc non distinguitur realiter ab entitate rei. Secundò probatur: Passio demonstratur de subiecto per eius diffinitionem; sed corruptibilitas demonstratur de corpore naturali per materiam, & formam, tanquam per eius diffinitionem; ergo non tantum forma, sed etiam materia est diffinitionis corporis naturalis pars, ac proindè de eius quiditate. Maior patet, quia diffinitio est medium in demonstratione potissima ex Aristotele 2. Posteriorum cap. 17. sed in demonstratione potissima demonstratur passio de suo subiecto, ex eodem Aristotele 1. Poster. cap. 2. ergo per eius diffinitionem. Minor probatur, quia effectus demonstratur propter quid per suam causam, ex Aristotele 1. Posteriorum cap. 10. sed corruptibilitas est effectus materiæ, & formæ, vt probabimus inferius in propria quæstione, & præsertim materiæ, vt docet Aristoteles 9. *Physic.* Metaphysic. tex. 17. & 1. Physic. tex. 81. ergo corruptibilitas demonstratur de corpore naturali per materiam, & formam, & præcipuè per materiam; igitur materia est de diffinitione, & consequenter de quiditate compositi substantialis.

Secunda conclusio. Forma non dicit totam quiditatem, & essentiam compositi substantialis, sed tantum partem meliorem, & perfectiorem. Probatur primò auctoritate D. Augustini lib. 3. de Ciuitate Dei cap. vltimo, sic loquentis: *Verum est, quod non totus homo, sed pars melior anima est; nec totus homo corpus, sed inferior pars hominis, sed cum est vtrumque coniunctum simul habet hominis nomen*. Secundò probatur ratione à Scoto loco citato: Si forma diceret totam essentiam compositi substantialis, sequeretur, quod non posset vniri cum aliqua re ad faciendum aliquod vnum per se; sed hoc esset contra Aristotelem 8. Metaphysic. tex. 15. & 16. ergo &c. Sequela maioris probatur, quia ens completum non potest alteri vniri per se, sed tantum per accidens ex eodem Aristotele in citato textu; sed si forma diceret totam essentiam compositi substantialis, forma esset ens completum in genere, quia compositum substantiale est ens completum in genere substantiæ; ergo non posset alteri vniri ad faciendum aliquod per se, sed tantũ per accidens. Secundò probatur: Quiditas, & essentia rei desumitur ab entitate rei, cum non distinguantur nec etiam formaliter, vt patet de animali, & rationali, quæ desumuntur ab entitate hominis in esse metaphysico; sed entitas compositi substantialis coalescit ex materia, & forma, & non ex forma tantum, vt docet Aristoteles 2. Physicorum cap. 2. & 8. Metaph. tex. 6. vbi inquit: *Manifestum itaque ex dictis est, quænam sensibilis substantia, & quomodo sit; etenim hæc quidem, vt materia, hæc autem vt forma, quoniam actus, tertia verò ex his*. Idem repetit etiam sub tex. 15. & 16. ergo quiditas, & essentia compositi substantialis nõ est

tantum forma. Secunda pars probatur, quia perfectior pars perfectiorem tribuit essentiam, vt de se patet, sed forma est pars perfectior compositi substantialis, ex Aristotele 2 Physicorum t. 12., qua actione sæpiùs vocatur ab ipso species, idest essentia, seu natura, & quid quid erat esse, idest quiditas, vt patet in tex. 26. & 7. Metaphysic. tex. 35., non quod forma sit tota quiditas, sed melior, & perfectior, vt optimè declarat in hoc vltimo textu 35. ergo forma dicit meliorem partem quiditatis compositi substantialis, non autem illius essentiam.

Obijcitur ex Doct. subtili pro Auerroe contra primam conclusionem, quia materia secundum Aristotelem 7 Metaph. tex. 22. est causa, secundum quam res potest esse, & non esse, idest generari, & corrumpi; sed quiditas, seu pars quiditatis non est huiusmodi; ergo materia non est pars quiditatis compositi substantialis. Minor probatur, quia quiditas est ingenerabilis, & incorruptibilis; ergo non potest esse ratio alteri corruptibilitatis. Antecedens est Aristotelis, quod quiditates, & essentiæ sunt æternæ, alioquin de illis non esset scientia, vt patet 7. Met. t. 34 & alibi.

Respondetur ex Doctore ibi: Corruptibile esse duplex, scilicet in potentia remota, & in potentia propinqua. Illud est corruptibile primo modo, quod habet in se principium, vnde possit corrumpi, non tamen potest exire in actum, nisi fiat in potentia proxima, & sic ignis in communi dicitur corruptibilis, quia habet materiam in communi, in sui quiditate, quæ est principium remotum corruptibilitatis. Illud verò est corruptibile secundo modo, quod habet in se principium proximum, vnde possit corrumpi, & sic hic ignis existens dicitur corruptibilis, quia habet in se materiam contractam ad esse existentiæ, quæ est principium proximum corruptibilitatis. Materia partis in communi est de quiditate rei corruptibilis in potentia remota; materia verò contracta ad esse existentiæ est de quiditate rei corruptibilis in potentia proxima.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram, vel in potentia proxima, vel remota, & de materia in communi, vel contracta ad existentiam indiuidualem, & sic nego minorem, ad cuius probationem dico, antecedens, & eius probationem esse veram de quiditate in communi, & secundum esse essentiæ, ac de ingenerabilitate, & incorruptibilitate proxima, non autem de quiditate in particulari, & de incorruptibilitate remota, quia sic non sunt ingenerabiles, & incorruptibiles, immò oppositum potest de illis prædicari, & sic intelligenda est auctoritas Aristotelis, & non aliter, vt etiam clarè se explicat in citato textu 34. exemplificans de materia secundum se, & in esse indiuiduali, & sic de composito in communi, & in esse existentiæ, vt legenti patere poterit.

Obijcitur secundò: Quiditas est per se principium, cognoscendi illud, cuius est quiditas, sed materia non est per se principium cognoscendi compositum substantiale; ergo materia non dicit quiditatem compositi substantialis. Maior est Aristotelis 7. Met. t. 20. Minor probatur ex Aristotele 1. Physicorum tex. 69. Materia secundum se non est scibilis, sed tantum in analogia ad formam, & transmutationem; ergo nequit per se esse principium cognoscendi compositum; siquidem per ignotum nihil scitur, vt docet Aristotelis 1. Poster. cap. 3.

Respondetur negando minorem; ad probationem dico, materiam esse per se cognoscibilem, vt superiùs probauimus cum Doctore subt. & consequenter esse principium cognoscendi etiam compositum per ipsam constitutum, non tamen ita perfectè sicut forma, cùm nec eius entitas sit æquè perfecta, sicut forma; modo cum cognoscibilitas sequatur entitatem, vt docet Aristoteles 2. Metaphysic. tex. 4. sequitur, materiam absolutè esse principium cognoscendi compositum, cum ab illa habeat etiam suam entitatem, non tamen in comparatione ad formam, quæ perfectiori modo dat esse quiditatiuum composito substantiali.

Obijci-

Obijcitur tertiò: Illud non est de quiditate alicuius, quod excludit quiditatem ab eo, sed materia excludit quiditatem à composito substantiali; ergo nequit esse de eius quiditate. Maior patet, quia oppositum prædicati infert oppositum subiecti. Minor probatur ex Aristotele 7. Metaph. tex. 20. & 21. dicente, quod in conceptis cum materia, non est idem quod quid est, cum eo, cuius est, idest cum composito substantiali; ergo materia excludit quiditatem à composito substantiali.

Respondetur ex eodem Scoto: Aliquid potest habere quiditatem tripliciter per se primo, per se non primo, & per accidens. Primo modo natura specifica, vt homo habet quiditatem, scilicet animal rationale. Secundo modo hic homo, seu indiuiduum, quia animal rationale prædicatur per se, non tamen primo, de eo. Tertio modo hic homo existens, idest Petrus, vel Paulus, quia accidit sibi, vt existens est, quod sit animali rationale; siquidem hoc prædicatum non conuenit sibi ratione existentiæ, imò vt ab ea præscindit, cum prædicamenta secundum se tota præscindant ab existentia: similiter materia potest considerari hoc triplici modo, scilicet in cõmuni, & sic est de quiditate compositi substantialis in communi; in particulari vt hæc materia, & sic est de quiditate huius compositi indiuidualis, & vt existit, & sic non est de alicuius quiditate, imò accidit sibi, vt sit contracta ad existentiam.

Formaliter ad argumentum nego minorem, ad probationem dico, auctoritatem Aristotelis habere veritatem tantum in conceptis cum materia contracta ad existere, quia in talibus quod quid est non est idem, cum eo, cuius est, nec per se primo, nec per se secundo, sed tantum per accidens, non autem in conceptis cũ materia communi, vel particulari, abstracta ab existentia, indiuiduali; quia sic quiditas est eadem cum eo cuius est, vel per se primo, vel per se non primo, vt declaratum est.

Vel dicendum breuiter, ad minorem, quod habet veritatem de materia totius, non de materia partis, quia hæc non excludit quiditatem à composito, imò est eius pars essentialis. Ad Aristotelem dico, quod in conceptis cum materia totius, non est idem quod quid est cum illis per se primo, benè tamen per se non primo, cum sit realiter cum illis, vt explicuimus in not. 1.

Obijcitur quartò: Aristoteles excludit materiam à quiditate compositi substantialis, inquit enim 7. Met. t. 9. *At illa substantia, quæ ex ambobus, dico autem, quæ ex materia, & forma est, omittenda est; posterior enim & manifesta est: manifesta verò quodammodo etiam ipsa materia:* Vel vt vertit Argyropolus, *Cõpositum ex materia, & forma dimittendum est, quia huius substantia posterior est quiditate rei*; sed per ly substantia intelligit materiam; ergo de mente Aristotelis materia excludenda est à quiditate compositi.

Respondetur negando consequentiã de materia partis; Ad auctoritatem Aristotelis, dico, ipsum locutum fuisse de materia totius, seu contracta ad existentiam, quia hæc sola est posterior ipsa substantia composita; cæterùm materia partis est prior, cum ex ipsa cum forma fiat compositum substantiale.

Obijcitur quintò contra secundam conclusionem, tum quia Aristoteles 7. Met. tex. 35. vocat animam substantiam animati, speciem, & quod quid erat esse: Deinde 2. Physicorum deffiniens formam sub tex. 28. dicit, esse rationem & quod quid est rei: tum etiam, quia homo, & asinus distinguuntur quiditatiuè, non tantum metaphysicè, sed etiam physicè, sed non distinguuntur per materiam, quia est vna specie in ambobus; ergo per formam, ac propterea forma erit tota quiditas vtriusque, & non materia.

Respondetur his, & similes auctoritates concludere, quod forma sit pars perfectior, & notior ipsa materia, & cõsequenter dicere totam quiditatem cõpositi comparatiuè, non quidem simpliciter, & absolutè, quia sic etiam materia est de quiditate eius, cum sit de eius diffinitione, vt docet Aristoteles 8. Met. t. 6.

vbi approbat opinionem Archythę diffinientis res sensibiles per materiam, & formam.

Ad rationē, respondet Merinero hominem, & asinum distingui tantum essentialiter metaphysicè per diuersas differentias essentiales, & quiditatiuè distinctas, desumptas tamen nedum à diuersis formis physicis, sed à tota entitate physica, includente materiam, & formam in vtroque, non autem physicè adæquatè, cum eadem materia specie sit in homine, & asino.

Sed pace tanti viri, hæc responsio non soluit difficultatem, Tum quia, ita differunt quiditatiuè homo, & asinus secundum esse physicum, sicut secundum esse metaphysicū; siquidem anima vnius est diuersa specificè, & essentialiter ab anima alterius, sicut rationalitas à rudibilitate: Tum etiam, quia possumus inferre, animal non fore de quiditate vtriusque, cum per ipsum non distinguantur essentialiter metaphysicè, sed solum per suas differentias constitutiuas, quod esset valdè absurdum in doctrina Peripatetica, in qua docemur totam diffinitionem, siue metaphysicā, siue physicam esse de quiditate, & essentia rei diffinitæ.

Respondetur ergo aliter, concedendo totum argumentum, & negando illam consequentiam, ac proindè forma erit tota quiditas vtriusque, & non materia, quia aliud est esse quiditas alicuius, & aliud ipsum distinguere quiditatiuè à quocunque non est ipsum; nam primum præstatur per totam diffinitionem cuius altera pars est semper materialis, vt docet Aristoteles 7. Met. cap. de Partibus diffinit. & t 43. secundum verò habetur solū per alteram partem eiusdem diffinitionis, scilicet per formam, quæ cū sit actus, eius erit distinguere vnum ab alio, sicut potētiæ est conuenire eadē in vnum; nec indè sequitur, partem materialem non esse de quiditate rei diffinitæ, ex eo quod non distinguit, quia eius munus non est diuidere, sed congregare in vnum diuisa.

Vtrum materia, vel forma sit causa corruptionis compositi naturalis?

QVÆSTIO XIII.

NOn desunt, qui causam, & principium corruptionis compositi substantialis tribuant formæ, & non materiæ, fundati in doctrina cōmuni Aristotelis, quòd omnis corruptio fiat à suo contrario; quod nequit habere materia, sed tantum forma, vt docet Aristoteles 1. Physicorum t. 47. Ita Auicennas lib. 1. suæ Sufficientiæ cap. 3. Huius opinionis videtur esse Ioannes Canonicus cum Francisco de Marchia ab ipso relato in 1. Physicorum q. 9. dub. 2. dum ait, præcipuam causam corruptionis, saltem obiectiuam, esse formam; materiam verò subiectiuam.

Cæterùm communis sententia, quam tradunt D. Thomas 1. p. q. 66. art. 2. & Scotus in 2. d. 12. q. 1. A. & d. 14. q. 1. & in 3. d. 22. q. vnica sub B. & G. ac eorum Discipuli diuersis in locis, tenet, præcipuam non solum, sed totalem causam corruptionis compositi refundendam esse in solam materiam, vt docet Aristoteles 1. Physicorum t. 80. & 81. Et 8. Met. t. 4. Et 9. Met. t. 17. ac alibi.

Pro cuius declaratione, & confutatione prioris, primò notandum est: quod corruptio est mutatio de esse ad non esse substantiale, & talis est duplex, scilicet actualis, & aptitudinalis. Actualis est actualis mutatio de esse substantiali ad non esse eiusdem, vt dum homo moritur, vel lignum comburitur, tunc fit mutatio de esse viuentis in homine ad non esse viuentis, & similiter in ligno fit mutatio de esse ligni ad non esse eiusdem. Aptitudinalis autem adhuc est duplex, scilicet remota, & propinqua. Prior est, cum adest in composito principium, quo possit non esse, impeditum tamen propter defectum alicuius agentis impotentis destruere formam eius, & sic cœlum dicitur corruptibile, vt aliàs diximus. Posterior verò accidit, cū in cōposito

ſito adſit materia, quæ eſt principium non eſſendi illi, & eſt in proxima diſpoſitione amittendi formam, quam habet; & ſic omnia viuentia corporea ſunt corruptibilia in aptitudine propinqua, quia habent materiam in proxima diſpoſitione molientem mortem cuilibet viuenti. Hic eſt ſermo de qualibet corruptione, & præſertim de aptitudinali propinqua.

Secundò notandum eſt: Corruptionem adhuc eſſe in triplici differentia; ſiquidem alia eſt phyſica; alia metaphyſica; & alia logica. Phyſica reperitur in illis compoſitis, quæ habent in ſe principium phyſicum, vt poſſint non eſſe, ſcilicet materiam primam, quia ſecundum Philoſophum 9. Metaph. tex. 9. eſt potentia contradictionis, qua res poteſt eſſe, & non eſſe phyſicè, ac realiter. Metaphyſica verò eſt in illis, quæ habent in ſe principium non eſſendi per annihilationem, & ſic omnes creaturæ *ſpirituales* dicuntur hoc modo corruptibiles; ſiquidem ſunt entia creata, & *finita*, & *finitas eſt ratio illis non eſſendi*. Logica denique eſt in illis compoſitis ab intellectu factis, quæ habent in ſe principium, vt poſſint non eſſe vera, vel ſimpliciter non eſſe, & ſic propoſitiones contingentes, dum mutantur de veritate in falſitatem; vel ſyllogiſmus, dum reſoluitur in *propoſitiones per interremptionem alicuius*, vel propoſitio *in terminos, dicuntur Logicè* corrumpi. *Hic non agitur* de corruptione Logica, *quia talis* ſpectat ad Logicam; nec *metaphyſica*, cum pertineat ad Theologum, & neutra eſt propriè corruptio, quia *in illis* non remanet ſubiectum commune, quod tranſeat de eſſe ad non eſſe; ſed tantum de phyſica, quæ *dicitur* propriè corruptio, & quæritur: An eius cauſa ſit materia, vel forma ſubſtantialis phyſica.

Tertiò notandum eſt: Cauſam corruptionis phyſicæ duplicem aſſignari poſſe, *ſcilicet* extrinſecam, & intrinſecam. Extrinſeca dicitur illa, quæ manens extra compoſitum, corrumpit illud, & ſic aqua corrumpit ignem, & ignis lignum: Et hæc eſt duplex, ſcilicet violenta; cum homo videlicet hominem gladio perimit; & naturalis, cum ex contraria diſpoſitione aeris continentis, paulatim compoſitum deſtruitur, ſicut accidit in aere mantuano, ex cuius praua diſpoſitione viuentia paulatim tendunt ad corruptionem. Violenta adhuc eſt duplex, ſcilicet directa, & indirecta. Prior accidit, cum agens de directo pugnat in formam oppoſitam, vt dum ignis comburit lignum, vel aqua extinguit ignem. Poſterior verò euenit, cum tollitur neceſſarium ad conſeruationem compoſiti, vt nimirum dum viuenti ſubtrahitur cibus, vel ſomnus, aut dum impeditur reſpiratio; ſiquidem hæc ſunt neceſſaria animalibus, ſaltem pulmonem habentibus. Intrinſeca verò cauſa corruptionis eſt, quæ manens in compoſito molitur eius deſtructionem, & hæc eſt duplex, ſcilicet poſitiua, & negatiua. Negatiua eſt illa, quæ non corrumpit, ſed ipſa abſente res deſtruitur, ac perit, & ſic alimenti ſubſtractio ob defectum caloris naturalis, non valentis illud conuertere in ſubſtantiam aliti, dicitur cauſa negatiua mortis animalis, ſeu viuentis. Poſitiua autem eſt duplex, ſcilicet actiua, & paſſiua. Actiua dupliciter accidere poteſt, vel per actionem vnius contrarij in aliud, vt calidi in frigidum, vel humidi in ſiccum, & è conuersò; aut per actionem vnius membri in aliud, vt epatis nimis calidi in cerebrum frigidum; ſiquidem ex horum actione, & reactione in ſe inuicem, compoſitum patitur, & tandem conſumitur. Paſſiua verò eſt, quæ non agit ad corruptionem, ſed affectat aliquam formam incõpoſſibilem ei, quam poſſidet, ratione cuius, agens extrinſecum, vel intrinſecũ molitur deſtructionem formæ habitæ, vt aliam inducere poſſit, & ſic ſola materia prima dicitur cauſa corruptionis compoſiti; ſiquidem ex appetitu, quem innatum habet ad recipiendum omnes formas, & ex incompoſſibilitate formarum, vt ſimul eſſe poſſint in eadem materia, oritur quod ipſa moliatur deſtructionem formæ habitæ, vt valeat aliam recipere, & conſequenter corruptio-

ruptionem prioris compositi, & posterioris generationem.

Ex his fit prima conclusio. Forma non est causa intrinseca incorruptibilitatis compositi. Est contra Auicennam, & Canonicum. Probatur, quia forma dat esse composito, & ipsum conseruat in esse, quantum est ex se; ergo non potest esse causa eius non esse. Antecedens patet per diffinitionem formæ, quæ est dare esse, & conseruat rem in esse. Consequentia patet, quia alioquin esset causa oppositorum contradictoriorum, scilicet dare, & non dare esse, quod est impossibile. Confirmatur, quia nihil potest esse causa sui non esse; sed si forma esset causa corruptionis compositi, esset causa sui non esse, quia compositum corrumpitur ad corruptionem formæ, sicut conseruatur ad conseruationem eiusdem; ergo si forma esset causa corruptionis compositi, esset etiam causa sui non esse, quod non est dicendum, quia quodlibet naturaliter appetit esse.

Secunda conclusio. Materia prima est sola causa, præcisa, & immediata passiua corruptionis compositi. Est Scoti in 2.d.12.q.1.A.& d.14.q.1.A.& D.& in 3.d.22.q.vn.§. Rationes quas &c. & sub G. respondendo formaliter ad primum argumentum alterius opinionis. Probatur primò auctoritate Aristotelis 7.Met.t.22.& 29. *Materia est qua res potest esse, & non esse*: & 1.de Cœlo tex. 136. *Necessaria est igitur natura talia, quandoque quidem esse, quandoque autē non: talium autem eadem potentia est contradictionis: & materia causa est, vt sint, & non sint*. Sed compositum, dum est corruptum non est amplius; ergo causa corruptionis est materia, & nō forma. Secundò probatur ratione: In composito non est nisi materia, & forma; sed forma non est causa corruptionis compositi, vt probatum est in præcedenti conclusione; ergo erit materia. Tertiò probatur à Scoto in 3.d.22.q.vn. quia corruptibilitas est passio corporis mixti ex elementis; ergo est demonstrabilis de eo per aliquam causam; sed nulla potest assignari præter materiam; ergo materia est causa corruptibilitatis compositi mixti. Minor probatur, quia si quæ alia assignari posset, aut esset agens, aut actio contrariorum, aut forma; sed nulla istarum potest dici; ergo &c. Maior patet, quia in qualibet corruptione hæc solent occurrere. Minor probatur: Non potest dici agens, quia cum sit extrinsecum, nequit esse medium demonstrandi corruptibilitatem de corpore, quæ est eius passio intrinseca. Nec actio contrariorum potest esse prima causa corruptibilitatis, quia non possunt agere adinuicem ad expulsionem formæ habitæ, nisi quia aliquid est in potentia, vt possit recipere aliam formam, ac proindè prima radix corruptibilitatis non erit actio contrariorum, sed illud potentiale, quod appetit aliam formam: nec etiam forma, tum quia per illam compositum habet esse completum, & perfectum; tum etiam quia forma esset causa sui non esse, quod non est dicendum; restat igitur quod huiusmodi causa sit materia, per quam, tanquam per medium, demōstrari possit corruptibilitas de corpore naturali, tàm mixto, quàm simplici.

Obijcitur tamen primò cōtra vtramque conclusionem simul, ex Canonico, tùm quia incorruptibile nequit esse causa corruptibilitatis; tùm etiam quia necessarium non potest esse causa contingentis; sed materia est ens necessarium, & incorruptibile; forma verò contingens, & corruptibilis; ergo hæc & non illa poterit esse causa corruptibilitatis, & contingentiæ compositi naturalis. Maior vtraque patet alioquin vnum oppositū esset causa alterius oppositi. Minor similiter est tota ex dictis suprà, & est Aristotelis 1.Physic.t.82.

Respondetur vtramque: Maiorem esse veram de necessario, & incorruptibili simpliciter, quod nimirum excludit quamcunque priuationem; non tamen de eo, quod priuationem includit, quia tunc ratione illius potest aliam formam appetere, & sic esse causa corruptionis formæ habitæ, & compositi; materia est ens necessarium, & incorruptibile secundo, non primò modo.

Vel dicendum, maiorem esse veram de necessario, & incorruptibili reduplicatiuè

catiuè sumpto, quia alioquin oppositum esset causa oppositi; falsam verò de vtroque specificatiuè accepto, quia sic potest esse, quod illud, quod est incorruptibile, & necessarium in vno sensu, sit in alio corruptibile, & contingens, & sic esse causa corruptibilitatis, & contingentiæ. Ita accidit in proposito de materia, quæ est incorruptibilis, & necessaria terminatiuè, ac formaliter; & corruptibilis, ac contingens subiectiuè, & in hoc sensu est causa corruptibilitatis, & contingentiæ formæ, & compositi substantialis.

Obijcitur secundò. Idem nequit esse causa corruptionis, & conseruationis, quia agens naturale est determinatum ad vnum modum agendi; sed materia est causa conseruationis formæ, & compositi per Aristotelem 1. Oeconomicorum cap. 3. ergo non potest esse causa corruptionis.

Respondetur maiorem esse veram per se primo, & ex ratione entitatis suæ; falsam per se non primo, & ratione alicuius adiuncti; modo materia est causa conseruationis compositi per se primo, cum sit de eius quiditate; tamen per se non primo quatenus nimirum, appetit diuersas formas, & appetitus generat priuationem illius formæ, quam habet, & desiderium aliam habendi; hinc fit, quod moliatur destructionem compositi, sine qua non posset illam habere; & hoc est, quod dicit *Aristotelis in* tex 80. nempè quod per priuationem, quam habet adiunctam in maleficium tendit, scilicet in corruptionem compositi.

Obijcitur tertiò. Si materia esset præcisa causa corruptionis, sequeretur, quod illa, quæ carent materia non essent corruptibilia; sed hoc est falsum; ergo etiam falsum esse debet quod materia sit præcisa causa corruptionis. Minor probatur, quia Angeli possunt à Deo corrumpi, & tamen carent materia, cum sint *substantiæ spirituales*; ergo &c.

Respondetur: Minorem, & eius *probationē* esse veram de corruptione *metaphysica*, quæ dicitur annihilatio, non *tamen de physica*, quia talis necessario *exigit pro causa præcisa*, materiam primam.

Contra: quia Philosophus 1. Physicorum t. 68. inquit: Quod alterum contrariorum absentia, & præsentia est sufficiens causa faciendi mutationem in composito; sed materia nulli est contrarium; ergo non poterit esse saltem causa præcisa corruptionis compositi.

Respondetur: Maiorem, quæ est auctoritas Philosophi, habere veritatem de corruptione actiua, quia talis oritur ex præsentia, vel absentia contrariorum, vt dicit in t. 80. nec propterea excludit materiam à radice huiusmodi corruptionis, quinimò ipsam includit, dum inquit, cōtraria non posse in seinuicem agere, nisi in subiecta consistant materia, & nisi materia appetat aliam formam cuius habet priuationem.

Obijcitur quartò. In tantum materia appetit pluralitatem formarum, in quātum nulla reperitur, quæ satiare valeat totum eius appetitum; ergo causa corruptibilitatis in materia redundat in imperfectionem formæ, ac proindè hæc erit prima radix compositi corruptibilitatis. Antecedens patet, quia in tantum cœlum est incorruptibile, quamuis habeat materiam, in quantum eius forma satiat totum appetitum illius materiæ, adeò vt non possit aliam appetere formam.

Respondetur negando consequentiā, immò totum oppositum deducitur, ideò enim dicimus, materiam appetere pluralitatem formarum, quia cum eius appetitus sit determinatus ad formam in communi, & indeterminatus ad quamcunque in particulari, sequitur, quod imperfectio, & in adæquatio in formis, sequatur appetitum materiæ, & non ipsum præcedat.

Vel dicendum cum Merinero, tàm formam, quam materiam, esse causam corruptionis compositi, nec alteram altera esse priorem, cum ex æquo concurrant in diuerso genere; siquidem materia, quia est ordinata ad receptionem omnium formarum successiuè, necessario molitur destructionem formæ babitæ, vt alias possit habere; similiter forma habita, quia non est tantæ perfectionis, vt satiare valeat appetitum deside-

rij in materia, cogitur cedere alteri formæ vnionem cum materia, & sic per accidens molitur & ipsa corruptionem compositi, & etiam sui ipsius, non ratione suæ entitatis, per quam dat esse composito, sed ex defectu illius perfectionis, quæ posset tribuere conseruationem composito, & sibiipsi.

Dices: ergo in quacunque corruptione compositi erunt duæ priuationes, altera in materia, quæ appetit diuersitatem formarum, & altera in forma habita in ordine ad illam perfectionem, quã non habet.

Respondetur negando illatum; siquidem in forma dicit tantum negationem perfectionis, non autem priuationem, cum illa forma non sit apta nata recipere perfectionem omnium formarum, sicut materia, quæ ab omnibus formis exposcit perfici.

Vtrum materia appetat formam propter priuationem?

QVÆSTIO XIV.

Circa primam partem quæstionis, in qua agendum est de appetitu innato materiæ, potest esse difficultas, an materia appetat tantum formam vt sic, & in communi; vel etiam omnes formas in particulari: Rursus An formas in particulari appetat vnico, vel pluribus appetitibus. Deinde An ad omnes formas æqualiter se habeat, vel potius ad digniores maiori cum studio ordinetur, quàm ad minus dignas; & tandem An huiusmodi appetitus ordinetur ad omnes formas, etiam ad præhabitas, & vel per corruptionem, vel per separationem seiunctas, quare insurgunt variæ Doctorum sententiæ, vt videre est apud Mastrium hic disput. 2. quæst. 6. art. 1. & 2. Poncium disput 3. q 7. & Merinero ibidem q. 5. de quibus in conclusionibus erit nobis memoria, simul ac iudicium.

Pro declaratione tamen omnium harum difficultatum, ac fundamento sententiæ Scoti primò notandum est, ex eodem in Prologo 1. sent. q. 1. & d. 1. q 5. & in 4 d. 49. q. 10. Appetitum esse duplicẽ, scilicet innatum, seu naturalem; & elicitum. Appetitus naturalis, seu innatus est inclinatio naturalis, ab Auctore naturæ insita cuicunque rei, per quam, absque vlla præuia cognitione, tendit in suum bonum, seu in suam perfectionem, & sic lapis inclinatur, & appetit esse in centro terræ; ignis in loco sursum, & materia esse sub aliqua forma per quam perficiatur. Appetitus elicitus est actus, quo potentia tendit in bonum appræhensum; & hic est duplex, scilicet sensitiuus, & intellectiuus; seu rationalis, & animalis. Appetitus sensitiuus, siue animalis est, qui, præsupposita cognitione sensitiua, tendit in suum obiectum, & sic bos appetit paleas, quas videt; & canis panem: & iste appetitus multiplicatur iuxta multiplicationem potentiarum sensitiuarum. Appetitus elicitus rationalis, seu intellectiuus est, qui præsupposita cognitione intellectiua, tendit in bonum ab intellectu sibi ostensum, & sic voluntas dicitur appetere beatitudinem siuè naturalem, siuè supernaturalem sibi ab intellectu, veluti obiectum bonum, præostensam. Hic est sermo tantum de appetitu naturali, seu innato; siquidem materia, cum careat potentijs, tàm intellectiuis, quàm sensitiuis, nequit aliquo actu elicito appetere formas, sed tantum appetitu naturali in illas, vt in suas perfectiones, inclinari.

Secundò notandum est ex eodem, quod sicut appetitus elicitus potest esse duplex, scilicet complacentiæ, qui tendit in bonum possessum, complacendo sibi in illo; & desiderij, quo potentia fertur in bonum absens; ita appetitus naturalis potest esse & complacentiæ, dum nimirum inclinatur in perfectionem iam habitam; & desiderij, cùm inclinatur in perfectionem habendam: ad propositum materia prima respicit formam habitam appetitu complacentiæ, quia complacet sibi in illa perfectione, quam actu possidet; ad formas autem habendas inclinatur appetitu desi-

desiderij, cùm expectet ab illis perfici.

Tertiò notandum ex eodem in 1. d. 1. quæst. 1. Materiam appetere formam naturaliter potest dupliciter intelligi, vno modo determinatè, ita quod non possit in oppositum eius, & sic tantum inclinatur in formam in vniuersali, seu in communi, abstractam ab hac, vel illa forma; siquidem ita inclinatur in illam, vt opposita priuatio sit sibi violenta: alio modo indeterminatè, & sic naturaliter respicit omnes formas, & non magis vnam, quam alteram; quandoquidem ab omnibus est perfectibilis; & licèt à nobiliori magis perficiatur, quàm ab ignobiliori, non tamen magis in illam, quam in istam inclinatur, quia non respicit illas præuia cognitione aliqua, per quam valeat discernere maiorem, vel minorem bonitatem inter illas, sed solum quatenus perfectiuæ sunt: ex quo infertur, quod existens sub forma digniori, & perfectiori, potest appetere imperfectiorem, & minus dignam, digniori, vt ita dicam, despecta: nec propterea imprudentiæ insimulandus esset Auctor naturæ, vt potè qui dederit materiæ huiusmodi appetitum etiam ad imperfectiores formas, dum subest digniori, vt quidam non benè videntur deducere; siquidem finis intentus ab eo, non est solum bonum particulare materiæ, sed commune vniuersi, quod in vicissitudine generationum, & corruptionum rerum naturalium consistit; ac proindè præstat, vt materia modo animæ rationali; & postea formæ cadaueris, & cineris coniuncta sit.

Quartò notandum est, ex eodem ibidem, quod nulla forma, quamuis perfectissima, satiare valet omnem appetitum, quem indifferenter habet materia ad omnes formas, quia nulla talis reperitur, quæ continere possit omnes perfectiones omnium formarum; siquidem appetitus materiæ, cum extensiuè sit infinitus, vt potè qui ad infinitas formas sit a Deo ordinatus, consequenter exposceret ad sui satietatem infinitas perfectiones, quæ tamen nulli formæ conuenire possunt; ideò nulla forma, etsi perfectissima, dari potest naturaliter, nec forsan virtute diuina, quæ satiare possit totum appetitum materiæ extensiuum; ex quo fit, quod ad nullam formam particularem determinatè inclinetur, sed omnes sub indifferentia respiciat naturaliter, & non magis vnã, quam alteram, sed omnes simul indeterminatè, & consequenter sub nulla erit violenter, quod tamen accideret, si ad aliquam esset naturaliter, & determinatè inclinata.

Quintò notandum est: Materiam appetere formam propter priuationem, potest dupliciter intelligi, vno modo, vt ly propter dicit rationem formalem in materia appetendi formam, & hic sensus est falsus; siquidem non ens, nequit esse ratio formalis appetendi ens, cuiusmodi est forma: Alio modo vt ly propter dicit conditionem, seu causam, sine qua materia non appeteret formã absolutè, & hic sensus pariter est falsus, quia non existẽte priuatione, materia appetit formam, quam habet appetitu complacentiæ: Aut sine qua non appeteret formam appetitu desiderij; & iste sensus est verus; nam si materia non careret aliqua forma, illam certè non desideraret, cum desiderium non sit boni præsentis, & habiti, sed tantum absentis, & habendi.

Sextò notandum est, quod appetitus materiæ potest dupliciter considerari, vno modo fundamentaliter, & in aptitudine, & sic est tantũ vnus in materia ad omnes formas, sicut & potentia fundamentalis materiæ à qua nullatenus distinguitur: Alio modo formaliter, & in actu, prout nimirum dicit relationem actualem materiæ appetentis ad formam desideratam, & sic appetitus non est tantum vnus, sed multiplicatur in materia, iuxta multiplicationem formarum, vt dicit Doctor in 1. d. 1. q. 1. ad 4. & per hanc distinctionem facilè conciliari potest id, quod docet in 4. d. 11. q. 3. I. & d. 43. q. 3. I. & d. 49. q. 10. dum astruere videtur vnam tantum potentiam, & vnum appetitum ad omnes formas; siquidem in primo locutus intelligitur de appetitu formali, & in actu; in quartò vero de eodem fundamentaliter,

& in

& in aptitudine.

Ex his fit prima conclusio. Materia prima appetitu innato, seu naturali appetit nedum formam in communi, sed omnes formas substantiales etiam in particulari, non tantum habendas, sed etiam iam habitas, & destructas. Est Scoti in 1. d. 1. q. 1. & omnium Scotistarum, præter vnum Sghemam, qui coarctat hunc appetitum tantum ad formam in communi. Doctorem sequuntur cōmuniter Recentiores, quos nominãt, & sequuntur Ruuius in 1. Physicorum c. 9. tract. 1. de Materia q. 7. Mastrius hic disp. 2. q. 6. art. 1. & Poncius q. 7. concl 1. contra Auicennam lib. 1. suæ Sufficientiæ cap. 2. Albertum Magnum tract. 3. cap. 7. & alios ex Recentioribus. Probatur primò auctoritate Aristotelis 1. Physicorum tex. 81. dicentis: *Existente enim quodam diuino, & bono. & appetibili, aliud quidem contrarium ipsi dicimus esse, aliud autem quod natura aptum est appetere, & desiderare ipsum secundam suam ipsius naturam, sed hoc est materia, sicut fœmina masculum, & turpe pulchrum.* Secundò probatur ratione: Quodlibet inclinatur naturaliter ad bonum, & ad suam perfectionem; sed quælibet forma substantialis est bona, & perfectiua materiæ, ex Aristotele loco citato; ergo materia naturaliter appetit omnes formas substantiales. Maior est Aristotelis 1. Ethic. cap. 1. vbi laudat eos, qui dixerunt: Bonum esse illud, quod omnia appetunt; ergo quodlibet naturaliter inclinatur ab bonum, à quo accipit esse perfectum. Secunda pars probatur: Sicut se habet potentia ad suum obiectum, ita materia ad formam; sed potentia, non tantum respicit obiectum in communi, sed etiam quodlibet contentum sub eo; ergo & materia non solum respicit formam in communi, verum etiam omnes formas sub ea contentas. Maior patet, quia sicut obiectum est de perfectione potentiæ, ita forma materiæ. Minor patet, quia potentia respicit omne illud, quod continet rationem formalem sui obiecti adæquati; siquidem ab omni tali est perfectibilis; sed quodlibet contentum sub obiecto communi, habet in se rationem formalem illius communis, aliter non contineretur sub eo; ergo potentia, non tantum respicit obiectum in communi, sed etiã quodlibet particulare contentum sub eo. Tertia pars probatur quælibet forma, quæ est perfectiua materiæ, est ab ipsa appetibilis; siquidem appetit naturaliter omnem perfectionem sibi possibilem; sed quælibet forma, siue iam habita, & destructa, siue habenda, est apta nata perficere materiam, cum vnaquæque habent in se rationem formæ substantialis; ergo materia naturaliter appetit omnes formas, siue iam habitas, siue habendas.

Dices: Formas, quas amisit, non posse amplius haberi naturaliter in materia; igitur eius appetitus, qui est naturalis, non poterit se ad illas extendere.

Contrà, quia esto quod huiusmodi formæ nequeant vi agentis naturalis haberi amplius in materia, tamen quocunque modo haberentur, essent verè, & realiter perfectiuæ materiæ sicut prius; ergo cum illis priuetur, poterit iterùm eas appetere. Antecedens patet, quia formæ illæ, quamuis supernaturaliter ad esse reductæ, participarent veram rationem formæ substantialis, sicut homo suscitatus vi diuina, est eiusdem rationis quiditatiuæ, cum homine naturaliter genito; ergo verè, & realiter perficerent iterùm materiam sicut prius, ac proindè cum illis priuari contingat, poterit denuò illas appetere.

Secunda conclusio. Materia prima appetit formam in communi determinatè; formas verò particulares omnes indeterminatè. Est conclusio Scoti in 1. d. 1. q. 1. ad 4. & 5. argumentum principale. Probatur prima pars, quia id appetitur determinatè, cuius oppositum non appetitur; sed materia appetit formam in communi, & non priuationem eius, quæ est sibi opposita; ergo determinatè appetit illam. Secunda pars probatur, quia si determinatè appeteret aliquam formam, tunc violenter esset sub opposita, seu incompossibili; siquidem ad illam non haberet inclinationem, imò repugnantiam; sed sub nulla forma materia

teria violenter quiescit, cùm à quacunq. sit perfectibilis; ergo dicendum est, quod nullam appetat determinatè, sed omnes indeterminatè.

Tertia conclusio. Materia prima appetit omnes formas in particulari æqualiter, & non magis perfectiores, quàm imperfectiores. Est Scoti in 4. d. 49. q. 10. sub A. & B. quem sequuntur ex nostris Fuentes in 1. Physic. q. 2. diff. 3. art. 3. A Pontelongo disp. 3. concl. 7. ex alienis verò Ruuius loco cit. dub. 2. Amicus tract. 5. q. 7. dub. 3. & Auersa q. 20. sect. 11. Contra Mastrium disp. 2. q. 6. art. 2 & Poncium disp. 3. q. 7. conc. 2. qui citant pro se Doctorem loco à nobis relato, sed quam sibiipsis facescat, infrà ostēdemus. Probatur igitur conclusio ex eodem Scoto ibidem: *In cuius potestate non est tendere, vel non tendere, in eius potestate non est aut remissè, aut intensè tendere; sed in potestate materiæ, non est tendere, vel non tendere in formas, imò necessario determinatur ad appetendum formam; & indeterminatè, sed necessario ordinatur ad omnes sub ipsa contentas; ergo in potestate materiæ nō est per suum appetitum naturalem magis tendere in perfectiorem formam, quàm in minus perfectam.* Maior est Scoti loco citato, per quam probat voluntatem, vt naturam, esse determinatam ad appetendum naturaliter summā beatitudinem sibi possibilem, cum non sit in potestate eius tendere, vel non tendere in illam, & consequenter nec remisse tendere, sed cogitur ipsam appetere summè. Minor est clara, quia materia non est libera, sed est ens naturale, vt distinguitur contra liberum; ergo non est in potestate eius appetere, vel non appetere, & consequenter nec sic, vel sic appetere. Secundò probatur, quia intantum appetitus elicitus specificat potentiam in obiectum secundum magis, & minus, in quantum, vel liberè se mouet in obiectum, vt facit voluntas in obiectum præcognitum; vel magis, aut minus mouetur ab eo, vt accidit in appetitu sensitiuo, qui præuia cognitione sēsitiua bonitatis obiecti, magis, vel minus mouetur ab eodem obiecto; sed materia per suum appetitum naturalem non fertur in aliquam formam, præsupposita cognitione bonitatis, seu perfectionis illius; ergo non poterit specificari ab vna secundum magis, & ab alia secundum minus, & sic inæqualiter appetere. Maior patet ex natura appetitus eliciti, tàm sensitiui, quàm rationalis, vt monuimus in primo notabili. Minor similiter est nota ex differentia appetitus naturalis ab elicito. Confirmatur ex Ruuio, quia appetitus naturalis materiæ non distinguitur ab eius potentia fundamentaliter accepta; sed potentia materiæ æqualiter se habet ad omnes formas; ergo & appetitus illius erit ad omnes æqualis. Minor patet, quia potentia materiæ est indifferens ad recipiendum omnes formas, & non magis vnam, quàm aliam.

Dices cum Mastrio, probationem minoris esse veram de indifferentia excludente inclinationem determinatam; non verò maiorem, vel minorem, quia sic inæqualiter se habet tàm potentia, quàm inclinatio naturalis in materia ad formas inæquales.

Contrà, quia hęc responsio petit principium: quandoquidem potentia, & inclinatio materiæ non differunt realiter, aut formaliter, cum dicant eundem respectum aptitudinalem ad formam recipiendam in materia; ergo si potentia materiæ est indifferens, & indeterminata ad omnes formas in particulari, sequitur quod sit etiam sic indifferens inclinatio eiusdem materiæ ad omnes formas, & sic æqualiter se habebit ad omnes. Prætereà, indeterminatio passiua, vt talis non magis respicit vnum determinabile, quàm aliud, siquidem à quocunque potest determinari, & quodlibet est sufficiens tollere eius indifferentiam, seu indeterminationem, sed materia est indeterminata passiuè in ordine ad formas; ergo non magis respicit vnam formam, quàm aliam, ac proindè æqualiter se habet ad omnes.

Quarta conclusio. Appetitus, quo materia inclinatur ad formas in particulari, fundamentaliter est vnus; formaliter verò, & actualiter multiplicatur iuxta multiplicitatem formarum, ad quas incli-

inclinatur. Est Scoti in 1. d. 1. q. 1. ad 4. & in 4. d. 43. q. 3. sub H. I. & L. contra Mastrium, & Poncium citatos in praecedenti. Probatur prima pars, quia appetitus fundamentaliter, seu in aptitudine in materia, nil aliud est, quam potentia materiae fundamentaliter, & aptitudinaliter accepta, vt admittunt etiam Aduersarij; sed potentia huiusmodi ad omnes formas est tantum vna; ergo & appetitus aptitudinalis in materia ad omnes formas erit tantum vnus. Minor patet, quia cum sit identificata realiter cum materia, nequit multiplicari, nisi multiplicetur etiam materia; sed hæc est tantum vna specie ad omnes formas, vt probauimus suprà; ergo & potentia erit tãtum vna, & non plures. Secundò probatur, quia nulla est necessitas multiplicandi respectus aptitudinales ad recipiẽdum plures formas in materia; ergo nec ad appetendum illas. Consequentia patet, quia non est maior ratio de vno respectu aptitudinali, quàm de alio; ergo si nulla necessitas cogit multiplicandi respectus aptitudinales ad recipiendum plures formas in materia, nec cogit ad appetendum illas. Antecedens probatur, quia si adesset aliqua necessitas multiplicandi huiusmodi respectus aptitudinales, maximè foret, quia habita vna forma, non posset aliam recipere, nec appetere; sed hoc nequit dici; ergo nulla est necessitas multiplicandi huiusmodi respectus aptitudinales. Maior patet. Minor probatur, quia habita vna forma, materia esset priuata cæteris, quas posset recipere; sed priuatio generat appetitum; ergo in materia esset appetitus ad illas; non nouus, quia formæ non essent in actu; igitur antiquus, & in aptitudine ad omnes illas formas habendas. Secunda pars probatur, quia appetitus formaliter, & actualiter non distinguitur à potentia formali, sicut nec aptitudinalis ab aptitudinali; sed potentia formalis actualis in materia non est vna, verum multiplicatur ad multiplicationem formarum, vt cum Scoto probauimus suprà hac eadem disp. q. 3. conclusione vltima, ergo & appetitus formalis actualis non erit vnus in materia, sed tot erunt appetitus, quot erunt formæ receptibiles.

Quinta conclusio. Materia existens sub forma nobiliori, appetit etiam ignobiliorem. Est Scoti in 1. d. 1. q. 1. ad 4. argum. quem sequuti sunt communiter eius Discipuli, & ex alienis Ruuius hîc tract. de Materia q. 7. dub. 3. Probatur, quia si materia, existens sub forma nobilioti, non posset appetere ignobiliorẽ, tunc esset quia nobilior satiaret totum appetitum materiæ, ita quod nullus esset locus recipiendi aliam formam; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Maior patet, quia in tantum materia appetit alias formas, in quantum eius appetitus non est adæquatus per illam formam, quam habet; ergo si existens sub forma nobiliori, non posset appetere minus nobilẽ, hoc prouenitet, quia forma nobilior satiaret totum eius appetitum. Minor probatur à Scoto in 2. d. 14. q. 1. quia nulla forma potest satiare totum appetitum materiæ suæ respectu alterius formę, nisi det actum oppositum priuationi illius formæ; sed nulla forma reperitur ita perfecta, quæ dare possit oppositum priuationi cuiuscunque formæ; ergo &c. Maior patet, quia priuatio generat appetitum in materia; ergo ad hoc, quod aliqua forma compleat totum appetitum materiæ, debet dare oppositum priuationi cuiuscunque formæ. Minor probatur, quia nulla forma dat oppositum priuationi cuiuscunque formæ, nisi in se contineat, saltem virtualiter, omnes formas; sed nulla forma, quamuis perfecta, potest continere virtualiter omnes formas; siquidem hæ, cum sint infinitæ successiuè, arguerent in illa virtutem infinitam, quæ nulli creaturæ conuenire potest; ergo nulla forma reperitur, quæ possit dare oppositum priuationi cuiuscunque formæ, ac proindè cum in materia existente sub forma nobiliori remaneat priuatio formæ ignobilioris, poterit vtique illam appetere.

Ex hoc infertur contra Poncium citatum conclusione tertia: quod si daretur aliqua forma in materia, quæ contineret in se, saltem virtualiter, perfectiones omnium formarum, nullam posset appete-re,

te, & sic illud compositum esset incorruptibile: tum quia nulla relinqueretur perfectibilitas in materia, quæ non esset adæquatè satiata, vt supponit Poncius: Tum etiā quia nulla daretur priuatio opposita, quæ posset gignere appetitum ad aliquam formam, distinctam ab ea, quā adæquatè possideret, & consequenter cū materia non indigeret alia perfectione, nec alia forma, compositum illud esset incorruptibile.

Sexta conclusio. Materia non appetit formam propter priuationem, vt ly propter dicit rationem formalem, sed solum vt indicat conditionem, sine qua non. Probatur prima pars, quia non ens non potest esse ratio formalis appetendi; sed priuatio est non ens, saltem positiuè; ergo non potest esse ratio formalis in materia appetendi formam. Secunda pars probatur, quia si materia non esset priuata aliqua forma, nō desideraret illam; ergo priuatio est conditio in materia, sine qua non appeteret, saltē appetitu desiderij, formam aliquam.

Septima conclusio. Priuatio non est causa appetitus aptitudinalis in materia, sed tantum actualis. Colligitur ex Scoto in 4. d. 43. q. 3. I. à simili de potentia materiæ aptitudinali, & actuali. Probatur prima pars, quia id non est causa alicuius, quo circumscripto, adhuc haberet esse, & existere; sed circumscripta priuatione in materia, adhuc in ea esset appetitus aptitudinalis, cum sit sibi realiter identificatus; ergo talis non est effectus priuationis. Secunda pars probatur, quia non existente priuatione alicuius formæ in materia, non appeteret illam actualiter, licet haberet aptitudinem illam appetendi; ergo priuatio est causa ponendi talem appetitum in ea. Ex hoc infertur, quod appetitus aptitudinalis, cum dicat respectum aptitudinalem in materia ad omnes formas indifferenter, semper remanet idem in ea; actualis verò cū importet respectū actualem materię perfectibilis ad formā perficientem mutatur iuxta mutationem formarum, à quibus perfici potest.

Obijciuntur tamen plura, & difficilia contra supradictas conclusiones, & primò contra primam. Si materia appetit formas in particulari, aut appetit formam, quam habet; aut formam, quam non habet, sed neutrum est dicendum; ergo &c. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur quoad primam partem, quia nullus appetit quod possidet; siquidem priuatio est causa appetitus; ergo materia non appetit formam, quam habet. Probatur quoad secundam partem, quia si materia appeteret formā, quam non habet, cum hoc non posset fare absq. corruptione formæ habitæ, tunc appeteret corruptionem suæ perfectionis: Tùm quia data hipothesi, sequeretur, quod vnum contrarium esset causa appetitus alterius contrarij; siquidem non posset appetere formam non habitam, nisi mediàte priuatione illius, sed priuatio, & forma habenda opponuntur contrariè; ergo vnum contrarium esset causa appetendi aliud contrarium, quod non est dicendum.

Respondetur: Materiam appetere & formam, quam habet, & quā non habet; nam priorem appetit appetitu complacentiæ, dum naturale quiescit sub ea; posteriorem verò appetitu desiderij appetit; quādoquidem desiderium est rei absentis, & non habitæ. Ad primam probationem in oppositum dico, materiam appeteret corruptionē suæ perfectionis per accidens, per se verò appetit perfectionem formæ habendæ, tanquam bonum, ad quod inclinatur, & eo caret. Ad secundam probationem dico, verum esse, quod vnum contrariorum, sibi inuicē succedentium est causa per accidens appetitus alterius; quinimò cum de necessitate ad seinuicem succedant in subiecto, vnum semper est causa sine qua non appetitus alterius, vt patet de ægritudine, & sanitate; priuatione, & forma.

Obijcitur secundò: Si materia appeteret simul plures formas, aut hoc esset, quia intendit simul plures, aut quia caret omni forma, aut quia fastidit formam, quam habet, aut tādem quia omnes formas respicit sub eadem ratione: sed nullum istorum est dicēdum; ergo &c. Maior patet, quia nequit inueniri alia causa, cur materia appetat plures formas. Mi-

Minor probatur: Non potest dici primum, quia appeteret impossibilia; siquidem formæ oppositæ simul sunt incompossibiles, saltem naturaliter. Nec secundum, quia naturaliter materia non potest esse sine omni forma, vt suprà probauimus. Nec tertium, quia nullum perfectibile potest fastidire suam perfectionem, cum sub ea naturaliter quiescat, sed materia est perfectibilis à forma habita; ergo ipsam fastidire non potest. Nec quartum, quia habita vna, in qua esset tota ratio formæ in communi, deberet esse illa contenta, & sic nullam aliam appetere posset; sufficit ergo ponere in materiam simplicem capacitatem, absque vlla inclinatione ad formam.

Respondetur negando minorem, ad primam probationem dico, quod appeteret formas impossibiles, & illas intendere habere, non tamen simul, sed tantum successiuè, quia sic non sunt incompossibiles. Ad secundam admisso, quod materia non possit naturaliter esse sine omni, sequitur solum, quod formas habitas appeteret complacenter, non habitas verò appetitu desiderij; si verò nullam haberet, omnes appeteret appetitu absoluto, seu indeterminato ad omnes. Ad tertiam dico, materiam appetere formam non habitam, non quia habitam fastidiat, cum in ipsa naturaliter sibi complacent, sed solum, quia cum eius appetitus non sit satiatus per eam, quam habet, & ipsa sit perfectibilis per quamcunque formam, ideò appetit, quam nō habet, vt ab ipsa perficiatur. Ad quartam dico, materiam appetere omnes formas, & sub ratione formæ in communi, & sub ratione particulari cuiuscunque, sed diuersimodè; siquidem priori modo appetit illas appetitu determinato, cùm ab vnaquaque sit actuabilis; at posteriori modo appetitu indeterminato, & cum materia careat rationibus particularibus formarum, quibus tamen est nata perfici, ideò ad omnes indeterminatè inclinatur naturaliter.

Obijcitur tertiò contra tertiam, quia appetitus naturalis in voluntate non est æqualis ad omnes perfectiones, sed est magis ad maiorem perfectionem, & maximus ad maximam perfectionem, qualis est beatitudo per Doct. subtilem in 4. d. 49. q. 10. sub B. vbi probat ex Aristotele in Procemio Metaph. t. 1. si omnes homines natura scire desiderant; ergo maximam scientiam desiderabunt; ergo à simili dicendum est de appetitu naturali materiæ, quod sit inæqualis respectu formæ perfectionis, & minus perfectæ.

Respondetur negando antecedens absolutè; quandoquidem Doctor citatus à Mastrio, & Poncio pro sua sententia, nō habet illā inæqualitatem respectu appetitus naturalis voluntatis, imò totum oppositum, si benè attendatur; nam, inquit, cum natura inclinetur ad suam perfectionem, & appetitus naturalis voluntatis sit inclinatio naturalis, habet necessario tendere in beatitudinem, quæ est maxima eius perfectio: nec est in potestate eius, vt natura est, remissè tendere in beatitudinem, sed necessariò determinatur ad illam appetendam summè: & quamuis, secundum ipsum, detur inæqualitas in beatitudine, vt dicit in dist. 50. q. 5. *Tamen huiusmodi inæqualitas non est ex parte potentiæ passiuæ absolutè, cuius ratio est, quia quæcunque potentia passiua in specie, est ad perfectionem totam eandem in specie absolutè: in quocunque indiuiduo propter dispositionem tamen, vtputa propter merita, vt disposita, sic potest esse inæqualis respectu perfectionis in diuersis indiuiduis in eadem specie*. En quomodo Doctor non probat, imò improbat illorum opinionem; & tamen sic asseueranter citatur ab eis, ac si illam probaret. Probata igitur ex his principijs Scoti, remanet nostra conclusio, quod nimirum appetitus materiæ non sit inæqualis ad formas perfectiores, & imperfectiores.

Obijcitur quartò contra eandem. In causis præcisis, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum, ex Aristotele 2. Topic. cap. 4. & 1. Met. cap. 1. sed materia simpliciter appetit formam, quia est perfectio simpliciter; ergo magis appetit illam formam, quæ magis eille perficit, & maximè, quæ est maxima eius perfectio.

fectio. Deindè magis intenditur à natura forma perfectior, quam imperfectior; ergo illa est magis appetenda, quam ista.

Respondetur negando minorem cum Scoto in citatis locis; siquidem materia, cum sit potentia passiua, appetit totam, & summam perfectionem in specie formarum, & non tantum, vel tantum, & quamuis appetat etiam hanc, vel illam maiorem, vel minorem in perfectione, huiusmodi inæqualitas non est ex parte materiæ appetentis, sed ab extrinseco ex inæqualitate formarum. Ad secundum verum est antecedens, de natura naturante, & vt actiua est, non verò de natura naturata, & vt passiua, quia sic est indifferens ad omnes formas, nedum indifferentia excludente determinationē, sed etiam maioritatem formarum.

Obijcitur quintò ex Poncio, quia appetitus materiæ nil aliud prorsus est, quā perfectibilitas eius, sed est magis perfectibilis per formam perfectiorem; ergo magis illam appetit.

Respondetur minorem esse veram, prout ly magis specificat formam perfectiorem, non vt specificat potentialitatem materiæ; siquidem hæc, cum sit passiua non habet gradus maioritatis, vel minoritatis, nisi extrinsecè per ordinem ad formam maiorem, vel minorem.

Dices: cum Pontelongo hic concl. 7. in fine, extrinsecam perfectiorem terminorum arguere intrinsecā perfectionem relationis, quæ specificatur à terminis; ergo etiam extrinseca perfectio formarum arguet intrinsecam perfectionē in ipsa inclinatione materiæ, cum sit eius relatio aptitudinalis. Antecedens probatur, quia perfectior est intrinseca inclinatio animæ ad beatitudinem, quàm lapidis ad esse deorsum, sed maior perfectio intrinseca in animæ inclinatione assignari non potest; nisi quia est ad formam perfectiorem; ergo illa inclinatio erit perfectior, vel imperfectior, quia erit ad perfectiorem, vel imperfectiorem formam.

Respondet idem Doctor, concedendo, extrinsecam perfectionem formarum arguere intrinsecam perfectionem inclinationis in diuersis potentijs, non tamen in eadem indeterminata potentia, quia vna, & eadem indiuisibilis potentia non potest recipere magis, & minus.

Contrà: quia responsio non tollit difficultatem, quinimò petit principium, cum non assignet rationem, cur potius duæ potentiæ ad duas formas relatæ recipiant magis, & minus, & non vna ad duas formas ordinata; siquidem ex parte formarum in vtrisque debet esse idem effectus. Deindè concedit falsum, quod inclinatio animæ ad beatitudinem sit maior, & perfectior inclinatione lapidis ad esse deorsum, ex parte terminorum; quandoquidem relationes non suscipiunt magis, & minus ratione terminorum, sed solum ratione fundamentorum, vt docet Aristoteles in Prædicam. cap. de Ad aliquid, & 5. Met. eodem cap. Inclinatio igitur animæ ad beatitudinem dicitur perfectior inclinatione lapidis ad esse deorsum, quia anima sic inclinata est perfectior lapide, & non ratione termini huius, & illius.

Respondetur igitur aliter ad argumētum negando antecedens, quia relatio formaliter non suscipit magis, & minus, & si quæ suscipiat, hoc non est ratione termini, sed tantum ratione fundamenti. Ad probationem negatur minor, quia inclinatio in anima, est perfectior inclinatione lapidis dumtaxat, quia anima est perfectior lapide, & sic ratione fundamenti, & non ratione termini, vt dictum est.

Obijcitur sextò contra quartam conclusionem. Nulla est necessitas multiplicandi tot appetitus in materia; ergo non sunt ponendi. Consequentia patet, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Antecedens probatur, tum quia vnicus appetitus sufficit ad appetēdas omnes formas, sicut vna aptitudo ridendi sufficit ad omnes actus ridendi; tum etiam quia si adesset aliqua necessitas, maximè foret, quia posset intelligi materia cum appetitu formali ad vnam formam absque respectu ad alias formas, sed hæc ratio non cogit, vt debeant multiplicari respectus; ergo &c. Minor probatur

batur, quia appetitus radicalis materiæ posset intelligi, vt est principium appetitus formalis ad vnam formam, sine eo quod intelligatur vt est principium appetitus formalis ad aliam formam, & tùc non sunt plures appetitus radicales; ergo quamuis materia posset intelligi cum appetitu formali ad vnam formam, absque eo quod intelligeretur cum appetitu ad aliam, non propterea dici debet quod habeat plures appetitus formales: Tum tandem sequeretur infinitas in appetitibus formalibus, sicut possent esse formæ infinitæ, quod non est dicendum, alioquin posset dari infinitũ in actu, quod repugnat, vt probabitur in 3. Physicorum.

Respõdetur negando antecedens: Ad primam probationem dico, veram esse de appetitu fundamentali, & in aptitudine; non de formali, & in actu, quia sic habent multiplicari potentiæ ridendi, sicut multiplicantur actus risus, & destructo vno actu ridendi, destruitur pariter potentia sibi correspõdens, vt dicit Scotus in simili de potentia formali materiæ, & actu formali sibi correspondente in 4.d.43.q.3. I. Ad secundam probationem nego minorem, & ad eius probationem negatur maior, imò quia appetitus radicalis semper intelligitur vt est principium omnium appetituum formalium, & non potest intelligi ordinatus ad vnum, & non ad alium appetitum formalem, ideò arguitur eius vnitas ad omnes formas; cæterùm quia intelligi potest materia cum vno appetitu formali ad vnam formam, & non ad aliam, propterea dicimus multiplicari appetitus formales iuxta multiplicationem formarum. Ad tertiam probationem dico, concludi solum infinitatem in potentia, & non in actu; siquidem formæ appetibiles non possent esse simul ordinatæ ad informandam materiam, sed tantum successiuè, vt probabimus in sequenti disput. 4.

Objicitur septimò contra quintam conclusionem: Forma virtualiter continens aliam formam, explet appetitum illius formæ virtualiter cõtentæ, ex Scoto in 2. d. 14. q. 1. sub B. sed forma imperfectior continetur virtualiter in forma perfectiori, sicut species inferior in superiori, ex eodem in 4. d. 1. q. 1. ergo forma perfectior satiat appetitum etiam formæ imperfectioris, & sic materia, existens sub forma perfectiori, nequit appetere imperfectiorem.

Respondetur: Continentiam virtualem esse in duplici differentia; alia enim est causalis, ita quod illud, quod continet virtualiter aliqua, possit illa producere in entitate, vel saltem effectus eorum exercere; & sic Sol dicitur continere virtualiter ranam, quia ex putri potest illam producere; & anima intellectiua in homine continet virtualiter animam vegetatiuam, & sensitiuam, cum in homine exercet operationes vtriusque; & ista continentia virtualis dicitur simpliciter talis; alia verò est formalis, quia nimirum ratione alicuius formæ vnum excedit aliud in perfectione, non tamen potest illud ponere in esse, nec eius operationes per æquiualentiam obire, & sic species perfectior, puta homo, dicitur continere aliquo modo speciem inferiorem, quia rationalitas est ratio in illo, secundum quam dicatur excedere cæteras species animalis in perfectione, & hæc dicitur continentia virtualis secundum quid; hic est sermo de vtraque continentia virtuali, quia Doctor subt. citatus in primo loco, loquitur de causali, in secundo verò loco de formali tantum.

Formaliter igitur ad argumentum dico, maiorem esse veram de continentia virtuali causali, & tunc neganda est minor, in qua est sermo de continentia virtuali formali, & non de causali: & sic interimitur vltima consequentia, quod nimirum materia prima existens sub forma perfectiori, non possit appetere imperfectionem; siquidem perfectior nequit satiare appetitum, quam materia ad imperfectiorem habere potest, cum non contineat ipsam virtualiter causaliter, sed tantum formaliter.

Objicitur septimò contra sextam, & septimam simul: Quod non est non potest esse causa entis, sed priuatio non est, quando appetitus est, ergo priuatio

non

non potest esse causa appetitus in materia. Maior patet. Minor probatur, quia existente forma in materia, non remanet priuatio, cum sint opposita; sed existente forma remanet appetitus in materia; ergo priuatio non est causa existendi appetitus in materia.

Respondetur maiorem, & eius probationem habere veritatem de appetitu cõplacentiæ, non de appetitu desiderij, quia talis semper supponit carentiam formæ, sine qua non posset appeti à materia appetitu desiderij. Et hæc de ista quæstione, ac disputatione dicta sufficiant.

De Forma, seu Principio formali rerum naturalium.

DISPVT. IV.

PRincipium formale, seu formam variis nominibus ab Aristotele appellari, obseruarunt Expositores; siquidem dicitur forma 2. Physicorum t. 11. quia deformitatem materiæ format, & decorat: Vnum 1. Physicorum t. 66. quia dat vnitatem composito. Pulchrum ibidem tex. 81. quia materiam deuenustat. Diuinum, bonum, & appetibile ibidem, quia est similitudo Dei, & eius bonitatis. Actus, eo quod materiæ potentialitatem actuet 2. Physicorum t. 12. Terminus, quia terminat, & coarctat indifferentiã materiæ 8. Met. tex. 6. Ratio, quia ab ipsa sumitur essentia vniuscuiusque substantiæ 2. de Gener. & Corrupt. tex. 51. Species, cum ab ipsa sumatur pulchritudo materiæ, & compositi 7. Met. 27 Et 8. Met. t. 15. & 16. & tandem Quod quid erat esse, quia est præcipua pars quidditatis compositi. De forma igitur, quatenus est actus materiæ, & principium rerum naturalium, acturi sumus in hac disput. 4. soluendo præcipuas difficultates, quæ his temporibus agitari solent, relinquendo cæteras significationes, vel eas differendo ad opportuniorem locum. Sit ergo prima difficultas.

Physic.

Vtrum detur forma informans, seu principium formale rerum naturalium?

QVÆSTIO I.

VArias formæ diuisiones tradit Aristoteles diuersis in locis; siquidem primò diuiditur in artificialem, & naturalem: Naturalis, in substantialem, & accidentalem. Substantialis in assistentem, & informantem. Substantialis, informans, in spiritualem, & materialem; de quibus omnibus agendum est suis in locis; in præsenti enim tantum erit sermo de forma naturali, informante, tàm substantiali, quàm accidentali, & præcipuè de substantiali, cùm ipsa sit vnũ ex principijs rerum naturalium, à cæteris distinctum.

Circa cuius existentiam, inter Peripateticos, nulla est controuersia; siquidem omnes sequuntur Aristotelem hic cap. 7. tex. 65. & 2. de Generat. & Corrupt. cap. 9. tex. 51. lib. 2. de Anima cap. 1. Et 7. Metaphysic. cap. 4. Et 12. Metaphysic. cap. 2. ac alibi, dicentem dari formas substantiales, constituentes, vnà cum materia, composita substantialia; solùm ab hac sententia dissident ex Antiquis nonnulli, asserentes tantum esse vnum rerum naturalium principium, & illud esse materiam, ex qua cum diuersitate formarum accidentalium, fiebant composita naturalia diuersa, vt ex Aristotele monuimus in principio huius primi libri, cum ageremus de Principijs Rerum Naturalium. Vera tamen opinio, & his temporibus communis in Scholis, admittit, præter materiam, etiam formam substantialem, ex quibus, tamquam ex per se actu, & per se potentia coalescit compositum substantiale physicum.

Pro cuius tamen intelligentia primò notandum: Formarũ naturalium, aliam esse metaphysicam, vt est differentia,

quæ ſimul cum genere, conſtituit totum metaphyſicum, ſcilicet ſpeciem; aliam verò phyſicam, quæ vnà cum materia componit totum phyſicum, vt anima cum corpore componit corpus animatum, ſeu viuens corporeum; & hæc eſt duplex, ſcilicet ſubſtantialis, & accidentalis. Subſtantialis eſt, quæ dat eſſe ſubſtantiale, vt anima rationalis homini. Accidentalis eſt, quæ dat eſſe accidentale, vt albedo parieti. Subſtantialis adhuc eſt duplex, ſcilicet ſeparabilis naturaliter à materia, vt eſt anima rationalis; & inſeparabilis naturaliter ab ipſa, vt animæ brutorum, & plantarum. Hic eſt ſermo de forma ſubſtantiali phyſica, tàm ſeparabili, quàm inſeparabili.

Secundò notandum eſt, quod ſicut materia eſt cognoſcibilis in analogia ad formam, & ad varias tranſmutationes formarum, ita forma ſubſtantialis cognoſci debet ex operationibus ſibi proprijs; videmus enim hominem diſcurrere, & ratiocinari; equum hinnire; leonem rugire; ignem calefacere; terram frigefacere; & ſic de cæteris; cùm autem tales operationes diuerſæ, nequeant prouenire à talibus agentibus ratione materiæ, vel quantitatis, tum quia non ſunt actiuæ: tum etiam, quia ſunt eiuſdem ſpeciei in omnibus; dicendum eſt, eas oriri à diuerſis formis ſubſtantialibus, informantibus diuerſas numero materias; & ſic concludendum eſt, in illis dari diuerſas formas ſubſtantiales.

Tertiò notandum eſt, quod forma dupliciter fuit diffinita ab Ariſtotele; quandoquidem 2. Phyſicorum t. 28. inquit: Forma eſt ratio ipſius quod quid erat eſſe, ideſt ratio quiditatis compoſiti: & 2. de Generat. & Corrupt. tex. 51. in fine, ſubiungit: Forma, & ſpecies eſt ratio vniuſcuiuſque ſubſtantiæ; tamen ſi rectè perpendatur vis vtriuſque diffinitionis, concludendum erit, non duas, ſed vnam tantum eſſe diffinitionem formæ, quatenus eſt principium rerum naturalium; ſiquidem eſſe rationem ſubſtantiæ, & eſſe rationem quod quid erat eſſe, ideſt compoſiti ſubſtantialis, cui dumtaxat competere poteſt ratio quiditatis, eſt prorſus idem; ex quo patet, non rectè dixiſſe quendam neotericum, quod per priorem, non fuerit diffinita forma ſubſtantialis, ſed fuit diffinitio communis ad ſubſtãtialem, & accidentalem: ſiquidẽ forma accidentalis non poteſt eſſe ratio eſſendi quod quid erat eſſe, ſeu quiditatis, cum totum per accidens non dicat vnam per ſe quiditatem, ſed plures, vt alias probauimus; Dicendum eſt igitur, quod per vtramque diffinita fuit forma ſubſtantialis, quæ ſi benè expendantur, faciunt hunc ſenſum: Forma ſubſtantialis eſt per ſe actus materiæ vnius per ſe compoſiti ſubſtantialis conſtitutiuus: In qua diffinitione ly actus tenet locum generis, cum ſit communis ad actum ſubſtantialem, & accidentalem: ly per ſe, ſtat loco differentiæ, cum faciat differre formam ſubſtantialem ab accidentali: dicitur ly materiæ ad oſtendẽdum, quod quamuis materia dicat actum entitatiuum, non tamen formalem, alioquin non eſſet materia prima, nec primò diuerſa à forma. Dicitur tandem vnius per ſe conſtitutiuus ad innuendam differentiam inter formam informantem, & aſſiſtentem, quæ non conſtituit vnum per ſe, ſed tantum per aggregationem, & inter formã ſubſtantialem, & accidentalem, quia hæc, non vnum per ſe, ſed per accidens conſtituit vnum.

Ex his ſit prima concluſio. Datur forma ſubſtantialis, ſeu principium formale rerum naturalium ab alijs diſtinctum realiter. Eſt concluſio Ariſtotelis in locis citatis, contra Antiquos, in qua conueniunt omnes Peripatetici. Probatur prima pars primo, teſtimonio eiuſdem Ariſtotelis; nàm 1. Phyſicorum oſtendit tria eſſe principia rerum naturalium, ſcilicet materiam, formam, & priuationem: Item 2. Phyſicorum ſum. 1. cap. 6. & 7. oſtendit formam eſſe naturam, & perfectiorem naturam, quàm ſit materia: Item 2. de Anima cap. 1. diſtinguit ſubſtantiam in materiam, formam, & compoſitum, & ait, formam eſſe actum perficientem rem materialem. Item 7. Metaph. cap. 4. &

12.

12. Metaphysic. cap. 2. vocat formam hoc aliquid, & quod quid est compositi substantialis, ex eo quia constituit, & distinguit quidditatiuè vnum compositum ab alio. Item 8. Metaphysic. t. 6. 15. & 16. docet, diffinitiones physicas dandas esse per materiam, & formam; & diffinita eiusmodi constare ex per se actu, & per se potentia, idest ex materia, & forma; atqui manifestum est, quod in omnibus præcitatis locis, locutus est Philosophus de forma substantiali, quia illa dumtaxat est natura, & pars quidditatiua compositi naturalis; ergo de mente eiusdem admittenda est forma substantialis. Secundò probatur ratione, quia res naturales, si propriè sumantur, sunt composita substantialia per se, & non per accidens; sed si non daretur forma substantialis, aut non essent composita, sed simplicia; vel si composita, non essent per se, sed entia per accidens; ergo &c. Maior patet ex Aristotele 2. Physicorum cap. 2. Et 7. Metaphysic. sum. 2. cap. 1. Et 8. Metaphysic. cap. 3. 4. & vltimo. Minor probatur, tum quia materia sola non posset facere ens compositum; nec materia cum quantitate faceret ens per se substantiale, sed solum ens per accidens; ergo si non daretur forma substantialis, res naturales non essent composita substantialia, sed vel entia simplicia, vel per accidens. Tertiò probatur, quia res naturales quidditatiuè distinguuntur & specie, & etiam genere proximo, vt patet de homine, & equo; & de animalibus & plantis; & de viuentibus, & non viuentibus; sed huiusmodi distinctio nequit haberi à materia, vel à formis accidentalibus; ergo à formis substantialibus. Maior patet. Minor probatur, quia materia est vna specie in omnibus rebus naturalibus, vt probatum est superiùs; & formæ accidentales, cum non sint de quidditate rerum naturalium, non possunt quidditatiuè distinguere res naturales ab inuicem. Quartò probatur à posteriori, quia operationes propriæ diuersæ indicant principia diuersa; sed rerum naturalium sunt operationes propriæ diuersæ; ergo exigunt principia diuersa; sed talia non sunt materia, vel quantitas, quia neutra est actiua, & vtraque est eiusdem speciei in omnibus; ergo huiusmodi principia erunt diuersæ formæ substantiales. Maior patet, quia operationes propriæ proueniunt à principijs intrinsecis; ergo si sunt diuersæ, & principia intrinseca debent esse diuersa. Minor patet, quia discurrere, ratiocinari, intelligere, & velle sunt operationes hominis tantum; Hinnire tantum equi; Mugire solùm bouis, & sic de cæteris; sed tales operationes sunt diuersæ vt patet; ergo rerum naturalium operationes propriæ sunt diuersæ. Quintò probatur, quia datur generatio substantialis in rerum natura; ergo danda est etiam forma substantialis. Antecedens est manifestum, & probatur ab Aristotele in libris de Generatione, & Corruptione. Consequentia probatur, quia generatio est productio alicuius in esse reali ex aliquo præsupposito subiecto; sed materia nequit produci, cum sit ingenerabilis, & incorruptibilis, & sit subiectum primum, in quo fiunt omnes generationes, & corruptiones, vt superiùs probatum est; nec similiter accidentia generantur, quia eorum productio est vel alteratio, vel augmentatio, vel loci mutatio; ergo cum aliquid de nouo generetur, non potest esse aliud, quam forma substantialis. Sextò tandem confirmatur, quia in Clement. de Summa Trinit. & Fide Catholica, fuit definitum tanquam de fide, animam rationalem esse formam substantialem informantem corpus; ergo datur forma substantialis informans.

Secunda conclusio. Forma substantialis informans rectè diffinitur per hoc quod sit per se actus materiæ, cum ipsa vnum per se constituens. Probatur, quia illa diffinitio est bona, quæ explicat diffinitum per genus, & differentiam, ex Aristotele 7. Metaph. tex. 43. sed diffinitio data explicat naturam formæ substantialis per genus, & differentiam

vt probatum est not. 3. ergo est recta, & conuenienter assignata.

Obijcitur contra primam conclusionem, quod non detur forma substantialis; Tùm quia Aristoteles 2. de Gener. & Corrupt. cap. 2. & 3. dicit, formas elementorum esse quatuor primas qualitates: Tùm etiam quia 7. Metaphysic. t. 8. videtur docere, quod sola materia sit substantia, cætera verò substantiæ affectiones; sed affectiones substantiæ, & qualitates sunt formæ accidentales, & non substantiales: ergo formæ substantiales de mente Aristotelis non sunt admittendæ.

Respondetur negando consequentiam; siquidem ex prædictis locis non deducitur exclusio formæ substantialis; & ad primum concedo quatuor qualitates esse formas accidentales elementorum, quibus tamen notificantur formæ substantiales, à quibus originantur; non enim possunt constitui substantialiter, nec abinuicem quiditatiuè distingui, per illas qualitates, quæ sunt formæ accidentales; modò substantiæ, cuiusmodi sunt elementa, non fiunt ex non substantijs, nec per non substantias distingui possunt substantialiter. Ad secundum dico, in illo textu Philosophum proponere dubitationem Antiquorum, asserentium solam materiam esse substantiam: cæterùm in fine eiusdem text. & in sequenti agens de mente propria, astruit necessitatem formæ substantialis præter materiam, adhoc vt fiat tertia substantia ab illis distincta.

Obijcitur secundò: Si daretur forma substantialis, deberet esse per se, & non in alio, alioquin non esset substantia, sed accidens, cuius esse est in alio esse; atqui omnes formæ materiales sunt in alio, idest in materia, tamquam in subiecto; ergo nulla datur forma materialis, quæ sit substantia.

Respondetur ex Doct. subtili quol. 9. A. quod aliquid potest dici esse per se tripliciter: Primo modo, vt ly per se dicit esse solitarium, & non cum alio, & hoc modo accidens in Sacramento Altaris potest dici ens per se, cum nulli sit coniunctum. Secundò modo, vt ly per se distinguitur contra esse in alio per inhærentiam, & sic omnes substantiæ, siuè completæ, siuè incompletæ, vt sunt materia, & forma substantialis, sunt entia per se, cùm nulli inhæreant; inhærere enim alteri est facere cum illo vnum per accidens. Tertiò modo, vt ly per se dicit esse vltimatum, & non ordinatum ad vlteriorem actum simpliciter, & sic sola indiuidua prædicamenti substantiæ, posita in recta linea prædicamentali, dicuntur entia per se. Similiter esse in alio, contingit dupliciter vno modo per inhærentiam, siuè actualem, siuè aptitudinalem, & sic conuenit tantum accidentibus: alio modo per informationem per se, & sic etiam competit formæ substantiali, quia non posset informare per se materiam, nisi esset in illa.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram, sumendo per se esse, secundo modo, & non in alio primo modo, idest per inhærentiam; Minorem verò pariter esse veram, accipiendo ly esse in alio, secundo modo, quia reuerà omnes formæ materiales sunt in materia per informationem per se, cum constituant cum illa entia per se vna, & non per accidens.

Obijcitur tertiò contra secundam conclusionem: Sicut se habet ratio subiectiua ad materiam primam, ita ratio informatiua, seu actus ad formam substantialem; sed ratio subiectiua, seu potentia subiectiua non rectè diffinit materiam primam, cum non sit de eius quiditate, sed tantum passio eiusdem, vt superiùs probauimus in propria quæstione; ergo nec ratio actus, seu per se informatiui materiæ poterit per se diffinire formam substantialem.

Respondetur: Tàm actum, quàm potentiam posse accipi dupliciter, scilicet radicaliter, & formaliter; Priori modo potentia est ipsa entitas materiæ, & actus entitas formæ: posteriori modo dupliciter sumuntur, scilicet

scilicet aptitudinaliter, & dicunt relationes aptitudinales, in materia, receptiui ad receptibile; in forma verò receptibilis ad receptiuum, seu informantis ad informabile; & ambæ relationes identificantur realiter suis fundamentis, tanquam passiones suis subiectis: Alio modo sumuntur actualiter, & sic important relationes actuales, realiter distinctas à materia, & forma, in hac informantis ad informatum, in illa verò informati ad informans: Ad propositum, actus, & potentia radicaliter diffiniunt formam, & materiam quidditatiuè, actus verò, & potentia aptitudinaliter diffiniunt eas descriptiuè; actus tandem, & potentia actualiter illas diffiniunt accidentaliter.

Formaliter ad argumentum concedo maiorem pariformiter sumendo potentiam, & actum in ordine ad materiam, & formam: Ad minorem dico, esse veram de diffinitione quiditatiua, falsum de descriptiua, quæ datur per genus, & propriam passionem, modò diffinitio formæ data per actum in ordine ad formam, est bona quiditatiuè, sumendo actum radicaliter, & etiam descriptiuè accipiendo actum formaliter aptitudinaliter; ac tandem accidentaliter, si accipiatur actus formaliter actualiter: In conclusione autem locuti sumus de actu, primo, & secundo modo accepto, quia hic tantum cum materia facit vnum per se primo, vel secundo modo dicendi per se.

Vtrum forma substantialis informans educatur de potentia materia?

QVÆSTIO II.

Viso in præcedenti dari formam substantialem, informantem materiam, illamque cum ipsa constituere vnum per se, modò quærendum est, quomodo huiusmodi forma, & à quo, & ex quo habeat esse in rerum natura. An nimirum præcesserit in materia, antequam sibi per generationem vniatur.

Circa quam, varia sunt Philosophorum placita, tùm ex Antiquis, tùm ex modernis; siquidem Aliqui, quorum meminit Aristoteles, & constat in hoc 1. Physicorum à text. 37. dicebant formas actu præexistere in quibusdam atomis, veluti in materia, ex quibus res omnes fiebant: Alij dixerunt formas latitare in materia, & per generationem, virtute agentium naturalium, apparere. Alij verò asserebant præexistere secundum esse incompletum, & imperfectum, & solum per generationem reduci ad suum esse completum, & perfectum. Hi omnes conabantur negare generationem, siquidem in composito substantiali, nihil de nouo producebatur, quia nec materia, nec forma, cum vtraque præexisteret; sed rerum productio erat duntaxat manifestatio formæ in materia, in qua prius latebat, vel eiusdem reductio de esse imperfecto, & inchoato, ad esse perfectum, & consumatum.

Alij verò ex opposito, negabant vllam formam præexistere aliquo modo in materia, sed asserebant præcedere compositi constitutionem in potentia superioris agentis, virtute cuius producebantur, & vniebantur materiæ; & ideò hi cogebantur dicere, generationem non esse productionem formæ per generantem, sed solum quandam dispositionem materiæ, secundum quam apta fieret ad receptionem formæ per illud agens superiùs inducendæ, eo quo asserimus modo de generatione hominis, in qua non educitur anima rationalis de potentia seminis, sed solùm organizatur virtute gignentis corpus humanum, vt sit dispositum ad receptionem animæ rationalis, à Deo in ipsum infundendæ. Huius opinionis videntur fuisse Plato in Phedone, & Auicenas in sua Metaphysica lib. 9. c. 4. & lib. 1. Sufficientiæ cap. 10. dicentes, formas esse a Datore formarum ab extra, vel ab vlti-

vltima Intelligentia, quam Calchodeam appellitabant.

Alij tandem asserebant, quasi media via incedentes, formas non præcedere actu in materia, vt dicebant Auctores primæ opinionis, sed solum potentialiter in ea contineri, ita quod productio formarum non est ab aliquo agente ab extra, sed à generante per eductionem de potentia materiæ contra secundam sententiam. Ita Aristoteles 1. Physicorum à tex. 37. contra Anaxagoram, & alios Antiquos, & 7. Met. à tex. 17. vsq. ad 32. contra Platonem, & Auicenam, quamuis iste, post Aristotelem scripserit. Hanc sententiam secuti sunt communiter omnes Scholastici, vt D. Thom. 1. p. q. 45. art. 8. & q. 90. art. 2. ad 2. Scotus in 2. d. 18. q. vnica §. Contra primũ; & §. Dico igitur: & in 4. d. 1. q. 1. G g. F f. & sub I i. & d. 43. q. 3. P. Io. Cano 2. Physic. q. 1. & 7. Physic. q. 2. Tromb. in Met q. 6. Bassol. in 2. dist. 18. q. vn. Suarez in Met. disp. 15. sect. 2. Ruuius, & alij, quos refert, & sequitur Mastrius disput. 2. q. 7. n. 138. & Merinero disp. 4. q. 1. Poncius ibid. q. 2.

Pro huius sententiæ intelligentia, ac resolutione difficultatis propositæ, primò notandum est, quod formæ substantiales informantes, de quibus tantum loquimur, sunt in duplici differentia, quædam enim sunt materiales, & inseparabiles à materia, quædam verò immateriales, & ab ipsa separabiles naturaliter. Formæ prioris generis, sunt illæ, quæ in fieri, & conseruari dependent à materia, vt sunt omnes formæ cœlorum, elementorum, & mistorum, tàm viuentium, quàm non viuentium; siquidem omnes educuntur de potentia materiæ ab agente vel naturali, vel supernaturali, vt suo loco dicemus. Formæ verò posterioris generis, sunt quæ in fieri, & conseruari non pendent à materia, licet in suo esse præsupponant ipsam dispositam, adhoc vt informare eam possint, & istæ sunt dumtaxat animæ rationales, quæ habent esse immediatè à Deo per creationem, nullo præsupposito subiecto ex quo, sed solum in quo recipiantur; siquidem, vt docet Scotus in 4. dist. 43. q. 3. P. forma corporis debitè organizati, quamuis non sit dispositio, necessitans simpliciter agens supernaturale ad creandam, & inducendam animam rationalem in corpus; est tamen necessaria necessitate secundum quid, supposito pacto diuino de infundenda anima in corpus debitè organizatum, ac dispositum; nec ab ipso pendent essentialiter quoad conseruari, quia cum sint formæ separabiles naturaliter à corpore, possunt existere sine illo, vt fides docet. Hic est sermo dumtaxat de formis prioris generis, tàm viuentium, quàm non viuentium, siuè cœlestium, siuè sublunarium.

Secundò notandum est: Formam præesse in potestate materiæ, seu in materia, siuè secundum esse completum, siuè incompletum, potest dupliciter intelligi, vno modo in actu, ita quod secundum esse actualis existentiæ, aut cõpletum, aut incompletum, sit in materia ante generationem totius compositi; alio modo in potentia, itaut sine concursu materiæ in genere causæ materialis, forma produci nequeat in esse actualis existentiæ. Priori modo nequit intelligi formam præcedere in materia, siuè secundum esse completum, siuè incompletum, quia tunc generatio non esset noua productio, sed tantum manifestatio formæ iam latentis, vel ad summum augmentatio formæ imperfectæ, ipsam ad esse perfectum reducendo, quod esset destruere, & de medio tollere generationem substantialem, contra communem sensum Philosophorum, & experientiam ipsam: At posteriori modo benè dicendum est, formam præesse in materia; siquidem ex eius potestate educitur virtute agentis naturalis, ita necessariò, (si demas vnicam animam rationalem) vt sine concursu eiusdem in genere causæ materialis, non possit habere esse existentiæ actualis, ab ipsa materia realiter distinctum.

Tertiò notandum ex Doct. subt. 2. d. 17. q. 1. & d. 18. q. vn. & in 4. d. 1. q. 1. aliud

aliud esse formam creari in materia, & aliud ipsam educi de potentia materiæ. Nam formam creari, est ipsam in esse reali, ex nihilo, idest ex nullo præsupposito subiecto ex quo, produci, & sic anima rationalis dicitur esse creatà, quia quamuis Deus in sui productione prærequirat corpus organizatum, tanquam subiectum, in quo recipi debeat, non tamen illud exigit, vt subiectum ex quo illam producat. Formam verò educi de potentia materiæ, est ipsam dependere à materia, vt à subiecto ex quo, & in quo, in esse, fieri, & conseruari, ita quod non possit produci, nec in esse actualis existentiæ conseruari absque materia; & sic formæ omnium entium naturaliũ (dempta anima rationali) omnes educuntur per generationem de potentia materiæ, quia ipsam præsupponunt, veluti subiectum, ex quo habent esse actualis existentiæ, & in quo sibi vnitæ conseruantur. Ex quo infertur, quod ad hoc vt forma dicatur educta per generationem de potentia materiæ, tres conditiones requiruntur. Prima, quod in sui productione prærequirát subiectum ex quo, quare materiæ primæ productio non potuit dici eductio, quia nullam aliam materiam, vt subiectum ex quo præsupposuit productio Diuina. Secunda, quod fiat eadem factione, qua compositum, & sic anima rationalis non fuit educta de potentia corporis organizati, quia non fuit facta eadem factione, qua totus homo; siquidem productio diuina prius habuit pro termino creationis animam, deinde ipsam per infusionem vniuit corpori organizato, & tandem fuit genitus totus homo; similiter gratia, & cætera dona supernaturalia non possunt dici educta de potentia animæ rationalis, cum prius creentur in se, & postea infundantur animæ. Tertia conditio, quod agens educens formam prius attingat passum, idest materiam ex qua, quam introducat formam, & propter hoc dona supernaturalia, scilicet fides, spes, & charitas non possunt dici educta de potentia animæ, quia Deus non prius attingit animam, quam illa in eandem inducet.

Quartò notandum pro clariori intelligentia doctrinæ de eductione formarum, ex Scoto in præcitatis locis, & etiã in 4. d. 43. q. 2. sub M. & N. latam esse differentiam inter generationem hominis, & cæterorum entium naturalium; nam in generatione aliorum entium naturalium, per eandem numero actionem, qua forma vnitur materiæ, & resultat totum compositum, etiam producitur forma, & solum possunt in ea distingui diuersa instantia naturæ, vt nimirum prius natura intelligatur esse materia cum forma in potentia, postea forma educta ab ipsa in esse actualis existentiæ, & demùm totum resultans ex vnione formæ cum materia; in generatione verò hominis diuersa est actio, per quam recipitur anima, & vnitur corpori, & resultat totus homo, ab ea, qua producitur anima; siquidem, vt diximus in præcedenti not. de mente Scoti in 2. d. 17. q. 1. duæ productiones passiuæ assignari debent, altera quæ sit ad animã, vt ad terminum partialem; & altera ad hominem, vt ad terminum totalem; Prior, quæ est à non esse animæ ad eius esse, dicitur creatio: Posterior verò, quæ est à non animatione corporis ad eius animationem, appellatur generatio, quæ est propriè mutatio, cùm præsupponat subiectum, in quo recipiatur anima rationalis, vt forma dans esse animatum. Ex his infertur, quod in eadem actione generatiua entis naturalis possunt fundari diuersi respectus, vt docet idem Scotus in præcitato loco, & clariùs in 4 d. 13. q. 1. sub F. nam vt actio generatiua terminatur ad formam eductam de potentia materiæ, dicitur actio eductiua; vt autem terminatur ad eandem vnitam, & receptam in materia, dicitur actio inductiua, & tam appellatur productiua, quatenus terminatur ad totum compositum genitum, seu ex illis resultans; cæterùm in generatione hominis, non est actio eductiua animæ, sed eius loco est productio eiusdem per creationem, & postea inductio eiusdem in corpore, ex quo tandem resultat productio, seu actio productiua totius hominis.

Quintò notandũ, vt colligitur ex Scoto in 3. d. 11. q. 1. § Cui ista opinio non placet &c. creationem tripliciter accipi posse, vno modo pro qualibet productione noua, siuè talis sit ex nihilo, siuè ex aliquo præsupposito subiecto fiat, & sic non distinguitur à generatione, sed confunditur in parte cum ea; siquidem generatio est productio alicuius de nouo ex præsupposito subiecto. Secundo modo sumitur pro quacunque ex nihilo productione, vel saltem ex aliquo subiecto, quod pẽdet ex nihilo, & sic quælibet res extra Deum dicitur creata, vel quia est ex nihilo, vt sunt Angeli anima intellectiua, & materia prima; vel quia saltẽ pendet ex materia prima, vt ex subiecto; & sic formæ materiales, tàm substantiales, quàm accidentales, ac etiam earum composita dicuntur creata; & nec ista creatio secernitur adæquatè à generatione, sed stat cum illa. Tertiò modo accipitur rigorosè pro illa productione dumtaxat, quæ fit ex nihilo sui præsupposito, & sic Angeli, animæ rationales, materia prima, & dona supernaturalia dicuntur creari, cum fiant ex nihilo reali sui. Ad propositum cœli, & elementa, ac eorum formæ substantiales possunt dici creari, seu à primordio esse creata, sumendo creationem primo, & secundo modo, quia licet eorum materia fuerit ex nihilo creata tertio modo, tamen ipsa fuerunt reuera genita, cum eorum formæ substantiales fuerint eductæ de potentia materiæ ab ipso Deo in eodem instanti temporis cum illa, licet in posteriori signo naturæ, sicut dictum est in præcedenti notabili de generatione entium naturalium, dempto homine; quandoquidem ad huiusmodi generationem non requiritur vt materia præcedat duratione temporis eductionem formæ de eius potentia, vt perperàm imaginati sunt aliqui, sed sufficit prioritas naturæ, vt in conclusione propria demonstrabimus.

Ex his igitur fit prima conclusio. Forma substantialis ante sui eductionem de potentia materiæ, non præcedit actu in illa; neque secundum esse completum; neque secundum esse incompletum. Est Scoti in 2. d. 18. q. vn. & suorum Discipulorum, quos citauimus pro tertia sententia. Probatur prima pars, quod nulla præcedat actu in materia, quia data veritate oppositi conclusionis, tolleretur è medio generatio substantialis; sed hoc includit repugnantiã in vera philosophia; ergo dicendum est, formã substantialem non præcedere actu in materia. Sequela maioris probatur, quia generatio est productio alicuius termini per ipsam de nouo acquisiti; sed posita actuali existentia formæ in materia nihil noui à generante produceretur; ergo tolleretur generatio substãtialis. Maior patet per experientiam. Minor probatur, quia talis terminus vel esset forma, vel compositum; nam aliquid aliud nouum assignari non potest, cum materia sit antiqua, & ingenerabilis; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Minor probatur non forma, quia actu, & semper præcederet informandi materiam, ac proindè noua esse non posset: Nec compositum, quia tale resultat ex vnione per informationem formæ ad materiam; sed huiusmodi vno informatiua semper esset in materia; ergo semper esset totum compositum, & sic generari non posset, ac proindè nulla esset generatio; quod includit repugnantiam in vera Philosophia, vt multis probat rationibus Arist. 1. de Gen. & Corrupt. à tex. 1. vsq. ad 24. inclusiuè. Secunda pars probatur à Scoto loco citato pluribus rationibus, sed sufficiet vna, vel altera: Probatur igitur primò sic, quia illa forma, quæ secundum esse incompletum dicitur præesse in materia, vel esset eiusdem rationis cum completa, vel alterius rationis; sed neutrum dici potest; ergo &c. Maior patet, quia inter idem, & diuersum non datur medium. Minor probatur: Non alterius rationis, quia tunc vna forma totalis esset composita ex formis alterius rationis, & incompossibilibus, quod est falsum, & repugnans: Nec eiusdem rationis, quia tunc posset produci ab agente creato; sed hoc est contra opinantes, dicentes, huiusmodi formam imperfectam esse coæuam materiæ; ergo nequit esse eius-

eiusdem rationis cum forma completa. Sequela maioris probatur, quia agens potens producere rem perfectiorẽ eiusdem rationis, potest etiã producere imperfectiorem, sed tales formæ sunt eiusdem rationis, vt conceditur, & forma completa est perfectior incõpleta; ergo sicut agens naturale potest producere completam, & incompletam poterit sic producere. Secundò probatur, quia talis forma, quæ ponitur imperfecta in materia, aut esset vna, & eadẽ respectu omnium formarum, aut alia, & alia, sed neutrum est dicendum, ergo &c. Minor probatur: Nõ est dicendum esse eamdẽ, quia tunc eadẽ numero forma esset pars formarum contrariarum, & incompossibilium: Nec aliam, & aliam, quia tunc formæ contrariæ, & incompossibiles essent simul in materia, quod inuoluit repugnantiam in contrarijs, cum non possint esse simul in eodem.

Secunda conclusio. Forma naturalis, substantialis, & informans non est totaliter ab extra à Datore formarum, vt dicebant Platonici; vel à Calcodæa, vt putauit Auicennas. Probatur, quia tale agens extrinsecum, aut produceret huiusmodi formam materialem de potentia materiæ, aut immediatè illam educeret ex propria virtute, sicut modo agit Deus dando esse animæ rationali; sed neutrum dici potest; ergo forma naturalis, substantialis, & informans nequit esse totaliter ab extrinseco. Maior patet, quia nõ adducitur alius modus producendi formas naturales, nisi vel de potentia materiæ, vel de potentia virtuali agentis. Minor probatur: Non potest dici primum, quia esset contra opiniones, negantes formas naturales contineri in potentia passiua materiæ. Nec secundum, quia tunc formæ huiusmodi crearetur, sicut nos asserimus de anima rationali, sed hoc est omninò absurdum in philosophia, cum adimeretur generatio substantialis, & generans nihil faceret, nisi disponere materiam ad receptionem eiusdem, quod est contra doctrinam Aristotelis 1. de Generat. & Corrupt. à text. 1. vsque ad 24. vbi contendit, quod data hipothesi, generatio non esset nisi alteratio, & generans nil aliud faceret, quàm alterare materiam. Sequela maioris probatur, quia tunc illud agens ageret nullo præsupposito subiecto ex quo, & sic crearet illas formas; siquidem creatio est productio rei ex nullo subiecto præsupposito, vt dictum est not. vltimo; ad hoc est impossibile, cum nullum agens creatum possit creare, vt suo loco probabimus cum Doctore subtili.

Tertia conclusio. Omnes formæ naturales, informantes, & substantiales, ac materiales, educuntur de potentia materiæ, in qua potentialiter continentur. Est Scoti, & aliorum, quos citauimus pro tertia sententia. Probatur, quia illæ formæ, quæ pendent in esse, fieri, & conseruari à materia, educuntur de eius potentia; sed omnes formæ naturales, substantiales, informantes, & materiales sunt huiusmodi; ergo educuntur de potentia materiæ. Maior patet per naturam eductionis, quam expendimus not. 3. Minor probatur, quia illæ formæ, quæ fiunt eadem actione materiali cum composito substantiali materiali, pedent à materia in esse fieri, & conseruari; nam si fierent diuersa actione, fierent independenter à materia, vt patet de anima rationali; ergo, quæ per eandem actionem fiunt cum composito materiali, pendent à materia, sicut illud in fieri, esse, & conseruari. Confirmatur, quia compositum substãtiale nequit fieri, esse, & conseruari absque materia, cum sit vnum ex principijs intrinsecis, nedum in fieri, sed etiam in facto esse; ergo nec forma. Consequentia patet, quia non minus dependet forma materialis à materia, quàm compositum substantiale, ergo si compositum nequit fieri, esse, & conseruari absque materia, nec forma poterit fieri, esse, & conseruari sine illa.

Quarta conclusio. Formę substantiales cœlorum, & elementorum, non fuerunt createę, sed benè eductę à Deo de potentię materię primę. Est conclusio Scoti in 2. dist. 15. q. vn. & d. 17. q. 1. quam postea tutati sunt Vasquez 1. p. q. 45. art. 1. Ruuius tract. 2. de Forma q. 2. n. 13.

n. 13. cum alijs, quos refert, & sequitur Merinero disp. 4. q. 3. n. 5. contra Fonsecam 5. Met. cap. 2. q. 4. sect. 2. Conimbric. cap. 9. q. 12 art. 2. Cursum Carmelit disp 3. q. 3. & 4. & alios ab ipso relatos. Probatur, quia formæ Cœlorum, & Elementorum sunt materiales, (siquidem Cœli, & Elementa sunt corpora materialia, prout materiale distinguitur à spirituali, & immateriali) ergo in suo esse, fieri, & conseruari dependent à materia; sed hoc est educi de potentia materiæ, vt superiùs probauimus; ergo huiusmodi formæ educuntur de potentia materiæ. Cōfirmatur, quia si formæ Cœlorum, & Elementorum non fuissent eductæ de potentia materiæ, sequeretur quod per eandem actionem productiuam fuisset producta materia prima, forma, & composita Cœlorum, & Elementorum; sed hoc est falsum; ergo falsum est, quod eorum formæ non fuerint eductæ de potentia materiæ primæ. Sequela maioris patet ex concessis ab opinantibus; siquidem asserunt singulos Cœlos, & Elementa esse secundum se tota producta in eodem instanti per eandem numero actionem productiuam. Minor probatur, quia materia prima fuit producta ex nihilo, & actio per quam fuit producta vsque nunc perseuerat eadem, vt omnes cum Aristotele concedunt, quod sit ingenerabilis, & incorruptibilis; sed actio per quam productæ fuerunt formæ Cœlorum, & Elementorum nec fuit ex nihilo, quia habuit pro termino à quo materiam primam, nec perseuerat eadem, saltem in Elementis, cum toties fuerint corrupta composita; ergo alia est actio productiua materiæ ab ea, qua productæ fuerunt formæ Cœlorum, & Elementorum; atqui prior dicitur creatio; igitur posterior erit eductio.

Dices: Ad rationem eductionis præsupponi in aliquo priori durationis existentiam subiecti, ex quo fieri debet eductio; at cum materia prima non præcesserit duratione existentiam Cœlorum, & Elementorum, sed omnia in eodem instanti à Deo fuisse posita in esse; dicendum est non habuisse esse per actionem eductiuam, sed per creatiuam ex nihilo.

Contrà: quia gratis asseritur illa prioritas durationis in subiecto ad hoc, vt fieri possit eductio formarum ex eo, cū sufficiat prioritas naturæ, & dependentiæ vnius ab alio; nam, vt superiùs monuimus, ad eductionem sufficit, vt forma non possit esse independenter à concursu materiæ in genere causæ materialis; sed dependentia essentialis arguit tātum prioritatem naturæ, & non durationis; ergo non requiritur prioritas durationis, sed sufficit illa, quæ dicitur naturæ; & hanc intercessisse inter materiam primam, & formas Cœlorum, & Elementorum: Indè patet, quod hæ non potuerint fieri, & esse independenter ab illorum materia.

Quinta conclusio. Formæ subsistentes, vt sunt Angeli; & informantes, separabiles tamen à materia, vt sunt animæ intellectiuæ, non educuntur de potentia materiæ, sed propriè creantur ex nihilo. Est Scoti in 3. d. 11. q. 2. sub B. Probatur, quia illa, quæ educuntur de potentia materiæ, dependent essentialiter in fieri à materia, & fiunt eadem productione cum esse totius, ex dictis notab. 2 & 4. sed Angeli, & animæ intellectiuæ, non dependent in fieri à materia, nec fiunt animæ per eandem productionem, qua composita hominum; ergo non educuntur de potentia materiæ. Minor patet, quia Angeli, & animæ non sunt formæ materiales, sed immateriales, & spirituales, vt cum Doctore probauimus in disput. super 2. sententiarum disp. 2. q. 2. & aliàs, Deo dante, demonstrabimus: deindè animæ prius terminant actionem creatiuam, quàm infundantur corporibus; ergo non fiunt per eandem productionem, qua composita humana. Secūda pars remanet probata ex prima, quia si Angeli, & animæ non educuntur de potentia materiæ, vel alterius subiecti; ergo fiunt ex nihilo sui præsupposito; ergo propriè creantur. Consequentia patet ex diffinitione creationis ab omnibus communiter recepta.

Obijcitur contra primam conclusionem ex Scoto in 2. d 18. q. vn. Si non daretur talis forma corporeitatis incompleta

pleta actu, præexistens in materia, sequeretur quod forma completa crearetur; sed consequens est falsum, quia secundum omnes Theologos nullum agens naturale potest creare, & tamen vt plurimùm fit ab agente naturali; ergo & id ex quo sequitur. Sequela maioris probatur, quod fit ex nihilo sui præsupposito, creatur; sed forma completa, ex supposito, nō fieret ex aliqtto sui præsupposito; ergo &c.

Respondetur ex eodem Doctore, negando sequelam maioris; ad probationem dico, maiorem esse insufficientem, quia ad hoc vt aliquid non dicatur creari, sufficit quod præsupponat aliquod subiectum ex quo educi possit; modò talis forma, quamuis non præsupponat aliquid sui inchoatum in materia; supponit tamen ipsam materiam, vt subiectū, ex quo educi potest, & propterea non creatur.

Obijcitur secundò: data veritate conclusionis, nulla generatio esset naturalis; sed hoc manifestè est absurdum; ergo &c. Sequela maioris probatur, quod fit totaliter ab extrinseco non est naturale; sed si talis forma completa non præsupponit incompletam, fieret totaliter ab extrinseco; ergo eius generatio non esset naturalis. Maior patet, quia ideò artificialia non sunt naturalia, quia fiunt totaliter ab agente extrinseco. Minor probatur, quia materia non agit, & non daretur talis forma incompleta, quæ esset principium intrinsecum actiuum; ergo fieret totaliter ab agente extrinseco.

Respondetur negando sequelam maioris; ad probationem negatur minor; ad cuius probationem dico, mutationem, & generationem non dici naturalem ratione alicuius principij actiui intrinseci, sed tātum ratione principij passiui; modò talis forma fieret ex materia, vt ex principio passiuo, qua ratione diceretur fieri naturaliter.

Obijcitur tertiò. Si non daretur talis forma inchoata coæua materiæ, sequetur, quodlibet fieri ex quolibet, & non ex determinato, sed hoc, vti falsum inferebat Aristoteles contra Anaxagoram in hoc 1. Physicorum t. 43. ergo, & id ex quo sequitur. Sequela maioris probatur, quia quælibet forma fieret ex materia indeterminata ad omnes formas; ergo fieret ex indeterminato, & sic non magis fieret forma ignis, quàm aquæ, aut alia incompossibilis.

Respondetur negando sequelam maioris; ad probationem dico, quamlibet formam fieri quidem ab agente ex materia, non tamen indeterminatè, sed vt determinatur per præuias dispositiones, conuenientes vnicuique formæ, vt dicemus infrà q. 4. huius disputationis.

Obijcitur quartò contra secundam conclusionem; quia forma ante generationem vel erat actu in materia, vel in potentia, vel neutro modo; sed non est dicendum primum, vel secundum; ergo tertium; ex quo sequitur postea, ipsam fieri ab agente extrinseco. Maior patet. Minor probatur: Non est dicendum primum, quia tunc tolleretur generatio substantialis, vt probatum est in prima conclusione: Nec secundum, quia esse formam in potentia materiæ ante generationem nihil aliud est, quam esse potentiam materiæ ante generationem; sed hoc non est formam præexistere, verum duntaxat materiam capacem formæ; ergo non est dicendum formam ante generationem præexistere in potentia in materia.

Respondetur negando minorem quo ad secundam partem. Ad cuius probationem negatur maior; imò formam esse in potentia materiæ, non est tantum præexistere ipsam potentiam materiæ, sed ipsam formam dependere ab ea in fieri, esse, & conseruari, vt superiùs explicauimus.

Obijcitur quintò contra tertiam conclusionem: quia principia non fiunt ex alterutris per Aristotelem 1 Physicorum tex. 43. sed materia, & forma sunt duo principia rerum naturalium; ergo si forma fieret per eductionem de potentia materiæ, fierent ex alterutris, quia forma fieret ex materia.

Respondetur maiorem esse veram constitutiuè, & formaliter, non tamen subiectiuè, & vt à termino à quo, quia

sic vnum principiorum fit ex alio; siquidem forma fit ex materia, ex subiecto ex quo, & ex priuatione, vt a termino à quo.

Obijcitur sextò: Formæ substantiales continentur virtualiter in potestate agentis,& non materiæ; ergo de illo habent educi, & non de potentia materiæ.

Respondetur: Formas contineri virtualiter actiuè in potestate agentis; passiuè verò in potentia materiæ, & sic de vtroque educi debent, actiuè de potestate agentis, passiuè verò de potentia materiæ.

Obijcitur sextò contra quartam conclusionem, quia corpora cœlestia, & elementaria fuerunt à Deo in principio creata; inquit enim Moyses Genesis 1. In principio creauit Deus Cœlum, & Terram; ergo etiam eorum formæ fuerunt simul cum compositis creatæ, & sic non eductæ de potentia materiæ.

Respondetur: Antecedens esse verũ, sumendo creationem primo, vel secundo modo ex dictis not. 5. & sic negatur consequentia, quia cum creatione, vt fit accepta, stat generatio, & eductio formę de potentia materiæ.

Obijcitur septimò, quia ad eductionem formæ ex potentia materiæ, requiritur quod materia præcedat formam in aliquo priori temporis; sed materia cœlorum, & elementorum non præcessit tempore eorum formas, quia omnia fuerunt producta in instanti temporis; ergo &c. Maior probatur, quia eductio est transmutatio materiæ de non esse ad esse formæ actualiter in illa; sed in omni transmutatione est necessaria aliqua duratio temporis; siquidem materia debet prius esse priuata forma, antequam actu ipsam recipiat per informationem; sed hæc non possunt fieri in eodem instanti temporis, alioquin duo cõtradictoria essent in eodem instanti vera, quod omninò repugnat; ergo dicendum est exigi diuersa instantia temporis, in quorum altero materia sit priuata forma, & in altero ipsa informata.

Respondetur negando maiorem, vt dicebamus not. 4. sufficit enim prioritas naturæ inter materiam, & formam. Ad probationem negatur maior, vniuersaliter loquendo. siquidem eductio est potiùs formaliter productio formæ, quàm non concomitatur essentialiter mutatio, sed solum per accidens, quatenus nimirùm agens educens sit limitatum, & non possit agere in instanti temporis, vt accidit in omnibus generationibus creatis, in quibus vt plurimùm materia præcedit duratione eductionem formæ.

Dices: Igitur productio formarum Cœlorum, & Elementorum erit generatio, vt distinguitur à mutatione; sed hoc est contra Aristotelem 1. de Generatione t. 10. & 24. vbi in diffinitione generationis ponit mutationem; ergo si eductio formarum est generatio, debet esse formaliter mutatio.

Respondetur, concessa maiori, negãdo minorem; siquidem Aristoteles diffiniuit generationem agentium creatorum, quæ non possunt agere absque mutatione subiecti de priuatione ad formã, & ideò notificauit illam per mutationẽ totius in totum, nullo sensibili permanente; cæterùm si locutus fuisset de generatione vt sic, abstinuisset vtique à ratione mutationis, & solum per productionem nouam termini illam manifestasset, vt aduertit Scotus in 1. d. 5. q. 2. sub E. & d. 9. q. vn sub A. quandoquidem productio Verbi Diuini est vera generatio, & tamen non est mutatio, alioquin esset cum imperfectione, quia mutari secundum Aristotelem 6. Physicorum t. 32. & 73. est rem aliter se habere nunc, quam priùs, quod de Verbo Diuino nefas est dicere.

Obijcitur octauò contra quintam conclusionem, quod ad fieri esse præsupponit subiectum, non creatur, sed educitur de illius potentia; sed ad esse animæ rationalis præsupponitur corpus organizatum, tanquam subiectum per ipsam informabile; ergo anima non creatur de nihilo, sed educitur de potentia materiæ, vel subiecti. Maior patet, ex Scoto in 2. d. 1. q. 2. A. & in 3. d. 11. q. 1. A. vbi docet, ad creari non præsupponi subiectum, sed negationem eius. Minor est

est eiusdem in 4. d. 43. q. 3. sub P. vbi asserit, organizationem corporis esse conditionem necessitantem, saltem secundum quid, ad infusionem animæ, & præsuppositiuè ad eiusdem productionem.

Respondetur maiorem, & probationem esse veram de subiecto ex quo, falsam de subiecto tantum in quo; modò productio animæ rationalis præsupponit corpus organizatum tantum vt subiectum in quo, & ideò non sequitur, ipsam educi de potentia illius, sed tantũ ipsum prærequiri ad hoc, vt possit à Deo creari, & postea in illud infundi, ac illi vniri per informationem.

Vtrum Formæ accidentales educantur de potentia subiecti?

QVÆSTIO III.

FOrmas accidentales esse in triplici differentia communiter tradiderũt Philosophi, ac Theologi: Naturales, nimirum; supernaturales; & artificiales, de quibus, an omnes educantur de potentia subiecti, vel aliquæ dumtaxat, non est vna omnium sententia; siquidem aliqui distinguunt de formis accidentalibus naturalibus, quod aliquæ fiunt per actionem propriam, & transmutationem subiecti, vt calor frigus, colores, & cæteræ huiusmodi, & has dicunt educibiles esse de potentia subiecti; Aliæ verò, quæ non fiunt per propriam actionem, aut subiecti transmutationem, sed tantum per quandam resultantiam, vt sunt species intentionales, & relationes reales, ac modi absoluti comitantes aliquam entitatem, & hæ non sunt educibiles de potentia subiectorum, vel entitatum suarum. Ita Soncinas 7. Met. q. 8. Alensis 8. Metaphysic. Ægidius in 2. d. 13. q. 2. & Conimbric. hìc cap. 9 q. 12. art. 6.

Alij verò distinguunt formas, in naturales, & violentas in ordine ad subiecta diuersa, vt sunt calor respectu ignis, & aquæ: nam respectu ignis est naturalis, & violentus respectu aquæ: priores dicunt esse educibiles, posteriores nequaquam: idem asserunt de formis neutris, ad quas nimirum subiectum nullam dicit inclinationem, aut repugnantiam, cuiusmodi sunt species visibiles receptæ in aere. Ita Conimbric. loco cit. art. 5. & noster Aretinus in Annot. super 1. Physicorum q. 24.

Alij idem omninò censent de formis artificialibus, & de naturalibus neutris; ac de relationibus; siquidem putant non fieri per eductionem, vel quia subiectum non est in potentia naturali, sed obedientiali ad illas; vel quia non habent esse per veram actionem, sed per solam resultantiam. Ita Conimbric. citati, quibus adstipulari videtur noster Merinero in 1. Physicorum q. 4. sect. 1. n. 9. & 10.

Alij tandem loquentes de formis supernaturalibus, cuiusmodi sunt gratia, fides, spes, charitas, visio, & fruitio beatifica, & cæteræ huiusmodi, putant omnes esse educibiles de potentia subiectorum, cum sint vera accidentia, ac formæ naturales, ac propterea sortiri debere eandem factionem, ac illæ. Ita communiter Thomistæ, demptis Paludano in 4. d. 1. q. 1. & Soto q. 3. art. 1. & lib. 2. de Natura, & Gratia, qui asserunt, huiusmodi formas naturales, neque educi de potentia subiectorum, neque simpliciter creari, seu concreari, cum non habeant esse simpliciter in se, sed tantum esse in subiectis. His fauere videtur D. Thom. q. 27. de Verit. art. 3. ad 9. Et 1. 2. q. 110. art. 2. ad 3. quamuis alibi oppositum dicat, nempè gratiam non creari, sed produci de potentia animæ ab ipso Deo: videatur in 3. par. q. 62. art. 1. & in 4. d. 1. quæst. 1. ad 4.

Cæterùm quid, in tanta varietate opinionum, sentiat Scotus, & quid à nobis cum illo dicendum sit, non est ita clarum, cum non desint Scotistæ, qui modò in vnam, & interdum in aliam sententiam eum trahere conentur; quod an intentum secundum veritatem consequantur dicemus in conclusionibus, eius, & nostram aperiendo mentem.

Pro

Pro cuius intelligentia, & fundamento primò notandum est, quod accidens est triplex, scilicet naturale, supernatu le, & artificiale. Naturale, est duplex, scilicet vt distinguitur contra supernaturale, & vt secernitur à violēto, & neutro. Accidens naturale priori modo sūptum, cum dicat ordinem ad agens, à quo producitur, dicitur illud, quod ab agente naturali fit in subiecto, vt albedo, nigredo, calor, frigus, quantitas, & cætera huiusmodi; & hoc est duplex adhuc, scilicet absolutum, & relatiuum; absolutum, quod habet esse à se, vt quantitas, & qualitas inducta ab agente naturali; relatiuum verò, quod dicit ordinem ad aliud, vt ad terminum, vt pater, filius, simile, dissimile, de quibus satis abundè egimus in Prædicamentis. Accidens naturale, vt distinguitur contra violentum, & neutrum est illud, ad quod subiectum dicit inclinationem, vt calor respectu ignis. Violentum verò dicitur illud, ad quod subiectum habet repugnantiam, vt calor respectu aquæ, & frigus respectu ignis. Neutrum autem est ad quod subiectum nec habet inclinationem, nec repugnantiam, vt color respectu ligni, & lux respectu aeris; non enim magis inclinatur ad vnum, quam ad oppositum eius, sed indifferens se habet ad vtrumque. Accidens autem supernaturale, dicitur illud; quod secundum suam entitatem petit fieri ab agente supernaturali; vel saltem, quod nequit fieri absque auxilio supernaturali: & hoc diuiditur in habitum, vt sunt gratia, fides, spes, charitas, & cætera dona supernaturalia: Ac in actum cuius modi sunt visio, & fruitio beatifica, quæ etsi petant fieri à causa naturali, scilicet ab intellectu, & voluntate; non tamen possunt fieri, nisi tales potentiæ sint informatæ lumine gloriæ, & charitate, aut aliquo auxilio supernaturali, eisdem æquiualenti, vt dicitur in materia de Beatitudine. Accidens denique artificiale est forma, vel figura per artem in aliquod passum inducta, vt forma statuæ, vel figura Cæsaris coloribus expressa, ac delineata. Hic est sermo de omnibus his accidentibus, & quæritur: An omnia, vel saltèm aliqua educantur de potentia subiecti, & quæ sint illa?

Secundò notandum est, quod accidēs aliquod educi de potentia subiecti, non est ipsum fieri in subiecto, vel ab illo sustentari, vt docent nonnulli Recentiores, sed est ipsum dependere à subiecto, tanquam effectus à sua causa materiali; vt diximus in simili de forma substantiali educibili de potentia materiæ; siquidem relatio sustentificationis supponit relationem eductionis, vel productionis; prius enim intelligitur forma esse producta, vel educta de potentia, quàm intelligatur inhærens, & sustentificata in subiecto, quia quod non est, non potest alicui inhærere, aut ab eo sustentificari. Huiusmodi autem dependentia, cum sit causati ad causā, & posterioris ad prius, potest dupliciter accipi, vt docet Scotus in 4.d.12.q.1.R. vel actualiter, vel aptitudinaliter; tunc accidens dicitur posterius actualiter subiecto, cum actu dependet ab illo; tunc verò est posterius aptitudinaliter, cum actu non dependet, est tamen aptum dependere: exemplum prioris, sit de albedine actualiter inhærente parieti; posterioris verò sit exemplum de accidentibus Eucharisticis, quæ actualiter non dependent, sed tantum aptitudinaliter à substantia panis. Ad propositum, accidens, cùm sit posterius subiecto, & sit actualiter, si subiectum existat; & aptitudinaliter si non existat; sequitur, quod si fuerit posterius actualiter, debet ab eo dependere in fieri, esse, & conseruari, & sic educi de eius potentia; si verò fuerit posterius tātum in aptitudine, erit quidem educibile, cùm aptitudinaliter dependeat à subiecto, sed non educitur, quia caret actuali dependentia ad ipsum: si tandem neutro modo sit posterius, nullatenus erit educibile de potentia subiecti, sed solum creabile, quia habebit carentiam subiecti prioris, à quo posset dependere in fieri, esse, & conseruari; & sic se habent accidentia supernaturalia, saltem secundum substantiam, cum non præsupponant vllum subiectum ex quo, sed solum exigant subiectum in quo fiant, & à quo sustententur.

Tertiò

Tertiò notandum, vt colligitur ex Scoto quol. 19. D d. quod accidens potest tripliciter dependere à subiecto, scilicet in ratione causati à sua causa materiali; in ratione sustentificati à suo sustentificante; & in ratione receptibilis à suo receptiuo: Primus respectus fundatur in eo, quatenus accidens materiale est: Secundus, vt accidens est: Tertius verò, vt est forma informans subiectū. Ordinantur, autē, & differunt hi respectus ad inuicem; siquidem ordinantur, quia primus respectus dependentiæ est prior essentialiter respectu secundo; & iste est prior tertio; nàm informare, seu recipi in subiecto supponit inhærentiā, seu sustentationem; & hæc supponit esse causatum ipsius accidentis à subiecto. Differunt autē, quia cùm primus respectus, seu prior dependentia conueniat accidenti, non vt accidens est, sed vt materiale est, non potest fundari in omni accidente, & præsertim supernaturali, quod est immateriale: secundus verò, seu secunda dependentia, cum fundetur in ipso, vt accidens est, & prout distinguitur à substantia, quæ est ens per se existens, afficit omnia accidentia, tùm materialia, tùm immaterialia: tertius tandem respectus, siue tertia dependentia, cum conueniat accidenti, vt forma informans est, non potest competere accidentibus, quæ abstrahunt à subiectis actualiter, licèt possit sibi conuenire in aptitudine, cum sint apta nata vniri, & informare denuò sua subiecta.

Quartò notandum est, quod educi de potentia subiecti potest dupliciter accipi, vno modò largè vt distinguitur à creari, quod est produci ex nihilo præsupposito, tanquam subiecto ex quo, & sic competit omnibus accidentibus naturalibus, siuè naturale distinguitur à supernaturali; siuè à violento, & neutro, & etiam accidentibus artificialibus; siuè dicant esse absolutum, siuè respectiuum; siquidem omnia præsupponunt subiectum, si sint absoluta; siuè subiectum, fundamentum, & terminum, à quibus originantur naturaliter, si fuerint relatiua. Alio modo educi sumi potest strictè, prout est idem, quod fieri per propriam actionem, dependenter à subiecto materiali ex quo, & sic nequit cōpetere entibus accidentalibus relatiuis, cum tales respectus non fiant per propriam actionem, sed tantum per resultantiam ad fieri proprium fundamentum, & terminum eorundem respectuum.

Quintò notanda sunt insuper ea omnia, quæ de eductione, vel creatione formarum substantialium adnotata sunt in præcedenti quæstione, quia mutatis mutandis, hic adaptari possunt, & debent; & præsertim conditiones, quas requiri ad veram eductionem formarum recensuimus 3. 4. & 5. not. ex doctrina Scoti.

Ex his igitur sit prima conclusio. Formæ accidentales naturales, violentæ, neutræ, & artificiales, tàm absolutæ, quàm relatiuæ, verè educuntur de potentia subiectorum ex quibus, accipiendo educi, vt contradistinguitur à creari propriè accepto. Colligitur ex Scoto diuersis in locis suæ doctrinæ, vt suprà notauimus, sed præcipuè in 2. d. 17. q. 1. & d. 18. q. vn. & in 3. d. 11. q. 1. & in 4. d. 1. q. 1. sub lit. G g, H h, & I i, vbi probat, nullam creaturam posse creare, sed benè educere de potentia substantiæ materialis formas, tàm substantiales, quàm accidentales. Probatur, quia omnia, quæ fiunt ex aliquo præsupposito, à quo dependent, tanquam à subiecto ex quo, non creantur, sed educuntur de illius potentia; sed omnes formæ accidentales, siuè naturales, siuè artificiales, siuè violentæ, siuè neutræ, siuè absolutæ, siuè respectiuæ, fiunt ex aliquo præsupposito, à quo dependent in esse, & conseruari; ergo non creantur, sed educuntur de illius potentia. Maior patet ex differentia inter actionem creatiuā, & eductiuam; siquidem illa nullum præsupponit subiectum ex quo, hæc verò illud supponit. Minor patet inductiuè in omnibus: Tùm quia si fierent, & non ex aliquo præsupposito subiecto, crearentur; & sic cum fiant ab agente naturali, sequeretur, quod agens naturale posset creare, quod est falsum, vt demonstrabimus 8. Physicorum, ac alibi.

Seunda conclusio. Si verò educi de potentia materiæ sumatur strictè, prout sit idem, quod fieri per propriam actionem dependenter ab aliquo subiecto immediato ex quo, formæ accidentales naturales, relatiuæ, & artificiales, non educuntur, sed coneducuntur de potentia subiecti. Colligitur ex Scoto in 1. d.17.q.2. P. vbi probat, nullum esse principium actiuum respectus, seu relationis, sed hanc resultare ex positione extremorum: Deinde in 4.d.12.q.4.sub F. docet, formam artificialem non addere quantitati aliquam qualitatem absolutã, sed tantùm relationem partium ad seinuicem, vel terminorum includentium partes, realiter distinctam à partibus in se manentibus, vel in toto artificiato; ac proindè esse eandem rationem de formis naturalibus relatiuis, ac de artificialibus. Probatur: Quod nõ dependet immediatè, sed tantum mediatè à subiecto ex quo, non potest dici eductum, sed tantum coneductum de potentia subiecti; sed formæ relatiuæ, tàm naturales, quàm artificiales sunt eiusmodi; ergo non sunt eductæ, sed solum coneductæ de potentia subiecti. Maior patet, quia eductio importat dependentiam immediatam formæ à subiecto ex quo, in fieri, & conseruari; igitur coneductio dicet dependentiam mediatam ab eodem subiecto. Minor probatur, quia relationes habent esse immediatè ex positione extremorũ, scilicet fundamenti, & termini; sed hæc immediatè educuntur, vel de potentia subiecti, si sint formæ accidentales, vel materiæ, si fuerint substantiales; ergo relationes non dependent immediatè à subiectis, & consequenter non educuntur, sed solùm coneducuntur ad extremorum eductionem, de subiectorum potentia. Confirmatur, quia forma artificialis statuæ resultat ex varia incisione, aut compositione partium quantitatis, quæ sunt accidentia absoluta; ergo vel supponit harum eductionem de potentia subiecti, vel saltem simul cum illis educitur ab eodem subiecto.

Tertia conclusio. Passiones, modi intrinseci, & huiusmodi formæ metaphysicales, non educuntur de potentia subiectorum. Probatur, quia inter eductum, & id ex quo educitur, debet esse distinctio realis; sed passiones, modi intrinseci, & differentiæ non distinguuntur realiter ab eorum subiectis, vel entitatibus; ergo non educuntur de illorũ potentia. Maior patet, quia inter actũ, & potentiam debet esse distinctio realis; at forma educta est actus, & subiectum dicit potentiam, igitur &c. Tùm etiam, quia partes componentes physicè debẽt esse diuersæ realiter; atqui forma educta, & materia ex qua fit eductio, sunt partes componentes physicè; ergo debent esse distinctæ realiter. Minor est nota ex dictis in Logica.

Quarta conclusio. Actus supernaturales, cuiusmodi sũt visio, & fruitio beatifica, educuntur de potentia subiecti. Est Scoti in 1.d.17.q.2. P p §. Ad tertium dico. Probatur, quia vel isti actus fiunt regulariter ex obiecto, & potentia informata habitu supernaturali, vel immediatè ab ipso Deo supplente causalitatem habitus, & potentiæ, vt docet Scotus in 3.d.13.q.3. O. & d.14.q.2. A. sed quouis modo fiant, semper fiunt dependenter ab aliqua causa creata, vel formaliter, vel æquiualenter; ergo educuntur de potentia subiecti. Secundo probatur à Doctore in 1. d. 17. loco citato, quia isti actus non creantur; ergo educuntur de potẽtia subiectorum. Consequentia patet, quia omne factibile, aut fit per creationem, aut per eductionem de aliqua potentia creata. Antecedens probatur, Tũ quia creare est actus solius Dei sine causa secunda, sed ad visionem, & fruitionem concurrunt regulariter intellectus, & voluntas creata, quæ sunt causæ secundæ; ergo non creantur: Tùm etiam quia in creatione nullum præsupponitur subiectum susceptiuum, saltem de necessitate (quod dico propter animam rationalem, quæ non necessariò supponit corpus organizatum, cum possit per se existere) sed huiusmodi actus necessariò supponunt intellectum, & voluntatem, in quibus recipiantur; ergo non creantur, sed educuntur de potentia subiecti.

Quinta conclusio. Habitus supernaturales,

turales, vt sunt gratia, fides, spes, charitas, & lumen gloriæ non educuntur de potentia Animæ, vel Angeli, sed immediatè habent esse à Deo per creationem. Est conclusio constantissima Scoti in 1. d. 17. q. 2. C c, & P p, & q. 3. Z z §. Ad tertium concedo &c. & in 3. d. 11. q. 1. A. §. Cui ista opinio non placet, & in 4. d. 1. q. 1. §. Contra istam opinionem &c & ad quæstionem D d, quicquid dicant Mastrius, & Bellutus hic disp. 3. q. 5. art. 2. contendentes probare non esse alienum à Doctore asserere, etiam habitus supernaturales esse educibiles, sicut eorum actus, de potentia subiecti. Eamdem sententiam de creatione horum habituum supernaturalium reperi priùs euulgatam fuisse in Scholis ab Alense 2. p. q. 9. memb. 8. Et 3. p. q. 69. memb. 2. D. Bonauentura in 2. d. 26. q. 4. Ricardo ibidem art. 1. Henrico quol 4. q. 37. Okamo in 4. d. 1. Gabriele ibidem q. 1. art. 2. concl. 3. & ab alijs, quorum meminit noster Merinero hic disp. 4. q. 4. sect. 2. n. 18. quæ sic probatur, & primo auctoritatibus Scoti, nedum in præcitatis locis; verùm etiam in 2. d. 37. q. vnica paulò antè lit. A. vbi habet sequentia verba formalia. Secundum concludit hic, quia Gratia est à solo Deo per creationem, & ab eo solo conseruatur, & quando destruitur annihilatur, quia cuius productio est creatio, eius destructio est annihilatio: Idem repetit in 4. d. 1. q. 1. P p, & d. 16. q. 2. B. dicendo, gratiam non corrumpi per culpam, cum non opponantur formaliter, sed tantum demeritoriè, & ideò eius destructio, sicut virtutum supernaturalium, est annihilatio, cùm earum productio sit creatio. Secundò probatur ratione, non minus repugnant adinuicem supernaturale, & naturale, quam spirituale, & corporale, sed spirituale non educitur de potẽtia entis corporalis, vt patet de Angelo, & Anima rationali; ergo nec supernaturale poterit educi de potentia entis naturalis. Maior probatur, quia estò naturalitas, & supernaturalitas formaliter dicant respectus ad agens naturale, & supernaturale, tamen si connotatiuè sumantur, sunt differentiæ oppositæ diuisiuæ entis, sicut spirituale, & corporale diuidunt substantiam; ergo qualem repugnantiam habent adinuicem spirituale, & corporale, talem pariter habere debent supernaturale, & naturale, vt non possint fieri de seinuicem. Confirmatur, quia Gratia, & cæteri Habitus supernaturales eleuant simpliciter animam extra ordinem naturæ; ergo repugnat illis contineri in virtute, & potestate entis naturalis, ac proindè educi non poterunt de potentia animæ; siquidem educi de potentia subiecti, est extra subiectum duci, hoc est reduci ad actum, quod erat in potentia, ac virtute subiecti.

Obijcitur primò contra primam conclusionem, quia formæ relatiuæ, tùm naturales, tùm artificiales non producuntur propriè, sed resultant ad productionem extremorum; ergo non educuntur de potentia subiectorum.

Respondetur negando consequentiam, sumendo educi pro dependere ab alio in esse, fieri, & conseruari, quia sic etiam relationes educuntur de potentia extremorum, cum ab illis dependeant in fieri, esse, & conseruari.

Obijcitur secundò, quia passiones, modi intrinseci, & cæteræ formæ metaphysicè verè dependent in esse, & conseruari à suis entitatibus, sicut relationes ab extremis; ergo sicut hæ verè educuntur de potentia extremorum, ita etiam illæ debent sic educi de suorum subiectorum, vel suarum entitatum potentia.

Respondetur negando consequentiam, quia ad eductionem requiritur distinctio realis inter formas educibiles, & earum subiecta; cum autem passiones, modi intrinseci, & differentiæ, non distinguantur realiter à suis subiectis, sicut relationes ab extremis, propterea non possunt educi de illorum potentia, sicut relationes de potentia extremorum.

Obijcitur tertiò contra quartam conclusionem, quia Gratia, & cæteri Habitus supernaturales sunt essentialiter

iter accidentia; ergo in suo esse, & conseruari dependent essentialiter à subiecto, & consequenter debent educi de illorum potentia. Antecedens patet, quia illis conuenit diffinitio accidentis; siquidem adsunt, & absunt à subiectis, absque eorundem corruptione. Consequentia patet, quia accidentis esse est inesse subiecto saltem in aptitudine; ergo in suo esse dependent à subiecto.

Respondetur negando consequentiam, quia natura accidentis, vt accidens est, non postulat dependere à subiecto ex quo, quia hoc sibi conuenit vt materiale est dumtaxat; sed solum exigit subiectum in quo recipiatur, & à quo sustentetur: modò gratia, & cæteri habitus supernaturales, vt accidentia sunt, exigent, saltem in aptitudine, animam vt subiectum, in quo possunt recipi, & conseruari; cæterùm vt supernaturales sunt simpliciter, despiciunt subiectum ex quo, & petunt fieri immediatè à Deo ex nihilo, & postea infundi animæ, vt in ipsa existant, & conseruentur.

Obijcitur quartò, quia visio beatifica, fruitio, & cæteri actus in ordine ad obiectum beatificum, sunt ordinis supernaturalis, vt docet Scotus in 1. dist. 17. q. 2. sub P p. ergo si ratio supernaturalitatis in istis non despicit subiectum ex quo, cum educantur de potentia subiecti, vt habet idem Doctor ibidem, nec officiet in habitibus supernaturalibus, quin educi queant de potentia animæ rationalis.

Respondetur negando consequentiam, quia non omnis supernaturalitas despicit subiectum ex quo, sed tantum illa, quæ dicit actum primum, vt optimè demonstrat Scotus in citato loco; siquidem supernaturale in actu secundo, cum petat fieri partialiter à causa creata, potest educi de potentia subiecti, non sic supernaturale in actu primo, cum sit producibile à solo Deo immediatè ex nullo præsupposito subiecto.

Obijcitur quintò ex doctrina Scoti in q. 1. Prologi sent. §. Ad quæstionem: Et in 4. d. 43. q 4. §. Intelligendum est &c. vbi habetur, quod anima rationalis est in potentia naturali passiua ad formas supernaturales quascumque, cum ab omnibus sit naturaliter perfectibilis; ergo signum est, quod omnes sint in potentia naturali eiusdem, & consequenter quod omnes, nedum in actu secundo, sed etiam in actu primo sint educibiles de potentia animæ.

Respondetur negando consequentiam, quia etsi anima rationalis sit in potentia receptiua ad formas supernaturales, non tamen est in potentia passiua productiua ad illas, quæ sunt in actu primo, & ideò non sequitur, quod sicut potest naturaliter omnes recipere, vt ab eis perficiatur, ita possit omnes producere in genere causæ materialis; quia etiam materia prima est in potentia passiua receptiua ad omnes formas, tum materiales, tum immateriales, non est tamen in potentia passiua productiua ad omnes, sed tantum ad materiales, alioquin, etiam anima rationalis educeretur de eius potentia, quod tamen est falsum, vt aliàs dictum est.

Obijcitur sextò: Formæ supernaturales nequeunt per se subsistere; ergo fiunt dependenter à subiecto, & consequenter educuntur de eius potentia. Antecedens probatur, quia sunt per se accidentia, quorum esse est in alio esse.

Respondetur negando vltimam consequentiam, quia etsi formæ supernaturales, cum sint essentialiter accidentia, fiant dependenter à subiecto in quo recipiantur, & sustententur; non tamen habent esse dependenter à subiecto ex quo educantur, cùm non sint formæ materiales, & naturales, sed immateriales, & supernaturales.

Contrà, quia formæ supernaturales sunt formæ materiales; ergo fiunt dependenter non tantum ex subiecto in quo, sed etiam à subiecto ex quo. Consequentia patet. Antecedens probatur ex Scoto in 4. d. 1. q 1. ante H h. vbi habentur hæc verba formalia: Formam

autem

autem materialem dico esse omnem illam, quæ ex natura sua necessariò inclinatur naturaliter, vt sit actus materiæ, siuè sit substantialis, siuè accidentalis: sed formæ supernaturales sunt huiusmodi, ex eodem in Prologo quæst. 1. §. Ad quæstionem &c. & in 4. dist. 43. quæst. 4. §. Intelligendum est hic, sub E. ergo formæ supernaturales sunt materiales, & consequenter dependentes à subiecto ex quo.

Respondetur negando antecedens; ad probationem dico, auctoritatem Doctoris habere veritatem de omni illa forma, quæ fit, & causatur per eamdem actionem, qua vnitur, vt actus suæ materiæ, vt dicit idem Doctor subtilis in 2. dist. 17. quæst. 1. sub G. non tamen de illis, quæ alia productione fiunt, & alia vniuntur, vt est in proposito de formis supernaturalibus; siquidem saltem prius natura terminant actionem productiuam ex nihilo, quàm vniantur animæ potentijs, quemadmodum in simili dictum est de animæ productione, & eius infusione in corpus organizatum, ex eodem Scoto, nedum in citato loco, sed etiam in 4. d. 1. q. 1. §. Ideo &c. concl. 2. Et dist. 43. q. 4. sub lit. E. ac alibi.

Vtrum forma informet, seu actuet materiam nudam, vel potius affectam accidentibus?

QVÆSTIO IV.

HVius quæstionis intelligentia pendet ex solutione illius celebris controuersiæ: An accidentia absoluta habeant pro immediato subiecto inhæsionis materiam primam, vel compositum substantiale ex materia, & forma coalescens? Circa quam duæ extant Philosophorum sententiæ, quarum prima est Auerrois lib. de Substantia Orbis, & 1. Physic. com. 63. Simplicij tex. 69. Philoponi lib. 1. de Generat. ad tex. 33. & 40. Ammonij in Prædicam. cap. de quantit. & cæterorum Arabum, & Græcorum, asserentium, materiam primam esse immediatum subiectum inhæsionis quantitatis, & qualitatis, & ijs mediantibus recipere in se, ac sibi vniri per informationem etiam formas substantiales. Hanc eandem opinionem postea sequuti sunt Nominales, & Auerroistæ, quorum meminit noster Merinero lib. 1. de Ortu, & Interitu disp. 2. q. 5. n. 2. ac nonnulli ex Recentioribus, quos citat Mastrius hic disput. 3. q. 1. & disp. 5. q. 8. sub n. 86.

Secunda sententia est D. Thomæ de Spiritualibus Creaturis q. vn. art. 3. Et 1. p. q. 76. art. 6. Et de Ente, & Essent. cap. 7. vbi Caiet. q. 16. Scoti in 2. dist. 3. q. 4. ante M. §. Sed ad conclusionem in se dico &c. & d. 15. q. vn. A. & in 4. d. 12. q. 3. & q. 4. sub D. & E. & omnium Thomistarum, & Scotistarum (paucos neotericos si demas) docentium, corpus, siuè simplex, siuè compositum, seu ex materia, & forma substantiali coalescens, esse subiectum inhæsionis immediatum accidentium absolutorum; & non materiam nudam, ac proindè in eandem nudè consideratam recipi formas substantiales, saltem materiales (siquidem de immaterialibus, & cæteris viuentium formis aliàs erit nobis sermo)

nullisque præuijs accidentibus absolutis informari, sed immediatè formas substantiales per informationem sibi copulari.

Pro cuius declaratione, & fundamento primò notandum est, compositum, secundum Scotum, ac Scotistas, esse duplex, scilicet incompletum; & completum, & perfectum. Compositum incompletum est, quod constat ex materia prima, & forma corporeitatis, seu misti, quæ dicitur forma imperfecta, seu dans esse incompletum, cum sit ordinabilis ad vlteriorem formam completam, cuiusmodi est anima; & sic corpus, quod est altera pars viuentis, dicitur compositum incompletum; siquidem est ordinabile ad receptionem animæ, quæ dat esse completum, & vltimatum substantiale. Compositum verò completum est, quod coalescit ex composito incompleto, & anima, per quam recipit esse viuens, vt homo, leo, & planta; siquidem homo habet esse per animam rationalem; leo per sensitiuam; & planta per vegetatiuam. Vtrumque compositum consequuntur accidentia ratione propriæ formæ; nam quantitates; qualitates communes rebus animatis, & inanimatis, vt sunt caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, colores, sapores, odores, & cæteræ qualitates secundæ, cùm adueniant composito ratione formæ corporeitatis, habent subiectari immediatè in composito incompleto, quod constat ex materia, & forma misti: quod ex eo potissimum conuincitur, quia destructo, mortuoque viuente, adhuc perseuerant in corpore, seu cadauere, vt experientia constat: Accidentia verò corporalia, quæ adueniunt composito ratione animæ, vt sunt operationes vitales, scilicet videre, audire, sentire, nutrire, vegetare, & similia, subiectantur immediatè in composito perfecto, & completo; quod indè patet, quia omnia depereunt in viuentium interitu. Ex his infertur, quod cum materia prima eadem numero maneat in vtroque composito, & tamen non perseuerent eadem numero accidentia, dum corrumpuntur; (siquidem destruuntur ad formæ separationem, vel destructionem) non potest vllo modo dici esse illorum immediatum subiectum inhæsionis, sed tantum remotum, & vltimatum, ac mediatum.

Secundò notandum est ex Aristotele lib. 1. de Gener. cap. 4. t. 23. latam esse differentiam inter generationem, & alterationem etiam ex parte subiecti in quo fiunt; siquidem subiectum generationis est materia prima manens sub forma, & eius priuatione, tanquam sub terminis à quo, & ad quem incipit, & terminatur generatio substantialis; subiectum verò alterationis est totum compositum, manens sub vtroque termino contrariorum accidentium, inter quæ versatur alteratio, vt patet in calefactione aquæ, quæ manet sub frigore tanquam sub termino à quo, & postea sub calore, vt sub termino ad quem transmutatur, inquit enim: *Alteratio quidem, quando manente subiecto sensibili existente, transmutatur in eius passionibus, aut contrarijs existentibus.* Ex hac differentia infertur, quod sicut de mente Aristotelis, subiectum inhæsionis generationis, & formæ substantialis est materia nuda, transiens de priuatione ad formam; ita subiectum inhæsionis accidentium, quæ per motum alterationis acquiruntur, non est materia prima, sed compositum substantiale, constans ex materia, & forma: Nec valet dicere, compositum esse quidem subiectum alterationis ratione materiæ, ac proindè hanc esse inhæsionis; illud verò denominationis subiectum, quia alterationis motus recipitur in toto composito inhæsiuè, & non in sola materia, quod disertis verbis explicuit idem Aristoteles quinto Physicorum cap. 1. tex. 3. dum dixit: *Alterum enim est, quod primùm mouetur, & in quod mouetur, & ex quo, vt lignum, vt calidum, & frigidum; horum autem aliud quidem, quod; aliud verò in quod, aliud autem ex quo motus, manifestum est, quod in ligno est:* Et tex. 11. magis

se explicans, subiungit: Primùm dupliciter contingit motus esse motum, aut vt subiecti, vt homo mouetur, quia ex albo in nigrum mutatur. En quomodo de mente Aristotelis, compositum substantiale non est tantum subiectum denominationis, verùm inhæsionis immediatum motus alterationis, & contrariorum accidentium, & si materia aliquo modo ponatur, illorum subiectum, erit tantum remotum, & mediatum; non verò immediatum, & proximum.

Tertiò notandum est, quod, accidentia mediare inter materiam, & formam potest dupliciter intelligi, vno modo in *facto esse*, ita vt maneant simul cum forma in composito, & sic est falsum, quia tunc compositum substantiale non esset vnum per se, sed per accidens; Tùm quia non esset ex per se actu, & per se potentia, vt vult Aristoteles 8. Metaphysic. t. 15. Tùm etiam, quia coalesceret ex rebus diuersorum generum: Alio modo *in fieri*, & *dispositiuè*, & sic est verum *ipsa mediare inter materiam*, & formam; siquidem agens, vt puta ignis, nequit introducere eius formam in materiam ligni, nisi prius illam disposuerit per caliditatem, & siccitatem, tanquam per dispositiones contrarias formæ ligni corrumpendæ, & conuenientes propriæ formæ introducendæ. Hæc autem dispositio, & introductio exigit duplex genus actionum in agente corporeo erga passum. Primum est alterationum per quas introducit dispositiones pro expulsione vnius formæ, & receptione alterius, & istæ, cum sint veri motus, non versantur circa materiam immediatè, sed circa compositum corrumpendum, tanquam circa proximum, & immediatum subiectum, in quo recipiuntur paulatim, & successiuè illæ qualitates formæ introducendæ, cum expulsione qualitatum, in quibus conseruabatur forma expellenda; quæ cum reductæ fuerint in vltimo gradu, succedit in instanti secundum genus actionum, quæ generationes, & corruptiones substantiales appellantur; nam per alteram corrumpitur forma substantialis, e. g. ligni, & generatur per alteram forma substantialis ignis, & harum subiectum immediatum non est compositum corrumpendum, quia tale destruitur cum omnibus suis accidentibus ad corruptionem formæ ligni; nec compositum generandum, quia solum habet esse per vnionem formæ ignis cum materia, quæ suberat formæ ligni destructæ, sed est dumtaxat materia prima nudè considerata, disposita tamen, ac determinata per qualitates contrarias vtriusque formæ, & genitæ, ac corruptæ.

Quartò notandum est, quod hic est sermo tantum de accidentibus corporalibus, & non de spiritualibus, quia certum est, huiusmodi non subiectari in toto composito, sed in aliqua sui parte, vt scientiæ, & errores, quæ subiectantur in intellectu; & spes, & charitas in voluntate: Similiter de corporalibus intelligitur quæstio de absolutis dumtaxat, & non de relatiuis, quia hæc non proximè, sed solum remotè inhærent subiectis: Nec de omnibus absolutis procedit difficultas, sed tantum de perfectis, cuiusmodi sunt quantitates, & qualitates corporales, tàm permanentes, quàm successiuæ. Similiter tantum hic agimus de subiecto inhæsionis proximo, & immediato; non verò de remoto, & mediato, quia sic tàm materia, quàm forma possunt appellari subiectum accidentium, cum sint partes essentiales compositi, quod est subiectum proximum, & immediatum eorundem.

Quintò notandum est, quod nomine totius compositi non intelligimus totum sincategorematicum, quia sic etiam materia, & forma essent subiecta *quæ*, immediata, ipsorum accidentium; siquidem totum sincategorematicum nil aliud est, quàm suæ partes distributiuè; sed per subiectum *quod*, accidentium intelligi debet ipsum totum compositum categorematicè sumptum, prout dicit tertiam entitatem à partibus seiunctam; partes verò possunt appellari subiecta *quibus*, vt notauit Mastrius ex

ex Ragusio disput. 18. Peripatet. siquidem materia, cum sit indeterminata ad receptionem omnium formarum, est ratio recipiendi in composito omnes formas accidentales; forma verò, cum dat esse specificum eidem composito, erit sibi ratio recipiendi tantum aliqua accidentia, & nō omnia, ac illa potius, quàm alia, vt patet de formis ignis, & aquæ, quarum prior est ratio recipiendi tantum caliditatem, & siccitatem; posterior verò humiditatem, & frigiditatem.

Ex his sit prima conclusio. Subiectum quod inhæsionis accidentium corporalium, absolutorum, & perfectorum, vt sunt quantitates, & qualitates, tùm permanentes, tùm successiuè, non est materia prima, sed totum compositum ex materia, & forma coalescens, categorematicè sumptum. Est D. Thomæ, & Scoti in præcitatis locis, & melioris notæ Thomistarum, & Scotistarum, quorum meminere Ruuius lib. 1. de Gener. cap. 4. tract. 3 q. 8. n. 187. Mastrius hìc disp. 3. q. 1. n. 4. & Merinero lib. 1. de Ortu, & Interitu disp. 2. q. 5. n. 17. quibus adiungi possunt præclarissimi Scotistæ, & Præceptores mei Hugo Cauellus, in supplem. ad quæst. de Anima Scoti disp. 1. sect. 17. §. Dico primò; ac Franciscus à Catharo in 1. Physic. q. 5 art. 6. & q. 6. art. 1. Probatur primò auctoritate Aristoteles, nam in Prædicam. cap. de Subst. docens secundas substantias, & accidentia absoluta prædicari debere de primis substantijs, & esse in illis, concludit dicens: *Quare alia omnia, aut de subiectis primis dicuntur substantijs, aut in subiectis eis sunt: Non ergo existentibus primis substantijs, impossibile est aliquid aliorum esse*; sed conclusio non sequeretur, si compositum substantiale, non esset immediatum subiectum, *quod*, accidentium, quia remanerent in materia prima: ergo vt sistat illatum ab Aristotele, necessariò dicendum est, subiectum accidentium quod, esse compositum substantiale, seu primam substantiam, & non materiam primam. Nec valet dicere, Aristotelem ibi loquutum fuisse de corruptione substantiarum syncategorematicè sumptarum, prout nimirum compræhendit desitionem etiam suarū partium, & consequenter etiam materiæ primæ: Tùm quia Aristoteles non cognouit hanc desitionem substantiæ secundum se totam, sicut nec eius productionem, vt latè probat Scotus in 4. d. 11. q. 1. art. 1. & q. 3. art. 2 Tùm etiam, quia 1. Physic. demonstrat materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem: accipit ergo ibi totam substantiam primam categorematicè, sicut loquitur de illa lib. 1. de Gener. t. c. 10. & 24. & consequenter, quod, ea corrupta, impossibile est aliquod accidens remanere. Deinde 7. Met. t 4. Substantia à toto genere est prior quocunque accidente ratione, cognitione, tempore, & natura; sed si materia esset immediatum subiectum inhæsionis accidentium, non esset ita prior à toto genere, quia præcederent formam, & compositum; ergo &c. Rursùs, quod est immediatum subiectum generationis, non est immediatum alterationis, ex Aristotele in 1. de Gener. cap. 2. t. 10. & cap. 4. t. 23. sed materia est immediatum subiectum generationis, ex eodem ibidem, & 1. Physic. t. 82. ergo materia prima non est immediatum subiectum accidentium, quæ per alterationem acquiruntur, sed solum formarum substantialium, quæ per generationem producuntur de eius potentia. Secundò probatur conclusio ratione desumpta ex doctrina Aristotelis 5. Physicorum t. 3. & 11. quia illud est subiectum inhæsionis accidentium, quæ per verum motum acquiruntur, quod est subiectum motus; siquidem idem est subiectum motus, & eius termini, scilicet calefactionis, & caloris, per illam acquisiti ex eodem 5. Physic. t. 11. & 12. sed subiectum inhæsionis motus est tantum compositum substantiale, & non materia prima, vt probat idem Philosophus 1. de Gener. cap. 2. & t. 10. & cap. 4. t. 23. nam per hoc distinguitur alteratio à generatione, quod hæc immediatè in materia; illa verò in toto cōposito categorematicè sumpto subiectētur; ergo hoc erit immediatum subiectū inhæsionis accidentium, & non materia prima. Deinde actiones immanentes, vt sunt operationes vitales sensitiuæ, subic-

biectantur in organis sensuum, à quibus producuntur, & non in aliqua parte organi, vt probat Scotus in quol. 9 G. & H. ex Aristotele de Sensu, & Sensato, & lib. 1. de Anima t. 66 sed huiusmodi operationes sensitiuæ sunt accidentia absoluta corporalia, & materialia; ergo huiusmodi accidentia non inhærent materiæ primæ, sed composito ex parte corporis, & ex parte animæ. Maior probatur, quia actio immanens per hoc distinguitur à transeunte, quod hæc transit subiectiuè in passum ab agente realiter distinctum; illa verò manet in agente, à quo producitur. Quod autem huiusmodi operationes sint immanentes, & non transeuntes, patet ex Aristotele in præcitatis locis, in quibus habentur, eas manere subiectiuè in organis sensuum, à quibus producuntur; nam visio est in oculo, & auditus in aure, quia oculus videt, & auris audit, & non corpus, vel animæ pars, ex quibus coalescit organum. Minor probatur, quia operationes sensitiuæ, cum prouenian tà principio sensitiuo, & materiali, habent denominari materiales, & corporales, sicut è contrà intellectiones, & volitiones dicūtur immateriales, & spirituales, quia procedunt ab intellectu, & voluntate, quæ sunt potentiæ spirituales, & materiæ expertes. Consequentia etiam tenet, quia ex Aristotele in præcitatis locis de Anima; & Sensu, & Sensato, organa sensuum, non dicunt tantum partem corporis, vel animæ sensitiuæ, sed composita ex illis. Superest ergo vt dicamus, quod sicut operationes sensitiuæ habent collocari in organis sensuum, ita cætera accidentia corporalia in compositis, vt in subiectis inhæsionis, & non in materia prima reponi debent. Alias rasiones, si maiorem cupitis probationem, videte in Mastrio, & Merinero; nobis enim hæ sufficiunt.

Secunda conclusio. Materia, & forma substantialis, possunt appellari subiecta quibus, seu rationes formales subiectandi accidentia in compositis substantialibus. Probatur, quia compositū secundum se est indifferens, & indeterminatum ad recipiendum omnia accidentia, est enim capax perfectionis omniū; sed hanc indifferētiam, & indeterminationē passiuam nequit habere, nisi ratione materiæ, quæ est prima potentia passiua, & indeterminata; ergo materia est ratio recipiendi in composito indiscriminatim omnia accidentia materialia. Deindè non omnia accidentia afficiunt quæcunque composita substantialia, sed aliqua sic, & aliqua non, vt patet de siccitate, & humiditate, caliditate, & frigiditate respectu ignis, & aquæ respectiuè; sed hanc discretionem non habent composita, nisi ratione huius, vel illius formæ, quæ exigunt hæc, & non illa accidentia, tanquam sui dispositiones, ad sui generationem in composito; ergo etiam forma potest appellari subiectum quo determinatiuum accidentium in composito substantiali.

Tertia conclusio. Accidentia non mediant in facto esse, seu forma iter inter materiam, & formam substantialem, hoc est dictu: Forma substantialis informat materiam nudam, & expoliatam omni accidente absoluto, saltem perfecto. Est Scoti in citatis locis, sed præcipuè in 4. d. 12. q. 3. sub lit. O. P. Q. & R. Probatur, quia substantia à toto genere præcedit omne accidens ratione, cognitione, tempore, & natura, ex Aristotele 7. Met. tex. 4. sed forma substantialis est substantia incompleta, ordinata ad materiam, tanquam actus ad suam potentiam per se; ergo debet præcedere in materia omne accidens absolutum. Minor est Aristotelis 8. Met. t. 15. & 7. Met. tex. 8. & 9. vbi probat, materiam, & formam esse substantias adinuicem vnibiles in ratione actus, & potentiæ per se. Confirmatur, quia esse simpliciter habetur per formam substantialem; & esse secundum quid per formam accidentalem; sed esse simpliciter præcedit à toto genere esse secundum quid; ergo forma substantialis debet præcedere in materia formam accidentalem. Secundo probatur, quia si aliquod accidens mediaret inter materiam, & formam substantialem, compositum ex his coalescens non esset vnum per se, sed vnum per accidēs; sed hoc est contra Aristotelem 8. Met. t. 15. & 16. ergo &c. Maior probatur, quia

materia cum illo accidente faceret vnũ per accidens; essent enim componentia diuersorum generum; ergo ex illa cum forma non posset fieri vnum per se. Nec valet dicere, quod illud accidens esset ordinatum ad nouam formã, vt dispositio necessaria, sicut forma corporeitatis, secundũ Scotum, est dispositio ad recipiendam animam in materia, & tamen non negatur compositum ex anima, & corpore esse vnum per se: Non valet inquã, Tum quia forma corporeitatis, cum sit eiusdem generis cum materia, constituit vnum per se incompletum potentiale, ex quo postea cum anima coalescit vnum per se completum, & perfectum; cæterùm illud accidens, cum sit alterius generis à materia, quamuis possit esse dispositio in fieri ad nouam formam inducendam, si maneret tamen in eadem, non posset facere vnum per se potentiale, ordinatum ad constituendum vnum per se completum cum noua forma inducenda, sed solum vnum per accidens. Deindè, illud accidens non se teneret ex parte materiæ, quasi ipsam disponeret ad receptionem nouæ formæ, cum sit de se disposita, & indifferens ad omnes; ergo non esset par ratio de forma corporeitatis respectu animæ; siquidem hæc necessariò disponit materiam, ipsam organizando, & sine ipsa non posset induci anima in materiam, vt aliàs cum Scoto dicturi sumus. Nec valet dicere secundo, requiri huiusmodi accidens præuium, vt determinatiuum materiæ ad talem, & non aliam formam recipiendã, quia huiusmodi determinatio non est effectus alicuius formæ, quæ sit immediata materiæ, sed agentis intendentis inducere propriam formam, & expellere incompossibilem cũ sua, vt optimè docet Scotus in 2. d. 12. q. 2. sub F. Nec valet tertio subiungere, vnionem præexigi necessariò ad constitutionem compositi, nec tamen impedit, quin compositum sit vnum per se; igitur idem potest inferri de illo accidente, quod mediaret inter materiam, & formam: Siquidem, vt docet Scotus in 3. d. 2. q. 2. sub F. vnio inter materiam, & formam, quamuis concurrat necessariò vt conditio, non tamen vt causa totius compositi, & ideò non officit, quin sit vnum per se, resultans ex per se actu, & per se potentia; At huiusmodi accidens, si poneretur mediũ inter materiam, & formam, esset causa, quia se teneret, vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ, & consequenter impediret, quod compositum non resultaret ex per se actu, vel ex per se potentia, & sic esset vnum per accidens. Sileat ergo iste Sciolus, & meliùs sapiat cum Magistro, ne, & ipse, vt nonnulli Scotistarum assolent, ab ipso desipiat.

Quarta conclusio. Accidentia tamen absoluta, & præsertim qualitates, mediãt inter materiam, & formam in fieri. Probatur, quia illud dicitur mediare in fieri inter materiam, & formam, sine quo agens nequit introducere formam, sed sine medijs qualitatibus, agens non potest introducere formam in materiam; ergo tales necessariò mediant inter materiam, & formam. Maior patet à simili, quia in tantum priuatio dicitur necessaria in fieri generationis naturalis, quia talis sine ipsa fieri nequit; ergo illud dicitur necessarium medium, sine quo forma introduci nequit in materiam; ergo &c. Minor patet per experientiam, quia impossibile est, naturaliter loquendo, quod ignis introducat suam formam in materiam ligni, nisi illud calefaciat, & exsiccet; siquidem, vt inquit Aristoteles in 2. lib. de Anima t. c. 24. Actus actiuorum non sunt, nisi in passo benè disposito; sed talis dispositio fit potissimum per qualitates; ergo tales habent mediare inter materiam, & formam substantialem. Confirmatur, quia agens nequit inducere propriam formam in aliquam materiam, nisi expellat ab ea formam, qua afficitur, quandoquidem, saltem naturaliter, duæ formæ substantiales disparatæ, & adæquatæ nequeunt simul informare eandem numero materiam; sed non potest illam expellere, nisi introducendo dispositiones contrarias tali formæ, quia substantia non agit in substantiam immediatè, verùm mediatè dumtaxat, idest per accidentia dispositiua ad corruptionem; ergo talia accidentia haberet mediatè dispositiuè, &

& in fieri, inter materiam, & formam nouam inducendam. Nec obstat, quod generatio, & corruptio fiant in instanti, in quo non possunt mediare accidentia; siquidem in nostra sententia corrumpuntur ad corruptionem totius compositi corrumpendi, quia sufficit quod præcesserint in motu alterationis præcedente corruptionem vnius formæ, & generationem alterius, ad hoc, quod dicantur mediasse inter materiam, & nouam formam inducendam; siquidem vbi desinunt actiones alteratiuæ subiecti corrumpendi, incipiunt actiones corruptiuæ formæ præcedentis, & generatiuæ sequentis, quæ fiunt in eodem instanti *temporis*, licèt in diuersis *naturæ*, subiectiuè *in* eadem numero materia, quæ transit de vna ad aliam formam.

Obijciuntur tamen ab Aduersarijs multa, & non spernenda argumenta: & primò contra primam conclusionem. Ad destructionem compositi substantialis, remanent aliqua accidentia, *quæ in illo præfuerant*; ergo signum est, quod non erant *in illo*, tamquam in subiecto inhæsionis, sed in materia, quæ manet eadem sub genito, & corrupto. Consequentia patet. Antecedens probatur, Tum quia, cum ex aere fit aqua, manet eadem diaphaneitas ex Aristotele 1. de Gener. t. 24. & 27. Tum etiam quia eadem quantitas perseuerat sub vtroque, genito scilicet & corrupto, sed ita non esset, si subiectaretur in composito; ergo signum est, quod fuerit subiectiuè in materia. Antecedens patet, quia quantitas est ingenerabilis, & incorruptibilis, sicut materia; siquidem nequit generari à forma, quia non est per se quanta; nec à quantitate, cum secundum se non sit actiua; nec à qualitate, cum sit posterior ipsa; nec à composito, quia tale non agit nisi per suam formam; ergo est ingenerabilis; sed quod est ingenerabile, est etiam incorruptibile; *igitur* quantitas perseuerat eadem in genito, *& corrupto*, & non nisi in materia, ergo hæc, & non compositum erit subiectum inhæsionis accidentium.

Respondetur negando antecedens, ad primam probationem desumptam ex Philosopho dico, manere eandem diaphaneitatem specie, & non numero, alioquin migrasset de subiecto in subiectum, quod non est dicendum. Ad secundam negatur iterùm antecedens, ad cuius probationem dico, quantitatem, sicut & cætera accidentia per se, nec generari, nec corrumpi, sed vtrumque sibi euenire per accidens ad generationem, & corruptionem compositi; & quamuis aliqua corrumpantur per contrarium, vt frigus per calorem, hoc non est directè, ita quod vnum per se possit aliud corrumpere, alioquin si manerent separata, possent à seinuicem destrui, quod est contra Scotum in 4. d. 12. q. 3. sed tantum dispositiuè, pro quanto ab agente vnum contrarium introducitur, per eductionem de potentia passi, in ipsum, altero contrario affectum, cum quo formaliter pugnat in eodē subiecto: ex quo infertur, quod sicut quantitas non generatur de materia, nec in ipsa immediatè corrumpitur, sed educitur de potentia compositi, & ad eius corruptionem destruitur; sic non debet subiectari in materia immediatè, sed in toto composito.

Obijcitur secundò, quia data veritate conclusionis, sequeretur idem suiipsius destructionem procurare, quod est omninò innaturale. Sequela probatur, quia calor inductus ab igne in aquam, cum dispositiuè moliatur destructionem aquæ, in qua subiectatur, consequenter molitur eius destructionem, indè securam ad corruptionem subiecti. Vlterius, Ignis destrueret calorem, quem induxit in aquam corrumpendam; sed hoc non est dicendum; ergo conclusio non continet veritatem. Sequela maioris probatur, quia introducendo suam formam, necessariò haberet destrui cōpositum aquæ; ergo etiam omnia accidentia, quæ in ipso erant, & sic etiam calor inductus ab igne.

Respondetur concedendū esse vtrūq. illatum in argumento, sed per accidens, non tamen per se, quia sic & ignis intendit conseruationem caloris, & calor suiipsius esse; cæterùm, quia accidentia corrumpuntur vel per contrarium, vt humi-

humidum per ficcum; vel per absentiam causæ conseruatiuæ, vt lumen per absentiam luminosi; vel per corruptionem subiecti, vt albedo per destructionem parietis; vel tandem per corruptionem termini, vt accidere solet in relatiuis, sequitur etiam in proposito destructio caloris ex destructione compositi aquæ, in quo erat per ignem inductum, tanquam in subiecto.

Obijcitur tertiò: Nulla dispositio prærequisita ad introductioné alicuius formæ est incompossibilis cum illa, ad quam disponit; sed accidentia sunt dispositiones disponentes materiam ad receptionem alterius formæ; ergo non sunt incompossibilia, & consequenter possunt remanere in materia, tanquam in subiecto, & simul existere cum forma inducenda. Maior patet, quia calor, & siccitas sunt dispositiones ad introducendam formam ignis in lignum, & non sunt incompossibiles cum forma ignis, vt patet; ergo cum talia præcedant formam ignis, poterunt remanere in materia, absque hoc, quod agens cogatur denuò illa producere.

Confirmatur, quia si forma aquæ, vel aeris esset dispositio ad recipiendam formam ignis in aliqua materia, ipsa adueniente, illæ non corrumperentur, sed starent simul cum forma ignis; ergo à simili idem dicendum de accidentibus necessariò disponentibus ad aliquam formam recipiendam in materia. Antecedens patet de forma corporeitatis, quæ, quia est dispositio necessaria ad receptionem animæ, ipsa adueniente non corrumpitur; ergo dicendum est consequenter de formis aeris, vel aquæ si forent dispositiones necessariæ ad formam ignis introducendam. Consequentia patet, cum sit eadem ratio de qualibet dispositione necessaria.

Respondetur maiorem esse veram in fieri, non tamen in facto esse, quia sic, cum præcederet ipsam formam, e. g. ignis, quam tamen debet consequi, impediret ne posset vniri materiæ, vt per se actus suæ per se potentiæ; siquidem materia faceret vnum potentiale per accidens, & consequenter incompossibile cũ per se actu: Ad probationem dico, calorem, & siccitatem esse compossibiles cum forma ignis consequenter, non tamen antecedenter ob rationem iam dictam.

Ad confirmationem negatur consequentia, quia non esset eadem ratio de formis aeris, vel aquæ, si forent dispositiones ad formam ignis, ac de formis accidentalibus disponentibus ad eandem; siquidem illæ, cum sint eiusdem generis substantialis cum materia, facerent cum illa vnum per se potentiale completum, quod esset dispositio passiua ad recipiendam formam ignis, tanquam formam vltimatam, & ideò possent cum illa consistere, sicut forma corporeitatis cum anima: at formæ accidentales, cum sint alterius generis à materia, facerent vnũ per accidens, & solùm disponerent in genere causæ efficientis, expellendo dispositiuè formam corrumpendam, & ideò non possent consistere cum forma ignis introducenda in materiam, alioquin ignis genitus esset vnum per accidens, & non per se.

Obijcitur quartò contra tertiam conclusionem, quia omnis forma requirit materiam determinatã, alioquin quodlibet posset generari ex quolibet, sed huiusmodi determinatio nequit fieri, nec à materia, nec à forma, nec à composito; ergo ab accidentibus, quæ sint media inter materiam, & formam. Minor probatur: Non à materia, quia de se est indifferens ad omnes formas; nec à forma, aut composito, quia in illo priori non sunt; ergo restat, vt determinetur ab accidentibus.

Respondetur huiusmodi determinationem fieri ab agente mediantibus accidentibus, disponentibus tantum in fieri materiam ad receptionem propriæ formæ, & non alterius; has autem dispositiones non manere in materia subiectiuè dicimus, sed corrumpi ad corruptionem formæ, & compositi præcedentis; ex hac determinatione, sequitur, nõ generari quodlibet ex quolibet, sed ex determinata materia; nec accidentia esse in materia simul cum forma inducenda, cum non sint dispositiones in facto

cto esse, sed in fieri dumtaxat.

Contrà, quia tales dispositiones in fieri, quibus agens intendit determinare materiam ad receptionem propriæ formæ, & non alterius, quamuis admitti possint in agente vniuoco, dum intendit semper generare sibi simile in natura, tamen non sufficiunt in generatione æquiuoca; nam si à Sole ex materia putrida intendatur generatio ranæ, & non muris, admisso, quod in generationis instanti, corrumpantur dispositiones intentæ ad formam, materia remanebit indifferens nedum ad receptionem illarum formarum, sed etiam quarumcunque generabilium æquiuocè; tum quia materia de se est indeterminata passiuè ad omnes formas; tum etiam quia Sol est agens indifferens ad generandum, non magis ranam, quam murem, aut muscam; ergo vt materia fiat determinata ad hanc formam potiùs, quàm ad illam, requiruntur qualitates disponentes illam in facto esse, & non in fieri tantum.

Respondetur negando antecedens; & ad probationem dico, quamuis Solis virtus sit indifferens ad generandum non magis ranam, quàm murum de tali materia, tamen supposita alteratione præuia facta potiùs ad eductionem formæ ranæ, quàm muris; materia vt sic, erit sufficienter determinata ad receptionem formæ ranæ, & non alterius; siquidem non est necesse vt sint in instanti generationis formæ ranæ inducendæ illæ dispositiones præuiæ, cùm non habeant exercere suum munus in illo instanti, sed tantum in tempore immediatè præcedenti, expellendo formam corrumpendam dispositiuè; igitur sufficiunt in quacumque generatione, siuè vniuoca, siuè æquiuoca, dispositiones in fieri, & non requiruntur in facto esse.

Contrà, quia ait Aristot. 2. de Anima t. 24. Agens nõ potest inducere formam, nisi passum sit benè dispositum; sed admissa corruptione illarum dispositionũ in instanti generationis nouæ formæ, materia non esset benè disposita, quin potius nuda, & indifferens ad omnes formas; ergo agens, v. g. Sol, aut ignis, non posset introducere propriam formam in illam materiam.

Respondetur negando minorem, quinimò tunc materia dicitur benè disposita ad recipiendam aliquam formam, cùm est nuda, & expoliata forma, quam prius habebat, & dum sunt amota impementa, quæ per qualitates contrarias obstabant receptionem illius formæ; vndè si applicaretur agens materiæ sic denudatæ, posset immediatè introducere propriam formam, & sic diceretur egisse in passum benè dispositum, iuxtà intentionem Philosophi; nec esset necessaria alia dispositio, quicquid dicant Aduersarij; siquidem, vt docet Doct. subt. in 4. d. 1. q. 5. sub E. dispositio ad formam potest esse duplex, altera passiua, quæ nimirum disponit passum in genere causæ materialis, vt est organizatio corporis respectu animæ, & hæc est necessaria nedum in fieri, sed etiam in facto esse, quandoquidem anima est actus corporis organici; altera verò est actiua, quæ nimirum disponit in genere causæ efficientis, auferendo impedimenta, quæ obstare possunt ad introductionem formæ nouæ, cuiusmodi sunt qualitates præuiæ introductæ ab agente in compositum corrumpendum, & talis non remanet, sed corrumpitur ad corruptionem formæ antiquæ, & eius compositi, vt superiùs diximus. Si plura argumenta contra has conclusiones desideratis videre, consulite Recentiores Scotistas, & præsertim diligentissimum Mastrium, & eius socium Belluum hic disp. 5. q. 8. art. 1. vbi egregiè disputant, & soluunt, non solùm ex proprio, sed & aliorum Scotistarum, subtilissimo fonte.

Vtrum plures formæ substantiales disparatæ, & adæquatæ possint informare eandem numero materiam?

QVÆSTIO V.

Certum est, quæstionem propositam non procedere de potentia agentis naturalis, quia omnes Philosophi (excepto

pto vno Arriaga hic disp. 3. n. 112.) docent, vi agentis naturalis induci vnam formam in materia non posse, quin destruatur alia, qua erat affecta: Cæterùm de potentia supernaturali litigant inter se, nedum Philosophi, sed etiam Theologi; siquidem Gregorius de Arimino in 1. d. 12. art. 2. Paludanus in 3. d. 15. q. 2. Fonseca in 5. Metaph. cap. 4. q. 4. sect. 5. Suarez disput. 15. sect. 10. nu. 60. Ruuius hic tract. 2. de Forma q. 7. n. 72. & nonnulli alij, quos recenset noster Merinero hic disp. 4. q. 5. n. 4. asserunt, posse vi supernaturali, eandem numero materiam informari pluribus formis disparatis, & adæquatis. Hanc eandem sententiam tuentur Mastrius hic disp. 5. q. 6. Sghema, & Trombeta ab eodem relati, citaturque ab eis Scotus in 4. d. 10. q. 2. sub P. §. Ad secundum dico, quod potest concedi &c. Villauerde in 1. Phys. cap. 3. q. 6. eandem sustinet cum Doctore subt. in 1. dist. 1. q. 1. ad 5. argum. sed quam perperàm hoc egerint, infra demonstrabimus.

Ex opposito, Vasquez in 3. p. D. Thomæ tom. 1. disp. 29. cap. 4. n. 23. Lorca de Incarnat. disp. 23. n. 50. Cursus Carmelit. disp. 4. q. 6. §. 2. vbi citat pro se D. Th. 1. p. q. 76. art. 3. & Caietanum ibidem; ex nostris verò Aretinus in 1. Physicorum in Annot. ad q. 19. Fuentes q. 4. diffic. 3. art. 1. Merinero disput. 4. q. 5. n. 9. Franciscus à Pontelongo disp. 9. de Causa formali concl. 3. cap. 2. & communiter Scotistæ recentiores, ac Thomistæ nonnulli, quorum meminit Mastrius loco cit. sub n. 57. docent, esse prorsus impossibile, quod plures formæ disparatæ possint informare simul eandem numero materiam. Pro hac opinione citatur etiam Scotus à Magistro Pontelongo in 2. d. 15. q. vn. A. in 3. d. 8. q. vn. A. & in 4. d. 16. q. 2. O. & d. 49. q. 16. infra D. sed meliùs, ac securiùs citari potest in 3. d. 1. q. 2. sub A. & C. vbi habet, quod natura humana personata à Verbo non poterat personari simul etiam à Patre, & Spiritu Sancto ob essentialem dependentiam, quam in ratione personabilis dicebat ad Verbum tantum; vel ad Patrem, & Spiritum Sanctum diuisim dumtaxat: cùm igitur eadem essentialis dependentia reperiatur in materia in ratione informabilis ad vnam formam totalem, & adæquatam, ac disparatam; dicere debuit consequenter, non posse vnam, & eandem numero materiam informari simul pluribus formis adæquatis, & disparatis substantialibus. Hoc vnico fundamento fretus, hanc sententiam, tanquã de mente Scoti, docui in Scholis, & in publicis concertationibus pro viribus defendi, ac etiam nunc tueri, contra quosdam neotericos Scotistas, ex animo curabo.

Pro cuius declaratione primò notandum est ex Doct. subtili in 4. d. 11. q. 3. art. 2. Formas substantiales esse in duplici differentia; siquidem aliæ sunt subordinatæ, & aliæ disparatæ. Subordinatæ dicuntur illæ, quæ in afficiendo materiam, se adinuicem supponunt, vt sunt forma corporeitatis, & anima; quandoquidem hæc non informat immediatè materiam, sed supponit illam iam informatam per formã corporeitatis, vt aliàs probaturi sumus, & de his non procedit difficultas proposita. Disparatæ verò sunt illæ, quæ immediatè informant materiam primam, vt sunt formę lapidis, ligni, & huiusmodi; vel sunt, quæ in informando, inter se nullum ordinem seruant, cuiusmodi sunt anima bouis, equi, asini, & aliæ. De disparatis tantum est sermo in proposito, quia de subordinatis erit specialis controuersia, in libris de Anima pertractanda.

Secundò notandum est, Formas disparatas adhuc esse duplices, scilicet inadæquatas, & adæquatas. Inadæquatæ sunt, quæ non terminant totam dependentiam, quam dicit potentia subiectiua materiæ ad ipsas: huiusmodi est forma misti, quæ, quia non terminat totam dependentiam materiæ, cum adhuc petat informari ab anima, tanquam à forma totaliter terminante, ideò dicitur forma inadæquata. Adæquatæ verò dicuntur illæ, quæ adæquatè, & totaliter terminant potentiæ subiectiuæ materiæ essentialem dependentiam ad seipsas, & sic forma ignis, aeris, aquæ, lapidis, & cæteræ huiusmodi dicuntur formæ totales,

tales, adæquatæ, alioquin composita per ipsas, non essent totalia, & adæquata, sed incompleta, partialia, & inadæquata, cùm in eis adhuc esset potentia, quæ per vlteriorem formam peteret informari, & actuari, quod nemo sanæ mentis dixerit.

Tertiò notãdum est, materiam primã esse in potentia, seu habere capacitatem ad omnes formas substantiales disparatas potest dupliciter intelligi, vno modo simul, & coniunctim; alio modo successiuè, & diuisim. Priori modo non potest dici esse in potentia ad omnes formas; quandoquidem talis potentia, cum sit naturalis, non tantum prout naturale opponitur violento, sed etiam, vt opponitur supernaturali, deberet dari agens naturale potens reducere in actum huiusmodi virtutem potentialem materiæ, quod tamen ab Aduersarijs negatur: At posteriori modo conceditur gratis materiam posse informari pluribus formis, nedum supernaturaliter, sed etiam naturaliter; cæterùm de hoc nulla est controuersia.

Quartò notandum est, dependentiam importare coexigentiam vnius ab alio, vel in fieri tantum; vel in fieri, esse, & cõseruari simul: priori modo compositum naturale pendet à priuatione, tamquam à principio tantum in fieri rerum naturalium, quia sine illa fieri non posset, vt alias dictum est, & dicemus in sequenti disput. At posteriori modo dependet à materia, & forma, veluti à principijs essendi, & conseruandi. Hæc autem depẽdentia est duplex, essentialis, & accidentalis; prior importat necessitatem in eo, quod sic dependet, quia nequit esse, aut conseruari absque eo à quo dependet, & hæc est multiplex; siquidem alia est causati ad causam, tàm intrinsecam, quàm extrinsecam, & sic compositum dependet à materia, & forma, vt à causis intrinsecis, & ab agẽte particulari, vt ignis ab igne; vel ab agente vniuersali creato, scilicet à Sole; vel increato, vt à Deo, tãquam à causis extrinsecis, sine quibus, aut esse, aut conseruari non potest: Alia verò est naturæ ad suppositum, à quo habet esse subsistens, idest incommunicabile, vt quo, & vt quod: Alia est accidentis absoluti ab subiectum, vt albedinis ad parietem, vel lignum: & alia accidentis relatiui ad extrema, vt relationis similitudinis ad duo alba. Posterior verò dependentia non importat necessitatem in re dependente, cùm possit fieri, & conseruari sine illa, & sic Petrus genitus à Paulo dependet ab illo accidentaliter, quia poterat gigni à Francisco; similiter subiectum accidentaliter pendet ab accidente, quia potest esse, & conseruari absque vllo accidente, saltem absoluto. Differunt autem huiusmodi dependentiæ, præter ea, quæ dicta sunt; quod dependentia essentialis est ad vnũ terminum totalem, & adæquatum duntaxat, ita quod non potest multiplicari relatio dependentiæ essentialis in eodem fundamento ad plures terminos, alioquin idem posset habere esse à pluribus causis totalibus, & adæquatis eiusdem generis, & ordinis, quod inuoluit manifestam repugnantiam, & contradictionem, vt probat Scotus pluribus in locis, sed præcipuè in 3. dist. 1. q. 2. citata; siquidem idem dependeret, & non dependeret; esset, & non esset, quod est manifesta contradictio; Dependentia verò accidentalis potest multiplicari in eodem ad plures terminos totales, & eiusdem rationis, & ordinis; nam Petrus in esse generationis dependet accidentaliter ab auo, proauo, attauo, & sic de cæteris ascendentibus; similiter subiectum idem dependet ab albedine, & dulcedine, vt patet de lacte, & idem pater à pluribus filijs per plures paternitates in esse patris dependet. Ex hac doctrina infertur, quod cùm dependentia materiæ, quoad informari, & actuari, ad formam sit essentialis, quia causati ad causam intrinsecam, non poterit multiplicari per vllam potentiam ad plures formas totales, & adæquatas disparatas, alioquin dependeret, & non dependeret ab vnaquaque illarum; siquidem altera circumscripta, adhuc esset actuata, & informata per aliam, & sic dedependeret quidem per suppositum, quod informaret, non dependeret autem, quia illa potentia esset actuata ab alia forma totali, & adæ-

adæquata, quod inuoluit manifestam contradictionem.

Ex his fit conclusio. Vna, & eadem numero materia, per nullam, potentiã, informari potest simul à pluribus formis disparatis, totalibus, & adæquatis. Colligitur ex Scoto in simili de natura humana non valente personari simul à tribus personis diuinis ex 3 d. 1. q. 2. A, & C. Probatur: Non minus dependet essentialiter materia prima quoad informari à forma, quàm natura humana quoad personari à persona; sed natura humana, stante tali dependentia essentiali, implicat vt possit simul personari à tribus diuinis personis; ergo etiam implicare debet, quod eadem numero materia possit simul informari, & actuari à pluribus formis disparatis, totalibus, & adæquatis. Maior patet, quia in vtrisque est dependentia essentialis; siquidem in materia quoad informari est dependentia causati ad causam; in natura verò est dependentia naturæ ad suppositum, & vtraque est essentialis, vt dictum est not. 4. Minor probatur, quia in omni dependentia essentiali implicat quod vnum dependens dependeat nisi ab vno, quod totaliter, & adæquatè terminet eius dependentiam; ergo, stante dependentia essentiali naturæ humanæ ad vnam personam diuinam, scilicet ad verbum, implicat eam personari posse simul à tribus diuinis personis. Antecedens probatur, quia si vnum dependens essentialiter, posset dependere à pluribus terminis totalibus, & adæquatis, sequeretur ipsum dependere, & non dependere; sed hoc inuoluit contradictionem, & consequẽter repugnantiam; ergo implicat dependens essentialiter posse dependere plusquàm ab vno independenti totali, & adæquato. Sequela maioris probatur, quia E. G. A. dependeret quidem per suppositũ; non depẽderet autem, quia circumscripto ipso independenti totali, seu termino adæquato B, posset A. habere suũ esse per alterum independens, seu terminumtotalem C, alioquin non esset independens, seu terminus totalis huiusmodi dependentiæ; ergo dependens A, dependeret, & non dependeret ab B, quod est contradictio. Rursus sequeretur A. à neutro essentialiter dependere, quandoquidem idem discursus posset fieri de C, respectu B, quia nec à C essentialiter dependeret, quia ipso circumscripto, haberet esse ab B; ergo à neutro essẽtialiter dependeret, quod est contra suppositum, & naturam dependentiæ essentialis. Secundò probatur, quia potentia subiectiua materiæ ad plures formas totales, & adæquatas, siuè sit naturalis, siuè obedientialis, vt volunt Aduersarij, non facit vt simul possit informari ab illis; ergo ruit fundamentum oppositæ sẽtentiæ, & roboratur nostra conclusio. Antecedens probatur ex Doctore subtili loco citato sub C. §. Ad secundum, & tertium dico &c. à simili de natura assumpta à Verbo, quia siuè ponatur vna potentia obedientialis in natura, quæ possit vniri tribus personis; siuè plures ad tres personas diuinas, non facit quod simul possit personari à tribus personis; ergo à simili, quamuis materia sit in vna, vel pluribus potentijs obedientialibus ad plures formas disparatas, non iuuabit vt etiam per agens supernaturale possit illis vniri simul per informationem. Consequentia patet, quia eadem dependentia reperitur in vtrisque, vt superiùs dictum est. Antecedens probatur, quia si astruatur tantum vna potentia obedientialis in natura, illa totaliter est reducta ad actum subsistentiæ per vnionem cum Verbo, aliter Verbum non terminaret totaliter eius dependentiam, sed tantum partialiter, quod esset contra suppositum; & etiam natura non esset simpliciter personata: Si verò sint plures potentiæ, quãuis, vna reducta ad actum per Verbum, remanerent aliæ duæ reducendæ per Patrem, & Spiritum Sanctum, non tamen possent simul reduci ob incompossibilitatem actuum inter se, sicut potentia ad albedinem non potest reduci ad actum cum nigredine; ergo potentia obediẽtialis in natura nõ facit quod possit simul personari à tribus personis diuinis. Tertiò probatur: Quæcumque formaliter repugnant, non possunt esse simul in aliquo tertio, ex Doctore subtili in 4. d 49. q. 16. ad secundum argu-

argumentum pro opinione Philosophorum; sed duæ formæ disparatæ substantiales, & totales inter se formaliter repugnant; ergo nullo modo poterunt esse simul in eadem numero materia. Maior probatur etiam ab exemplo, quia secundum Doctorem in 1. d. 17. q. 3. §. Contra istam opinionem &c. ideò contraria in summo sunt incompossibilia in eodem; in gradibus remissis non, quia eorum formæ sunt incompossibiles formaliter in se in gradibus intensis, & non in remissis; ergo quæcumque formaliter repugnant adinuicem, non possunt esse simul in aliquo tertio. Minor probatur, quia disparata sunt, quæ de seinuicem efferri nequeunt, ratione suarum formarum incompossibilium adinuicem; patet de homine, & asino; lapide, & viuente, quæ, quia earum formæ sunt adinuicem formaliter repugnantes, & ipse pariter repugnāt inter se; ergo si duæ formæ substantiales sint disparatæ, & non subordinatæ, erunt adinuicem formaliter repugnantes, & consequenter incompossibiles in eodem.

Dices: Doctorem in citatis locis locutum fuisse de repugnantia in ordine ad potentiam naturalem; non verò respectu potentiæ absolutæ Dei, quia sic per ipsam potest tolli huiusmodi repugnantia, & incompossibilitas inter formas substantiales, suspendendo effectum secundarium expulsionis.

Contrà, quia Doctor locutus fuit de incompossibilitate, & repugnantia formali, quæ reperitur inter contraria propriè, & impropriè, scilicet disparata; siquidem in 4. d. 49. q. 16. respondendo ad secundum argumentum pro opinione Philosophorum, ponit differentiam inter repugnantiam formalem, & virtualem, & hanc subijcit diuinæ virtuti, non item illam; ergo si formæ disparatæ sint adinuicem formaliter repugnantes, sicut per nullam virtutem possunt vniri adinuicem, sic nec componi in aliquo tertio indiuiduo; patet de rationalitate, & irrationalitate, quæ cùm formaliter repugnent, per nullam potentiam possunt vniri in aliquo animali indiuiduo.

Nec est simile de repugnantia, quæ reperitur inter duo corpora ad esse simul in eodem loco, & de duabus formis disparatis ad esse in vna numero materia, vt non benè deduxit quidam Scotista; siquidem duo corpora adesse in eodem loco tantum repugnant virtualiter ratione suarum dimensionum, vt adnotauit Scotus loco citato, & ideò huiusmodi repugnantia potest tolli à Deo de potentia absoluta; cæterùm duæ formæ disparatæ repugnant insuper etiam formaliter ex suis rationibus formalibus, vt obseruauit idem Scotista in proprijs terminis in Logica disp. 9. q. 1. n. 3. loquens de duplici genere disparatorum, & ideò refugiunt diuinam potentiam, vt nequeant esse simul in eadem materia, vt concludit Doctor in 4. d 49. q. 16. de forma ignis, & ferri, dum dicit: Nec potest dici, quod sit ibi in aliena materia, idest forma ignis in materia ferri: quia duæ formæ specificæ substantiales non possunt simul perficere materiam eandem; ergo de mente Scoti remanet probatū, quod vna, & eadem materia numero, per nullam potentiam, informari possit pluribus formis substantialibus disparatis, totalibus, & adæquatis.

Obijcies tamen primò cum Aduersarijs: Nulla est repugnantia quod duæ formæ substantiales disparatæ, totales, & adæquatæ possint esse simul in eadem numero materia; ergo saltem de potentia Dei absoluta poterunt ibi simul esse. Consequentia patet ex Scoto pluribus in locis, vbi diuinæ potentiæ tribuit quicquid non inuoluit contradictionem, & manifestam repugnantiam. Antecedens probatur, quia si adesset aliqua repugnantia, vel esset ex parte materiæ, vel ex parte formarum, vel ex parte illius, quod ex tali vnione resultaret; sed nullum istorum est dicendum; ergo nulla est repugnantia &c. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur, quia, siuè ponatur vna tantum potentia in materia, siuè plures, materia est capax omnium formarum; ergo nulla potest assignari repugnantia ex parte materiæ, quin simul possit, saltem de potēt a Dei, plures formas recipere. Nec ex parte formarum, quia maior est repugnantia

inter

inter duas qualitates contrarias in summo, quàm inter duas formas substantiales disparatas; sed incompossibilitas, & repugnantia inter illas potest absolutè tolli à Deo, vt sint simul in eodem subiecto; ergo, & repugnantia inter has poterit ab ipso Deo auferri, vt possint esse simul in eadem materia. Minor probatur, quia expulsio vnius qualitatis per aliam ab eodem subiecto est effectus secundarius, qui optimè potest tolli à Deo, vt etiam dicit Scotus in 4. d.49. q.16. loco citato; ergo repugnantia huiusmodi non impedit, quin possint esse simul, saltem virtute diuina. Nec ex parte tertij resultantis ex illa vnione, quia non sequeretur inconuenientia, quæ in oppositum solent adduci, nimirum, quod idē esset vnum, & plura simpliciter: vnum quidem ratione vnitatis materiæ: Et plura ratione pluralitatis formarum substantialium, quæ dant esse simpliciter: Aut quod vnum, & idem dependeret à pluribus causis totalibus, & adæquatis, cuiusmodi essent illæ formæ substantiales cum materia; siquidem non sequeretur primum inconueniens, quia in tali casu, non esset vnum, sed plura composita substantialia, sicut de facto sunt plura, quæ constant ex eadem materia, & duabus formis sibi succedentibus; Nec secundum, quia non esset materia, quæ dependeret ab illis formis, cum existat independenter à forma, sed composita, quæ cum sint plura, non dependeret vnum, sed plura à pluribus; ergo ex nullo capite adesset repugnantia, quominus materia vna numero informari posset simul à pluribus formis disparatis.

Respondetur negando antecedens; ad probationem dico, adesse repugnantiā, tum ex parte materiæ, tum ex parte formarum; vndè ad primam probationem dico, materiam esse vtique in potentia subiectiua ad omnes formas, etiam disparatas, successiuè tantum, & non simul recipiendas, quia reducta ad actum per vnam formam, esset totaliter terminata illius essentialis dependentia, quam habet ad formas, vt non posset amplius ad aliam dependere. Ad secundam probationem nego minorem; imò duæ qualitates contrariæ sunt simpliciter repugnantes formaliter, si in summo accipiantur, vt per nullam potentiam possint se compati simul in eodem subiecto; & cùm probatur, quod expulsio sit effectus secundarius illarum qualitatum contrariarum, dico cum Doctore subtili, esse falsum, imò in illis est effectus primarius; siquidem in 1. d. 17. q.3. §. Contra istam opinionem arguo, inquit, quod incompossibilitas earundem non est habitudo ad subiectum, nec ex aliqua habitudine ad subiectum; prior enim est incompossibilitas formarum in se, quam sit formarum in subiecto recipiente, quia enim sunt incompossibiles in se, ideò nō possunt recipi in eodem, & non è conuersò: & quamuis expulsio in cæteris formis sit effectus secundarius illarum, nihilominus in contrarijs, & disparatis, quæ formaliter repugnant, est effectus primarius, & consequenter à Deo impedibilis.

Contra responsionem factam ad primam probationem de capacitate illimitata materiæ ad plures formas simul recipiendas, quia Scotus in 3. d.8. q.vn. B. dicit: Cùm in subiecto sunt plures potentiæ ad plures formas eiusdem speciei, si non inducatur aliquis actus continens omnes actus, qui possunt illi perfectibili inesse, non terminatur tota potentia ipsius susceptiui, & ideò non est contradictio, quod alia forma similis insit, quia est illimitatum ad illas; sed in materia prima sunt plures potentiæ ad formas; ergo si non inducatur vna forma satians omnes illas potentias, per vnam terminationem totalem, intensitiuam, & extensiuam, non erit contradictio, quod possit plures formas simul recipere, & ab eis informari. Minor est eiusdem Doctoris in 1. d. 1. q. 1. sub G. respondendo ad 5. argum. vbi dicit, in materia esse tot appetitus, quot sunt formæ recipiendæ, qui non satiantur per receptionem vnius formæ, nisi illa sit perfectissima, & contineat perfectiones omnium formarum, quæ in materia recipi possunt.

Respondetur maiorem illam adductam ex litera Doctoris in citato loco, non posse inferre conclusionem de formis

mis substantialibus disparatis respectu eiusdem numero materiæ; Tum quia Doctor loquitur, eo loci de formis accidentalibus eiusdem speciei, & consequenter subordinatis in perficiendo idē numero subiectum, quas esse simul posse in eodem, minimè dubitamus; Tum quia non tribuunt esse simpliciter subiecto, sed tantum secundum quid; Tum etiam, quia non sunt totales, & adæquatæ, sed vna perficit aliam, & omnes simul subiectum. Et in minori, ac conclusione est sermo de formis substantialibus, & disparatis, totalibus, ac adæquatis, quarum quælibet habet tribuere in materia esse simpliciter, totales & adæquatum; & quamuis in ipsa sint plures potentiæ reducibiles ad actum successiuè, non tamen simul, ob incompossibilitatem formarum disparatarum totaliū, cum vnaquæque sufficienter terminet dependentiam suæ potentiæ subiectiuæ, quæ simul non possunt ad actum reduci, vt dicit idem Doctor de tribus potentijs in natura humana personabili à tribus personis *Diuinis*.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem non esse vniuersaliter veram, sed tantum de formis accidentalibus: Ad minorem concedo illam, sed nego consequentiam, quia illi plures appetitus in materia ad plures formas, non sunt satiabiles simul, sed tantum successiuè, ob rationem iam dictam, quia nimirum formæ sunt incompossibiles simul in eadem materia.

Contrà, quia magis repugnat quantū quāto, quàm substantia substantiæ in ratione essendi simul in aliquo, sed duo corpora quanta possunt esse simul in eodem loco; ergo etiam duæ formæ disparatæ substantiales in eadem materia. Maior est Scoti ad literam in 4.d.11.q.3. sub D. paulò antè finem, vbi per illam probat, non esse contradictionem, asserere in materia corporis Christi, posse recipi aliam formam, quæ maneat simul cum corpore. Minor est eiusdem Doctoris in 4.d.10.q.2.& 3. Et d.49. q.16.

Respondetur negando maiorem, quia quantum cum quanto habet tantum repugnantiam virtualem, vt probat Scotus in 4.d.49. q.16. & ideò potest fieri, quod duo quanta sint simul in eodem loco, quia Deus potest impedire effectum secundarium expulsionis vnius quantitatis ab alia; cæterùm duæ substantiæ disparatæ repugnant formaliter, & ob id fieri nequit, vt sint simul in eadem materia: Et cum dicitur, illam maiorem esse Scoti in citato loco, nego; quia non omnia, quæ sunt in litera Scoti, sunt eius .i. de eius mente, sed multa dicit ex aliorū opinionibus, sicut accidit in proposito, vbi ostendit rationes D. Thomæ contra illos, qui dicebant in transubstantiatione panē annihilari, vel resolui vsq. ad materiam primā, esse inefficaces, quia possent respondere, materiam manere sub alia forma, sicut asserit de forma corporeitatis, dum moritur viuens: Et quod non loquatur de mente propria, nō obscurè probatur: Tum quia in illa quæstione sub lit. I. arguendo contra Ægidiū, ponentem materiam primam esse vnam, & indistinctam in omnibus, inducit illum ad hoc inconueniens, vt cogatur fateri plures formas substantiales contrarias, vel saltem disparatas debere esse in vna, & eadem materia, & sic nullæ duæ formæ substantiales repugnarent in simul perficiendo materiam, quod tamen ipse habet pro inconuenienti.

Contrà, quia Scotus contra Ægidium non loquitur de repugnantia simpliciter, sed tantum in ordine ad agens naturale; Tum quia infert, tanquam inconueniens, quod generans posset generare nihil corrumpendo, quod vtique conceditur data hipotesi de opinione contraria, quod per absolutam Dei potentiam possint duæ formæ esse simul in materia vna numero; Tum etiam, quia ibi sub lit. O. dicit, quod licèt Deus posset facere aerem simul cum igne, de potentia absoluta, & fortè ex eadem materia, tamen vt aer succedit igni, sunt incompossibilia simul in essendo; ergo cum Scotus dixerit sub D, duas substantias non habere repugnantiam ad esse simul, sicut nec duo quanta, locutus est de mente propria, & non de aliena.

Respondetur negando consequentiam,

tiam, quia de mente propria semper astruit incompossibilitatem formarum disparatarum in eadem materia, etiam de potentia Dei absoluta; siquidem in 2. d. 15. q. vn. sub A, inquit, illas se habere, sicut terminum generationis à quo, & ad quem, qui per nullam potentiam se compatiuntur in eodem susceptiuo: Et cum probatur per illam auctoritatem desumptam ex 4. d. 11 q. 3. O. Deum posse facere aerem simul cum igne, de potentia absoluta, etiam ex eadem materia; dico fuisse locutum dubitatiuè, non absolutè, vt patet ex *ly fortè* quod præposuit, ad ly *ex eadem materia*; siquidem absolutè hoc negat in 2. d. 15. citata, dum dicit: Sicut impossibile est, quando ex aqua fit ignis, materiam perfici simul forma aquæ, & forma ignis, ita in proposito de forma mixti, & elementi dicendum est, impossibile fore, vt sint simul in eodem susceptiuo.

Obijcies secundò: Doctorem subtilem in 4. d. 10. q. 2. P. respondendo ad secundum, vbi dicit: Quod si materia illa corporis locati in duobus locis transmutaretur à duobus agentibus ad duas formas, non esset nouum miraculum, vt esset proportionata ad recipiendum actiones illorum agentium; ergo supponit eandem numero materiam esse capacem duarum formarum simul, si per miraculum fuerit posita in duobus locis.

Respondetur consequens esse verum, supposito, quod Doctor approbet illam responsionem, in qua potissimùm fundat suam sententiam, vti consonam Scoto doctissimus Mastrius; cæterùm quia illam statim reuocat, dicendo: Dico aliter, quod non sequitur, quod eadem materia duabus formis informetur simul substantialibus, neque eiusdem speciei, neque alterius, quia illa duo agentia vel essent æqualis virtutis, & sic neutrum ageret; vel si inæqualis, tunc solùm agens fortius ageret inducendo propriam formam, & agens debilius nihil faceret, quia à fortiori impediretur, idcircò neganda est absolutè consequentia, vt potè deducta ex principio falso, & ab eodem Doctore reiecto. Legatur, quæso, attentè textus Scoti ab illo §. Dico aliter &c. vsque ad §. Et si quæras quid esset dicendum &c. & clarè habebitur non fuisse mentem Doctoris approbare primam responsionem, cui fidit Mastrius, quinimò confirmare secundam vti consonam suæ doctrinæ, cum subiungit: quod esto vtrumque posse agere, dicatur, non essent agentia totalia, sed partialia; & sic non inducerent duas formas totales, & adæquatas, sed inadæquatas, & partiales, concurrentes in vnam totalem, cùm sit vera sua propositio, quod duæ causæ totales, totaliter causantes, non possunt esse eiusdem effectus.

Vtrum vna, & eadem forma substantialis possit informare plures materias numero distinctas?

QVÆSTIO VI.

Circa hanc quæstionem, est eadem controuersia inter Doctores, quæ fuit in præcedenti; nam qui affirmabant, posse vnam, & eamdem materiam informari simul à pluribus formis substantialibus disparatis, totalibus, & adæquatis, omnes pariter (excepto vno Mastrio) docent, posse vnam, & eamdem formam informare simul plures materias, totales, & adæquatas, saltem de potentia absoluta Dei. Et per oppositum Doctores, defendentes in præcedenti partem negatiuam, de informatione vnius materiæ à pluribus formis disparatis, & adæquatis, sustinent etiam, non posse, per quamlibet potentiam plures materias totales, & adæquatas informari ab vnica forma substantiali, siuè materialis sit, siuè immaterialis. Huius opinionis est etiam Mastrius in citata disput. 5. quæst. 7. art. 2. quamuis oppositam sustinuerit in præcedenti, ne videatur aberrare à manifesta sententia Doctoris in 3. dist. 1. q. 2. §. Contra hoc obijcitur &c. sicut faciunt Poncius lib. 1. Physic. disput. 4. de Forma substant.

q. 4. Et Sghemma in 1. Physic. digress. 7. q. 15. quibus adstipulatur etiam Michael de Villauerde Hispanus cap. 3. de Forma substant. q. 7. quamuis non sine aliqua probabilitate, desumpta à Scoto ibidem q 4. §. Potest ergo dici &c. in simili de vna, & eadem persona valente, per Dei potentiam, dare esse subsistens pluribus naturis totalibus, & adæquatis. Quod an currat paritas, nec ne, de mente Doctoris, dicam inferiùs, meam aperiendo sententiam cum Doctore subtili.

Pro cuius declaratione primò notandum est: Formas esse in duplici differentia; aliæ enim sunt diuisibiles, cuiusmodi sunt omnes formæ materiales, & eductæ de potentia materiæ; siquidem hæ, licèt sint totæ in tota materia, non tamen sunt totæ in qualibet parte, sed pars in parte, vt patet de anima vegetatiua, & sensitiua; aliæ verò sunt indiuisibiles, quia sunt totæ in toto, & totæ in qualibet parte ab eis informata, vt animæ rationales. *Hic est sermo de vtrisque, & est sensus, an vna, & eadem forma, siuè diuisibilis, siuè indiuisibilis, possit, saltem supernaturaliter, informare plures materias totales, & adæquatas, siuè continuas, siuè discontinuas, & ab inuicem seiunctas.*

Secundò notandum est: Materierum, siuè primarum, siuè secundarum, aliam esse totalem, & adæquatam; aliam esse partialem, & inadæquatam. Materia totalis, & adæquata est, quæ integratur ex pluribus partialibus materijs, vt est corpus humanum respectu animæ; vel quæ habet omnes illas partes, quæ sufficiunt ad receptionem propriæ formæ, vt si corpus humanum careret manibus, & pedibus, & haberet cæteras partes necessarias, & sufficientes ad animationem, scilicet cor, epar, & alias partes intrinsecas; ex extrinsecis verò caput debitè organizatum, quamuis non diceretur materia totalis, posset tamen appellari materia adæquata informationi. Materia autem partialis est quælibet pars integralis materiæ totalis, vt manus, pes, caput, sanguis, ossa, caro, & similes. Vtraque tamen potest dupliciter considerari, vel vt coniuncta, vel vt diuisa; totalis coniuncta esset, si duo corpora essent vnita, vt accidit in monstris duorũ corporum; diuisa verò, vt quodlibet corpus integrum, ex suis partibus compactum; partialis autem coniuncta, vt quælibet pars corporis vnita toti, & alteri parti continua, vel contigua; disiuncta verò est quæcumque pars à toto, vel ab alia parte sibi cohærente seiuncta, ac diuisa, vt manus, vel pes abscissus à brachio, vel cruri, aut caput truncatum à spatulis, vel thoraci. Hic loquimur de materiebus totalibus, & adæquatis, tàm continuis, & vnitis, quàm discontinuis, & diuisis.

Tertiò notandum est, quod de ratione informationis in forma indiuisibili, est vel continuitas, vel saltem contiguitas materiæ totalis, & adæquatæ, idest, quod partes informabiles sint vnitæ, & non loco seiunctæ à toto; siquidem forma indiuisibilis, cum sit tota in toto, & tota in qualibet parte, sicut non posset dici informatiua totius, si non informaret omnes eiusdẽ partes, ex quibus totũ integratur, sic non diceretur informare aliquam partem totius, si non esset in toto, sed ab eo seiuncta, quia sic non amplius pars etherogenea, sed totum homogeneum appellaretur, aptum informari solum per formam diuisibilem, & non per indiuisibilem. Ex quo infertur, quod si visum fuerit aliquod caput abscissum à trunco aut moueri, aut loqui, vel facere alias operationes, quæ videantur vitales, & non sunt, (cum careat anima, quæ est principium vitæ) dicendum est huiusmodi motus, vel operationes patratas fuisse vel miraculosè à Deo immediatè, vel ministerio Angelorum, mouentium labia ad loquendum, aut pedes ad ambulandum, sicut legimus accidisse corpori D. Dionysij, cuius truncus ambulauit per milliaria, & caput in manibus obtestabatur Infidelib⁹ fidẽ in Iesum Christũ, quæ potiùs censenda sunt miracula, a Deo immediatè facta, quam operationes vitales animæ supernaturaliter informantis illas partes loco dissitas, cùm hic sit repugnantia ab intrinseco, quæ à Deo suppleri non potest,

potest, ibi verò tantum ab extrinseco, quam absolutè auferre valuit.

Quartò notandum est, quod implicantia, seu repugnantia in forma, vt informare non possit plures materias adęquatas, & totales simul, aliter deducenda est in formis materialibus; & aliter in immaterialibus; siquidem priores, cùm pendeant à materia & quoad existentiā, & quo ad informationem, si possent informare simul duas materias totales, & adæquatas, sequeretur eas posse dependere à duabus causis totalibus, & quo ad existentiam, & quo ad effectum informationis; siquidem potentia formæ quo ad esse, & effectus eiusdem potentiæ, euacuentur per vnam materiam totalē, & adæquatam, tunc repugnat, vt reducantur ad actum vel existentiæ, vel informationis per aliam materiam totalē, & adæquatam, alioquin idem posset vel bis existere; vel reduci ad actum existentiæ dum non est in potentia ad ipsum; & similiter idem effectus, aut posset bis reduci ad actum, quamuis sit indiuisibilis, aut reduci ad actum, etiamsi non sit amplius in potentia, quæ omnia inuoluunt manifestas contradictiones; posteriores autem, cùm non habeant esse à materia, sed solum pendeant ab ipsa quo ad effectum informationis, si possent informare duas materias totales, & adæquatas, illarum effectus reducerentur ad actum, dum non essent amplius in potentia, vel bis reducerentur ad actum, quod non est dicendum; igitur concludendum potius, vnam formam esse contentam vna materia, nedum naturaliter, verùm & supernaturaliter.

Quintò notandum est, quod informare dicit perfectionem in forma, nedum in ordine ad totum compositum, sed etiam ad materiam, quam actuando, perficit, dando ei actum primum formalem; ex quo sequitur, quod si esset in duabus materijs totalibus, & adæquatis, augeretur eius perfectio, quia suppleret vicem alterius formæ, præbendo vtræque actum primum; vndè si foret in infinitis materijs, arguenda esset in vna, & eadem forma infinita perfectio; siquidem contineret in se virtutem infinitarum formarum. Exemplum patet in anima rationali, quæ, ex eo quod dat esse formale, nedum toti corpori, sed etiam cuilibet parti corporis, cum sit tota in toto, & tota in qualibet parte, censetur perfectior qualibet forma materiali, & diuisibili, quæ secundum se totam nequit informare quamlibet partem materiæ; quare si poneretur, vt posset informare plura corpora totalia, & adæquata, vsque in infinitum simul, augeretur eius virtus, adeò vt euaderet simpliciter infinita, quod repugnat rebus creatis, quæcunque illæ sint.

Ex his sit prima conclusio. Vna, & eadem forma numero materialis], nec de potentia Dei absoluta, potest informare plures materias totales, & adæquatas. Est Scoti in 4. d. 11. q. 3. infra I. arguendo contra Ægidium de Roma. Probatur. Quod implicat cōtradictionē, nec de potentia absoluta Dei fieri potest; sed vnam formam numero informare posse plures materias, & adæquatas, implicat contradictionem; ergo, nec de potentia absoluta Dei, fieri potest. Maior conceditur vniuersaliter ab omnibus. Minor probatur: Implicat eamdem numero formam, & eius effectum dependere posse, quo ad esse, à duabus causis totalibus, & adæquatis, quarum quælibet est sufficiens ponere illos in esse; sed data hipotesi, eadem numero forma, & idem numero effectus posset dependere à duabus causis totalibus, & adæquatis, quarum vnaquæque sufficeret dare illis esse; ergo &c. Maior patet, quia tunc dependerent, & non dependerent, ab vnaquaque illarum; dependerent quidem ex suppositione; non dependerent autem, quia altera circumscripta haberent esse simpliciter, & absolutè per aliam; & idem dicendum respectu alterius causæ, alioquin non essent ambæ causæ totales, & adæquatæ illius formæ, & eius effectus. Minor probatur, quia forma materialis, quo ad esse, & conseruari, & eius effectus, quo ad informare dependet totaliter ab vna materia totali, & adæquata, quæ

suffici-

sufficit ad ponendum illos in esse formæ materialis, & eius effectus; ergo si posset simul informare aliam materiam totalem, & adæquatam, posset dependere à duabus causis totalibus, & adæquatis, à quarum singula posset habere esse. Nec valet solutio Pontij, quod ab vna sola dependeret quo ad existentiam, sed ab vtraque quo ad informationem, quod vtique posset fieri à Deo; Tum quia respectu alterius non esset amplius forma materialis, de cuius essentia est, vt dependeat à materia nedum quo ad informari, sed quo ad existentiam etiam: Tum etiam, quia effectus illius formæ in ordine ad secundam materiam, cum non sit amplius in potentia, vt per ipsam reducatur ad actum, non posset vllo modo ab ea habere secundò esse, quin intelligatur accipere bis esse; vel esse, quamuis amplius non fuerit in potentia ad illud; quod vtrumque est maximum inconueniens. Quod autem huiusmodi effectus positus in esse à prima materia, non fuerit amplius in potentia in ordine ad secundum probatur: Tum quia eius esse est vnicum, & indiuisibile; ergo semel posito, non est amplius in potentia vt ponatur in esse: Tum etiam, quia causa intrinseca cùm causet per communicationem propriæ entitatis, & non per solam virtutem, vt facit extrinseca, nequit habere plures effectus, sicut illa, sed cogitur ad vnicum effectum indiuisibilem, quemadmodum ipsa est vna, & indiuisibilis; ergo habita semel informatione per vnam materiam totalem, & adæquatam, non poterit amplius vniri alteri per aliam informationem. Nec valet alia solutio Pontij eiusdem, quod dependeret ab vtraque partialiter, & à neutra adæquatè; quia destruit conclusionem, cum sit contra suppositum, quod possit informare plures materias totales, & adæquatas. Restat igitur sufficienter probatum, quod non possit, absque implicantia, vna, & eadem numero forma informare plures materias totales, & adæquatas, à quibus materialiter dependeat.

Secunda conclusio. Neque vna, & eadem numero forma immaterialis, ac indiuisibilis, informare potest, etiam spectata absoluta Dei potentia, plures materias totales, & adæquatas, siuè vnitas, siuè diuisas, neque plures materias diuisas, & discontinuas. Prima pars est Scoti apertè, nedum in 4. dist. 11. quæst. 3. citata, sed etiam in 3. dist. 1. quæst. 2. §. Contra hoc obijcitur &c. paulò antè A. versic. Confirmatur istud. Secunda verò est contra Mastrium loco citato art. 2. num. 76. & Mencrum hic disput. 4. quæst. 5. num. 24. Probatur prima pars, ex Doctore subtili citato, quia si forma indiuisibilis, idest anima rationalis, posset informare plures numero materias totales, & adæquatas, sequeretur quod esset infinita; sed hoc est impossibile simpliciter; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia contineret virtualiter perfectionem infinitarum formarum; ergo esset infinita. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia ex eo quod informaret duas, vel quatuor materias, sequitur ipsam debere continere virtualiter perfectiones illarum formarum; siquidem vnaquæque perficeret propriam materiam adæquatam; ergo ex eo quod posset informare infinitas, (quia qua ratione posset esse in duabus, vel tribus, posset etiam in infinitis) haberet continere virtualiter perfectiones infinitarum formarum, & sic esset infinita. Secundò probatur, quia quamuis forma indiuisibilis, cuiusmodi est anima, non dependeat à materia quoad esse, dependet tamen quoad informare, quandoquidem non potest reducere suum effectum de potentia in actum, nisi dependenter à corpore organico; sed effectus formæ indiuisibilis, adæquatè reducitur de potentia in actum per vnam materiam totalem, & adæquatam; ergo nequit reduci per aliam totalem, & adæquatam. Minor patet, quia aliter non esset totalis, & adæquata. Consequentia probatur, quia quod non est amplius in potentia, sed actu existit, nequit reduci ad actum, nisi dicatur idem bis pos-

se reduci ad actum; aut aliquid posse reduci ad actum, quod non est in potentia, sed admisso, quod effectus formæ indiuisibilis, sit reductus ad actum per informationē primæ materiæ; ergo non erit amplius in potentia, vt ad actum iterum reduci possit per secundam; ergo nequit reduci ad esse per aliam materiam totalem, & adæquatam, ac proindè non poterit simul eadem forma indiuisibilis informare duas materias totales, & adæquatas. Secunda pars probatur ex dictis not. 3. siquidem de ratione informationis, est continuitas, vel saltem contiguitas materiæ informabilis totalis, & adæquatæ; nam pars diuisa, cum non sit amplius pars totius etherogenei, nec totum etherogeneum per se informabile ab anima rationali, sed vt sic, accipiat esse totius homogenei, non poterit informari à forma indiuisibili, de cuius ratione est, vt sit tota in toto etherogeneo, & tota in qualibet eius parte; cæterùm pars diuisa, & discontinua, cum non sit amplius eius pars, quia non est vnita toti; ergo non poterit informari à forma indiuisibili.

Obijcitur tamen contra vtramque conclusionem simul: Virtus supernaturalis agentis est maior, quàm naturalis agentis; sed virtute naturalis agentis vna forma informat vnam materiam adæquatam; ergo virtute supernaturali poterit vna forma informare plures materias totales, & adæquatas.

Respondetur maiorem esse veram, vbi non est repugnantia; modò quòd vna forma possit informare plures materias totales, & adæquatas, simpliciter repugnat, vt demonstratum est in probatione conclusionis, & ideò ad illud nequit se extendere virtus supernaturalis agentis.

Obijcitur secundò: Deus potest eleuare oculum ad videndum perfectiori modo, quàm possit virtute naturali: Similiter intellectum ad videndum Deū, quem lumine naturæ videre nequit; ergo etiam poterit eleuare formam ad informandum vltra vires naturales, & sic plures materias adæquatas, ad quas viribus naturæ attingere nequit.

Respondetur negando vltimā consequentiam, quia estò quod possit eleuari vna forma ad informandū vnam materiā adæquatam perfectiori modo quàm naturaliter; sicut & vnū oculum ad videndum; & intellectum ad intelligendum, non tamen poterit eleuari forma ad informandum plures materias adæquatas, aut oculus, vel intellectus ad videndum, & intelligendum plura distinctè propter repugnantiam, quæ reperitur in illis; siquidem euaderent infinitæ perfectionis, & sic essent infiniti, quod est simpliciter impossibile, & repugnans.

Obijcitur tertiò: Idem corpus potest esse in pluribus locis simul; & idem accidens in pluribus subiectis adæquatis, quia duo corpora possunt esse in eodem loco, saltem supernaturaliter; ergo etiam vna forma substantialis in pluribus materijs adæquatis. Consequentia patet, quia eadem est ratio de forma substantiali, ac de accidentali, vt docet Scotus in 3. d. 1. q. 2. §. Contra istud obijcitur, & §. Confirmatur istud &c.

Respondetur negando antecedens, quoad secundam partem de accidente; & cum probatur de duobus corporibus existentibus in eodem loco, dico cum Scoto in citato loco sub D. ad 4. principale, quod quando duo corpora sunt in eodem loco, est tantum vnus locus materialiter, idest vna superficies ambiens duo corpora, quæ tamen non est in corporibus locatis, sed in corpore locante; sunt verò duo vbi, seu loca formaliter, fundata in vtroque corpore, quibus dicuntur formaliter locari, & sic non sequitur vnum accidens esse in duobus subiectis, sed duo in duobus, & sic etiam concedimus duas formas substantiales esse in duabus materijs, & non vnam in duabus totalibus, & adæquatis.

Obijcitur quartò: Deus potest conseruare vnam formam, vt successiuè informet plures materias; ergo potest facere, vt illas simul informet.

Respondetur negando consequentiā, quia Deus multa potest facere successiuè, quæ tamen simul facere nequit, propter repugnantiam ad esse simul; potest

enim

enim in infinitum producere infinitas creaturas, quas tamen nequit simul producere, alioquin posset facere infinitum in actu, quod repugnare demonstrabimus in 3. Physicorum cap. de Infinito: Similiter potest successiuè facere partes temporis, sed non simul, quia repugnant esse simul; cùm igitur sit etiam repugnātia vt vna forma informet plures materias simul, non poterit illas ponere simul, quamuis successiuè possit.

Obijcitur quintò: Non implicat vnā, & eandem naturam creatam dependere simul à duobus suppositis, & vnum suppositum absque implicantia potest dare esse subsistens duabus naturis; ergo, & eadem forma poterit simul dare esse formale duabus materijs adæquatis. Consequentia patet, quia currit eadem ratio de subsistentia, & forma, cum vtraque habeat rationem actus. Antecedentis secūda pars est probabilis ex Scoto in 3. d. 1. q. 4. §. Potest ergo dici &c. Prima pars autem probatur, quia tota implicantia, quæ solet afferri, est, quia euaderet infinita, quia, qua ratione non repugnaret sibi esse in duobus, nec in infinitis repugnaret, vt dicit Scotus in 3. d. 1. q. 2. §. Contra hoc obijcitur &c. sed hæc ratio nulla est; ergo &c. Minor probatur, quia posset limitari ad duo, vel tria supposita, vltra quem terminum non posset amplius dependere, sicut patet de intellectu, qui, ex eo quod suaptè natura possit dependere à pluribus obiectis, nontamen potest eleuati supernaturaliter, vt intelligat infinita, cum vt sic posset augeri eius virtus in infinitum; ergo si talis implicantia non reperitur in vna natura creata ad plura supposita creata, quibus simul posset dare esse, vt probat Scotus ibidem; ergo nec inueniri poterit in vna forma ad plures materias totales, & adæquatas.

Respondetur negando primam partē antecedentis, ad cuius probationem concedo sequelam maioris, & nego minorē, quod posset limitari ad duo, vel tria: Nam dico hoc esse falsum, quia esset illimitata ad illa, & qua ratione non repugnaret sibi supplere vicem naturarum trium suppositorum, nec repugnabit vt supplere possit vices infinitarum naturarum ad propria supposita, atque adeò non esset limitata tantum ad illa, sed ab infinitis posset dependere, & sic fieri infinitæ virtutis, & infinita, nedum extensiuè, verùm & intensiuè. Nec quicquam facit exemplum de intellectu, adductum à Poncio; quinimò est in oppositum, quia si vnus, & idem intellectus posset, suaptè natura, intelligere plura obiecta adæquata distinctè, certè non limitaretur ad certum numerum, sed eleuatus à Deo, posset intelligere infinita; hoc autem inuoluit repugnantiam, vt probat Scotus quol. 5. sub K; igitur implicabit etiam, quod vna natura possit dependere simul à pluribus suppositis, & vna forma à pluribus materiebus totalibus, & adæquatis. Ad aliam probationem desumptam pariter ex Scoto ibidem q. 3. & 4. dico, negando consequentiam; siquidem, vt notat Merinero noster, non est par ratio de supposito dante esse subsistens duabus naturis, & de forma informante duas materias totales, & adæquatas; quia effectus prioris, est terminare dependentiam duarum naturarum ad vnum, & idem suppositum; at cum vnum, & idem possit esse terminus plurium dependentiarum adæquatarum, vt patet in Deo terminante dependentias omnium creaturarum, nullam implicātiam d'cit quod idem suppositum possit dare esse subsistens pluribus naturis adæquatis; cæterùm cum effectus posterioris sit informare; & informare importet dependentiam, quoad suum esse actuale, à materia, tanquam à sua causa, ex qua educitur forma, vel in qua recipitur, non est possibile, quod respiciat simul plures materias totales, & adæquatas absque implicantia, vel quod esset, & nō esset; vel quod reduceretur ad actum dependenter à materia, quando amplius non est in potentia ad illud esse actuale; aut quod idem bis posset poni inesse, quæ omnia sunt omninò absurda. Ex quo apparet deceptio illorum Scotistarum, qui ex paritate, quam videtur habere vnum suppositum in dando esse subsistens duabus naturis extrinsecis, cum vna, & eadem forma informante plures materias,

ausi sunt sustinere non tantum oppositam sententiam, sed etiam illam esse consonam doctrinæ Scoti, cum tamen eidem auersetur apertè, vt superiùs abundè ostensum fuit.

De priuatione, tertio principio rerum naturalium.

DISPVT. V.

Conclusimus superiùs, dum egerimus de principijs rerum naturalium in vniuersali, priuatiouem esse vnũ ex illis, quæ dicuntur in fieri: Cæterùm quia nondum est determinatum in particulari qua ratione priuatio sit principium, & quid formaliter importet, an ens reale, distinctum realiter à materia in qua est, vel tantum ens rationis, idcircò operæpretium diximus hæc, & alia, priuationem consequentia, præstare in præsenti disputatione. Quæritur ergo primò de natura priuationis, tum pro formali, tum pro connotato considerata.

Vtrum priuatio dicat entitatem realem, vel rationis?

QVÆSTIO I.

Circa naturam priuationis, siuè pro formali, siuè pro connotato acceptæ, varios dicendi modos reperio apud Doctores, siquidem aliqui putant formaliter priuationem importare ens rationis, quod est negatio; fundamentaliter verò dicere ens reale. Ita Soncinas 10. Met. q. 15. & nonnulli Recentiores, ac Soto 1. Physic. q. 8.

Alij verò distinguentes ens reale in positiuum, & priuatiuum, inquiunt, priuationem à parte rei dicere ens reale priuatiuum. Ita communiter Recentiores, in quibus annumeratur ex nostris, Gaspar Fuentes q. 3. difficult. vnica: Alij verò addunt priuationem importare entitatem positiuam non absolutam, sed relatiuam. Ita Gregorius in 2. d. 24. q. 2. art. 1. Ægidius d. 34. q. 1. art. 3. Thomas Anglicus relatus à Canonico 1. Phys. q. 10. art. 2. Sghemma digress. 6. q. 2. & Arriaga disp. 2. n. 177

Alij denique sustinent, priuationem in recto dicere negationem formæ in subiecto apto nato: de connotato verò, ipsum subiectum, aptum ad formam, cuius est priuatio. Ita Scotus in 1. d. 28. q. 1. & 2. sub B, & C. quem sequuntur Canonicus loco cit. Tataretus 1. Physic. de Priuat. not. 1. Parisienses ibidem, Trombeta 12. Met. q. 6. Mastrius disp. 4. q. 5. art. 1. Roccus q. 27. & 28. & Merinero disp. 4. q. 6.

Pro cuius declaratione primò notandũ ex Doct. subt. in 1. d. 23. q. vn. & d. 28. q. 1. & 2. B, & C. Negationem, in qua conuenit priuatio, dupliciter accipi posse, vno modo negatiuè; alio modo priuatiuè. Negatio primo modo accepta est, quę omnia destruit, & nil ponit à parte rei, vt cum dicitur chimera est nõ ens, ly non à chimera negat esse entis, nil relinquendo in ipsa. Negatio verò secundo modo est quæ destruit, & aliquid ponit connotando, vt dum dicimus asinus est irrationalis, idest non rationalis, ly non negat ab asino rationalitatem, & connotat animalitatem, cui nata est conuenire rationalitas, & irrationalitas; & hæc est triplex, scilicet extra genus, in genere, & in specie. Negatio priuatiuè sumpta extra genus, est, quæ negat formam, quam aliquod subiectum natum est habere secundum rationem illimitatam ad omnia genera, cuiusmodi est ratio entis, vt cum dicimus, homines non sunt infiniti, ly non negat ab homine infinitatem, quæ nata est competere hominibus, non prout homines, vel animalia, aut substantiæ sunt, sed quatenus entia sunt. Negatio priuatiua in genere est, quæ negat formam ab aliquo subiecto, quam natum est habere secundũ genus suũ, vt cũ dicimus Angelum esse incorporeum, & lapidem inanimatum; siquidem ab Angelo negatur esse corporis ratione substantiæ, & à lapide negatur esse animatum ratione corporis, quibus nata sunt conuenire, tanquam differentiæ. Nega-

Negatio verò priuatiua in ſpecie eſt, quæ negat formam ab aliquo ſubiecto, quam natum eſt habere ſecundum propriam naturam, & priuatio, ſeu negatio hoc modo accepta conuenit materiæ reſpectu formarum, quas non habet, quia illas nata eſt habere ſecundum propriam naturam materiæ, & de hac eſt ſermo duntaxat in præſenti quæſtione.

Secundò notandum eſt: Priuationem adhuc eſſe duplicem, ſcilicet perfectam, & imperfectam. Perfecta eſt illa, ad cuius habitum non datur naturaliter regreſſus, vt cæcitas in homine; ſiquidem homo perfectè cæcus non poteſt naturaliter fieri videns. Imperfecta eſt illa ad cuius habitum poteſt naturaliter fieri regreſſus, vt tenebræ noctium ſunt priuationes lucis; ſimiliter materia ligni eſt priuata forma ignis hoc modo imperfectè, quia in his datur naturaliter regreſſus, vt quotidiè experimur, & hæc diffinitur communiter per hoc, quod ſit negatio formæ in ſubiecto apto nato illam recipere.

Tertiò notandum ex eodem Doctore ibidem: Priuationem dupliciter conſiderari poſſe, ſcilicet pro formali, & pro connotato. Priuatio pro formali importat negationem formæ, vt cæcitas formaliter dicit negationem viſus, & hæc eſt non ens reale; ſiquidem negatio eſt non ens. Priuatio verò pro connotato importat aptitudinem ad recipiendam formam oppoſitam tali negationi, vt cæcitas pro connotato importat aptitudinem in oculo ad viſum negatum per cæcitatem pro formali, & hæc eſt ens reale poſitiuum, cum ſit relatio aptitudinalis realiter identificata ſubiecto apto nato. Ex quo infertur, quod priuatio ſtrictè ſumpta differt à negatione per ſolam aptitudinem, quam connotat in ſubiecto.

Quartò notandum eſt ex eodem in 1. diſt. 23. q. vn. ſed clariùs ex quol. 18. §. *Ex iſto ſequuntur quædam &c.* ſub Y. *quod priuationes* ſumunt ſuam diſtinctionem à formis, quarum ſunt priuationes; vndè ſi formæ diſtinguuntur numero, vt forma Petri, & forma Pauli, & priuationes oppoſitæ diſtinguuntur numero; ſi verò diſtinguuntur ſpecie, aut genere, vt formæ hominis, & aſini, aut formæ quantitatis, & ſubſtantiæ, ita earum priuationes oppoſitæ diſtinguuntur, aut ſpecie, aut genere. Ratio autem horum eſt, quia cum priuationes ſumant vnitatem à ſuis formis, ab ijs etiam diſtinctionem habere debent. Ex his infertur, quod ſicut in formis dantur rationes generis, ſpeciei, & indiuidui, ita ſuo modo debent ordinari etiam priuationes. Secundò, quod ſicut priuationes non poſſunt cognoſci, niſi per habitus oppoſitos, ita nec ſine illis diffiniri; quandoquidem Ariſtoteles 6. Topicorum docet dari duo genera oppoſitorum, quæ à ſeinuicem diffiniuntur, aut mutuò, qualia ſunt relatiua; aut non mutuò, vt ſunt priuatiua; ſiquidem priuatio diffinitur per habitum, non tamen è conuersò, quia rectum, vt inquit Philoſophus 1. de Anima tex. 85. eſt benè iudex ſui obliqui, obliquum autem, neque ſui, neque alterius iudex eſſe poteſt.

Ex his ſit prima concluſio. Priuatio, pro formali ſumpta, non eſt ens rationis, ſed ens reale priuatiuum. Eſt Scoti citati in 1. & 2. loco, contra primam opinionem. Probatur: Quod habet eſſe, nullo conſiderante intellectu, non eſt ens rationis, ſed reale; ſed priuationes ſunt huiuſmodi; ergo priuatio formaliter ſumpta non eſt ens rationis, ſed reale. Maior patet ex differentia entis rationis à reali, quam abundè inſinuauimus in Tractatu ſecundarum Intent. & in Vniuerſalibus diſput. 1. de Vniuer. in communi. Minor probatur, quia nullo conſiderante intellectu, tenebræ ſunt priuationes lucis, & ſicut lux eſt quid reale, ita eius priuatio debet eſſe reale. Secundò probatur, quod ſit ens reale priuatiuum, quia alioquin nulla propoſitio affirmatiua, in qua priuatio ponitur pro ſubiecto, eſſet vera, ſed hoc eſt cōtra Ariſtot. 1. Phyſic. vbi dicit, priuationem eſſe principium rerum naturalium, eſſe vnam numero cum materia, eſſe cauſam maleficij, eſſe cauſā appetitus in materia, & ſimilia; ergo dicendum eſt priuationem formaliter non eſſe nihil, ſed

aliquod ens priuatiuum. Sequela maioris probatur, quia propositio, in quo subiectum pro nullo supponit, est falsa, ex Regula Logicorum; ergo si priuatio pro formali nihil diceret à parte rei, in propositione affirmatiua subiectum pro nullo supponeret, quia non ens non potest pro aliquo supponere, & sic omnis talis propositio affirmatiua esset falsa. Tertiò probatur, quia distinctio entis realis in positiuum, & priuatiuum, non est data per contradictoria; ergo esse priuatiuum importat aliquod distinctũ ab esse negatiuo, & à non ente. Antecedens probatur, tum quia superflueret oppositio priuatiua; Tum etiã quia priuatio omnis esset pura negatio, quod tamen est contra Aristotelem 4. Metaph. t. c. 4. & 5. Metaph. t. c. 27. vt aduertit etiã Scotus in 1. d. 23. H. & d. 28. q. 1. & 2. C. ergo cùm ens distinguatur in positiuum, & priuatiuum, non erit per contradictoria, sed per priuatiuè opposita. Nec valet dicere cum Mastrio, & Merinero citatis, prædicta verificari de priuatione pro connotato, non pro formali, quia illa prædicata verificantur de priuatione, prout à materia realiter secernitur, & prout est principium rerum naturalium, vt patet ex contextu Aristotelis; Tùm quia aliter, idem esset subiectum, & prædicatum; sed verum est, quod priuatio pro connotato, non distinguitur à materia, cum sit eius aptitudo, quam dicit ad formam; ergo huiusmodi prædicata habent verificari de priuatione formaliter accepta. Nec potest ab illis negari diuisio illa entis vt sic, in positiuũ, & negatiuum, ac priuatiuum, si Scoto assentiri velint, & nõ esse sibimet contrarij; tùm quia Scotus in 1. d. 23. q. vn. H. inquit: Negationem in genere differre à negatione extra genus, & à priuatione, quia priuatio requirit subiectum aptum vel secundum se, vel secundum genus, sicut talpa dicitur cæca secundum genus animalium, ex Aristotele 5. Met. t. c. 27. Negatio verò extra genus nihil requirit, quia æqualiter dicit de ente, & de non ente; negatio autem in genere quasi mediat, quia requirit subiectum, de quo dicatur, non tamen aptitudinem ad formam; ergo priuatio formaliter sumpta differt à negatione secundum genus per aptitudinem subiecti ad formam; & vtraque differt à negatione extra genus, quæ dicit purum non ens, quia nihil ponit in positiuo; sed quæcunque ponunt aliquid in positiuo, non sunt omninò non entia, verùm debent esse entia; non positiua vt patet; igitur negatiua, & priuatiua, & sic secundum Scotum debet dari diuisio entis realis in positiuum, negatiuum, & priuatiuum. Tum etiam, quia isti Doctores in citatis locis affirmant, negationem secundum genus, & priuationem dari à parte rei, & non esse entia rationis ficta ab intellectu; sed quæ habent esse aliquo modo à parte rei, non sunt nihil, quia nihilo, & non enti contradictoriè sumpto, non competit aliquod esse ex Scoto quol. 3. sub A. ergo secundum ipsos, negatio secundum genus, & priuatio debent esse aliquo modo entia; non positiua; ergo negatiua, & priuatiua.

Secunda conclusio, quasi illata ex præcedenti: Negatio secundum genus, & priuatio formaliter sumptæ, non differunt tantum materialiter, seu accidentaliter, sed etiam formaliter, & essentialiter. Est Scoti in 1. d. 23. q. vn. sub H. & Ruuij lib. 1. Physicorum tract. 3. de Priuat. q. 1. n. 8. Probatur, quia in diffinitione priuationis ponitur ab Aristotele 5. Met. t. c. 27. ly in subiecto apto nato: & in diffinitione negationis secundum genus additur à Scoto, quod requirit subiectum absque aptitudine ad formam; sed per tales differentias constituuntur in esse negationis, & priuationis; ergo etiam per huiusmodi differentias formaliter, & essentialiter differunt. Consequentia patet, quia eadem sunt principia constitutiua, ac diuisiua. Confirmatur, quia negatio formæ repugnantis in subiecto est de eius essentia, vt non esse asinum, vel equum, est de essentia hominis, cæterum priuatio, vt dicit ordinem cum aptitudine ad formam, non est de essentia subiecti priuati; siquidem relatio aptitudinalis, non est de essentia, quamuis sit realiter identificata subiecto; ergo negatio, & priuatio for-

formaliter non sunt idem essentialiter. Confirmatur secundò, quia priuatio formaliter sumpta est principium generationis, distinctum realiter à materia, & forma; sed negatio infra genus, nec est generationis principium, nec distinguitur realiter à materia, & forma; ergo priuatio, & negatio infra genus non sunt idem formaliter, & essentialiter. Minor patet ex dictis superiùs in quæstione de tribus principijs rerum naturalium, & ampliùs probabitur infra q. 2. Minor probatur, quia non esse actum formalem dicit negationem materiæ, sed talis negatio non est principium generationis, cùm desit aptitudo ad formas, nec distinguitur essentialiter à materia, sicut non esse asinum, non distinguitur essentialiter ab homine; ergo negatio infra genus non est principium generationis, à materia, & forma realiter distinctum, & consequenter non idem essentialiter cum priuatione.

Tertia conclusio. Priuatio, pro connotato sumpta, est ens reale positiuum. Est communis. Probatur, quia priuatio pro connotato, non est nisi aptitudo materiæ, quam dicit ad formas, quas non habet; sed aptitudo materiæ est ens reale positiuum, cùm sit identificata realiter eidem; ergo priuatio pro connotato sumpta est ens reale positiuum.

Obijcitur contra primam partem primæ conclusionis, quod priuatio formaliter sit ens rationis, quia inter ens reale, & ens rationis non datur medium; sed priuatio pro formali non est ens reale; ergo erit ens rationis. Tùm quia priuatio concipitur per modum entis positiui; sed huiusmodi conceptio est opus intellectus; siquidem à parte rei non est ens positiuum; ergo &c. Maior patet, quia dum dicimus hominem esse cæcum; aerem tenebrosum, concipimus in homine esse cæcitatem, & in aere tenebras, per modum qualitatum prædicantium de homine, & aere.

Respondetur ad primum maiorem esse veram de ente positiuo; falsam de priuatiuo, quia sic mediat inter ens reale, & ens rationis positiua; modo priuatio est ens reale priuatiuum, vt dictum est in secunda parte primæ conclusionis.

Ad secundum negatur maior; ad cuius probationem dico, quod concipiendo hominem esse cæcum, & aerem tenebrosum, non concipio in homine adesse cæcitatem, & in aere tenebras, per modum qualitatis, vt falsò supponitur, sed vtrãque prædicari de illis subiectis per modum entis priuatiui, quod dari à parte rei iam suprà probatum est.

Obijcitur secundò contra secundam partem eiusdem conclusionis. Quod est omninò non ens, nequit dici ens priuatiuum; sed priuatio pro formali est huiusmodi ex Aristotele 1 Physicorum t. c. 75. ergo &c.

Respondetur minorem, & eius probationem esse veram de non ente positiuo, falsam de non ente priuatiuo, quia sic priuatio est ens, cum habeat esse à parte rei præter operationem intellectus, vt probatum est de mente Aristotelis, & Scoti.

Obijcitur tertiò, quia si priuatio est ens priuatiuum; ergo datur ens commune sibi, & enti positiuo; sed hoc est falsũ, quia tale ens aut esset vniuocum, aut æquiuocum; atqui neutrum dici potest; ergo &c. Minor subsumpta probatur. Non vniuocum, quia enti positiuo, & priuatiuo non datur aliquod commune vniuocum, alioquin enti, & non enti daretur conceptus communis, quod repugnat rationi: Neque æquiuocum, quia priuatio diceretur ens tantum abusiuè, sicut homo pictus appellatur homo, quod est valdè impropriè dictum.

Respondetur negando minorem; ad probationem dico, tale ens commune esse vniuocum enti positiuo, & priuatiuo, & appellatur habere esse extra animam; & cum probatur, quod enti, & non enti nihil est commune vniuocum, dico verum esse, si ly non ens dicat negationem extra genus, quia sic est purũ nihil, & contradictorium entis; falsum tamen, si ly non ens, dicat aut negationem secundum genus, vel priuationem entis, quia sic conueniunt cum suis positiuis in habere esse à parte rei ante operationem intellectus.

Obijcitur quartò contra secundam con-

conclusionem, quia partes diffinitionis sunt de essentia diffiniti, sed priuatio diffinitur per negationem ex Aristotele 4. Met. t. 4. & 10. Met. t. 15. & ex Doct. subt. in 1. d. 23. q. vn. H. & d. 28. q. 1. & 2. C, & D; ergo negatio est de essentia priuationis.

Respondetur minorem esse veram de negatione extra genus, communissimè sumpta, quia cum talis dicatur secundum Scotum in citatis locis, de ente, & de non ente, consequenter dicitur etiam de priuatione; falsam tamen de negatione in genere, quia cum talis determinet sibi subiectum sine aptitudine; & mediet inter priuationem, & negationem extra genus, distinguitur essentialiter à priuatione, quæ essentialiter requirit subiectum aptum, & determinatum per aptitudinem.

Obijcitur quintò: Differentia per cõnotata non est essentialis, sed accidentalis, & materialis; sed negatio in genere, & priuatio in genere differunt per connotata; siquidem hæc subiectum aptum, & illa subiectum capax tantum, exigit; ergo differunt tantum per connotata.

Respondetur maiorem esse veram formaliter; falsam tamen æquiualenter, quia sic etiam differentia per connotata est essentialis, quandoquidem aptitudo, & eius negatio opposita, cum fluant à principijs intrinsecis, consequenter ostendunt differentias intrinsecas, & formales nobis ignotas, per quas essentialiter differunt priuatio, & negatio in genere.

Obijcitur sextò: Priuatio à toto genere; opponitur formæ habendæ sed aptitudo in materia ad formam habendam stat simul cum forma; siquidem aptitudo identificatur realiter cum materia; ergo aptitudo ad formam nequit dici aliquo modo priuatio.

Respondetur maiorem esse veram de priuatione pro formali, non pro connotato, quia sic est compossibilis cum forma; vndè argumentum solum probat, aptitudinem non esse priuationem formal[illegible], non tamen pro connotato, sicut [illegible]mus in conclusione.

Vtrum priuatio sit per se rerum naturalium principium, à cæteris realiter distinctum?

QVÆSTIO II.

Dvo petit proposita quæstio, alterum an priuatio sit principium per se, vel per accidens in fieri rerum naturalium: Alterum verò, an priuatio formaliter sumpta distinguatur realiter à materia, & forma.

Circa primum, Petrus Gregorius Tholosates lib. 11. Sintaxeos Artis Mirabilis, & Petrus Peramatus lib. de Elementis cap. 1. relati à Villauerde cap. 4. de Priuat. q. 5. negant, priuationem esse vllo modo principium generationis rerum naturalium; Tum quia habet rationem medij, non item principij; Tum etiam, quia est occasio generationis, & non influit in generationem; igitur nequit habere rationem principij.

Alij verò admittentes priuationem esse principium generationis rerum naturalium, negant ab ea rationem perseitatis, & dicunt esse tantum principium per accidens; Tum quia non ens nequit esse principium entis; Tum etiam, quia nihil fit ex suo contrario, & nociuo; modò priuatio est contraria formæ ex Aristotele 1. Physicorum t. 64. & non ens ex eodem t. 75. igitur priuatio nequit esse per se principium generationis rerum naturalium, sed tantum per accidens, vt dicit Aristoteles in t. 75. Nos autem & ipsi dicimus, nihil fieri quidem simpliciter ex eo quod non est, sed tamen fieri ex eo quod non est, vt secundum accidens ex priuatione, quæ est per se non ens. Ita Commentator ad textum Philosophi citatum, & Albertus Magnus lib. 1. Phys. tract. 3. cap. 9.

Alij autem, melius rem indagantes, asserunt, priuationem esse principium per se rerum naturalium in fieri, non autem in facto esse. Ita Aristoteles lib. 1. Physicorum à tex. 57. vsque ad 70. Et 12. Met. à t. 22. vsque ad 29. & communiter Peripatetici, tum Græci, tum Latini, demptis citatis in præcedenti sententia.

Circa

Circa secundum, nulla est controuersia de distinctione priuationis à forma, cum ex Aristotele sint contraria; cæterum loquendo de materia, non est vna omniũ sententia, quia Ochamus 1. Physicorum cap. 10. & Soto q. vltima, sequuti Platonem in Timæo, docent, priuationem esse quid distinctum realiter à materia, sed esse ipsam materiam absq. forma, quam appetit. Communis tamen opinio sustinet dari distinctionem realem priuatiuam inter materiam, & priuationem, non autem positiuam.

Pro vtriusque quæsiti intelligentia, ac resolutione primò notanda est illa diuisio principij principiorum in fieri, & in facto esse, quam suprà retulimus disput. 2. q. 5. Item differentia inter principium, & causam, quod causa nimirum semper influit in effectum, cuius est causa, vt patet de causa materiali, & formali; principium verò non semper influit, quamuis ab eo res habeat esse necessariò principiatum; hoc apparet manifestè in puncto, à quo incipit, & continuatur linea, quæ tamen nullum influxum ab eo accipit; siquidem linea fit ex lineis, & non ex punctis, vt dicemus in 6. Physicorum. Ad propositum priuatio est principium in fieri, & non in facto esse, cum principiet per modum termini à quo, & abiectionis, & non remaneat aliquo modo in composito, sicut facit materia, & forma, quæ manent intrinsecè in composito. Insuper priuatio est principium, à quo generatio incipit esse; non tamen causa, quia nullum influxum habet in composito, sed est illi extrinseca; nam quælibet mutatio exigit necessariò duos terminos, vnum à quo incipit, & talis dicitur priuatio; alterum ad quem terminatur mutatio, & huiusmodi terminus appellatur forma. Ex quo infertur, quod sicut forma dicitur principium generationis per se, quia ad ipsam per se terminatur, ita priuatio dicitur esse per se principium eiusdem, quia ab ipsa necessariò incipit; nunquam enim materia appeteret vniri formæ per generationem, nisi haberet priuationem illius.

Secundò notandum est, quod distinctio realis est duplex; altera est positiua, altera priuatiua, seu negatiua. Prior requirit extrema positiua; vel quæ possint abinuicem separari; vel quæ sint in rebus realiter seiunctis; vel quæ se habeant vt causa, & causatum; aut producens, & productum, vt diximus in Logica maiori in quæst. de distinctione Prædicamentorum. Posterior verò est inter extrema, quorum vnum sit positiuum, & alterum priuatiuum, vel negatiuum; & possint abinuicem separari, ita quod vnum maneat, altero non manente, modò ad propositum materia; & priuatio distinguuntur realiter priuatiuè, quia materia manet sub forma, cuius erat priuata; priuatio verò, adueniente forma in materia, abscedit ab ea, alioquin duo opposita contraria, & priuatiua possent stare simul, quod non est possibile; maximè, cum sint termini mutationis à quo, & ad quem, & consequenter incompossibiles in eodem simul.

Ex his fit prima conclusio. Priuatio est per se principium in fieri generationis compositi, non autem in facto esse eiusdem. Est communis cum Aristotele in citatis locis. Probatur prima pars, quia absque priuatione impossibile est gigni compositum substantiale, sed hoc petit fieri necessariò, & per se ex suis principijs; ergo priuatio est per se principium in fieri generationis compositi substantialis. Minor patet. Maior probatur, quia compositum substantiale fit ex materia, & forma; sed si materia non haberet carentiam formæ, & ad ipsam non inclinaretur naturaliter, non fieret ex illis; ergo compositum substantiale gigni nequit absque carentia formæ, & consequenter absq. priuatione, cum ipsa nil aliud sit, quàm carentia formæ in subiecto apto nato illam habere. Maior patet ex dictis superiùs de Toto essẽtiali physico. Minor probatur, quia si materia non haberet carentiam formæ cũ inclinatione ad illam, violenter illam reciperet, & violenter esset sub illa, vt patet de lapide, qui est violenter sursum, quia appetit oppositũ, scilicet esse deorsum; ergo cùm generatio compositi debeat

beat

beat esse naturalis, consequenter exposcit, vt materia habeat carentiam formæ cum inclinatione ad illam. Secundo terminus à quo generationis est principiū per se fieri rei genitæ; sed priuatio est huiusmodi; ergo priuatio est principium per se generationis compositi. Maior probatur, quia in omni mutatione exiguntur necessariò duo termini, sine quibus fieri nequit, scilicet terminus à quo, & ad quem, vt latè probat Aristoteles 1. Physicorum à t. 57. vsque ad 70. & 5. Physic. cap. 1. & 2. Et 12. Metaph. à t. 22. vsque ad 28. inclusiuè; sed generatio est quædam mutatio, ex eodem 5. Physic. t. 7. & 8. ergo &c. Minor patet ex Aristotele 1 Physic. Et 12. Met. locis præcitatis, vbi apertè docet priuationem esse terminum à quo in generatione, & ad quem in corruptione. Secunda pars probatur, quia principium in facto esse est illud, quod remanet in composito; sed priuatio non manet in composito, quia abijcitur adueniente forma in materia, vt patet; ergo priuatio non est per se principium in facto esse compositi.

Secunda conclusio. Priuatio distinguitur realiter à materia, & forma priuatiuè, seu negatiuè; non positiuè. Est communis contra Ochamum, & Sotum citatos. Probatur prima pars, quia illa, quæ sic se habent, quod, vno manente, non manet alterum, distinguuntur realiter; siquidem est in illis actualis separatio; sed manentibus materia, & forma vnitis, non manet priuatio illius formæ; Tum quia sunt contraria; Tum etiam, quia sunt termini motus, qui sunt incompossibiles; ergo manentibus materia, & forma, non manet priuatio, & consequenter distinguuntur realiter. Secūda pars probatur, quia distinctio realis positiua est inter extrema positiua; & negatiua inter extrema, quorum alterū est priuatiuum, vel negatiuum; sed sic se habent priuatio, & materia, & forma: ergo distinguuntur realiter negatiuè, & non positiuè.

Obijcies primò contra primam conclusionem. Quod est per se non ens, & contrarium formæ, ac destructiuum eiusdem, nequit esse principium generationis compositi substantialis; sed priuatio est huiusmodi ex Aristotele in 1. Physicorum in præcitatis locis pro fundamēto secundæ sententiæ; ergo &c. Maior probatur, quia non ens non est principium entis, sed principium cum influat in principiatum, debet esse ens, alioquin ex nihilo aliquid fieret, quod est contra principium Antiquorum approbatum ab Arist. in 1. Physic. t. 75. ergo &c. Deindè compositum substantiale fit ex materia, & forma; ergo quod est contrarium, & distinctiuum formæ, est etiam destructiuum, & non factiuum compositi substantialis.

Respondetur maiorem esse veram de principio per se compositi in facto esse, non autem de principio in fieri, quia sic non ens positiuum, cum possit esse ens priuatiuum, benè potest esse principium in fieri generationis, & compositi. Ad primam probationem in contrarium, dico, non omne principium in fieri debere influere in compositum, sed solum illud, quod est simul etiam causa, vt est materia, & forma; & priuatio, cum non sit causa, sed principium dumtaxat, habet solum principiare per modum termini à quo; non verò influere in compositum. Per idem patet responsio etiam ad secundam probationem, nam aliter dicitur priuatio contraria formæ, & aliter destructiua formæ; est equidem contraria formæ generandæ, & ideò est eius principium in fieri, quatenus ab ea incipit mutatio, per quā generatur forma in materia: Non dicitur tamen principium in facto esse, alioquin contraria essent simul, quod omninò repugnat: Est postea destructiua formæ genitæ, quatenus generat in materia appetitum alterius formæ, incompossibilis cum forma habita; sed illius formæ, cuius machinatur interitū, priuatio non est principium, quin potius debet dici eiusdem finis.

Obijcies secundò: Generatio naturalis potest in materia, absque eo quod intelligatur priuata forma, ergo priuatio non erit per se principium generationis rerum naturalium. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia ad generationem

tionem naturalem sufficit quod materia præcesserit formam natura, & non est necesse, quod eam præcedat in aliqua duratione, vel instanti temporis, vt superiùs conclusimus esse factum à Deo educente formas Cœlorum, & Elementorum de potentia materiæ in eodem instanti temporis, in quo creata fuit materia prima; ergo generatio naturalis fieri potest, absque eo quod materia dicatur priuata forma generanda.

Respondetur ex Doctore subtili in 1. d.5.q.2. E. & d.9.q.vn. A. generationem naturalem dupliciter considerari posse, & in ratione productionis, & in ratione mutationis: Priori modo respicit tantū productionem termini ad quem in materia, siuè talis præcedat tempore, siuè natura; At posteriori modo dicit, vltra productionem termini, etiam mutationem subiecti de non esse sub termino, ad esse sub illo, & consequenter priuationem, quæ non tātum dicat negationem formæ, sed etiam aptitudinem ad illam recipiendam: Ad propositum: Priuatio est principium in fieri generationis mutationis, non autem generationis productionis, de quo tātum est locutus Aristoteles, sed tantum de priori, vt habet annexam mutationem.

Formaliter ad argumentum dico antecedens, & eius probationem esse vera de generatione naturali in ratione productionis tantum, non autem vt habet coniunctam mutationem, quia sic exigit necessariò priuationem formæ habendæ per generationem, & cōsequenter prioritatem temporis, & non sufficit illa prioritas, quæ dicitur naturæ.

Obijcies tertiò contra secundam conclusionem Quod inest materiæ, secluso ab eo quocunque realiter distincto, est idem realiter cum ea; sed priuatio est huiusmodi; ergo est eadem realiter cum materia. Maior patet, quia subiectum includit prædicatum. Minor probatur, quia separetur à materia omne realiter distinctum ab ea, quæro, an materia habeat formam, vel non: Non potest dici quod habeat formam, quia cum sit ab ea realiter distincta, supponitur separata; ergo dicendum est quod nō habeat formā; sed negatio formæ in subiecto apto est priuatio; ergo tunc in materia erit priuatio eadem realiter sibi.

Respondetur maiorem esse veram, si tale sit ibi positiuè, non tamen si tantum negatiuè, modo data hipothesi, in materia esset tantum priuatio negatiuè, ac proindè distincta realiter priuatiuè ab ea cum possit recipere formam, cuius haberet priuationem.

Obijcies quartò: Si priuatio distingueretur realiter, eo quod recedit manente materia, sequeretur priuationis dari priuationem; sed hoc est falsum, quia daretur processus in infinitum in priuationibus; ergo dicendum est dari vnam priuationem in materia eandem sibi realiter. Sequela maioris probatur, quia sicut per acquisitionem formæ in materia amittitur priuatio eiusdem, & per deperditionem formæ acquiritur in illa priuatio, ita per amissionem priuationis, acquireretur alia priuatio eiusdem, & sic priuationis daretur priuatio.

Respondetur negando sequelam maioris; ad probationem, nego paritatem de forma, & de priuatione, quia in tantum materia dicitur acquirere priuationem formæ in quantum appetit illam; & in tantum dicitur amittere priuationem in quantum acquirit formam oppositam; cæterùm cum materia non appetat priuationem, non poterit dari eiusdem alia priuatio. Si plura cupiatis argumenta, contra hanc conclusionem militantia, consulite Recentiores, & præsertim diligentissimum Patrem Mastrium disp. 4. q. 1. art. 3. & q. 2 per totam; nostrum enim non est omnia, sed tantum necessaria ponere, ne ab instituto aberrare videamur. Et de primo Libro Physicorum dicta sint satis, quia secundus iamdudum nos expectat.

De

De Physico auditu Aristotelis.

LIBER SECVNDVS.

DEmonstratis in primo Libro Principijs, tum in fieri, tum in facto esse Corporis naturalis, aggreditur Philosophus secundum Librum, in quo agere intendit de natura eiusdem Corporis, ac de Causis, tàm intrinsecis, quàm extrinsecis, à quibus originatur. Et diuiditur in tres Summas, in quarum prima agit quid sit natura, & ens naturale, & de quibus dicatur natura. In secunda ponit differentiam inter considerationem physicam, & mathematicas. In tertia verò enumerat Causas, tum intrinsecas, tum extrinsecas: Tàm per se, quàm per accidens, à quibus habere potest esse Corpus naturale.

De natura, & ente naturali.

SVMMA I.

HÆc prima Summa diuiditur in septem capita, in quorum primo demonstrat quid sit natura. In secundo quid sit ens habens naturam. In tertio, & quarto quid sint res secundum naturam, & quæ res naturales. In quinto ostendit naturam esse per se notum esse. In sexto, & septimo notificat de quibus dicatur natura.

Quoad primum igitur ponit (*T*. 1.) diuisionem rerum, quæ habent esse ab aliqua causa dicens: Eorum, quæ sunt, alia quidem sunt natura, idest à natura habent esse; alia verò propter alias causas, idest ab Arte, hoc est dictu, Entium, quæ per aliquam causam habent esse, quædam sunt naturalia, vt animalia, plantæ, & cætera mista; ac elementa, vt aer, ignis, aqua, & terra: Quædam verò sunt artificialia, vt lectus, indumentum, domus, & cætera quæ fiunt ab arte.

Deindè (*T*.2.) ponit differentiam inter entia naturalia, & artificialia: Quod illa habent in seipsis principium motus, & quietis; siquidem generantur, corrumpuntur, augentur, diminuuntur, alterantur, & loco mouentur à seipsis: Hæc verò nonnisi ab extrinseco mouentur, scilicet ab artifice, vt patet de lecto, & indumento, ac domo, quæ augentur, diminuuntur, ac corrumpuntur ab agente extrinseco.

Ex hac differentia notificat, quid sit natura dicens: (*T*. 3.) Natura est principium aliquod, & causa mouendi, & quiescendi, in quo est primum, per se, & non secundum accidens, idest Natura est principium motus, & quietis eius, in quo est primò, per se, & non secundum accidens, vt luculenter declarabimus in propria quæstione.

Quoad secundum declarat in t. 4. quæ sint illa, quibus conuenit huiusmodi diffinito, & habere naturam, idest principium motus, & quietis ab intrinseco; & inquit, esse omnia corpora naturalia, siuè mista, siuè simplicia, vt animalia, plãtæ, elementa, & cætera, quæ constant ex materia, & forma physica.

Quoad tertium, & quartum ponit (*T*.5.) differentiam inter entia naturalia; & secundum naturam; nam priora sunt omnia, quæ habent naturam, idest materiam, & formam, vt corpora substantialia; posteriora verò sunt quæ consequuntur naturam, cuiusmodi sunt accidentia materialia, scilicet quantitates, qualitates &c.

Quoad quintum ponit vnam conclusionem, nimirum, Ridiculum esse velle demonstrare, naturam esse; & probat, (*T*.6.) quia est ridiculum tentare demonstrare illa, quæ sunt per se nota, ac manifesta; sed naturam esse, est per se notum, & manifestum; siquidem manifestum est, homines, arbores, & cætera habentia materiam, & formam à seipsis moueri; siquidem homines, & plantæ crescunt, & decrescunt, lapides mouentur deorsum, ignis sursum, & hæc habent in se, vt sic moueantur; ergo dari in his naturam, est per se notum, ac manifestum.

Quoad sextum, & septimum capitulum, ponit (*T*.7. *vsq. ad t.10. exclusiuè*) tres conclusiones, in quarum prima dicit,

cit, naturam dici de materia, & probat eã dupliciter primo auctoritate Antiquorum, qui dixerunt materiam esse naturam; siquidem alij pro materia ponebant aquam, vt Thales: Alij ignem, vt Heraclitus: Alij terrã, vt Hesiodus: Alij verò ponebant plura elementa, & omnes dicebant materiam esse totam naturam; formam verò dispositionem eiusdem. Secundò probat (*T.* 10.) ratione desumpta à simili in artificialibus, quia sicut materia in artificialibus est substantia, & natura, ita debet esse in naturalibus; quandoquidem etiam secundum Antiquos materia est perpetua; forma verò infinities corrumpitur; ex quò infero materiam potiùs debere dici naturam, quàm formam; cum hoc tamẽ stat vt etiam forma dicatur natura.

Et ideò in t. 11. ponit secundam conclusionem, quod etiam forma sit natura, & probat illã tripliciter: Primò, quia per formã res naturalis habet esse actu, sicut per materiam est in potentia; ergo sicut materia est natura, ita forma debet esse natura. Antecedens probat à simili, quia sicut forma artificialis reducit artificiatum de potentia ad actum, ita forma naturalis reducit naturale de potentia ad actum completum; ergo per formam naturalem ens naturale habet esse actu; sed ens naturale est habens naturam; ergo forma est natura. Consequentia patet, quia actus est præstantior potentia, sed materia, quæ est potentia, gaudet titulo naturæ; multò magis hoc habet conuenire formæ. Secundò probat (*T.* 12. *&* 13.) quia per formam generans gignit aliquid sibi simile in natura, vt patet de homine, equo, & cæteris animalibus, in quibus forma est ratio assimilandi genita generantibus in tali natura specifica, cum per materiam non distinguantur, sed potius conueniant omnia animalia; ergo forma debet esse natura. Consequentia patet ex opposito, quia ideò forma artificialis non est natura, quia per ipsam non gignitur simile, nam ex lecto non generatur lectus, sed lignum; ex homine verò gignitur homo; ergo cùm ex forma naturali generetur aliquid in natura simile generanti, debet forma esse potius natura, quam materia. Tertiò, quia (*T.* 14.) per formam generatio naturalis, talis dicitur; siquidem denominatio fit à termino, quo aliquid generatur; ergo forma dicitur natura. Consequentia patet, quia propter vnumquodque tale, & illud magis; ergo si generatio dicitur naturalis per formam, ipsa debet dici magis naturalis, & sic natura.

In tex. 15. ponit tamdem tertiam conclusionem: Quod priuatio etiam potest dici aliquo modo natura, & probat, quia priuatio est quodammodo forma; sed forma est natura; ergo & priuatio potest dici: quodammodo natura. Maior patet, quia sicut forma dat esse formale positiuum materiæ, ita priuatio formale priuatiuum; ergo priuatio est quodammodo forma, & sic natura.

De Natura, & Habentibus naturam.

DISP. I.

NAturæ nomen esse æquiuocum, ac multiplex, memini me adnotasse in 1. lib. disput. 1. q. 2. not. 1. huius Operis; vndè ne laboremus frustrà, quęrentes cui potissimùm competat ratio, ac diffinitio naturæ tradita ab Aristotele in textu 3. restringenda est eiusdem nominis significatio ad principium, & causam per se intrinsecam motus, & quietis physicæ; quia de Natura hoc modo dumtaxat considerata loquitur Aristoteles, & ideò de ipsa, ac de habente naturam, quærendæ, ac soluendæ sunt sequentes quæstiones, de more iuxta principia Doct. subt. Scoti.

Vtrum diffinitio naturæ tradita in textu sit bona?

QVÆSTIO I.

Circa hanc quæstionem in se consideratam nulla reperitur controuersia; siquidem omnes sequuntur Aristotelem diffinientem naturam; cæterùm loquendo de ijs, quibus competere possit hæc diffinitio, non omnes conueniunt: nam aliqui putant conuenire solum corporibus sublunaribus: Alij etiã cœlestibus, saltem quoad motum, si non quantum ad quietem, & statum motus: Alij putant nõ conuenire toti globo terræ, cum sit immobilis; Alij denique censent conuenire, nedum materiæ, & formæ, sed etiam priuationi: Quæ omnia an sint vera, nobisque probentur, quibusdam notatis, dicemus in conclusionibus.

Primò notandum igitur ex Scoto quol. 16. Q. Naturam accipi posse quadrupliciter. Primò modo largissimè, vt se extendit ad omnia entia, tàm positiua, quàm priuatiua, & etiam ad non entia; & sic natura reperitur etiam in priuationibus, & negationibus; dicemus enim naturam priuationis esse generare appetitum in materia; negationis verò auferre quicquid post se inuenit. Secundò modo largè, prout complectitur omnia entia positiua, tum substantialia, tum accidentalia, & sic solemus dicere, naturam substantiæ esse per se existere, accidentis verò in alio esse. Tertiò modò strictè, vt restringitur ad substantias, & sic in qualitatibus non est natura. Quartò modo strictissimè, & sic coarctatur ad constitutiua intrinseca rerum naturalium, scilicet ad materiam, & formam, & sic sumitur ab Aristotele in hoc 2. cap. 1. dum asserit, naturam esse principium motus, & quietis.

Secundò notandum ex Aristotele in t. 3. naturam diffiniri per esse principium, & causam mouendi, & quiescendi eius in quo est, primò & per se, & non secundum accidens: In qua diffinitione, principium, & causa sumuntur pro eodem, quod natura sit principium, non quodcunque, vt se extendit etiam ad priuationem, sed tale, quod sit etiam causa; vndè tenent locum generis in eadem; siquidem complectuntur principia, & causas, nedum intrinsecas, sed etiam extrinsecas, quæ tamen non sunt naturæ. Dicitur mouendi, & quiescendi, quia à natura depēdet essentialiter motus, & quies physica, idest motus generationis, corruptionis, augmentationis, diminutionis, alterationis, & localis; ac eorum status, seu consistentia motus; quare quies non sumitur pro negatione motus, sed pro consistentia mobilis in suo loco naturalis inclinationis, & sic dicimus lapidem in centro terræ quiescere, nec amplius moueri, quia iam peruenit ad locum, quo tendit eius inclinatio naturalis. Additur: eius in quo est, idest natura est principium, & causa intrinseca compositi substantialis, in quo recipitur motus ab ea causatus; & per hanc particulam excluduntur à ratione naturæ causæ extrinsecæ, vt sunt efficiens, & finalis, quia non sunt intrinsecæ rei, quæ dicitur moueri naturaliter. Dicitur primum, seu primò ad excludendas dispositiones accidentales, requisitas ad motum, & mutationem naturalem, quæ tamen nõ sunt naturæ, quia ab eis non dependet primò, idest radicaliter, & principaliter motus, & quies, sed tantum dispositiuè. Subiungitur ly per se, ad excludendum consortium causarum extrinsecarum, quia quamuis ab eis deriuetur motus naturalis, non tamen dicitur naturalis ab eis, sed accidit ei, vt talis deriuetur à causis extrinsecis, vt patet de lapide albo descendente ad centrum; siquidem accidit motui deorsum, qui est naturalis lapidi, vt proueniat ab ipso vt albo, cum ab eo posset procedere, quamuis non esset albus. Ex his omnibus infertur, quod cum per huiusmodi diffinitionem expliceturratio naturæ per genus, & differentias, vt declaratum est, per eandem rectè diffiniri naturam, esseque ab Aristotele exactè, completèque traditam.

Tertiò notandum est: Naturam esse principium mouendi, & quiescendi potest dupliciter intelligi, vno modo in potentia

tentia propinqua, itaut omnia illa, quæ habent naturam .i. materiam, & formã, habeant reduci naturaliter ad actũ motus, & status naturalis, & sic non intelligitur diffinitio naturæ, quia in cœlo, & terra est natura, cum constent ex materia, & forma, & tamen nec cœlum inclinatur ad quietem, nec terra ad motum de proximo, cùm non adsit aliquis locus naturalis in quo terra secundũ se totam possit moueri, & celum quiescere: Alio modo in potentia remota, ita quod omnia habeant naturam .i. materiam, & formam, virtute quarum possent naturaliter moueri, & quiescere, si haberent loca in quibus huiusmodi potentia posset reduci ad actum, & sic natura, in quibuscunque reperitur materia, & forma est benè principium, & causa mouendi, & quiescendi. Ex quo infertur, quod illę particulæ, *mouendi*, & *quiescendi* etiam copulatiuè sumptæ, habent intelligi, vt notant communiter Doctores, in sensu accommodato, ita quod omnis motus, & quies naturalis sit effectus naturæ, non tamen è conuersò, quod omnis natura sit principium, & causa propinqua motus, & quietis naturalis: Vndè infertur secundò, quod diffinitio hoc secundo modo intellecta, conuenit vniuocè omnibus habentibus naturam, non autem primo modo considerata.

Quartò notandum est: Naturam dupliciter cõsiderari posse, vno modo fundamentaliter, alio modo formaliter. Si priori modo spectetur natura, est quid absolutum; siquidem dicit entitatem materiæ, & formæ, de quibus dicitur, & sic non diffinitur per esse principiũ, & causa quæ sunt relatiua, alioquin absolutum diffiniretur per relatiuum; & disparatum per disparatum, quod inuoluit repugnãtiam: alio modo si accipiatur .i. formaliter, tunc natura dicit ordinem ad naturatum, vt ad receptiuum motus, & quietis naturalis, & sic natura est quid relatiuum, & optimè diffinitur per esse principium passiuum motus, & quietis naturalis, & prædicatur vniuocè analogicè de materia, & de forma, vt clatiùs expendemus in sequenti quæstione; siquidem perfectiori modo dicitur de forma, quàm de materia, vt probat Aristoteles in tex. 11. 12. & 13.

Ex his fit prima conclusio. Natura benè, & conuenienter diffinitur à Philosopho in tex. 3. per esse principium, & causam mouendi, & quiescendi, eius in quo est, primum, per se, & non secundum accidens. Probatur, quia diffinitio, qua expenditur diffinitum per genus, & differentiam est bona, & conuenienter assignata ex Aristotele 7. Metaph. t. c. 43. sed diffinitio naturæ est huiusmodi, vt patet in not. 2. ergo est bona, & conuenienter assignata. Secundò probatur diffinitio relatiui, in qua ponitur fundamentum, & terminus est bona; sed in diffinitione naturæ formaliter acceptæ ponitur fundamentum, & terminus; ergo est benè, & conuenienter data. Maior patet, quia relatiuum diffinitur per fundamentum, & terminum, à quibus habet esse. Minor probatur, quia ly principium, & causa sunt fundamentum; ly verò mouendi, & quiescendi sunt terminus habentis naturam, cum sint principiata, & causata à natura.

Secunda conclusio. Diffinitio naturæ, secundum omnes sui partes, conuenit vniuocè, siuè proximè, siuè remotè, omnibus entibus, quæ constant ex materia, & forma. Hæc conclusio remanet probata ex tertiò notabili.

Tertia conclusio. Natura, si propriè sumatur, dicitur vniuocè analogicè, tantum de materia, & de forma formaliter consideratis. Probatur, quia natura dicitur tantum de illis, quæ sunt principia intrinseca motus, & quietis eius in quo est primò, & per se, & non secundum accidens; sed huiusmodi principia intrinseca sunt tantum materia, & forma, vt probatum est in 1. Physicorum disput. 2. quæst. 5. ergo natura dicitur tantum de materia, & forma. Secunda pars probatur, quia forma perfectiori modo dat esse enti naturali, quod naturaliter potest moueri, & quiescere, quàm materia, quia per illam habet esse actu formaliter, & completè; per materiam verò tantum potentiali ter, & incom-

completè; ergo forma perfectiori modo participat de esse naturæ, quam materia, & sic vniuocè analogicè, quandoquidem vniuocatio analogica, vt diximus in Antepraedicamentis, est cum importatur vnus, & idem conceptus communis pluribus secundum diuersum gradum perfectionis in vno, quàm in cæteris.

Quarta conclusio. Si natura sumatur formaliter, diffinitio data est quiditatiua; sin autem fundamentaliter, descriptiua. Probatur prima pars, tunc relatiuum quiditatiuè diffinitur, cùm expenditur eius natura, & essentia per fundamentum, & terminum, à quibus essentialiter habet esse; sed natura formaliter sumpta diffinitur ab Aristotele per principium mouendi, & quiescendi, veluti relatiuum per fundamentum, & terminum; siquidem principiu est fundamentum; & motus, ac quies sunt terminus; ergo natura formaliter sumpta est quiditatiuè diffinita per esse principium mouendi, & quiescendi eius, in quo est primum, & per se, & non secundum accidens. Maior patet. Minor probatur per Aristotelem diffinientem naturam, tum in 2. lib. tum in principio 3. Physicorum, semper vt importat relationem ad motum, & quietem; sed vt sic est diffinire ipsam vt relatiuum per sua extrema, scilicet per principium, & motum, ac quietem; ergo &c. Maior patet, quia in 2. lib. Physic. distinguit naturam ab arte, quia ista caret principio motus, & quietis in se; illa verò habet in se principium motus, & quietis: & in 3. Physicorum t. 1. inquit: *Quoniam autem natura quidem est principium motus, & mutationis, methodus autem nobis de natura est, non latere nos oportet, quid sit motus; necessarium enim est, ignorato ipso, ignorari & naturam*; en quomodo agit de natura semper in ordine ad ipsum motum, à quo habet suam notificationem, & diffinitionem. Secunda probatur, quia natura fundamentaliter est quid absolutum; est enim entitas materiæ, & formæ, vt dicit etiam Aristoteles cap. 6. & 7. huius 2. lib. sed absolutum nequit diffiniri quiditatiuè per relatiuum, cuiusmodi est principium; ergo si natura fundamentaliter diffinitur per principium, & motum, ac quietem, huiusmodi diffinitio erit descriptiua, & non quiditatiua. Consequentia patet, quia diffinitio descriptiua est, quæ datur per accidentalia, sicut quiditatiua per essentialia diffinito, vt notauimus in Summulis tract. 1. de primo Antepraedicamento in generali.

Obijcitur primò contra primam, & secundam conclusionem. Diffinitio, quæ competit alijs à diffinito non est bona; sed diffinitio data de natura, competit alijs ab ipsa; ergo non est bona. Maior patet. Minor probatur, quia calor naturalis est principium nutritionis, & augmentationis eius in quo est; similiter grauitas est principium motus deorsum in graui; & demùm medicina est principium sanandi ipsum medicum, sed certum est, calorem naturalem, grauitatem, & medicinam non esse naturas, cum non sint substantiæ, sed accidentia; ergo huiusmodi diffinitio competit alijs à natura diffinita.

Respondetur negando minorem; ad primam, & secundam probationem concedo equidem calorem naturalem, & grauitatem esse principium mouendi, & quiescendi eius in quo est, non tamen primum, & radicale, sed solum dispositiuum, & ideò diffinitio naturæ eis competere nequit, adæquatè saltem. Ad tertiam probationem de medicina, dico esse tantum principium sanandi medicum extrinsecum, & per accidens, non autem intrinsecum, & per se, sicut est principium, quod est natura, vt dicit Aristoteles in textu 3.

Obijcitur secundò. Diffinitio bona debet dari per priora, & notiora ex Aristotele 1. Posteriorum cap. 2. Et 2. Poster. cap. 10., sed diffinitio naturæ non est huiusmodi; ergo &c. Minor probatur, quia datur per motum, & quietem, qui sunt effectus ipsius naturæ, & consequenter posteriores ipsa natura, ergo non datur per priora, & notiora.

Respondetur maiorem esse veram de diffinitionibus absolutorum, in quibus semper

semper partes diffinitionis, sunt partes constitutiuæ diffiniti; falsam de diffinitionibus relatiuorum, quia tales dantur & per æquè nota, & per posteriora, cum tradantur per fundamentum, & terminum, quæ sunt simul natura quo ad notionem, quamuis possint esse posteriora in entitate; modò diffinitio naturæ non est absoluti, sed relatiui diffinitio, & ideò non inconuenit dari, etiam per effectus naturæ vt per terminum; & per principium, & causam, vt per fundamentum.

Obijcitur tertiò contra tertiam conclusionem. Si cælum non constaret materia, & forma, vt sensit Philosophus, *nihilominus esset natura*; ergo natura non vniuocat sibi tantum materiam, & formam, sed etiam essentiam Cœlorum. Sequela antecedentis est Aristotelis 1. de Cœlo t. 1. 5. & 6. vbi docet, Cœlum esse corpus simplex natura constans; natura enim constantium, hæc quidem sunt corpora, & magnitudines.

Respondetur sequelam antecedentis, cum sua probatione habere veritatem de natura accepta pro essentia simplici, non tamen de natura diffinita ab Aristotele in tex. 3. huius secundi libri, quod ex eo manifestè conuincitur, quia hæc natura est principium motus, & quietis; illa verò tantum motus, & nō quietis, quia, secundum Aristotelem, motus cœli, cum sit circularis, non habet quietem, sed est perpetuus.

Obijcitur quartò contra quartam cōclusionem. Relatio nequit esse de quiditate alicuius substantiæ; sed diffinitio naturæ datur per relationem, & ipsa natura est substantia, cum sit materia, & forma, quæ sunt substantiæ; ergo non potest esse quiditatiua. Maior patet, quia prædicamenta sunt impermixta formaliter, secundum Aristotelem 1. Poster. cap. 24. & 25. Minor etiam est nota, quia datur per principium, & causam, quæ dicunt relationem ad principiatum, & causatum.

Respondetur minorem esse veram de diffinitione naturæ acceptæ formaliter, quia talis non est substantia, sed dicit relationem principij, & causæ ad principiatum, & causatum, & sic natura diffinitur quiditatiuè; si verò natura accipiatur fundamentaliter, tunc est substantia, & per relationem principij diffinitur tātum descriptiuè.

Obijcitur quintò. Principia essendi sunt in natura prius, quàm principia mouendi, & quiescendi; sed principia essendi spectant ad quiditatem, & diffinitionem quiditatiuam; ergo principia mouendi spectabunt tantum ad diffinitionem descriptiuam ipsius naturæ. Maior patet, quia prius est esse, quam operari; sed principia essendi respiciunt esse, & principia mouendi, & quiescendi, operari; ergo illa habent præcedere ista in natura. Minor etiam est nota, quia materia, & forma, quæ sunt principia essendi in cōposito naturali, sunt priores in natura, quam principia motus, & quietis, quæ sunt corpora naturalia.

Respondetur maiorem esse veram accipiendo naturam fundamentaliter; non tamen si sumatur formaliter, quia sic eadem sunt principia essendi, & mouendi, ac quiescendi; hoc est dictū, materia, & forma in quantum sunt partes essentiales compositi naturalis spectant ad ipsius diffinitionem quiditatiuam, & sic non sunt naturæ; verùm quatenus sunt principium, & causa mouendi ipsum ens, seu compositum naturale, tunc sunt naturæ, & spectant ad eius diffinitionem quiditatiuam, si formaliter sumantur; ad descriptiuam verò si materialiter, aut fundamentaliter accipiantur.

Vel dicendum breuiter, vtramque diffinitionem, & per principia essendi, & per principia mouendi, ac quiescendi, esse quiditatiuam, sed prior non est data de natura, verum de composito substantiali; posterior verò est tradita de natura, non autem de ente naturali.

Nec vna potest dici prior, aut posterior altera, sed vtraque prima in suo genere.

Vtrum natura sit principium actiuum motus, & quietis: An verò passiuum: Vel vtrumque?

QVÆSTIO II.

Circa hanc multiplicem difficultatem, multiplex etiam extat Doctorum sententia; siquidem Aliqui censent naturam diffinitam ab Aristotele in t. 3. verificari propriè de forma; & solum metaphoricè de materia, pro quanto nimirum in ea recipitur forma, quæ est natura; & cùm forma sit tantum principium intrinsecum motus, & quietis actiuum, & non passiuum, proindè dicunt naturam diffinitam esse tantum propriè principium actiuū, & solū metaphoricè passiuum. Ita Vallesius controu. 11. ad Tyrones, Vasquius 1.2. disp. 25. cap. 3. & Caberus tract. 2. disp. 1. dub 4.

Alij verò ex opposito, quamuis admittant, cum Aristotele, naturam dici vniuocè de materia, & de forma, & de hac perfectiori modo, quam de illa, nihilominus asserunt naturam esse tantum principium motus, & quietis intrinsecum passiuum; eique accidere vt sit etiā principium actiuum, ad hoc, vt motus, & quies dicatur naturalis mobili. Sic Doctor subtilis in 2.d.2. q.10. sub F. & d. 18. q. vn. A, & B. & in 4. d. 43. q. 4. §. Intelligendū est hic &c. quem sequuntur Tatar. hic q. 1. Faber Theorem. 33. Fuentes hic q. 1. diffic. 2. Merinerus disp. 1. q. 4. n. 16. Pontius disp. 7. de Natura q. 2. n. 9. & Sghemma digress. 8. Villauerde cap. 1. q. 5.

Alij autem, quasi media incedentes via, docent naturam dicere de vtroque principio, tàm actiuo, quàm passiuo; de hoc ratione materiæ, & de illo ratione formæ. Ita communiter Thomistæ, ac nonnulli ex nostratibus, quos refert, & sequitur Mastrius disp. 6. de Natura q. 1. n. 2. & art. 1. n. 5. putantque pro se habere Scotum in Prologo sent. q. 1. Q. Et 5. Metaph. t. c. 5. cap. 4. de Natura, quod an sit verum, quod sibi faueat, videbimus infra.

Alij denique sustinent, principium positum in diffinitione naturæ præscindere ab actiuo, & passiuo, & indifferenter vtrique conuenire. Ita Ruuius 2. Physic. cap. 1. q. 2. n. 21. qui citat pro se D. Thomam in Comment. super 2. Physic. lect. 1. Hos postea secuti sunt Hurtado disp. 7. sect. 1. & Auersa q. 9. sect. 4. videturque communis opinio Recentiorum.

Cæterùm in tanta varietate opinionū esset quidem nobis ambigendum quam sequi deberemus, nisi esset nobis peruia mens genuina Doctoris subt. in præcitatis locis super 2. d. 2. q. 10. F. & d. 18. q. vn. A. vbi disertis verbis docet, cum Aristotele, quod principium positum in diffinitione Naturæ, sit tantum passiuum, vt etiam communiter intelligitur, & refertur à Doctoribus, quicquid in contrariū attentet Mastrius citatus.

Pro cuius declaratione, ac fundamento: primò notandum est, principium positum in diffinitione naturæ esse posse actiuum, vel passiuum dupliciter contingit: Aut loquendo de principio quod, aut de principio quo. Primo modo faceret sensum, quod natura esset principium productiuum, aut receptiuū motus, & quietis in ente naturali, in quo inest, & non ipsum ens naturale; & hic sensus esset falsus, quia producere, vel recipere motum, & quietem vt quod pertinet ad ens naturale, cum illud dicatur moueri, vel quiescere; & non materia, vel forma, quæ sunt naturæ, & eius partes constitutiuæ. Secundo modo faceret sēsum, quod natura esset ratio formalis, virtute cuius ens naturale esset, aut productiuum, aut receptiuum, vt quod motus, & quietis in seipso, & hic sensus esset verus, sicque intelligendus est titulus quæstionis, cùm quæritur: An natura sit principium actiuum, vel passiuum motus, & quietis, idest: An materia, & forma, quæ sunt naturæ, sint rationes formales, quibus motus, & quies naturalis, vel producantur, aut recipiantur ab ente naturali, vt à principio quod? Prima opinio docet esse principium actiuum quo tantum: secunda passiuum dumtaxat: tertia vtrumque: & quarta neutrum, sed esse quoddam indifferens

ad

ad actiuum, & passiuum.

Secundò notandum ex Doct. subt. in Prologo q. 1. L, & Q. Et in 4 d. 43. q. 4. sub A. quod naturale potest tripliciter accipi, scilicet vt opponitur supernaturali; libero; violento, aut neutro. Naturale primo modo est duplex, scilicet actiuum, & passiuum. Actiuum est, quod dicit ordinem naturalem ad passum debitè approximatum, & sic omnia agentia creata, vt sunt Angeli; Homines; & cætera animata, & inanimata, in quibus est vis actiua, dicuntur naturalia actiua; & per oppositum, solus Deus est actiuũ supernaturale, quia agit præter ordinem naturæ in quodcunque passum, quantumuis distans, & absens. Passiuum verò *naturale est, quod aptum est fieri ab actiuo naturali*, & creato; & per oppositum, passiuum supernaturale, quod pẽdet in fieri à solo Deo supernaturaliter agente; vt gratia, fides, spes, & cætera dona supernaturalia. Naturale verò secundo modo, vt opponitur libero, est quod habet tantum vnum modum agẽdi determinatum, idest, quod *positis omnibus requisitis ad agendum*, non potest non agere, vt Sol, ignis, & cætera agentia creata, præter voluntatem Angelicam, & Humanam; siquidem Sol, positis omnibus requisitis ad agendum, quamuis possit in actus contrarios, scilicet liquefacere ceram, & exsiccare lutum; & in obiecta disparata, idest producere ranam, & murem ex materia putri, non potest tamen in operationes contradictorias, hoc est liquefacere, & non *liquefacere*; exsiccare, & non exsiccare, si ei obijciantur cera, & lutum; & per oppositum, agens liberum est illud, quod etiam positis quibusuis necessarijs ad operandum, potest nedum in actus contrarios, & obiecta disparata, sed etiam *in contradictorios actus*; quandoquidẽ voluntas hominis, vel Angeli, positis quibuscunque, potest non solum velle, & nolle, quæ sunt actus contrarij; & *velle, aut nolle album*, vel nigrum, sed etiam *velle, & nõ velle*; nolle, & nõ nolle, quæ sunt operationes contradictoriæ. Naturale tertio modo sumptum, vt opponitur violento, & neutro, non dicit ordinem ad agens, vel passum, sed ad formã, & est illud, quod fit secundum inclinationem passi, & hoc modo motus lapidis deorsum dicitur naturalis lapidi, quia, cum sit grauis, inclinatur ad vbi deorsum; similiter fides, spes, & cætera dona supernaturalia, dicuntur naturalia animæ rationali, quia ad ipsa, vt ad formas, a quibus est perfectibilis, naturaliter inclinatur; & per oppositum, illud dicitur violentum, ad quod passum non inclinatur, sed ad oppositum eius, & sic motus, & quies in loco sursum dicuntur violenti lapidi, quia inclinatur ad vbi deorsum, quod est oppositum vbi sursum. Neutrum verò est illud, ad quod passum non inclinatur, nec ad eius oppositum, & sic motus, & quies Angeli in aliquo loco, dicũtur neutra, quia ad nullum locum inclinatur, nec ad oppositum. Ad propositum hic non est sermo de naturali primo, aut secundo modo, prout dicit ordinem naturalem ad agens; Tum quia natura esset principiũ quo, motus, & quietis violentæ, cum hæc fiant naturaliter, & non supernaturaliter; Tum etiam quia operationes liberæ voluntatis non essent ab anima, vt à natura, quamuis sit forma essentialis entis naturalis, quæ nemo sanæ mentis dixerit: sumitur ergo naturale tantum tertio modo, vt dicit ordinem passi ad formam, & cum tale dicat inclinationem passi ad formam, quã recipit, sequitur, quod natura, à quo dicitur naturale, debeat esse dũtaxat principium quo, passiuum, & non actiuum, quia tale non dicit ordinem ad formam, sed solum ad passum, in quod est ratio agendi.

Tertiò notandum ex eodem in 2. d. 18. q. vn. C. Naturam, vt dicitur principium passiuum quo, vt motus, & quies insint enti naturali, conuenire nedum materiæ, sed etiam formæ, diuerso tamen modo; siquidem materia, cum de se sit principium passiuum recipiendi in seipsa quamcunque formam substantialem ad constitutionem compositi naturalis, & ratio vniuersalis, qua compositum sit in potentia passiua ad omnes formas accidentales in se recipiendas, dicitur quodammodo natura vniuersalis; cæterum,

cum forma sit determinatiua materiæ ad constitutionem huius,& non illius compositi, vt patet de forma ignis, determinante materiam ad constitutionem cōpositi substantialis ignis,& non aquæ; & potest appellari natura,quodāmodo particularis, & specificatiua entis naturalis ad producendum, & recipiendum potius hunc motum, quam illum, vt manifestè cōuincitur in forma lapidis ad motum deorsum;& in forma ignis ad motū sursum; hoc autem potest contingere dupliciter. Vno modo consideràdo formam, quatenus est constitutiua grauis, vel leuis in ratione talium, & sic non est natura formaliter, sed tantum fundamétaliter; alio modo prout est inclinatiua lapidis ad motum, & quietem deorsum; & ignis ad motum, & quietem sursum, & sic est natura formaliter,quia est principium quo passiuum,virtute cuius motus, & quies respectiuè insint lapidi, & igni, vt principijs quæ; & ita intelligendus venit Aristoteles, cum dixit in tex. 12. formam, & speciem esse naturam, & magis, quàm materia, quia nimirum dat actu enti naturali & esse, & moueri, & quiescere iuxta propriam naturam,& vt à cæteris distinguitur.

Ex his fit prima conclusio. Natura, vt diffinitur ab Aristotele in t. 3. nequit esse principium actiuum motus, & quietis in ente naturali, in quo inest per se, & primo. Est conclusio Scoti in 2. d. 2. q. 10. sub F, & d. 18. q. vn. sub B. contra Doctores citatos in prima opinione. Probatur,quia natura diffinita à Philosopho, est principium quo intrinsecum per se vt ens naturale moueatur, & quiescat naturaliter; sed principium vt actiuum, non est intrinsecum per se enti naturali mobili; ergo natura à Philosopho diffinita non est principium actiuum. Maior patet, quia est principium mouendi, & quiescendi eius in quo est primum, & per se ex tex. 3. sed ly in quo est primum, & per se, indicat vt natura sit intrinseca, & essentialis enti naturali; ergo natura diffinita est principium quo intrinsecum, & per se enti naturali mobili. Minor similiter remanet probata ex textu eodem, vbi dicit, quod accidit medicina medico, vt moueatur naturaliter ad sanitaté; sed medicina in medico est principium actiuum sanitatis, ergo principium actiuum non est per se,& intrinsecum enti naturali, vt per ipsum habeat moueri naturaliter.

Secunda conclusio. Quamuis entia naturalia habeant in se principium actiuum, & passiuum motus, & quietis, non dicuntur tamen moueri naturaliter ratione principij actiui, sed solum à principio passiuo. Est Scoti in citatis locis ex 2. sententiarum, contra tertiam opinionem. Probatur, quia motus naturalis est ille, secundum quem passum natū est moueri; sed passum non est natum moueri naturaliter propter principium actiuum, sed tantum propter passiuum; ergo &c. Maior probatur ex Aristotele 8. Physic. t. 32. vbi quærens, cur grauia, & leuia tendant naturaliter ad sua propria loca, hoc est sursum, & deorsum, respondit: Causa autem est, quia apta natura sunt aliquo: & hoc inest graui,& leui esse, hoc quidem ipso sursum, illud aut ipso deorsum determinatum, ergo secundum Aristotelem,ille motus est naturalis,secundum quem passum aptū natum est moueri. Minor probatur, quia aptitudo, non dicit nisi propensionē, & inclinationem ad aliquid recipiendū; sed recipere est pati,& non agere; ergo passum est aptum natum moueri naturaliter ob principium passiuum,& non actiuum. Secundò probatur, quia principiū actiuum, in habente simul passiuum,nihil facit ad hoc vt mobile dicatur moueri naturaliter; ergo motus naturalis nullo modo dependet ab actiuo, sed à passiuo principio dumtaxat. Consequentia patet. Antecedens probatur illud dicitur impertinens,& nullum respectu alicuius motus, vel mutationis, quo solo posito, non ponitur, & quo remoto, adhuc sequitur talis motus, vel mutatio; patet ex terminis; sed posito solo principio actiuo in aliquo ente mobili; & remoto passiuo,motus non esset naturalis, sed violentus, vel neuter; vel solum naturalis, vt naturale distinguitur contra supernaturale, vel liberum; & è conuersò, remoto principio actiuo, & posito solo passiuo,

motus

motus nihilominus esset naturalis, vt opponitur violento, aut neutro; ergo naturalitas motus dependet à solo principio passiuo, & nullo modo ab actiuo. Minor probatur à Doctore subtili in 4. d. 43. q. 4. D. à simili de violento, quia quamuis forma, contra quam inclinatur receptiuum, non inducatur nisi ab agente inferente violentiam passo, tamen non dicitur violenta passo ea habitudine ad agens violentans, sed solum quia est contra inclinationem passi, patet de igne calefaciente aquam, vbi calor non dicitur violentus aquæ, quia prouenit ab igne, sed quia recipitur in aqua contra inclinationem eius; ergo à simili, licet motus naturalis proueniat ab aliquo principio actiuo coniuncto passiuo in aliquo mobili, non tamen dicetur naturalis ex habitudine ad actiuum, sed solùm, quia est secundum inclinationem mobilis, ipsum recipientis. Confirmatur, quia forma in esse quieto dicitur naturaliter, vel violenter diu permanere in aliquo passo, vt patet de calore in aqua, & in corpore; sed huiusmodi violentia in aqua, & naturalitas in corpore humano, non pendet ab actione principij actiui, cum cessarit actio eiusdem principij agentis; ergo habetur ex inclinatione, vel resistentia passi, vel complacentis sibi in vna, vel remurmurantis in altera.

Nec valet dicere cum Mastrio citato, rationem Scoti concludere quidem de violentia positiua, quia istam semper patitur passum, dum cogitur recipere aliquam formam, contra eius inclinationem passiuam; non tamen de violentia priuatiua, quam patitur agens, cum impeditur eius actio, ad quam actiuè inclinatur naturaliter, quia huiusmodi violentiam priuatiuam, & consequenter naturalitatem sibi oppositam in principio actiuo nec somniauit quidem Scotus, quinimò apertè illam reiecit in 4. d. 43. q. 2 sub S. vbi docet, inclinationem naturalem esse duplicem, scilicet imperfecti ad perfectum, & concomitatur potentiam essentialem ad actum primum; alia est perfecti ad perfectionem communicandam, & concomitatur potentiam accidentalem ad actum secundum. De prima, inquit Doctor, verum est quod oppositum eius est violentum, & non perpetuum, quia ponit imperfectionem perpetuam; sed secunda inclinatio, & si perpetuò suspendatur, nullum violentum propriè dicitur, quia nec imperfectio; ergo secundum Doctorem, cùm in principio actiuo, quamuis impedito ne agat, cadere non possit propriè violentia, consequenter nec naturalitas opposita violentiæ (de qua tantum est sermo) ibi esse poterit. Concludendum est igitur secundum Scotum, naturalitatem oppositam violentiæ, attendi non posse ex parte principij actiui, sed ex habitudine principij passiui ad formam, ad quam passum inclinatur. Quod amplius confirmatur eius sententia ex his, quæ habet in 2. d. 2. q. 10. F. vbi inquit: *Tamen propter vnum verbum Philosophi addo vltra, quod motus ille non est naturalis in se, ex hoc, quod habet principium actiuum in se; sed solum ex hoc, quod mobile habet principium intrinsecum passiuum, naturaliter inclinans ad motum, quod patet per diffinitionem naturæ 2. Physicorum t. c. 3. quia est principium motus eius in quo est per se, & primo, in eo, quod mouetur, quod non est, nisi in quantum est passiuum*: &c. d. 18. q. vn. B, & C. subiungit: *Ad hoc igitur quod motus sit naturalis, sufficit quod potentia passiua rei sit ad talem formam inclinata; nec requiritur ibi principium actiuum intrinsecum, sed à quocunque agente agatur, erit quod acquiritur simpliciter naturale solum propter illam inclinationem ex parte principij passiui*: Hæc subtilissimus Doctor, vt magis, ac magis patefaceat cuius fuerit intentionis in hac materia, quicquid in contrarium conetur ostendere Mastrius ex alijs eiusdem verbis (sua venia dixerim) non benè intellectis, vt videbimus in responsionibus ad argumenta.

Ex his facilè refellitur sententia Ruuij, ac aliorum de principio indifferenti ad actiuum, & passiuum in diffinitione naturæ posito; quandoquidem Aristoteles dumtaxat locutus est de passiuo,

siuo, & non de actiuo; Tum quia 3. Physi[illegible] m t. c. 6. loquens de motu naturali, per quem ostenditur natura, quæ est eius principium quo, à posteriori, inquit: *Diuiso autem secundum vnum quodque genus, hoc quidem esse actu, aliud autem potentia, eius quod potentia existit actus, quatenus huiusmodi motus est, vt alterabilis quidem, quatenus alterabile, alteratio; augmentabilis autem, augmentum, & decrementum; generabilis autem, & corruptibilis, generatio, & corruptio, eius verò, quod fertur, latio.* Et t. c. 9. clariùs confirmat eius conclusionem; & sententiam Ruuij explodit, dum subiungit: *Eius autem, quod potentia existit actus, cum actu existens agit, aut idem, aut aliud, quatenus mobile, motus est, dico autem quatenus sic*; hoc est dictu, siuè mobile habeat in se principium actiuum motus, siuè motus ab alio principio actiuo producatur, non dicitur motus naturalis, nisi quatenus mobile est in potentia ad illum; quod confirmat exemplificando in t. 11 de motu ædificationis; qui non dicitur, cum domus fit, sed cum ędificabilis est; ergo à simili, motus naturalis non dicitur talis, ea habitudine ad principium actiuum, sed quia mobile est in potentia passiua ad ipsum, que est opinio Scoti, quam sine sufficienti fundamento Ruuius dixit esse contra Aristotelem, & contra rationem, vt sàtiùs ostendam, soluendo eius argumenta contra opinionem eiusdem Scoti.

Obijciuntur autem multa contra suprapositas conclusiones, & primo arguit Vasquez, cum Vallesio ex Aristotele 5. Met. cap. 4. in fine, probando naturam dici tantum de principio actiuo, quia natura tantum propriè dicitur de forma; de materia autem metaphoricè, quatenus est eius susceptiua; sed forma est tantum principium actiuum; ergo natura est tantum principium actiuum, & non passiuum. Maior est Aristotelis in citato loco, vbi habet hæc verba: *Et forma est substantia; metaphoricè verò omnino omnis substantia natura propter hanc dicitur, quoniam & natura est aliqua substantia: Ex dictis itaque prima, & quæ propè natura, est substantia eorum, quæ in seipsis, vt ipsa sunt, motus principium habent: materia enim eo quod huius est susceptiua, dicitur natura*: ergo secundum Aristotelem forma est propriè natura, & materia est tantum natura metaphoricè. Minor probatur, quia si forma non esset principium actiuum quo motus, non esset primum principium; sed hoc est falsum, quia materia, & forma sunt duo prima principia, illa passiuum; ergo hæc debet esse principium actiuum.

Respondetur concedendo formam esse magis naturam, quàm materiam; quod optimè demonstratur ab Aristotele, tum in citato loco, tum in 2. Physicorum t. 12. sed nego hoc sibi euenire ratione principij actiui; siquidem istud sibi conuenit prout est principium passiuū motus, & ideò negatur minor quod forma sit tantum principium actiuum quo; & cum probatur, quod non esset primum principium distinctum à materia, quæ est tantum principium passiuū, negatur sequela, forma enim dicitur primum principium in genere causę formalis respectu compositi substantialis, nō tamen respectu motus naturalis, quia in hoc non distinguitur à materia in ratione principij; siquidem sunt principium passiuum, licèt benè distinguatur in modo principiandi, vt superiùs notatum est.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem, quia æquè naturale est igni calefacere, & aquæ frigefacere, sicut graui descendere deorsum; sed ista conueniunt igni, & aquæ ratione principij actiui; ergo naturalitas non tantum à principio passiuo, sed etiam ab actiuo deriuatur. Minor patet, quia calefacere, & frigefacere est agere, & non pati. Maior probatur, quia non minus violentantur ignis, & aqua, si impediantur, ne ille calefaciat, & frigefaciat ista, quàm si impediatur lapis, ne descendat deorsum; sed huiusmodi violentia in lapidę arguit motum deorsum esse sibi naturalem, vt naturale opponitur violento; ergo etiam violentia in igne, & aqua ne exeant in suas actiones, debet arguere, quod calefacere in igne, & frigefacere

re in aqua sit illis naturale, vt opponitur violento. Maior probatur, quia ideò lapidi est violentum impediri, ne descendat, quia locus sursum est contra eius aptitudinem, secundum quam inclinatur ad esse deorsum intrinsecè, vtpotè ortam ex eius principijs intrinsecis; sed etiam aptitudo ignis ad calefaciendum, & aquæ ad frigefaciendum oritur in illis ex eorum principijs intrinsecis; ergo cũ impediuntur ne exeant in actus secundos, non minus patientur violentiam, saltem priuatiuam, quàm patiatur lapis, cum detinetur sursum; quippè vtrobiq. infertur vis aptitudini naturali eorum.

Respondetur negando maiorem, sumendo naturale vt opponitur violento; Ad probationem iterùm negatur maior; ad cuius probationem dico cum Scoto in 4. d. 43. q. 2. sub S. aptitudinem, seu inclinationem esse duplicem, aliam imperfecti ad perfectum, aliam perfecti ad perfectionem communicandam; prior comitatur potentiam essentialem, & eius oppositum est violentum; posterior concomitatur potentiam accidentalem, ordinatam ad actum secundum, & nullum habet oppositum violentum, cùm nullam dicat imperfectionem essentialem, imò supponit subiectum in se essentialiter perfectum; quod potest consistere etiam perpetuò, absque perfectione accidentali: modò aptitudo in lapide, cum sit essentialis, quia imperfecti ad perfectum, si detineatur sursum, patitur violentiam oppositam inclinationi naturali, vt naturale opponitur violento, & neutro; aptitudo verò ignis ad calefaciendum, & aquæ ad frigefaciendum, cum sit perfecti ad perfectionem communicandam, est accidentalis, & si frustretur, nullam habet oppositam violentiam, quare non poterit dici naturalis vt naturale opponitur violento, sed solum vt contradistinguitur à libero, & supernaturali.

Contrà. Ita se habet violentum respectu principij naturalis, sicut inuoluntarium respectu liberi; sed inuoluntarium respicit in voluntate rationem principij actiui; ergo etiam violentum poterit opponi principio naturali actiuo. Maior patet, quia violentum, & inuoluntariũ, seu coactio sunt idem, & solum differunt ratione subiecti, quia illud reperitur in rebus cognitione carentibus; hæc verò in his, quæ habent cognitionem; ergo de vtroque idem erit iudicium. Minor probatur, quia voluntarium respicit principium actiuum ex Aristotele 3. Eth. eorum cap. 1. ergo etiam inuoluntarium, quod est eius oppositum; opposita enim habent fieri circa idem.

Respondetur negando maiorem, quia violentum exigit principium extrinsecum actiuum, vt docet Aristoteles 3 Ethicorum cap. 2. violentum est illud, cuius principium est extra, non conferente cum passo; at inuoluntarium, sicut voluntarium, respicit principium intrinsecum actiuum, ex eodem Aristotele ibidem cap. 1. cuius principium, inquit, est in ipso agente cognoscente singula, in quibus est actus: Rursus violentum, vt tale, respicit passum, cui infertur vis cōtra eius inclinationem; at voluntarium, & inuoluntarium respiciunt agens, in quo nulla potest esse vis, aut coactio, vt optimè probat Scotus in 4. d. 29. q. 1. B. dicens, voluntatem, quæ est principium quo voluntarij, non posse simpliciter cogi ad actum eliciendum, alioquin nollens vellet; vel volens nollet, quod implicat; potest tantum cogi habens voluntatem ad aliquam passionem, vt ligatus hic remanere, vel ad aliquam actionem instrumentalem, quæ tamen non est actio sua; sed ad actionem voluntatis elicitam, vel imperatam, quæ propriè est actio humana, non potest cogi, nisi secundum quid, metu scilicet maioris mali, quam sit ille actus; ideò non potest fieri idem iudicium de violento, & de inuoluntario, vt potè, quod si vnum respiciat principium quo actiuum, quod etiam alterum sit tale; vel si vnum deriuetur à principio intrinseco actiuo, quod etiam alterum ab eodem prodire valeat ob rationes disparitatis allatas inter illa.

Obijcitur tertiò: Scotus admittit principium actiuum intrinsecum esse naturam, vt natura diffinitur ab Aristotele 2. Physicorum t. 3. ergo conclusio nostra, vel non est sustinenda, vel erit contra

Do-

Doctorem subtilem. Antecedens probatur, quia Doctor in Prologo sent. q. 1. Q. respondens ad illam propositionem positam in confirmatione opinionis Philosophorum: Omni potentiæ passiuæ naturali debet correspondere potentia actiua naturalis: dicit non esse veram, loquendo de natura prout diffinitur à Philosopho 2. Physicorũ t. 3. quia multa sunt naturaliter receptiua alicuius perfectionis, cuius non habent principium intrinsecum actiuum; ergo quæ habent principium intrinsecum actiuum, in his erit verum, quod omni passiuo naturali correspondet etiam principium intrinsecum actiuum naturale, & sic erit natura diffinita à Philosopho 2. Physicorum. Deinde 5. Met. cap. 4. de Natura, in fine Commenti ad t. 5. inquit: Notandum, quod cum forma dicitur hic principium motus; vel potest referri ad principium actiuum, vt expositum est, vel ad principium passiuum, à quo habet naturalitatem, vt dictum est (supple eodem cap. §. Sed aduertendum, quod principium &c.) & ideò, quod hic dicitur (nẽpè quod sit principium actiuum motus) non repugnat illi, quod prædictum est, scilicet, quod natura, à qua dicitur motus naturaliter, dicitur principium passiuum; ergo de mente Scoti, principium actiuum intrinsecum, cum sit coniunctum cum passiuo, est natura, vt diffinitur à Philosopho 2. Physicorum t. c. 3.

Respondetur negando antecedens; imò Scotus dicit principium actiuum intrinsecum, coniunctum passiuo accidere, adhoc vt mobile dicatur naturaliter moueri, vt naturale distinguitur contra violentum, & neutrum, vt dictum est superiùs arguendo contra Mastrium. Ad probationem desumptam ex Scoto in 1. q. Prologi Q. negatur consequentia; siquidem non rectè deducitur ex antecedenti, nimirùm, quia multa sunt naturaliter receptiua alicuius perfectionis, cuius non habent principium intrinsecum actiuum, vt patet de materia prima respectu omnium formarum, de corpore organico respectu animæ rationalis, quæ sunt naturaliter receptiua, & tamen carent principio intrinseco actiuo, ideò non omni passiuo naturaliter correspõdet principium actiuum, quod sic sit natura, idest diffinita ab Aristotele 2. Phys. t. 3. ergo in his quæ habent principium actiuum intrinsecum, passiuo correspõdet actiuum, quod sic sit natura, quia sufficit Doctori ostendisse falsitatẽ illius maioris; omni scilicet potentiæ naturali correspondere debet actiua, quæ sit natura diffinita ab Aristotele in illo t. 3. citato, non determinando pro illo tunc, an principium actiuum intrinsecum sit natura, sicut fecit in 2. d. 2. q. 10 & d. 18. q. vn. Et in 4. d. 43 q. 4. quia non erat necessarium ad ostendendam falsitatem illius propositionis philosophicæ; quandoquidẽ illa satis falsificatur ex eo quod sint multa passiua naturaliter receptiua alicuius perfectionis, quibus tamen non correspondeant actiua naturaliter. Et licet subtiliter Mastrius inferat; ergo aliqua possunt esse receptiua naturaliter alicuius perfectionis, cuius sint principia intrinseca actiua, quæ sint natura; nihilominus hoc non potuit deducere secũdum mentem Scoti, cum oppositum alibi determinauerit explicitè, vt superiùs ostendimus. Ad secundam probationem ex 5. Metaphysic., negatur pariter consequentia, quia non repugnat dicere, formam esse principium actiuum, & passiuum motus, & motum habere naturalitatem ab ea, vt est principium passiuum tantum, vt subtiliter probaui tribus rationibus desumptis ex Aristotele eodem cap. 4. exponendo modos, quibus dicitur natura §. Sed aduertendũ, quod hoc principium motus, quod dicitur natura &c. igitur ex eo quod dixerit Doctor, non repugnare formam esse principium actiuum, & passiuum motus, cum eo quod dixit naturam dici tantum principium passiuum, non debuit inferre Mastrius; ergo secundum ipsum, quando principium actiuum intrinsecũ est coniunctum in eodem mobili cum passiuo, vtrumque esse naturam, quia apertè fatetur formam esse principium actiuum, & passiuum motus intrinsecũ mobili, & nihilominus motum dici naturalem, vt opponitur violento, ab ea duntaxat, vt est principium passiuum.

Obij-

Obijcitur quartò, quod natura nō sit principium passiuum, quia Aristoteles 2.Physic. t. 2. ponens differentiam inter artificialia, & naturalia entia, dicit,quod ista habent in se principium motus, non item illa; sed hoc nequit intelligi de principio passiuo, cum vtraque habeant principium passiuum; ergo de actiuo.

Respondetur ex Doct. subt. in 2.d.18. q.vn.B. artificialia, & naturalia entia conuenire quidem in principio passiuo vt sic, at differre, quia artificialia habent principium passiuum absque inclinationem ad formam artificialem; siquidem in illis principium non magis inclinat ad incisionem, quàm ad erectionem, vt patet in ædificijs; cæterùm naturalia habēt in se *principium passiuum inclinatiuum* determinatè ad talem, vel talem formā, vt in lapide inclinatio ad motū, & quietem deorsum, & in igne sursum adest principium passiuum, quo ille deorsum, & non sursum, & iste sursum, & non deorsum naturaliter tendant.

Obijcitur quintò ex Ruuio, quod principium positum in deffinitione naturæ sit indifferens ad actiuum, & passiuum, quia natura dicitur, tàm de actiuo, quàm de passiuo indifferenter; ergo principium, quod dicitur natura, non debet esse nec actiuum tantum,nec passiuum solùm, sed indifferens ad vtrumque. Antecedens probatur, tum quia motus vitalis, vt nutritio, & augmentatio in animali, est à forma, scilicet ab anima vegetatiua, & sensitiua; Tum etiam in grauibus, & leuibus motus descensus, & ascensus respectiuè, est à forma; sed forma est principium actiuum, vt omnes fatentur; ergo natura dicitur principium actiuum; sed etiam huius motus habent principium passiuum, in quo recipiuntur; ergo dicitur natura indifferenter de vtroque, scilicet actiuo, & passiuo.

Respondetur negando antecedens;ad cuius probationem concedo formam esse principium actiuum motuum vitalium in animalibus,similiter in grauibus, & leuibus esse principium actiuum motuum ascensus, & descensus; sed nego huiusmodi motus dici naturales ab ipsa, vt est principium actiuum; siquidem tantum dicuntur tales, vt est principium passiuum inclinatiuum in animalibus ad nutriri,& augeri; in elementis verò,aut mixtis grauibus, vel leuibus ad esse sursum, vel deorsum.

Vtrum sit admittenda potentia neutra, media inter naturalem, & violentam? Et an sit in Cœlo in ordine ad suum motum circularem?

QVÆSTIO III.

Circa priorem partem huius propositæ quæstionis extat duplex opposita sententia, quarum prima est Caietani in opusc. de Potentia neutra, & Soto 2. Physic. q. 1. ad 1. asserentium, potentiam sufficienter diuidi in naturalem, & violentam, quare omninò de medio tollunt potentiam neutram. Hanc sequuntur Auersa hic q. 9. sect. 8. & nonnulli alij Recentiores.

Secunda sententia est Scoti in Prologo sent.q.1. L. Et in 2. d.2. q.6. sub O. Et in 4. d. 43. q. 4. docentis dari potentiam neutram inter naturalem, & violentam, secundum quam mobile nec mouetur secundum inclinationem, nec contra illam ad formam, sed neutraliter. Sequuntur omnes eius Discipuli,& ex alienis Suarez in Met. disput.43. sect. 4.n.13. Fonseca 9. Met. cap 4.q.2. sect.7. & 8. & Amicus tract. 8. q. 8. dub. 3. art. 1.

Circa posteriorem partem litigāt pariter Doctores adinuicem; siquidem aliqui dicunt, motum Cœli esse vndequaque naturalem, vt potè deriuatum à natura, quæ est in Cœlo principium passiuum motus circularis, & ideò, vt consequenter loquantur, habent sustinere potentiam passiuam in Cœlo ad ipsum, esse tantum naturalem, & non violentam,neque neutram. Ita Mastrius in 1. Physicorum disput. 6. q. 2. art. 1. Et de Cœlo disput 2. q. 4. art. 2. qui in priori loco sub num. 31. postquam nonnihil digressus est in probando hanc suā opinionem esse de mente Doctoris subt. tamdem concludit, Cœlum esse in po-

tentia

tentia naturali indeterminata ad motum, & quietem localem, non tamen in potentia determinata, propter quam indeterminationem Scotus in 2. d.2. q.6. O. Et in 4. d. 48.q.2. E, & O. motum Cœli neutrum appellauit, non naturalem, sumendo naturalitatem rigorosè, vt dicit potentiam ad vnum determinatã; & neutralitatem, vt huic potentiæ naturali opponitur; non verò rigorosè, vt contradistinguitur à potentia naturali, tàm determinata, quàm indeterminata.

Alij quidem concedentes in Cœlo esse naturam, ponunt in ipso potentiam naturalem, quæ sit principium motus circularis, cæterùm cùm careat quiete naturali, asserunt motum Cœli dici naturalem ex parte principij, & neutrum ex parte termini. Ita interpretantur Scotum, dicentem esse neutrum, & non naturalem in citatis locis à Mastrio, Faber Fauentinus in Philosophia Naturali Theorem. 63. & 64. Catharensis in 2. Physic. q.1. art.3. & 4. & Merinero disp. 1. q.5. n. 11. 12. & 13. Hanc fuisse mentem Auicennæ 9. Met. cap. 2. quem postea secuti sunt Alber. Magn. hic tract. 1. cap. 3. & Durand. in 2 d.14.q.2. testatur Doct. subt. in 2. d. 2. q. 6. sub O, quibus & nos libenter subscribere debemus, cùm sit vera opinio Doctoris subtilis.

Pro cuius, & prioris sententiæ declaratione, ac fundamento: primò notandum est ex eodem in Prologo sent. q. 1. L. & in 4.d.43. q. 4. §. Intelligendum est hic &c. Potentiam passiuam, de qua hic loquimur, ad posse comparari, vel ad actum, seu formam receptibilem, vel ad agens, à quo illam recipit. Si priori modo comparetur, hoc potest esse tripliciter vel ad formam, ad quam dicit inclinationem, vt passum ab ipsa perficiatur, & sic dicitur potentia naturalis; siquidè omnia naturaliter appetunt suam perfectionem; vel ad formam, ad quam passum non inclinatur, sed ad oppositum eius, vt aqua ad caliditatem, & sic appellatur potentia violenta: vel tertio cõparatur ad formam, ad quam passum nec inclinatur, nec ad oppositum eius, vt superficies ad albedinem, & nigredinem, vel Angelus ad locum sursum, & deorsum, & sic vocatur potentia neutra, media inter naturalem, & violentam: Hæ autem potentiæ conueniunt, & differunt abinuicem: conueniunt quidem, quia omnes dicunt capacitatem in subiecto, vt valeat formam recipere: differunt verò, quia naturalis superaddit capacitati inclinationem naturalem ad formam, vt ad suam perfectionem; violenta verò negationem inclinationis ad formam, & oppositionem ad ipsam, inclinationemque ad oppositã illius: neutra autem dicit negationem inclinationis, & oppositionis ad formam, quam passum potest recipere. Si verò comparetur ad agens, à quo passum illam recipit, hoc potest esse dupliciter, vel ad agés supernaturale, & sic passum dicitur esse in potentia obedientiali, vt erat natura humana assumpta à Verbo, & quælibet creatura in ordine ad voluntatem diuinam; vel ad agens naturale, & sic passum dicitur esse in potentia naturali, vt lignum est in potentia naturali ignis à quo potest comburi.

Secundò notandum ex eodem in 2. d. 2.q.6. sub O. & in 4.dist. 48. q. 2. ante O. quod passum ad illam formam inclinatur naturaliter, quæ est perfectio eius; omnis enim res naturaliter appetit suam perfectionem, & sic materia prima inclinatur naturaliter ad omnes formas, quia ab omnibus perficitur; illam verò violenter recipit, vel quia dicit ei imperfectionem, & sic materia est violenter sub priuatione, quia dicit imperfectioné in illa; vel quia est destructiua eiusdem passi, & sic compositum violenter corrumpitur, quia per corruptionem destruitur; vel quia oppositum eius naturaliter appetit, & sic aqua est violenter sub caliditate, quia naturaliter appetit frigiditatem sibi oppositam: illam tamdem formam passum neutraliter recipit, quæ nec est perfectiua, nec destructiua eius, & sic Angelus neutraliter est in hoc loco, cùm ab ipso nec perficiatur, nec destruatur, similiter superficies neutraliter est sub albedine, quia per ipsam nec perficitur, nec destruitur. Ex his habetur, quod cum passum sit in potentia ad aliquam formam, ad quam nec dicit incli-

inclinationem naturalem, quia ab ipsa non est perfectibile; nec repugnantiam, quoniam per ipsam non est destructibibile, necessariò erit erga illam in potentia neutra, & sic dabitur in rerum natura potentia neutra, quæ sit media inter naturalem, & violentam.

Tertiò notandum pro declaratione secundæ partis quæstionis, ex eodem Scoto in citatis locis, motum esse triplicem, scilicet naturalem, violentum, & neutrum. Naturalis est, qui terminatur ad formam, quam mobile naturaliter appetit, vt est motus lapidis deorsum; siquidem lapis, cum sit de genere grauiũ, naturaliter appetit esse in centro terræ. Violentus est ille, qui terminatur ad formam, quam mobile non appetit, sed oppositam eius, vt motus lapidis sursum; siquidem locus sursum est violentus sibi, cum appetat naturaliter esse deorsum: Neuter autem est ille, qui terminatur ad formam, ad quem mobile nec inclinatur, nec ad oppositum eius, vt motus Angeli de cœlo ad terram dicitur neuter, quia Angelus non inclinatur, nec ad esse sursum, nec ad esse deorsum: Ad propositum motus Cœli dicitur neuter, quia Cœlum ad nullum locum inclinatur naturaliter, alioquin si moueretur ad oppositum, esset sub illo violenter, in quo posset pati corruptionem, & destructionem sui, essetque corruptibile in potentia propinqua, quod nullus concederet.

Quartò notandum est, aliquem motum esse naturalem posse contingere dupliciter, & ratione principij, & ratione termini. Ille motus dicitur naturalis ratione principij, qui causatur à mobili, quod habet naturam, & sic motus naturalis nõ distinguitur à violento, vel neutro necessariò, cùm etiã isti possint procedere à composito naturali, quod constet natura, idest materia, & forma physica: Ille verò motus dicitur naturalis ratione termini, qui terminatur ad formã, quam mobile appetit, vt ab ipsa perfectibile, & hoc modo sumendo motum naturalem, distinguitur essentialiter à motu violento, & neutro: Ad propositum, motus Cœli, si aliquo modo possit dici naturalis, hoc erit tantũ primo modo, cum progrediatur ab ipso, vt à principio naturali, quod constat natura, idest materia, & forma: cæterùm vt sic, non erit distinctus, saltem necessariò à motu lapidis sursum, vel à motu progressiuo animalium, cum quilibet istorum procedat ab habente naturam, idest materiam, & formam. Si autem secundo modo accipiatur, motus Cœli naturalis non est, sed neuter, vt neutrum distinguitur à naturali, & violento, quia ad nullum locum determinatè inclinatur, nec ad oppositum eius, cùm sit circularis, in quo non est reperiri quietem, vel statum in aliqua parte: Et quamuis in eo sit habilitas quædam ad motum circularem propter hoc, quod ipsum est sphericæ figuræ, tamen, vt notat Doctor subtilis in 4. d. 48. q. 2. O. huiusmodi habilitas non sufficit ad naturalitatem, sed tantummodo ad non violentiam, cùm ad nullum locum signatum determinatè inclinetur, & nullum pariter recipit cõtra eius inclinationem; vndè

Quintò notandum est, quòd violentum est duplex, scilicet positiuum, & negatiuum: Primum dicit non tantum non inclinationem mobilis ad formam; sed oppositionem ad illam, quam recipit. Secundum negat tantum inclinationem, & non ponit repugnantiam contrariam in mobili, seu passo. Si accipiatur violẽtum positiuè, distinguitur à naturali, & neutro; si verò negatiuè, non distinguitur à neutro, sed solum à naturali, & sic inter ipsum, & naturale non datur medium, sed erit verum, quod omnis motus, vel est naturalis, idest secundum inclinationem; vel violentus, idest non secundum inclinationem; siquidem inter contradictoria nullum datur medium.

Ex his fit prima conclusio. Datur potentia neutra, media inter naturalem, & violentam. Est Scoti in Prologo sent. q. 1. L. Et in 2 dist. 2. q. 6. sub O. Probatur, quia in Angelo est potentia passiua ad essendum in loco; sed huiusmodi potentia non est; nec naturalis, nec violenta; ergo erit media inter ipsas, quæ dicitur neutra. Maior patet, quia Angelus est

in

in loco, vt colligitur ex multis locis Sacræ Scripturæ; ergo prius erat in potentia passiua ad essendum in loco. Minor probatur, quod non sit naturalis, quia potētiæ naturali correspondet locus naturalis, sed Angelus non est in aliquo naturaliter, alioquin haberet etiam locum sibi violentum, quod non est dicendum, quia locus violentus est destructiuus locati, & Angelus à nullo creato potest destrui; ergo de primo ad vltimum potentia Angeli ad essendum in loco, nequit esse naturalis. Nec violenta, quia tunc haberet locum violentum, ad quem ordinaretur talis potentia; sed hoc est falsum, aliter daretur locus corruptiuus Angeli; siquidem locus est cōseruatiuus locati, si est sibi naturalis; & destructiuus, si violentus, quòd concedere est maximum absurdum; ergo cum potentia passiua Angeli ad essendum in loco non sit naturalis, aut violenta, sequitur esse neutra, & media inter illas: & vt probemus consequentiam, sit

Secunda conclusio. Diuisio potentiæ passiuæ in ordine ad formam, vel actum, in naturalem, violentam, & neutram, est sufficiens. Est Scoti in citatis locis, & in lib. 9. Metaph. q. 12. Probatur: Illa diuisio, cuius membra diuidentia sunt opposita, & adæquata diuiso, est bona, & sufficienter data; sed diuisio potentiæ passiuæ in ordine ad formam, in naturalem, violentam, & neutram est huiusmodi; ergo est bona, & sufficienter data. Maior patet per conditiones requisitas ad bonam diuisionem, quas expendimus in Summulis tract. 1. sect. 3. cap. 3. & in Logica Maiori cap. de Differentia, ac alibi. Minor probatur, quia potentia naturalis dicit inclinationem passi ad formam, vt ad suam perfectionem; violenta repugnantia ad ipsam, & inclinationem ad oppositam eius; neutra verò nec inclinationem, nec repugnantiam ad formam, quam passum recipit; sed hæc sunt opposita, saltem disparata, cum nequeant prædicari de seinuicem; ergo membra diuidentia sunt opposita. Similiter huiusmodi potentiæ euacuant potentiam passiuam adæquatè in ordine ad formam, vel actum, quia aut passum inclinatur ad formam, vt ad sui perfectionem, & sic est naturalis; aut recipit contra inclinationem, vt potè quæ sit destructiua sui, & sic est violenta; aut neutro modo ad illam se habet, & sic est neutra; sed non inuenitur alius modus, quo passum possit respicere formam, vel actum, nec vlla potentia, quæ sit naturalis, violenta, aut neutra, & non contineatur sub potentia passiua in ordine ad formam; ergo huiusmodi membra diuidentia adæquantur cum diuiso, & diuisum cum illis, atque adeò diuisio illa erit bona, ac sufficiens.

Tertia conclusio. Motus Cœli, si aliquo pacto possit dici naturalis, erit ratione principij passiui, quod sit natura. Probatur, quia ille motus, qui procedit ab habente naturam, est naturalis ratione principij; siquidem natura est principium motus ex Aristotele 2. Physic. t. 3. sed motus Cœli est huiusmodi; quandoquidem procedit à corpore cœlesti, quod constat ex materia, & forma, vt probauimus in 1. Physicorum disp. de Materia; ergo ab habente naturam. Consequentia patet ex q. 1. & 2. huius disput. vbi probatum fuit cum Aristotele materiam, & formam esse naturam vniuocè.

Quarta conclusio. Motus Cœli ratione termini, non est naturalis, nec violentus positiuè, sed neuter dumtaxat. Est constans sententia Scoti in 2. d. 2. q. 6. O. Et in 4. d. 48. q. 2. O. Probatur, quia ille motus est neuter, & non naturalis, aut violentus, ratione termini, qui non terminatur ad aliquem locum naturalem, vel violentum, sed tantum ad neutrum mobili, patet ex 3. not. sed motus Cœli, ratione termini, est huiusmodi; ergo est dumtaxat neuter, & non naturalis, nec violentus. Minor probatur, quia si motus Cœli terminaretur naturaliter in Oriente, tunc Cœlum moueretur violenter ad Occidentem, vel si naturaliter moueretur ad Austrum, violenter quiesceret in Septemtrione, seu Aquilone; sed consequens est falsum, alioquin esset destructibile in potentia propinqua; ergo dicendum est ad nullum terminari, aut naturaliter, aut violenter, sed ad omnem

nem

nem se habere neutraliter.

Ex his infertur, tanquàm corollariũ, Cœlum esse in potentia naturali respectu sui motus, in potentia autem neutra respectu termini motus. Colligitur ex Scoto in 2. dist. 2. quæst. 9. & in 4. dist. 48. q. 2. N. in quibus locis concedit motum Cœli dicere aliquam perfectionem eiusdem, sicut motus Angeli est de aliquali perfectione eius. Probatur prima pars, quia potentia naturalis est, cum passum mouetur ad formam ipsum perficientem, vt superiùs diximus cũ Scoto not. 1. & 2. sed motus cœli est de aliquali perfectione eius, vt dicit Scotus in 4. d. 48. q. 2. N. 5. Ad aliud dico &c. ergo celum ad ipsum est in potentia naturali. Secunda pars probatur, quia cœlum ad nullũ locum determinatè inclinatur, aut ad oppositum alicuius; ergo est in potentia neutra ad omnes partes sphæræ. Nec valet dicere cum Mastrio ex Scoto in 2. d. 1. q. 5 H. & in 4. d. 49. q. 6. sub A. Cœlum esse in potentia indifferenti ad motum, & quietem, & hoc ab intrinseco, quia huiusmodi potentia non est, aut naturalis, aut neutra, vt naturale, & neutrum opponuntur, sed est indifferens ad vtramq; negatiuè, adeò vt dicat non repugnantiam ad esse sub alterutro, & sub neutro illorum, quæ nequit constituere alterum membrum potentiæ passiuæ, quæ sit aut naturalis, aut violenta, vel neutra, cùm in qualibet istarum sit ratio positiua, & non tantum negatiua, aut repugnantia: superest igitur, vt concludamus cum Doctore subtili, potentiam cœli ad motum circularem esse aliqualiter naturalem, & ad terminum motus esse simpliciter neutram.

Obijcies primò contra primam conclusionem: Non datur potentia neutra actiua, etiam secundum Scotum in Prologo q. 1. L. ergo nec passiua. Consequentia patet, quia potentia passiua habet proportionari actiuæ, sed non datur actiua, quæ sit neutra; ergo nec passiua.

Respondetur negando consequentiã, ad probationem dico, veram esse maiorem de potentia comparata ad agens, non de potentia comparata ad formam; modo potentia passiua neutra desumitur in ordinem ad formam.

Contrà, quia nomine potentiæ neutræ, aut intelligit Scotus potentiam ad genus determinatam, & indeterminatã ad speciem, aut meram negationem potentiæ, sed neutrum est dicendum; ergo non potest admitti hæc potentia neutra. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur; non potest Scotus intelligere primum, quia secundum ipsum in 1. d. 1. q. 1. ad 5. materia prima est determinata ad formam in communi, & indeterminata ad formas in particulari, & tamen non est in potentia neutra, sed naturali ad illas: Nec secundum, quia sic non esset potentia, sed negatio potentiæ.

Respondetur aduersarios non benè callere opinionem Doctoris subtilis; siquidem nomine potentiæ neutræ, non intelligit ipse potentiam indeterminatã ad hanc, vel illam formam, vt non benè explicatur à quodam Scotista, alioquin potentia naturalis, & neutra aliquando coinciderent, quod est omninò falsum secundum Scotum, diuidentem potentiã passiuam in ordine ad formam, in naturalem, violentam, & neutram, vt in membra disparatè opposita; sed nomine potentiæ neutræ innuit Doctor meram capacitatem subiecti in ordine ad vnam, & eandem formam absque inclinatione, & resistentia, adeò, vt ly neutrum neget tantummodò inclinationem, & oppositionem ad formam, non verò capacitatem in subiecto ad illam.

Obijcies secundò, quia omnis potentia respicit actum per se ex Aristotele 9. Metaphysic. tex. 13. aut ergo respicit illum per se primo, aut per se non primo, aut oppositum; si detur primum, & secundum, sic est potentia naturalis; si verò tertium est potentia violenta; ergo omnis potentia respiciens actum erit, vel naturalis, vel violenta, & nulla quæ sit neutra.

Respondetur negando antecedens;

est enim insufficiens diuisio; quandoquidem potentia respiciens actum, aut respicit illum cum inclinatione, & sic est naturalis; aut cum resistentia, & est violenta; aut cum negatione vtriusque, & sic erit neutra, vt patet de quantitate, quæ respicit albedinem, & nigredinem absque inclinatione, & resistentia, cum sola capacitate vtramque recipiendi, & sic neutraliter.

Obijcies tertiò ex Mastrio de Cœlo disput. 2. quæst. 4. art. 2. contra tertiam conclusionem: Dicere motum Cœli esse naturalem ratione principij, & non ratione termini, inuoluit repugnantiam; ergo hic dicendi modus non est sustinendus. Antecedens probatur, quia aptitudo intrinseca naturalis, cum sit relatio transcendentalis, respicit aliquem terminum, ergo motus proueniens ex tali aptitudine naturali, si habet dici naturalis ratione principij, debet quoque dici talis, etiam ratione termini, sed hoc negatur in conclusione quarta; ergo etiam negari debet, quod sit naturalis ratione principij. Nec potest dici, terminum illius aptitudinis naturalis esse motum, & non aliquod vbi: Tum quia motus non est propter se appetibilis, cum sit via ad terminum, à quo habet perfectionem; Tum etiam, si motus esset per se primo intentus, iam per alium motum esset acquisibilis, & sic daretur processus in infinitum; ergo si motus habet dici naturalis ratione principij, debet habere, vndè dicatur naturalis etiam ratione termini.

Respondetur negando antecedens, ad probationem dico, supponere vnum falsum, motum Cœli, dici nimirum naturalem, ratione principij, ex eo quod ad ipsum sit aptitudo naturalis in Cœlo, vt mobili; siquidem appellatur talis dumtaxat, quia procedit ab ipso, vt ab habente naturam, cum negatione tamen inclinationis, aut resistentiæ ad aliquem terminum, & sic patet, quomodo dicatur naturalis ex parte principij, & neuter ex parte termini. Et quamuis possemus dicere esse aliquo pacto naturalem, quia ad ipsum inclinetur Cœlum, vt ad aliqualem sui perfectionem, nullum erit inconueniens affirmare, esse per se, non tamen primo intentum à mobili; nec indè sequi fore acquisibilem per alium motum, quia hoc tantum esset, quando per se primo intenderetur à Cœlo.

Obijcies quartò contra quartam conclusionem diuersas auctoritates Aristotelis: nam lib. 1. de Cœlo tex. 5. & lib. 3. t. 1. Et de partibus Animal. cap. 5. Et 8. Met. t. 1. & 2. inquit, motum Cœli esse naturalem; ergo non neuter.

Respondetur omnes, & similes auctoritates explicandas esse de naturalitate se tenente ex parte principij, non tamen ex parte termini; siquidem nullibi dicit apertè, motum Cœli esse naturalem, sed solum Cœlum esse naturam, ac proindè inferri potest, eius motum esse naturalem, vt potè procedentem ab habente naturam.

Contrà, quia ipse 4. Physicorum t. 67. ait, omnem motum esse, aut naturalem, aut violentum, sed motus Cœli non est violentus ratione termini; ergo erit secundum Aristotelem, naturalis.

Respondetur maiorem esse veram accipiendo violentum negatiuè, quia sic non distinguitur, immò inuoluit neutrum, non tamen de violento positiuè, quia sic inter naturale, & violentum datur medium, quod est neutrum; potest ergo dici motus cœli violentus negatiuè, vt sit positiuè neuter.

Obijcies quintò. Cœlum, quantum est ex se, est inclinatum ad quietem localem; ergo motus eius ab intrinseco, non solùm est naturalis ex parte principij, sed etiam ex parte termini. Antecedens probatur, quia etiam secundum Aristotelem, vt obseruat Scotus in 2. dist. 1. quæst. 5. N. perpetuitas motus in Cœlo, non prouenit ab intrinseco, sed ab intelligentia, necessariò ipsum mouente; ergo ab intrinseco, sicut prouenit à natura, tanquam à principio motus, & quietis, huiusmodi motus erit naturalis, etiam ex parte termini, & non tantum ratione principij.

Respondetur ad antecedens, quod sit

verum

verum ex parte principij, hoc est dicta, sicut natura, quæ est in cœlo, est principium motus eiusdem, ita etiam esset principium quietis, si haberet locum determinatum, in quo quiesceret; nec indè sequi esse motum naturalem ex parte termini, sed solum posse esse talem, si haberet locum, in quo quiescere valeret naturaliter, idest cum inclinatione ad ipsum.

Dices cum Theologis; Post iudicium vniuersale cessabit motus cœlorum; ergo si ab intrinseco, & principiatiuè cœli sunt inclinati ad quietem, tunc temporis erit sibi naturalis, etiam ex parte termini.

Respondetur negando consequentiam, quia, vt aduertit Scotus in 4. dist. 48. quæst. 2. E. cùm cœlum sit figuræ sphericæ, & habeat partes circulares, sicut non potest moueri naturaliter ad aliquam partem, quin ab ea recedens, & accedens ad oppositam, intelligatur moueri violenter ad illam, sic vbi quiesceret naturaliter secundum vnam partem, intelligeretur violenter quiescere sub opposita illius, & sic non esset quies naturalis, nec violenta, sed ex illis mixta, quod inuoluit repugnantiam in toto cęlo, cùm posset dici, quod cathegorematicè simul quiesceret naturaliter, & violenter, cum inclinatione, & absque illa.

Vtrum ars valeat efficere opera naturæ? Et an forma artificialis, sit quid absolutum, vel respectiuum?

QVÆSTIO IV.

ARtem æmulari opera naturæ, at nequaquam illa efficere posse, docuerunt multi ex Philosophis, & Theologis, vt Abulensis in Exodum cap. 7. q. 10. Ægid. Roma quodlib. 3. q. 8. Auerroes lib. 1. de Generat. Conciliator different. 209. & Paracelsus lib. de Philosophia.

Oppositam tamen sententiam docuit D. Thomas 2. 2. quæst. 77. art. 2. ad 1. Albertus Magnus, Auicennas, & alij, quos refert & sequitur Martinus Delrius disquisit. Magicarum lib. 1. cap. 5. q. 1. sect. 2. eamdem opinionem tutati sunt, posse nimirum per artem chymicam fieri verum aurum, & per alias artes quædam alia opera; Cæterùm, de facto loquendo, nonnulli asserunt; alij verò dubitant, vt videre est apud Pererium lib. 2. Philosoph naturalis disp. de Magia, & Valentiam in 2. 2. D. Thomæ disput. 6. q. 13. puncto 2.

Circa secundam partem quæstionis de entitate formæ artificialis est etiam lis inter Doctores; siquidem Albertus de Saxonia, & Pererius in lib. 2. Physicorum sustinent, huiusmodi formam non esse quid distinctum à substantia rei naturalis: At Scotus in 4. dist. 12. quæst. 4. F. docet formam, & figuram artificialem superaddere quantitati rei naturalis relationem realem distinctam realiter ab ipsa, quæ non est nisi ordo partium rei naturalis ad se inuicem, vel terminorum includentium partes. Quid autem sit nobis dicendum in hac perdifficili difficultate, quibusdam adnotatis, nostram aperiemus sententiam.

Primò igitur notandum est: Artem efficere posse opera naturæ possumus intelligere tripliciter, scilicet immediatè, & principaliter, vel mediatè, & secundario, aut saltem modaliter. Primo modo est in intelligibile, quandoquidem ars medica ex se, absque medicaminibus nequit præstare sanitatem infirmo, cum illa sit spiritualis, & sanitas corporalis, & physica: similiter forma artificialis, cum sit quid respectiuum, vt mox videbimus, non potest efficere opera naturæ, quæ sunt absoluta. Secundò modo, non solum est possibile, sed de facto, ars, applicando actiua passiuis, vt igni stupam, pharmaca, & medicamina ægrotis, optimè molitur opera naturæ, comburendo stupam, sanando, & occidendo homines, quæ sunt opera naturæ. Tertiò modo etiam ars potest efficere opera naturæ, quandoquidem motus progres-

ficus est opus naturæ; at quod mobile moueutur progrediendo, retrogradiendo, circulariter, seu tortuosè, cum quadam agilitate, ac moderamine saltando, circumcursando, sunt opera artis saltandi, & non naturæ solùm, alioquin omnes habentes naturam sic nossent saltare, & choræas ducere, quod est contra experientiam.

Secundò notandum: Artem chymicam posse verum aurum efficere posset quis intelligere dupliciter vno modo ex se, & immediatè, itaut ars moliatur aurum absque alio adiutorio naturæ, & sic est impossibile; Tum quia ars est habitus, vel actus spiritualis, & aurum materiale, & physicum; Tum etiam, quia ars est accidens, aurum verò substantia, modo accidens, cum sit imperfectius à toto genere, nequit generare substantiam: Alio modo cum adiutorio naturæ, applicando nimirum actiua passiuis, vt mercurium, vel sulphur, aut aliam materiam chymicam quibusdam herbis; & hoc adhuc dupliciter intelligi potest, vel de possibili, vel de facto; priori modo non repugnat, quia virtus herbarum, lapidum, & metallorum potest communicari hominibus, sicut de facto fuit infusa Angelis, & hac stante possent homines applicare actiua passiuis, & ita aurum verum, quod de facto gignitur virtute Solis in terræ visceribus, posset educi ex talibus materijs vi ignis in fornaculis reclusis, etiam minori tempore, quàm operetur virtus Solis. Posteriori verò modo, non posse fieri verum aurum, probabiliùs existimandum est; Tum quia virtus necessaria actiuorum, & passiuorum homines latet; Tum etiam, quia vsque ad præsens nullus inuentus sit, qui per artẽ chymicam verum cuderit aurum; & si quid simile referatur de Arnaldo de Villanoua, Raymundo Lullo, & alijs, hoc potius adscribendum Dæmonibus, virtute quorum operati sint, quàm veræ arti chymicæ humanitùs acquisitæ.

Tertiò notandum: Formam artificialem dupliciter considerari posse, vno modo fundamentaliter, & sic non distinguitur à rebus, naturalibus, sed est quælibet pars ordinata in toto: Alio modo formaliter, & sic est respectus, vel ordo partium in seinuicem, & in toto; vt domus fundamentaliter sunt lapides, ligna, cementum, ferrum, ex quibus ædificatur; formaliter verò connexio, & ordo illarum partium, vt nimirum fundamentum ponatur in imo, parietes superædificentur, & in fastigio desuper ponatur tectum. Ex quibus infertur, quod forma artificialis fundamentaliter sit quid absolutum, formaliter verò quid respectiuum.

Quartò notandum est, quod valdè differunt inter se forma artificialis, & ars; quandoquidem ars est habitus intellectualis cum recta ratione factiuus, idest recta ratio rerum à nobis factibilium per artem; forma verò artificialis est ipsa res factibilis per artem, idest ordo partium, & earundem dispositio educibilis de potentia rerum naturalium, vt patet de forma scamni, vel cathedræ, quę per artem educitur de potentia ligni.

Ex his sit prima conclusio. Ars, & forma artificialis ex se, & immediatè efficere nequeunt opera naturæ. Est communis apud omnes. Probatur prima pars de arte, quia nullum spirituale, & accidentale potest efficere materiale, & physicum, sed ars est accidens spirituale, cum sit vnus è quinque habitibus intellectualibus, & opera naturæ sunt materialia, & vt plurimùm, substantialia; ergo ars ex se nequit efficere opera naturæ. Maior patet, quia agens, & passum debent communicare in materia ex Aristotele 3. Physicorum t. c. 12. sed res spirituales, & materiales, accidentia, & substantiæ, non communicant in materia, vt est de se notum; ergo &c. Secunda pars de forma artificiali etiam probatur, quia nullum respectiuum potest ex se causare aliquod absolutum; siquidem relationes (saltem physicè loquendo) sunt de genere sterilium, sed forma artificialis formaliter sumpta est quid respectiuum, & opera naturæ sunt res absolutæ,

vn

vt diximus in tertiò not. ergo forma artificialis ex se nequit efficere opera naturæ.

Secunda conclusio. Possunt tamen illa efficere mediatè, applicando actiua passiuis, & quo ad modum quemdam. Est contra Auctores citatos pro prima sententia. Probatur, quia Medici per medicinam applicant medicamenta ægrotis, & illos sanant; similiter Villicus per artem ruralem applicat semina terris, & nascuntur grana; sed huiusmodi sunt opera naturæ; ergo &c. Secunda pars probatur, quia saltatores, quamuis non causent motum in entitate (hoc enim est effectus solius naturæ) tamen efficiunt motum, quo ad modum, vt dictum est not. 1. ergo &c.

Tertia conclusio. Ars chymica, quamuis de facto sit valdè dubium, vt possit efficere opera naturæ, verum aurum cudendo, de possibili tamen non repugnat, vt valeat huiusmodi opera moliri. Probatur prima pars à posteriori, quia per artem chymicam hactenus, verum aurum fuisse factum, est valdè dubium, vt multis refert probatum Delrius citatus sect. 3. & 4. Tum quia ars chymica, quæ præ manibus habetur, ob eius inscitiam, ac vanitatem damnatur à Ioanne XXII. in sua Extrauaganti *Spondent*, subijciendo alchymistas infamiæ, & solutioni pecuniæ ad arbitrium Iudicis. Tum etiam, quia huiusmodi homines sunt suspecti de consortio Dæmonis; quandoquidem vbi multum in vanum laborauerint, ne in totum operam perdant, & oleum, recursum habent ad Diabolum, ineundo pactum tacitum, vel expressum cum illo; adeò vt de illis possint inquirere, ac eos, vt suspectos in fide punire Inquisitores fidei, testatur, præ alijs, Nicolaus Eymericus in suo Directorio parte 3. fol.43. edit. Romanæ. Tum tandem, quia ipsi Chymici sunt ita varij in exercenda huiusmodi arte in decernenda materia, ex qua aurum confici possit; siquidem alij ponunt esse cinerem ex terra genitum, & aqua mistum; alij vitriolum, plerique sulphur, & argentum viuum; nonnulli arsenicum; & alij diuersas alias materias, vt vix credi possit, neutiquam Sciri, artem chymicam esse vnam, vel plures, quibus fieri possint decantatæ metamorphoses; cùm igitur effectus veri, ac reales exposcant causas identidem certas, veras, & reales; non item dubias, & incertas. concludendum est, hactenus huiusmodi effectus haberi non potuisse, & si quandoque aurum arte confictum legatur, id, non nisi Dæmonum peritia, accidisse, non autem hominum industria, ac labore. Secunda pars probatur ex Delrio citato sect. 1. & 3. quia vbi nulla adest repugnantia, id esse possibile certum est; sed quod per artem chymicam possit confici verum aurum, nulla adest repugnantia; ergo &c. Minor probatur, quia viuentia sunt perfectiora non viuentibus, & in animis; sed per artem aliquam, multa animalia generari possunt; ergo multò magis per artem chymicam poterit confici aurum verum, quod est imperfectius, & inanime. Minor probatur, quia ignis, arte applicatus ouis in Cayro Aegypti, educit ex illis pullos, non minus, quàm si fouentur calore naturali gallinæ: similiter bombyces nascuntur ex ouis mamillis mulierum applicitis; scorpiones fiunt ex herba basilico, certis in locis collocata; scarabæi, vespæ, & crabrones oriuntur ex cadaueribus, & stercore animalium vacæ, & equorum, vt refert Perrerius lib. de Magia quæst. de Alchimia; ergo etiam ars chymica, si applicet actiua passiuis, poterit ex tali, vel tali materia educere formam auri, quæ à toto genere est imperfectior huiusmodi viuentibus animalibus. Confirmatur, quia Dæmones, applicando actiua passiuis, possunt multa efficere, quæ natura possibilia sunt, refugiunt tamen de facto humanas voces; ergo etiam homines, si doceantur à Dæmonibus perfectam artem chymicã, poterunt ipsa vti, & efformare aurum verum. Antecedens probatur, quia transmutatio illa virgarũ in serpentes, & è conuersò, per magos

Ægyptios facta arte dæmonis, fuit naturalis, vt dicit D. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 7. & Dæmones huiusmodi mirabilia operando, non exeunt limites naturæ, sed tantum operantur applicando actiua passiuis, vt Alensis 2. p. q. 43. D.Thom. 1.p. q.114. D. Bonauent. in 2. d 7. & Scotus d. 8. q. vnica testantur; ergo Dæmones, applicando actiua passiuis, possunt multa facere, quæ refugiunt captum hominis de facto. Consequentia patet, quia si de facto talia nō operantur homines, hoc prouenit ex eorum ignorantia, quia nesciunt applicare, sicut faciunt Dæmones, actiua passiuis; ergo si ab ipsis doceantur, poterunt & ipsi eadem facere: ac proindè nullam inuoluit implicantiam, vt per artem chymicam possit fieri opus naturæ, aurum verum nempè efficiendo.

Quarta conclusio. Forma artificialis formaliter sumpta, est quid respectiuū, & realiter distinctū à subiecto. Est Scoti in 4.d.12.q.4.F. Probatur prima pars, quia ordo non dicit nisi respectum ordinatorum adinuicem; sed forma artificialis est ordo artificiatarum partium adinuicem; ergo forma artificialis è respectus, seu quid respectiuum. Secunda pars probatur, quia quæ abinuicem separantur, distinguuntur realiter; sed talis forma de facto separatur realiter à partibus, vt patet in destructione domus, aut alterius artificiati; ergo forma artificialis distinguitur realiter à subiecto.

Obijcitur contra primam conclusionem, quia Philosophus 1.de Anima tex. 44. narrat quædam mirabilia arte facta, scilicet statuā ligneam Veneris per Dædalum confectam, huc, atque illuc discurrere infundendo argentum fuisse; horologia conficere cursum 24. horarū spatio; spheram ligneam concentum edere, ac Cœlorum orbes; sed hæc sunt opera naturæ, & illa sunt arte facta; ergo ars ex se potest efficere opera naturæ.

Respondetur huiusmodi motus posse considerari, & in entitate; & quo ad modum: Priori modo sunt opera rerum naturalium substantium artificialibus formis; posteriori verò sunt artis effectus.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram de statua, horologijs, & sphera, vt naturalia sunt, non tamen de illis vt artefacta sunt formaliter, & in entitate, sed tantum quo ad modum quendam, quia sic ars nequit efficere opera naturæ in entitate, sed tantum quo ad modum.

Obijcitur secundò. Si per artem chymicam non posset de facto verum aurū fieri, sequeretur illam in suis operationibus posse frustrari; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Maior patet, quia finis illius artis est verum aurum efficere; ergo si non consequeretur intentum, posset frustrari in suo fine. Minor probatur, quia natura frustrari nequit suo fine ex Aristotele 1.de Cœlo t. 32. & lib. 2. t. 50.& 59. Et 3. de Anima t. c. 43. ergo nec ars. Consequentia patet, quia ars imitatur naturam; ergo si natura frustrari nequit, idem dicendum est de arte.

Respondetur negando minorem: Ad probationem negatur consequentia: Ad probationem dico, artem imitari naturam quo ad modum, non tamen quo ad causalitatem, & efficientiam, quia sic deficit ab ipsa, in tantum vt sine ipsa quicquam efficere valeat.

Vel dicendum, artem imitari naturam etiam efficienter cum ipsa, dum perfectè retinetur ab vtente, non tamen si ipsa imperfectè possideatur, vt de facto dicendum est de huiusmodi arte chymica.

Obijcitur tertiò contra quartam conclusionem. Qualitas non est quid respectiuum, sed absolutum; sed forma artificialis est de quarta specie qualitatis; ergo est quid absolutum, & non respectiuum.

Respondetur ex Doct. subtili in 4. d. 6. q.10. N. Maiorem esse veram de qualitate essentiali, non tamen de modali; modò forma artificialis est qualitas modalis, & ideò non inconuenit formaliter sumptam esse quiditatiuè respectum.

Obijcitur quartò contra secundam partem conclusionis. Si forma artificialis esset distincta realiter à subiecto, sequere-

quæreretur posse annihilari à Deo, ipso subiecto permanēte in esse reali, sed hoc est impossibile; ergo signum est, nō esse realiter ab eo distinctam. Sequela maioris patet, quia quamcunque rem distinctā realiter ab alia, potest Deus conseruare sine illa. Minor probatur, quia effectus formalis, & eius causa sunt inseparabiles, sed artefactum est effectus formalis formæ artificialis; ergo, ipso permanente, nequit auferri forma artificialis.

Respondetur, transacta maiori, negando minorem: Ad probationem dico, minorem esse veram de artefacto, & forma artificiali formaliter sumptis, & hæc non posse separari abinuicem per aliquam potentiam, libenter conceditur; falsam tamen de forma artificiali formaliter accepta, & artefacto fundamentaliter sumpto, quia sic non se habent, vt causa, & effectus formalis, sed solum vt accidens relatiuum, & eius subiectum, seu fundamentum, quæ non inconuenit separari, cùm inter illa nulla sit dependentia essentialis.

Quomodo scientia, seu consideratio naturalis, & mathematica conueniant, & differunt inter se.

SVMMA II.

Declarato in præcedenti Summa quid sit natura, & quibus conueniat, in præsenti intendit Philosophus ostendere qualiter scientia de natura, & mathematica conueniant, & discriminentur à seinuicem; & diuiditur in duo capitula, in quorum primò ponit tres conclusiones, & in secundò duas, soluitque nonnullas difficultates.

Quo ad primum ponit primam conclusionem in t. 16. dicens: De eodem considerat Mathematica, & Physica: & probat eam dupliciter: Primò, quia Mathematica considerat lineas, superficies, & corpora; sed hæc etiam considerantur à Physica; siquidem corpora naturalia sunt longa, lata, & profunda; sed hæc considerantur à Physica; ergo de eisdem considerat Mathematica, & Physica. Secundò probat illam in t. 17. quia Physicus considerat corpora cęlestia, & accidentia sibi conuenientia; cuius enim est considerare subiectum, eiusdem erit considerare passiones ipsum consequentes; sed etiam Astrologus, qui est Mathematicus, hæc considerat, vt patet, ergo circa eadem versantur Physica, & Mathematica.

Secunda conclusio ponitur in tex. 18. Quamuis eadem considerentur ab vtraque facultate, non est tamen eadem cōsideratio, & declarat eam dupliciter: Primò, quia quantitas ab vtraque considerata dupliciter potest accipi: & prout inest corporibus naturalibus illa extendendo secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem; similiter quatenus subesse facit illa motui, & mutationi, generando, corrumpendo, augendo, & diminuendo, & sic spectat ad Physicam, saltem per accidens: alio modo accipitur quantitas secūdum se, & prout abstrahit à subiecto, idest, nec quà itenus inest corporibus naturalibus, nec vt subest motui, & mutationi, & ita consideratur à Mathematica.

Deindè obijcit Aristoteles contra illam, quia tunc Mathematicus falleretur, si consideraret quantitatem abstrahentem à corporibus naturalibus, cùm reuera sit in illis; quandoquidem considerans rem aliter, quàm sit, fallitur, vt probat ipse 7. Metaphysicorum t. 12. ergo si cōsiderat quantitatem debet illam scrutari eodem modo, ac Physicus.

Respondet negando consequentiam; non enim considerat illam abstrahentem diuisiuè à corpore naturali, quia sic falleretur, cum reuera sit in illo subiectiuè; sed tantùm præcisiuè, hoc est, considerat naturam quantitatis, non considerando naturam corporis naturalis, quamuis subiectetur in illo, & in tali consideratione non est falsitas; abstrahentium quippè huiusmodi non est mendacium.

Ex hoc infert in t. 19. Propter Physicam non esse ponendas ideas à rebus abstractas; siquidem idea abstracta à rebus est quiditas ab eis abstracta realiter præ-

ter operationem intellectus, vt humanitas ab hominibus, equinitas ab equis; cæterùm physica non abstrahit à rebus materialibus; ergo propter physicam non sunt ponendæ ideæ separatæ à rebus.

Ex his infert tertiam conclusionem in eodem textu, scilicet Mathematicam differre à Physica, quàm declarat, ac probat duabus rationibus. Prima, quia illæ scientiæ differunt, quæ diuersimodè diffiniunt; quandoquidem modus considerandi sumitur à modo diffiniēdi; sed Mathematica, & Physica sunt huiusmodi; ergo &c. Minor probatur, quia in diffinitionibus physicis ponitur, vt in pluribus, motus, vt patet in diffinitione naturæ; sed in diffinitionibus mathematicis non ponitur motus, vt videre est in diffinitione lineæ, superficiei, & corporis, vt sunt species quantitatis continuæ; ergo &c.

Secundam rationem ponit in t. 20. dicens, quod scientiæ mediæ inter Mathematicam, & Physicam, ideò distinguuntur à Mathematica, quia conueniunt cum Physica; ergo Mathematica, & Physica differunt. Antecedens declaratur; Perspectiua enim differt à Mathematica, non quia considerat lineam, sed quia eam vt visualem considerat; sed visualitas spectat ad Physicam; ergo distinguitur à Mathematica, quia conuenit cum Physica.

Quo ad secundum capitulum in t. 21. ponit vnam conclusionem dicens, Physicum debere considerare de materia, & de forma: Tum Physicus debet considerare de natura, & de omni contento sub ea, sed materia, & forma continentur sub natura, vt probauit superiùs Sum. 5. cap. 6. & 7. ergo &c. Tum quia consideratio physica est sicut consideratio simi; sed consideratio simi est de materia, & forma; ergo &c. Maior patet, quia sicut non abstrahit à naso, cum ponitur in eius diffinitione, sic nec Physicus abstrahit à materia. Minor similiter patet, quia simitas diffinitur per nasum, vt per materiam.

In tex. 22. mouet duas dubitationes, quas soluit, ponendo secundam conclusionem, quod nimirum ad eandem scientiam physicam pertinet considerare de materia, & de forma; & probat illā quadrupliciter, & primò à simili in artificialibus, in quibus idem considerat materiam, & formam; nam idem medicus considerat sanitatem, quæ est forma; & coleram, & flegma, quæ sunt materia; similiter idem ædificator considerat formam domus, & lapides, cementum, ligna, & cætera, quæ sunt materia domus.

In tex. 23. probat secundò eandem conclusionem: Eiusdem scientiæ est considerare finem, & media; sed forma est finis materiæ; ergo &c. Maiorem probat, quia habitudo, cum sit relatio non cognoscitur sine extremis; sed ea, quæ sunt ad finem, dicunt habitudinem ad finem; ergo &c. Minorem probat, tum quia forma est vltimum motus propter quod materia disponitur; siquidem ignis disponit materiam ligni, vt in illam inducat suam formam; ergo forma est finis materiæ; (*T. 24. & 25.*) Tum etiam quia in omnibus artibus, forma est finis, gratia cuius in qualibet præparatur materia conueniens, vt patet inductiuè; ergo etiam in naturalibus forma erit finis materiæ.

In t. 26. probat tertiò eandem conclusionem secundam, quia eiusdem scientię est considerare correlatiua; siquidē sunt simul naturali intelligentia; sed materia, & forma sunt correlatiua; ergo &c. Minor probatur, quia materia est informabilis; forma verò informans; sed informabile refertur ad informans; ergo materia, & forma sunt correlatiua.

Denique probat quartò eandem conclusionem, quia ad eandem scientiam spectat considerare principia, & causas, vt substant motibus, & mutationibus; sed materia, & forma, cum sint naturæ, sunt principia, & causæ motuum, & mutationum naturalium; ergo ad eandem Physicam pertinet considerare materiam, & formam.

De

De scientijs medijs inter Physicam, & Mathematicam.

DISPVT. II.

Vtrum scientia media magis participent de Naturali, quam de Mathematicali scientia.

QVÆSTIO VNICA.

Diuus Thomas 2. Physicorum ad tex. 20. quem postea sequuti sunt Ferrariensis, & Conimbricenses, docet sciētias medias esse magis mathematicales, quam naturales.

Cæterùm *Burleus super citato t. 20.* quem videntur secuti Albertus de Saxonia q. 8. & noster Aretinus in Annotat. ad Philosophiam, quam dicunt Scoti q. 6, art. 4. sustinet oppositum, nempè, quod huiusmodi scientiæ mediæ magis participent de Physica, seu naturali scientia, quam de Mathematica, cui & nos libenter subscribimus, vndè pro intelligentia.

Primò notandum est ex Aristotele 6. Met. t. 2. & 3. scientiam realem speculatiuam diuidi in Naturalem, Mathematicam, & Diuinam, seu Metaphysicam. Naturalis est, quæ contemplatur res naturales, idest subiectas motibus, & mutationibus; & talis dicitur Physica à physios, verbo græco, quod idem est, ac natura. Mathematica speculatur quantitatem, tum continuam, tum discretam, abstractam tamen à materia. Diuina verò, seu Metaphysica considerat omnia entia abstracta, & separata à singularibus. Mathematica verò est duplex; quædam est purè mathematica; quædam verò mixta ex mathematica, & naturali. Prior considerat tantum quantitates, vt abstractas à rebus materialibus; & hæc est duplex, scilicet Geometria, quæ versatur circa quantitatem continuam; & Arithmetica, quæ contemplatur quantitatem discretam. Posterior autem est cuius subiectum attributionis participat de subiecto mathematicæ, & naturalis, qua ratione dicitur etiam media inter illas, & diuiditur in Astrologiam, Musicam, & Perspectiuam. Prima considerat magnitudines syderum, & astrorum, vt subijciuntur motui. Secunda numeros contractos ad sonoritatem, & concentum. Tertia lineas vt visuales sunt. De his tribus igitur, quæ appellantur mediæ quæritur: An magis participent de Mathematica vt Mathematicæ; vel de Naturali, vt Naturali adscribi debeant.

Secundò notandum est, subiectum scientiæ esse duplex, scilicet materiale, & formale. Materiale est res considerata in scientia; Formale verò est ratio, sub qua consideratur subiectum materiale; vt in proposito subiectum materiale Astrologiæ est magnitudo; formale mobilitas: Musicæ materiale est numerus, formale verò sonoritas, seu harmonia, vel concentus: Perspectiuę autem materiale subiectum est linea; visualitas verò formale: cùm igitur subiectum formale sit nobilius materiali; siquidem ab eo sumitur specificatio cuiuslibet scientiæ; & subiecta formalia scientiarum mediarum sint naturalia, vt potè consequentia tes naturales, concludendum est, huiusmodi scientias medias, potius physicas, & naturales, quam mathematicales appellari debere.

Tertiò notandum est, pro solutione argumentorum oppositæ sententiæ, sciētias huiusmodi esse magis naturales, quā mathematicas adhuc posse dupliciter intelligi, vno modo ratione subiecti formalis, alio modo ratione modi procedēdi. Ratione primi sunt magis naturales, quia mobilitas, visualitas, & sonoritas, seu concentus sunt res naturales: cæterùm ratione secundi sunt magis mathematicales, quia habent principia euidentissima, sicut scientiæ purè mathematicæ, quibus subalternantur, vt diximus in 1. Posteriorum, dum egimus de subalternatione scientiarum.

Ex his fit prima conclusio. Scientiæ mediæ sunt tres. Probatur, quia illæ sciētiæ, quæ participant de naturali, & mathematica dicuntur mediæ; siquidem dicitur medium, quia participat de extremis; sed scientiæ sic participantes sunt

tres,

tres scilicet Astrologia, Musica, & Perspectiua; ergo scientiæ mediæ sunt tres. Minor patet, quia ratione subiectorum materialium participant cum mathematicis, ratione verò formalium cum naturali, vt dictum est not. 1.

Secunda conclusio. Huiusmodi scientiæ mediæ sunt magis naturales, quàm mathematicæ. Probatur primò auctoritate Aristotelis in t.20. dicentis: Demõstrant autem & quæ ex mathematicis magis Physica sunt, vt Perspectiua, & Harmonica, & Astrologia: è contrariò enim quodammodo se habent ad Geometriam: Geometria enim sicut & Physica lineã considerat, sed non quatenus est physica: Perspectiua autem quę mathematica quidem lineam, sed nõ quatenus mathematica, sed quatenus physica est; cùm igitur Astrologia, Musica, & Perspectiua, ex hoc textu, simpliciter se habeant ad Physicam, & quodammodo dumtaxat ad Mathematicam, dicendum est de mente Aristotelis, esse magis naturales, quàm mathematicas. Deindè probatur ratione, quia scientiæ specificantur ab obiectis formalibus, magis quàm à materialibus; sed obiecta formalia scientiarum mediarum sunt naturalia, & materialia mathematica, vt dictũ est in 2. not. ergo huiusmodi scientiæ habent dici potiùs naturales, quam mathematicæ. Maior patet, quia multæ scientiæ conueniunt in subiecto materiali, & solùm distinguuntur per formalia: scientiæ enim reales omnes sunt de ente reali, tanquam de subiecto materiali; cæterùm distinguuntur, vt dicit Aristoteles 6. Metaphysicorum Sum. 1. t.2. quia naturalis considerat ens vt naturale; mathematica ens reale abstractũ à materia ratione; metaphysica verò, vt abstrahit ab ipsa materia re, & rationem simul; quæ sunt obiecta formalia; ergo scientiæ specificantur magis ab obiectis formalibus, quàm à materialibus. Dicitur tamen magis, tum quia sunt nobiliora materialibus; Tum etiam, quia aliquæ scientiæ distinguuntur non tantum per formale, sed etiam per materiale obiectum, vt patet de Philosophia, & Logica.

Obijcitur tamen primò contra primã conclusionem, quia medium componitur ex extremis; sed scientiæ non componuntur, cùm sint accidentia spiritualia; ergo huiusmodi scientiæ nequeunt dici mediæ. Maior patet de colore rubeo, qui, cum sit medius inter nigrum, & album, componitur ex illis.

Respondetur maiorem esse veram de medio intrinseco extremis, non autem de extrinseco; modo istæ scientiæ dicuntur mediæ tantum extrinsecè, ratione subiectorum, quia nimirum participant de subiectis Mathematicæ, & Naturalis, vt declaratum est in not. 1.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionẽ: Tum quia Aristoteles 12. Met. t. 44. numerat Astrologiam inter scientias Mathematicas, & non inter naturales: Tum etiam, quia ferè omnes Doctores vocant illas Mathematicas; ergo signum est, scientias medias esse magis mathematicas, quàm naturales.

Respondetur antecedens esse verum ratione subiectorum materialium, non tamen formalium, quia sic secernuntur à Mathematicis: modò cum subiecta formalia sint nobiliora, & potiora in scientijs; ab illis, & non à materialibus habent sumere denominationem. Ad secundam probationem dico, vocari mathematicas, vel quia antiquitùs simul cum illis addiscebantur, vel quia habent eundem modum procedendi cum eisdem, non tamen simpliciter, quia magis participant de naturali scientia, quàm de mathematica, vt declaratum est.

Obijcitur tertiò. Scientiæ denominantur à principijs, cum ab illis habeant esse effectiuè, sed principia scientiarum mediarum sunt mathematicalia, & non physicalia; ergo &c. Minor probatur, quia Astrologus ad probãdam hanc propositionem: Cœlum est sphericæ figuræ, sumit hoc principium mathematicum, corpus, cuius centrum æqualiter distat ab extremis, est sphęricæ figuræ; sed Cœlũ est huiusmodi; ergo & scientiæ mediæ sumunt sua principia à mathematica, & non à physica, seu naturali.

Respondetur principia scientiarum esse in duplici differentia, quia alia sunt com-

communia, & hæc sumuntur à subiecto materiali; alia verò sunt propria, & hæc formantur à subiecto formali: modò scientiæ, cum procedant ex proprijs, & non ex communibus principijs, vt probat Aristoteles 1. Poster. ab illis, & non ab his habent denominari.

Formaliter ad argumētum dico, maiorem esse veram de principijs proprijs, non verò de communibus; Ad minorem dico, principia scientiarum mediarum communia esse mathematicalia; propria verò physicalia, vt potè, quæ deriuantur ab obiectis formalibus, quæ sunt physicalia, & non mathematicalia. Ad principium illud, quo Astrologus probat Cœlum esse corpus sphericum, dico, esse commune in Astrologia, cum sit desumptum à Geometria, cuius est considerare magnitudines, & figuras; nam si Astrologus probare vellet illam propositionem ex proprijs, assumeret principium à Physica, sic dicendo: Corp⁹, quod est mobile circulariter, est sphericæ figuræ; sed Cœlum est huiusmodi; ergo Cœlum est corpus sphericæ figuræ; quandoquidem mobilitas est passio physica, & est ratio formalis, sub qua consideratur magnitudo corporum cœlestium.

De Causis, & earum Diuisionibus.

SVMMA III.

POstquam Philosophus egit in duabus præcedentibus Summis de Natura, entibus naturalibus, & eorumdem cognitione, prout secernuntur ab Artificialibus, & Mathematicis, intendit in præsenti pertractare de Causis, tàm intrinsecis, quàm extrinsecis, Tùm per se, tum per accidens, ex quibus deriuare dignoscuntur huiusmodi entia, non tantum quo ad esse, verum etiam, quoad cognitionem, & diuiditur in quatuor capita, in quorum primo agit de quiditate, & numero Causarum per se. In secundo de Casu, & Fortuna. In tertio soluit quædam dubia de Causa finali. Et in quarto ostendit ad quam Causam referenda sit necessitas rerum naturalium.

Quo ad primum capitulum ponit tres conclusiones, quarum primam ponit in tex. 27. dicens: Ad Philosophum naturalem pertinet agere de Causis: & probat, quia ad Philosophum naturalem spectat negotium sciendi; siquidem Philosophia est scientia; sed negotium sciendi exigit tractationem de Causis; ergo ad ipsum spectat agere de Causis. Minorem probat, quia scire est rem per causam cognoscere ex 1. Poster. t. 2. & tunc arbitramus vnumquodque cognoscere, cum causas eius nouerimus vsque ad elementa ex hoc 1. Physic. t. 1. ergo negotium sciendi exigit tractationem de Causis.

In tex. 28. ponit secundam conclusionem enumerando quot modis dicatur causa, aitque dici quatuor modis. Primo modo dicitur causa, ex qua aliquid fit, & talis dicitur materialis, vt ex ære statua. Secundo modo dicitur forma, & exemplar, & quod quid erat esse, & talis appellatur causa formalis, quia dat esse rei, idest composito, & conseruat illud in esse. Tertio modo in t. 29. dicitur causa vndè sumitur primum principium motus, & quietis, & talem causam nominat efficientem, vt consultor est causa efficiens consulti, pater filij, & faciens facti. Quarto modo dicitur causa, gratia cuius aliquid fit, & huiusmodi vocatur causa finalis, vt sanitas ambulationis finis est; & hanc diuidit in plures, sicut plures sunt fines, ad vnum ordinati, qui dicuntur fines sub fine; nam collectio herbarum fit gratia medicinæ; hæc verò gratia purgationis, purgatio verò gratia sanitatis, quæ est finis primarius, & principaliter intentus ab agente.

Deinde in t. 30. dicit, tres esse Causarum proprietates, quarum prima est, quòd eiusdem effectus sunt plures causæ per se, non tamen in eodem ordine; siquidè eiusdem statuæ æs est causa materialis, statuarius efficiens, forma causa formalis, & repræsentatio Cæsaris, finalis. Secunda proprietas est, quod causæ sunt sibiinuicem causæ, idest vna est causa alterius, sed tamen in eodem genere causæ, vt laborare est causa efficiens sanitatis

nitatis, sanitas verò finis laboris. Tertia est, quod contrariorum effectuum eadem potest esse causa successiuè, sed diuerso modo, vt præsentia nautæ est causa conseruationis nauis, & eius absentia periclitationis, & naufragij.

In t. 31. subijcit tertiam conclusionem dicens: Omnes causæ reducuntur ad has quatuor: & probat illam inductiuè, vt literæ respectu sillabarum, elementa respectu mixtarum, partes respectu totius; & præmissæ respectu conclusionum reducuntur ad causam materialem, & sic de alijs; ergo omnes causæ reducuntur ad has quatuor.

Ex quo epilogando infert, esse tantum quatuor genera causarum, scilicet Efficientis, Finalis, Materialis, & Formalis.

Denique in hoc cap. à t. 32. vsque ad 38. inclusiuè, enumerat quatuor diuisiones Causarum, quas modos earumdem appellat, & harum prima est: Quod causarum in eodé genere, alia est prior, idest vniuersalior, & alia posterior, idest minus vniuersalis, vt artifex, & medicus: nam artifex comprehendit omnes artifices, & etiam medicum; & medicus medicos tantum. Secunda est: Causarũ, alia est per se, à qua nimirum per se dependet effectus, vt statuarius est per se causa statuæ; alia per accidens, à qua necessariò non pendet effectus, vt Polieletus statuarius; siquidem accidit statuæ, vt fit à Policleto; est enim ab eo solum, vt statuarius est. Tertia est: Causarum, quædam sunt in actu quædam in potentia: Prior est simul cum suo effectu, vt domificator actu ædificans domum. Posterior potest esse absque effectu, vt domificator potens ædificare. Quarta est: Causarum, quædam sunt incomplexæ, vt Policletus, vel statuarius, quædam complexæ, vt Policletus statuarius; complectitur enim causam per se, & per accidens, & ideò dicitur complexa causa; statuarius verò, vel Policletus dicuntur seorsim causæ incomplexæ, quia prior est simplex causa per accidens statuæ, posterior verò simplex per se.

Quo ad secundum caput, in quo agit de Casu, & Fortuna, tàm secundum opinionem Antiquorum, quàm de mente propria, ostendit quid sint Casus, & Fortuna, & quomodo abinuicem differant: vndè in t. 39. ponit hanc conclusionem, quod ad Physicum spectat determinare de Casu, & de Fortuna: & probat, quia ad Physicum pertinet determinare de Causis; sed Casus, & Fortuna sunt causæ saltem per accidens; ergo ad ipsum spectat agere de ipsis.

Probata conclusione, quod ad Physicum spectat determinare de Casu, & Forma, à t. 40. vsque ad 48. exclusiuè recenset tres opiniones Antiquorum circa Casum, & Fortunam, easque pluribus rationibus confutat, quæ omnia libenter omittimus, ne superflua, contra nostrũ institutum offendamus.

Vndè in t. 48. inuestigat diffinitionem Fortunæ, præmittendo tres diuisiones, quarum prima est: Eorum quæ fiunt, quædam fiunt semper, & infallibiliter, vt Ortus, & Occasus Solis; nox, & dies: quædam frequenter, fallibiliter tamen, vt quod homo nascatur cum omnibus suis membris; frequenter enim sic nascitur, quamuis aliquandò oppositum accidat, vt in monstris: quædam fiunt extra semper, & frequenter, idest fiunt rarò, vt quod piscatur extrahens piscem, inueniat aurum in eius ventre.

Secunda diuisio ponitur in t. 49. dum ait: Eorum, quæ fiunt, quædam fiunt propter finem, vt deambulatio propter sanitatem; quædam verò non fiunt propter finem, vt fricatio barbæ, vel gratatio capitis, dum quis speculatur aliquid.

Tertia diuisio subiungitur in eodem tex. dum inquit: Eorum quæ fiunt, quædam secundum electionem fiunt, idest liberè præsupposita cognitione, vt deambulatio propter adipiscendam sanitatem, & illam conseruandam: quædam vero non secundum electionem fiunt, idest naturaliter, nulla præsupposita cognitione, vt descensus lapidis; vel solum præsupposita cognitione sensitiua, cuiusmodi sunt operationes brutorum.

Ex his subdit in tex. 50. quod illa, quæ fiunt per accidens, & rarò, siuè fiant propter finem, siuè non; siuè per electionem, siuè absque illa, dicuntur fieri à Casu,

à Casu, & à Fortuna: quæ autem sint illa, quæ per accidens, & per se fiant, explanabitur in propria quæstione.

Deindè in t. 51. ponit tres conuenientias inter Casum, & Fortunam. Prima est, quod tàm Casus, quàm Fortuna est in his, quæ agunt propter finem, quia si quis vadat in plateam, vt aliquid emat, vel ibi inuisat amicum, offendat autem debitorem, qui sibi soluat pecuniam debitam, talis receptio pecuniæ dicitur esse à Casu, & à Fortuna, cum non fuerit ab eo intenta. Secunda est, quod tàm effectus fortuitus, quàm casualis accidunt, idest eueniunt præter intentionem, vt inuentio Thesauri in fodiente terram ob iacienda semina: vel submersio equi euntis ad fluuium bibendi gratia; siquidem hæc accidunt præter intentionem. Tertia conuenientia, quod effectus vtriusq. fiunt rarò, vt patet de inuentione thesauri, & similibus.

Ex his in t. 52. tradit diffinitionem Fortunæ, scilicet quod Fortuna est in ijs, quæ fiunt rarò propter finem, & secundum electionem, idest Fortuna est causa secundum electionem, ad quā sequitur effectus non intentus rarò, vt rusticus fodiens terram, respectu inuentionis thesauri dicitur agens à Fortuna, cū sit agens liberum, & inuentio thesauri sibi rarò eueniat; vndè sequatur Fortunam reperiri tantum in creaturis ratione, & libertate pollentibus.

Postea enumerat quasdam proprietates Fortunæ à t. 53. vsque ad 56. & prima est, quod Fortuna est immanifesta, non secundum se, sed ratione sui effectus; siquidem causa indeterminata est immanifesta, indeterminatum enim & infinitum idem sunt, sed infinitum est ignotum; ergo Fortuna cum sit agens indeterminatum, est ignota, & immanifesta. Secunda proprietas: A Fortuna fit aliquid, & nihil, fit aliquid per accidens, & nihil per se, quia effectus Fortunæ non est ab ipsa intentus. Ex quo infert, Fortunam esse causam, & non causam; causam quidem per accidens, non causam autem per se, quia ab ea non necessariò dependet effectus; accidit enim vt ab ea eueniat, vt patet de inuentione thesauri. Tertia proprietas: Fortuna est stulta; & sine ratione, quia agens absque intentione finis, sine ratione agit, ac proinde stultus putatur, sed Fortuna, vt talis non intendit finem; patet in fodiente terram, & inueniente thesaurum; siquidē non intendit inuenire thesaurum, sed tantum præparare terram ad recipienda semina; igitur Fortuna est stulta, & insipiens. Quarta proprietas: Fortuna distinguitur in bonam, & malam. Bona est, cum aliquod bonum euenit præter intentum, vt inuentio thesauri. Mala cum malum præter intentum accidit, vt amissio pecuniæ. Item duplex est Fortuna, vnà cum magnum bonum præter intentum euenit, & dicitur Eufortunium; altera cum graue malum præter intentum accidit, & vocatur Infortunium.

Ex hoc infert, dici Eufortunium, vel Infortunium, non tamen cum magnum bonum, vel magnum malum euenit, sed etiam cùm accidit bonum, vel malum considerabilis existimationis, vt inuentio, vel amissio centum aureorum præter intentionem facta; quandoquidem t. 56. quod parum distat, nihil distare videtur.

In tex. 57. ponit discrimen inter Casum, & Fortunam dicens: Casum in plus se habere, quàm Fortunam: nam Casus, nedum est in ijs, quæ agunt secundum propositum, & electionem, vt in hominibus, sed etiam in his, quæ non sic agunt, vt in brutis; Fortuna verò est tantum in agentibus secundum propositum, & electionem, quod probat in t. 58. quia Fortuna est quædam fęlicitas, & homines fortunati appellantur felices; siquidem fęlicitas consistit in actione, quæ fit secundum electionem, vt patet per ipsum 1. Ethicorum c. 7.

Ex his infert in t. 59. Fortunam propriè non reperiri in rebus inanimis, vt in lapidibus, nec in belluis, nec in pueris, nec in amentibus, quia tales non agunt secundum electionem, cum sint rationis expers. Dixi tamen propriè, quia secundum quamdam similitudinem, non inconuenit asserere Fortunam dari etiam in rebus inanimatis; quarè Plutarchus

inquit,

inquit, Lapides, ex quibus confectæ sunt aræ, esse benè fortunatos, eos verò, qui proteruntur, esse malè fortunatos: similiter equi euadentes mortis periculum in prælijs benè fortunati, ij verò, qui mortem incurrunt malè fortunati appellari possunt, saltem passiuè.

Probata minori, quod nimirum Fortuna propriè sit tantum in rebus ratione, & vsu pollentibus, in t. 60. probat maiorem, nempè Casum reperiri etiam in brutis, & inanimatis, quia si equus in prælio sitiens, vadat ad fluuium bibendi causa, & interim euadat mortem, talis sitio dicitur esse à Casu, & à casu pariter saluatus. Similiter si tripos cadens deorsum, stet in pedibus, huiusmodi statio censetur à casu; ergo Casus est etiam in brutis, & rebus inanimatis.

Prætereà in t. 61. & 62. probat iterum illam maiorem, quia Casus est in ijs, quæ fiunt frustra, sed quæ fiunt frustra, fiunt tàm in habentibus intellectum, quàm in non habentibus; ergo &c. Maiorem probat, quia fit frustra, quod fit propter aliquid natum acquiri, quod tamen non acquiritur, idest, quod non fit secundum intentum, sed casus est ille, cui aliquid euenit præter intentum; ergo casus est in his, quæ fiunt frustra. Maior declaratur, quia si quis vadat ad plateam ad inueniendum amicum, & inimicum offendat, à quo occidatur, talis frustra perrexit in plateam, cum non fuerit consecutus finem intentum; atqui talis pollet intellectu, & voluntate; ergo quæ fiunt frustra, fiunt in habentibus intellectum, & voluntatem.

In t. 63. probat frustra reperiri etiam in rebus inanimatis, quia lapis naturaliter intendit descendere, si autem impediatur, & occidat aliquem, talis descensus fuit frustra, cum non sit consecutus finem, & huiusmodi occisio fuit casus, quia euenit occisio præter intentum.

In his omnibus subinfert differentiam inter Casum, & Fortunam, (*T. 64.*) si præsse sumantur, quod Fortuna reperitur tantum in agentibus secundum propositum, & electionem, vt sunt homines adulti, & compotes rationis, ac libertatis: Casus verò in carentibus ratione, vt sunt bruta, & omnia inanimata.

(*T. 65. & 66.*) Explicata natura, tàm Casus, quàm Fortunæ, incipit inuestigare, ad quod genus causæ reduci habeant, & ponit primam conclusionem dicens, esse causas efficientes, quam probat, quia Casus est natura, & Fortuna est intellectus, sed natura, & intellectus respectu suarum operationum sunt causæ efficientes; ergo &c. Maior patet, quia natura, non accipiat pro principio passiuo motus, & quietis, sed pro agente ad vnum modum agendi determinato, similiter intellectus non sumitur pro potentia intellectiua, distincta contra voluntatem, verùm pro agente secundum electionem, & propositum, quod inuoluit intellectum, idest cognitionem intellectiuam; modò agens naturale agit à casu, & agens secundum electionem à fortuna; ergo casus est natura, & fortuna est intellectus. Minor similiter est nota, quia agens naturale efficit motum, & agens liberum producit suas operationes; ergo natura, & intellectus sunt causa efficientes.

In t. 67. ponit secundam conclusioné: Casum nimirum, & Fortunam esse causas posteriores natura, & intellectu, quia causa per se est prior causa per accidens, sed natura, & intellectus sunt causæ per se, saltem respectu sui effectus intenti, & Casus, & Fortuna sunt causæ per accidens, quia effectus ab ipsis non sunt intenti; ergo Casus, & Fortuna sunt posteriores natura, & intellectu.

In eodem tex. ponit tertiam conclusionem: Casus, & Fortuna non sunt causæ Cœli, & probat, quia casus, & fortuna sunt posteriores intellectu, & natura, sed Cœlum, cum sit incorruptibile, est prius, saltem natura, quæ est corruptibilis secundum formam; ergo Casus, & Fortuna non sunt causæ celi.

Denique pro complemento huius secundi capit. quasi epilogando à t. 68. vsq. ad 72. probat, quod ad Physicum spectat considerare de quatuor Causis, sed quia satis superiùs hoc est demõstratum, ideò omittuntur dicti textus; & ad 73. pergimus, in quo ponit illam diuisioné vulgatã mouentium, in mouens non motum, & in

& in mouens motum. Mouens non motum, est, quod caret materia, & forma, quæ sunt principia passiua motus, & quietis, vt est Deus benedictus, & Angeli. Mouens autem motum, est quod habet materiam, & formam, quæ sunt principia quibus, mouendi composito.

Vndè in tex. 74. infert, quod mouens immotum non est physicæ considerationis, cum abstrahat à materia, & forma sensibili; cæterùm mouentia mota pertinent ad physicam, cuius est considerare entia inuoluta materiæ sensibili.

Quo ad tertium capitulũ, in quo Philosophus ostendit, naturam agere propter finem, dimissa opinione Antiquorum, dicentium, naturam agere propter materiam, ponit hanc conclusionem: *Natura agit propter finem*, & probat illam multipliciter. Primo omne, quod fit propter aliquid, fit propter finem, sed quæ sunt à natura, fiunt propter aliquid; ergo &c. Maiorem probat, quia finis est propter quem aliquid fit. Minor est nota, quia quæ fiunt à natura, vel fiunt propter aliquid, vel à casu; siquidem casus est natura, sed non omnia fiunt à Casu, vt patet; ergo propter aliquid.

Secundò probat eandem conclusionẽ in tex. 78. Si domus fieret à natura, eodem modo fieret, sicut fit ab arte; siquidem natura disponeret fundamentum in imo, tectum in summo, parietes, hinc indè in latera consurgentes, sed domus ab arte fit propter finem, vt patet; ergo etiam à materia fieret propter finem.

Tertiò probat in t. 79. quia sicut est in in arte, ita est in natura, sed in arte fundamentum est propter murum, murus propter tectum, & tota domus propter habitationem; ergo idem erit in natura. Maior patet, quia ars imitatur naturam; ergo idem est in natura, sicut est in arte.

Quartò probatur in tex. 80. Animalia bruta agunt propter naturam, sed talia agunt propter finem; siquidem aranea facit telam, vt capiat muscas; ergo &c.

Quintò probatur in t. 81. Agens naturale disponit materiam propter formã, sed forma est finis materiæ, vt probauit suprà; ergo &c.

In t. 82. ponit secundam conclusionẽ: Quamuis in natura fiant monstra, non tamen sequitur, vt natura non agat propter finem, & probat illam dupliciter: Primò, quia ars agit propter finem, sed in arte accidit monstrum, ergo licet in natura fiant monstra, tamen agit propter finem. Minorem probat inductiuè in omnibus artibus, quia Gramaticus scribendo deficit, vbi enim exiguntur duæ lineæ, multoties ponit vnam: Medicus deficit præbendo medicinam infirmo, & sic de alijs; ergo in arte accidit monstrũ. Consequentia patet, quia monstrum est peccatum agentis propter aliquid, vt homo habens duplex caput &c.

Secundò probatur in t. 83. Vbi est ordo inter aliqua, ibi est vnũ propter aliud, vt propter finem, sed in naturalibus est huiusmodi ordo; ergo &c. Minorem probat, quia non statim producuntur plantæ, vel generantur animalia, sed præuijs multis transmutationibus in quibus relucet ordo naturæ mirificus: Medicus enim in sanando incipit à dieta, & hæc ordinatur ad diminutionem humorum, qui superfluunt; similiter in generatione animalis, natura incipit à semine, deindè ipsum ordinat ad embrionem, hunc autem ad organizationem fetus, & istam ad animationem, & vitam animalis.

Tertiò probat, quia id quod fit à Fortuna non fit propter finem intentum, sed præter, quia fit extra semper, & frequẽter, sed ea, quæ fiunt à natura, fiunt semper, & frequenter; ergo &c. Minor patet, quia generationes, & corruptiones fiunt semper, & frequenter, & fiunt à natura; ergo &c.

Objicit denique contra hanc conclusionem in t. 86. quia natura non deliberat; ergo non agit propter finem.

Respondetur negando consequentiã, quia nec etiam ars deliberat, cùm careat ratione, & nihilominus agit propter finem; igitur quamuis natura non deliberet, non propterea negandum est, ipsam posse agere propter finem.

Quo ad quartum capitulum, in quo Aristoteles ostendit, vndè sumatur necessitas in rebus naturalibus, mouet difficul-

ficultatem in t. 87. an sumatur ex fine, vel ex materia? Affert opinionem Antiquorum d'centium, sumi debere ex materia; siquidē in domo, ideò lapides sunt deorsum, quia sunt graues, & ligna sursum, quia sunt leuia.

Cæterùm in t. 88. respondet de mente propria, quod licet materia sit necessaria in factione rei, vt semen in generatione, attamen generatio non fit propter semen, sed propter formam, & conseruationem speciei, quæ sunt finis generationis; probatque huiusmodi necessitatem desumendam esse ex fine, tribus rationibus, quarum prima est: Quia sicut est in artificialibus, ita in naturalibus, sed in artificialibus necessitas sumitur ex fine; ergo etiam in naturalibus. Minorem probat, quia ad interrogationem factam propter quid in artificialibus, respondetur propter finem, vt si quis petat, propter quid serra est dentata? Respondetur propter ligna vt talia diuidat; ergo in artificialibus necessitas sumitur ex fine.

Secunda ratio in t. 89. Sicut se habet principium in speculabilibus, ita finis in agibilibus, sed necessitas in speculabilibus sumitur ex fine; ergo &c. Maior patet, quia sicut principium in speculabilibus debet esse per se notum, ita finis in agibilibus debet esse præcognitus ab agente, vt ab eo moueatur ad actionem. Minor patet, quia quærenti, cur triangulus habet tres, respondetur per principium, quia habet tres angulos æquales duobus rectis.

Tertia ratio in t. 90. Quia ab illo sumitur necessitas per quod fit demonstratio, sed finem demonstratur materiam esse; ergo non ex materia, sed ex fine sumitur necessitas. Maior patet, quia ideò homo est risibilis, quia rationalis, sed per rationalitatem demonstratur risibilitas de homine; ergo ab illo sumitur necessitas, per quod fit demonstratio. Minor patet, quia domus est finis ædificationis, & valet dicere: Si domus est; ergo lapides, & ligna sunt, non autem è conuerso; ergo non ex materia, sed ex fine sumitur necessitas.

Ex quo infert in t. 91. quod etsi materia, & forma spectent ad Physicum, magis tamē finis ab ipso respicitur, quia propter finem, consideratur ab ipso materia, & forma, idest propter compositum, ex quibus constat. Et hæc de textu huius Libri secundi Physicorum dicta sint satis.

De Causis in vniuersali.

DISP. III.

Causarum natura ita variè videtur tradidisse Aristoteles, vt non immeritò Recentiores aliqui dixerint, scientiam de Causis ad plures facultates pertinere, nec posse ad vnam tantum restringi: Nam 2. Posteriorum cap. 11. inquit: Causas esse principia demonstratiuè cognoscendi conclusiones. 2. Physicorum t. 27. 28. 70. & 5. Metaph. cap. 2. ijsdem omninò verbis, docet, causas esse principia essendi composito naturali, & principia motus, & mutationis rerum naturalium: & lib. 1. Metaph. dicit, causas esse omnium entium principia, ex quibus inferunt, quod sicut diuersimodè Aristoteles locutus est de Causis, innuere voluisse, cognitionem Causarum pertinere ad Logicum, Physicum, & Metaphysicum; nec posse tribui vnam tantum diffinitionem Causæ vt sic, sicut de facto nullibi reperitur tradidisse; quocirca factum est, vt plures conati sint, ex eius varijs dicendi modis, vnam assiguare rationem communem, quæ omnes comprehendere valeat, quod an finem intentum consecuti sint videbimus breuiter in quæstione sequenti.

Vtrum Causa in communi vnica diffinitione manifestari possit?

QVÆSTIO I.

Circa propositam difficultatem, multi multa dicunt, & vnusquisq. abundare videtur in sensu; siquidem Ruuius 2. Physicorum tract. 1. de Causis rerum naturalium in communi n. 53. refel-

refellens diffinitionem, quæ communiter ex lib. de Cauſis aſſignari ſolet, ſubiũgit propriam dicens: Cauſa eſt principium per ſe influens in effectum, in qua ly principium aſſignat loco generis, & per ly influens excludit priuationem à ratione cauſæ, ac per ly effectum oſtendit ſub ipſa non poſſe comprehendi perſonas diuinas Filij, & Spiritus Sancti, quia licet Pater diuinus influat eſſe in Filium, & Pater, & Filius influant in Spiritum Sanctum, nihilominus cum nõ ſint facti, Pater nequit dici illorum cauſa, ſed tantum principium.

Conimbricenſes 2. Phyſic. cap. 7. q. 1. art. 1. aliam adducunt, quam etiam recipit Fonſeca 1. Met. q. 1. ſect. 3. c. 7. *Cauſam nimirum, eſſe id, à quo aliquid per ſe pendet, vbi per ly pendet* excluduntur diuinæ perſonæ, in quibus nulla reperiri poteſt dependentia, cùm hæc præſeferat imperfectionem in eo, quod ab alio pendet.

Curſus Complutenſis ex D. Thoma 2. Phyſ. lect. 10. approbat illam diffinitionem, quam Ruuius reprobat ſ. Cauſa eſt id, ad quod aliud ſequitur.

Merinero noſter in 2. diſp. 2. q. 2. ſub n. 20. tranſcribit aliam, quam vocat exactiſſimam Cauſæ diffinitionem, ex Philoſophia ſub nomine Scoti ab Aretino euulgata 2. Phyſicorum q. 7. his verbis: Cauſa eſt principium, propter quod alterum eſt ſecundum eſſe, vel ſecundum fieri, aut conſeruari, aut ſecundum aliquam diſpoſitionem.

Cæterùm his omnibus poſthabitis, exactior, conuenientiorque nobis probatur illa Auicennæ, quod nimirũ Cauſa ſit principium à quo eſſentialiter aliquid dependet, cùm ſit expoſitio illius, quam tradit Auctor libelli de Cauſis, dũ dicit propoſ. 1. Cauſam eſſe id ad cuius eſſe, ſequitur aliud ſecundum naturam.

Pro cuius declaratione, & aliarũ diffinitionum confutatione primò notandũ eſt ex Ariſtotele 7. Met. t. 43. illam diffinitionem eſſe exactam, conuenientemque, per quam expenditur natura, & eſſentia diffiniti per genus, & differentiam; vndè cum in propoſita diffinitione Auicennæ adſint genus & differentia (quandoquidem principium ponitur loco generis, cum ſit commune ad omnia principia, ſiuè in fieri, ſiuè in facto eſſe, ſiuè ſint poſitiua, ſiuè priuatiua; ly eſſentialiter, & ly dependet ponuntur tanquam differentiæ; nam per prius excluduntur à ratione cauſæ priuatio, & cauſæ per accidens, à quibus non dependet eſſentialiter compoſitum, per poſterius verò excluditur à ratione cauſe Pater in diuinis, quia licet ab ipſo ſit eſſentialiter Filius, non poteſt tamen dici eius cauſa, cùm ab ipſo non dependeat; ſiquidem, vt dicit Scotus in 1. d. 2. q. 7. ſub K. §. Ad ſecundũ principale dico, dependentia producti ad producens, infert alietatem eſſentiæ, ſaltem numericam, quod nequit eſſe in Patre, & Filio in diuinis, in quibus eſt eadem eſſentia numero) ſequitur diffinitionem traditam ab Auicenna eſſe exactam, conuenienterque explicare naturam cauſæ in communi.

Secundò notandum pro explicatione diffinitionis Auctoris de Cauſis, quod per ly id, intelligitur quid communius cauſa, quod eſt principium, vt aliàs dictũ fuit; per ly verò, ad cuius eſſe ſequitur, ideſt conſequentia phyſica, quæ fit per motum, & mutationem, intelligitur influxus realis cauſæ in fieri in effectum, à qua eſſentialiter depẽdet; & per ly aliud ſecundũ naturam intelligitur diſtinctio realis inter cauſam, & effectum; alietas enim naturæ, vt docet Scotus in 1. d. 4. q. vn. includit diſtinctionem, ſaltem numericã in eo quod eſt aliud ab eo, à quo ſequitur ſecundum naturam, & eſſentiam. Ex his infertur, quod huiuſmodi diffinitio ſic explicata eſt bona, cum explicet naturam cauſæ per genus, & differentiam; nam per ly principium intelligitur genus; per ly verò ſequitur influxu, ſcilicet reali, denotatur prima differentia, per quam cauſa differt à priuatione, quæ non influit poſitiuè in compoſitum; & per ly aliud ſecundum naturam, innuitur alia differentia, qua excludũtur perſonæ diuinæ productiuæ à ratione cauſæ, cum inter producentem, & productum non ſit alietas, ſed identitas numeralis naturæ.

T.:tiò notandum est, quod tria tequiruntur ad hoc, vt aliquid possit subire veram rationem causæ, vt sic; primum, quod sit ens positiuū, vndè eius defectu excluditur priuatio à ratione causæ, quæ non dicit entitatem positiuam. Secundū, vt sit realiter distinctum ab effectu, quarè subiectum nequit dici causa passionis, cum sit sibi identificata realiter. Tertiū, vt sit distinctum, nedū realiter, sed etiam essentialiter, saltem numericè, & ob hoc excluditur Pater in diuinis à ratione causæ, quia non distinguitur essentialiter à Filio, & Spiritu Sancto.

Quartò notandum est: Causam, vt sic, dupliciter accipi posse, vno modo fundamentaliter, & sic importat entitatē realem potentem influere aliquid in effectū à se realiter, & essentialiter distinctum, à seque realiter productum: alio modo formaliter, & sic importat respectum realem intrinsecus aduenientem, resultantem, inter rem realiter influentem, & ipsum effectum. Ex quo infertur, quod conceptus quiditatiuus, & essentialis causæ vt sic, non potest inuoluere entitatem absolutam, & respectiuam, quamuis transcendentalem, vt dicit quidam neotericus Scotista; siquidem ex absoluto, & respectiuo nequit fieri vnum per se, cùm sint modi, vel differentiæ oppositæ condiuidentes adæquatè totum ens, sed conceptus essentialis causæ, vt sic dicit tantum entitatem absolutam ipsius, & solum concomitanter respectum eiusdem causæ ad suum effectum, vt meliùs inferiùs explicabitur in propria quæstione.

Ex his sit prima conclusio. Diffinitio causæ vt sic, tradita à Ruuio, non est sufficiens. Probatur, quia illa diffinitio est in sufficiens per quam non exprimitur tota natura diffiniti, sed diffinitio tradita à Ruuio non exprimit totam naturā causæ, ergo &c. Maior patet, quia diffinitio est actio indicans esse rei per essentialia. Minor probatur, quia de ratione causæ est, vt distinguatur realiter à suo effectu, quia nihil causat seipsum, ex D. August. lib. 1. de Trinit. cap. 1. sed per influxum causæ in effectum, si nil aliud additur, non ostenditur eius distinctio realis ab effectu; ergo hæc diffinitio non exprimit totam naturam causæ vt sic. Minor probatur, quia materia, & forma influunt, vt principia essendi, in compositum substantiale, tamquam in suum effectum, & tamen inter illa, secundum Ruuium, non est distinctio realis; ergo per solum influxum in effectum non ostenditur distinctio realis inter causam, & effectum.

Secunda conclusio. Diffinitio tradita à Merinero ex putatiuo Scoto in citato, de causa vt sic, est inexacta, & insufficiens. Probatur, quia esse principium propter quod alterum est secundum esse, est diffinitio tantum causæ finalis, ex Aristotele 2. Physicorum t. c. 9. ergo nequit esse diffinitio adæquata causæ in communi, in qua conuenire debent cæteræ causæ. Secundo huiusmodi diffinitio non excludit priuationem, & vnionem materiæ, & formæ erga compositum à ratione causæ; ergo non est sufficiens. Consequentia patet, quia diffinitio debet distinguere diffinitū à quocunque non est ipsum; ergo si huiusmodi diffinitio non distinguit causam à priuatione, & vnione materiæ, & formæ, quæ reuera non sunt causæ, licet prærequirantur ad fieri, & conseruari compositi substantialis, dicendum est esse exactam, sed insufficientem. Antecedens probatur, quia priuatio est principium in fieri, & vnio est principium in conseruari, sine quibus compositum non esset, vt omnes concedunt; ergo huiusmodi diffinitio non excludit priuationem à ratione causæ, similiter nec vnionem inter materiam, & formam à ratione causæ conseruatiuæ.

Tertia conclusio. Diffinitio causæ, quam tradunt Conimbricenses, & Fonseca citati, si rectè percipiatur, potest sustineri, quicquid dicant Complutenses, Merinero, & Poncius in 2. disp. 8. q. 1. n. 3. Declaratur conclusio, & simul probatur: nam per id, à quo aliud, seu aliquid per se pendet, intelligitur principium, quod tenet locum generis in huiusmodi diffinitione; & per ly aliquid, denotatur effectus, seu causatum distinctum realiter à suo principio; per ly pendet,

der, innuitur distinctio essentialis inter causam, & causatum, siquidem, vt supra adnotauimus cum Scoto, dependentia semper inuoluit alietatem essentialem in eo quod dependet à suo independenti, & ob id personæ diuinæ, quãuis sint principiatæ, non tamen sunt causatæ à Patre, quia non dependent ab eo: habent enim eandem numero essentiam diuinam; & denique ly per se excludit à ratione causæ priuationem, & alias causas per accidens, quæ nõ sunt causæ vniuocè, sed solum æquiuocè, vel latè sumendo causam; igitur cum diffinitio huiusmodi sic intellecta, explicet naturam causæ in communi, & ipsam distinguat à cæteris principijs, quæ non sunt veræ causæ, non debet reijci, sed vt sufficiens sustineri.

Nec valet impugnatio Merineri, & Complutensium, quod per hanc diffinitionem non explicatur, quid sit illud, ob quod influxus adscriptus causæ, habeat annexam dependentiam, cum posset responderi, sufficere ad dependendum, quod sufficit ad producendum; non valet inquam, quia si rectè percipiatur influxus cum dependentia in eo ad quod determinatur, facilè intelliget plus requiri ad dependendum, quam ad producendum; siquidem productio esse potest in identitate naturæ, nequaquam dependentia, & ideò negatur à Patre diuino ratio causæ, & conceditur productio, quia ibi est tantum distinctio inter producens, & productum, absque dependentia vnius ab alio, at inter Patrem, & Filium in creatis, vltra productionem, est etiam dependentia naturæ productæ à producente, & ob hoc ibi sistit etiam ratio causæ, & causati.

Nec valet instantia Pontij, de proprietatibus metaphysicis, quia falsum assumit, nempè illas dependere à prædicatis essentialibus, quandoquidem dependentia est relatio realis, quæ exigit extrema realia, & realiter distincta, vt probat Scotus in 2. d. 1. q. 4. & 5. sed inter huiusmodi proprietates, & sua prædicata, à quibus emanant non cadit distinctio realis, igitur nec dependentia realis. Minor est per se nota in schola subtilium, vndè non est cur probari debeat.

Quarta conclusio. Eadem ferè ratione, sustineri potest diffinitio Auctoris de causis, quamuis impugnetur à Merinero. Probatur, quia per illam sufficienter expenditur natura, & vis causæ vt sic; ergo sustineri debet. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia per ly id, intelligitur principium influens in effectum, seu causatum: per ly aliud, denotatur, & distinctio realis, & essentialis causati à causa, & consequenter dependentia essentialis, quæ desideratur in ratione causæ, vt probat Doctor subtilis in 1. d. 4. q. vnica, sed in his consistit natura causæ vt sic, vt diximus in 3. nor. ergo &c.

Nec quicquam faccessunt instantiæ de linea, quæ sequitur ad punctum, de tempore, quod sequitur ad instans, & de generatione, quæ sequitur tamquam aliud, vel alia à priuatione, & tamen nec punctum est causa lineæ, nec instans temporis, nec priuatio generationis cõpositi naturalis; Tum quia, vt benè aduertunt Complutenses, & alij, non intelligitur de quacũque sequela ad aliud, sed de ea, quæ fit verus influxus, quæ tamen nequit verificari de sequela lineæ ad punctum, temporis ad instans, & compositi generabilis ad priuationem, vt patet, quia linea non fit ex punctis, nec tempus ex instantibus, vt alias probabimus, nec compositum ex priuatione, quamuis requiratur in fieri, vt principium sine quo non fieret eius generatio; Tum etiam, quia huiusmodi sequela in linea, tempore, & generatione compositi non est secundum naturam, idest secundum exigentiam naturalem eorum; nam linea, & tempus non exigunt puncta, & instantia, vt talia sunt, sed solum, vt continua; similiter compositum naturale exigit priuationem, vt generabile est, non vt causabile est; cæterùm sequela in causato debet esse secundum naturam causæ; ergo tales instantiæ non officiunt diffinitioni traditæ ab Auctore de Causis, si tamen rectè intelligatur.

Quinta conclusio. Ex his omnibus colligitur, exactiorem diffinitionem cau-

causæ, vt sic, esse illam, quam tradit Auicennas, nempè: Causa est principium à quo essentialiter aliquid dependet. Probatur, quia illa diffinitio, quæ explicat diffinitionem per genus, & differentiam, & non competit alijs ab ipso, sed omni contento sub eo, est exactissima, & sufficientissima, ex Aristotele 7. Met. t. 43. & 44. atqui hæc diffinitio est huiusmodi; ergo &c. Minor probatur: nam ly principium est genus, cum competat causis, & non causis; ly verò essentialiter est differentia, faciens differre causam à priuatione, & causis per accidens, quæ tamen sunt principia; siquidem ab his nihil essentialiter dependet; similiter per ly dependet, discriminatur causa à principio productiuo in diuinis, quod est absque dependentia alicuius personæ diuinæ; item per eamdem particulam, ostenditur distinctio realis, & essentialis numerica inter causam, & causatum; dependentia enim essentialis, vtrumque infert effectum, vt sæpiùs cum Scoto dictum est in præcedentibus conclusionibus, & in primo notab. Item competit omnibus causis per se, tàm intrinsecis, quàm extrinsecis; siquidem ab illis, & ab his pendet compositũ essentiale, vt videbimus infra q. 3. ergo huiusmodi datur per genus, & differentiam, non competit alijs, quæ non sint causæ, sed omni contento sub causa vt sic, ac proindè est optima, & exactissima.

Obijcies tamen primò contra secundam. Illa diffinitio dicitur esse exactissima, in qua explicatur natura diffiniti in se, & quatenus conuenit suis inferioribus, & prout differt à quocunque nõ est ipsum; sed diffinitio, quam affert Merinero ex asserto Scoto, est huiusmodi; ergo debet dici exactissima. Maior patet, quia nil ampliùs desiderari potest. Minor probatur, quia in eo quod dicitur, causa est principium, explicatur natura causæ vt sic per genus, in quo causa conuenit cum alijs principijs, quæ non sunt causæ, nec esse possunt: dum verò additur, propter quod alterum est, innuitur vna differentia, qua causa differt, non solùm à priuatione, puncto, & instanti, quæ, & si principia sint, vel generationis, vel lineæ, vel temporis, non sunt tamen propter quæ hæc sint, sed etiam excluduntur personæ diuinæ à ratione causæ, quia quamuis possint dici principia, ex quibus aliæ procedunt, seu originantur, non tamen dici possunt principia, propter quę aliæ personæ sunt, quia ly propter quod alterum est, denotat prioritatem naturæ, seu dependentiæ, respectu illius, quod est propter ipsum, & personæ diuinæ, cum sint correlatiuæ, sunt simul natura, igitur non possunt dici causæ: Cùm verò subiungitur, secundum esse, vel secundum fieri, aut secundum aliquam dispositionem, ostenditur, quod diffinitio competit omnibus causis per se, quia entia naturalia secundum esse, sunt propter materiam, & formam, secundum fieri propter causam efficientem, & finalem, & secundum conseruationem, propter aliquam dispositionem; ergo huiusmodi diffinitio expendit naturam causæ per genus, & differentiam, & conuenit omnibus causis sub ea per se contentis.

Respondetur negando minorem; ad probationem nego ly propter quod alterum est, esse differentiam constitutiuam causæ vt sic, & consequenter diuisiuam eius à quocunque non est ipsa; siquidem est tantum differentia causæ finalis, vt docet Aristoteles 2. Physic. tex. 29. & 75. ac sequentibus; vndè malè infert, entia naturalia secũdum esse, habere esse propter materiam, & formam, & secundum fieri propter causam efficientem, quia sic habent esse tantum propter finem, vt notat idem Aristoteles t. 28. 29 & à 75. ac sequentibus. Nec valet dicere, hanc diffinitionem esse communem omni causæ, & tantum per excellentiam conuenire causæ finali, quia assumit falsum, & improbabile, cùm vnaquæq. causarum habeat modum causandi proprium, diuersũ ab alijs, vt patet ex diffinitionibus traditis ab eodem Aristotele in citatis locis.

Obijcies secundò contra quintam cõclusionem: Diffinitio causæ, tradita ab Auicenna, competit alijs à diffinito; ergo non est bona. Antecedens probatur, quia competit punctis in linea, & instantibus

tibus in tempore; siquidem linea essentialiter dependet à punctis, & tempus ab instantibus, cum nequeant esse sine illis, sed puncta non sunt causæ lineæ, nec instantia temporis, sed tantum principia extrinseca; ergo diffinitio huiusmodi competit alijs à causa, & sic non est bona.

Respondetur negando antecedens; ad probationem dico, falsum esse, lineam à punctis, & tempus ab instantibus dependere essentialiter; siquidem huiusmodi indiuisibilia requiruntur propter continuitatem, non propter essentiam, quia linea ex lineis, & non ex punctis, similiter tempus ex præterito, & futuro, & non ex instantibus essentialiter componuntur, vt videbimus suo loco in 6. Physicorum.

Obijcies tertiò: Pater Æternus est causa Filij, sed Filius non dependet ab eo essentialiter; ergo malè dicitur, causam esse principium à quo aliquid essentialiter dependet. Maior patet ex modo loquendi Patrum Græcorum, vocantium Patrem in Diuinis causam Filij. Minor similiter, quia dependentia dicit imperfectionem in eo quod dependet; insuper dicit distinctionem essentialem inter dependens, & independens, sed hæc in Filio essent blasphemiæ; ergo Filius in Diuinis non dependet à Patre.

Respondetur Patres Græcos sumere nomen causæ largè, vt se extendit ad quodcumque principium productiuum, & sic, quamuis Filius non dependeat à Patre, potest tamen appellari eius causa, cum ab ipso essentialiter producatur: cæterùm Patres Latini, cum rationem causæ coarctent ad esse principium cum dependentia ad ipsum, non audent vocare Patrem Aeternum causam Filij, ne inuoluant in ipso diuisionem naturæ Diuinæ, & imperfectionem, quam secum affert dependentia causati ad causam.

Vtrum Causalitas in Causa, vt sic, sit quid absolutum, vel respectiuum ab ea realiter distinctum?

QVÆSTIO II.

Nonnulli Thomistarum, è quorum numero sunt Hærueus Natalis quol. 2. q. 2. Soncinas 5. Met. q. 4. & Fõseca ibidem cap. 2. q. 13. asserunt, causalitatem, qua causa dicitur actu causans, consistere in quodam modo absoluto, realiter identificato cum illa.

Albertus Magnus 2. Physic. tract. 2. cap. 1. quem secutus est D. Thom. 5. Metaph. cap. 2. t. 2. dicunt, huiusmodi causalitatem causæ præseferre actionem mediam inter causam, & causatum, super qua habet fundari relatio denominans causam formaliter causantem.

Mastrius in 2. Physicorum disp. 5. q. 2. n. 7. docet consistere in entitate absoluta causæ, cum relatione transcendentali ad effectum possibilem, ita quod ex absoluto, & respectiuo coalescat vnus, & idem conceptus adæquatus causæ. Citat pro se Scotum in 1. d. 7. q. vn. L.

Cæterùm Doct. subt. in 2. d. 1. q. 2. ad primum argumentum principale, videtur distinguere causalitatem fundamentaliter, & formaliter: primò modo dicit quid absolutum, cum non sit aliud, quàm entitas causæ actu causantis: secundò modo autem denotat relationem causæ ad effectum, à qua denominatur formaliter causans; & hæc est vera sententia Scoti, quam sequuntur communiter veri Scotistæ, tum Antiqui, tum Recentiores, vt aduertit Merinero hic disp. 2. q. 3. & Catharensis q. 1. art. 2. quibus & nos subscribimus.

Pro cuius clariori notitia primo notãdum est ex eodem Scoto loco cit. Causalitatem causæ dupliciter accipi posse, vno modo fundamentaliter, alio modo formaliter. Si accipiatur primo denotat concursum, quo mediante causa dicitur concurrere ad ponendum talem effectũ in esse; & hic adhuc dupliciter consideratur, in actu primo, & in actu secundo,

Concursus, seu causalitas fundamentalis in actu primo non est, nisi entitas absoluta causæ, seu ratio formalis, qua s. mediante, causa ponit in esse ipsum effectum, vt in igne causalitas in actu primo est eius forma, qua mediante, alium ignem producit, & ponit in esse. Concursus, seu causalitas fundamentalis in actu secundo est effectus causatus, qui adhuc dupliciter potest sumi, vel prout est in fieri, & sic vocatur concursus in actu secundo, vel vt est in facto esse, & appellatur effectus in esse positus. Si verò accipiatur Causalitas secundo modo, scilicet formaliter, importat entitatem relatiuam, quæ etiam dupliciter potest considerari; vel in actu primo, & sic dicit relationem causæ ad effectum; vel in actu secundo, & ita importat relationem effectus ad causam. Huiusmodi autem Causalitates, tum fundamentales, tum formales sic ordinantur à Scoto, vt prius sit absolutum in causa, idest causalitas fundamentalis in actu primo; Deindè absolutũ in effectu, idest causalitas fundamentalis in actu secundo; Deindè relatio effectus ad causam, idest causalitas formalis in actu secundo, & tamdem relatio causæ ad effectum, hoc est, causalitas formalis in actu primo. Exemplum sit de igne causante alium ignem; priùs enim est entitas absoluta ignis generantis. Secundò entitas absoluta ignis geniti. Tertiò insurgit relatio effectus in igne genito ad ignem generantem. Et quarto alia relatio causæ in igne generante ad ignem genitum. Ex quo infertur, quod inter causam, & effectum fundamentaliter sumptos, nulla datur actio media, quæ se habeat tamquam via, ducens virtutem causæ in effectum; quandoquidem ignis, tãtum productione, quæ sit relatio, dicitur formaliter aliũ ignem producere, & non actione productiua, media inter absolutum ignis producentis, & absolutum ignis producti, vt non rectè senserunt quidam ex nostris, quos postea sequutus est Merinero hîc disp.2.q.3.à n. 11. vsq. ad 19.

Secundò notandum tamen pro clariori notitia huius doctrinæ Scoticæ, quod actionem aliquam mediare inter causam, & effectum, potest dupliciter intelligi, vel loquendo de actione transmutatiua, vel de productiua. Si fuerit sermo de priori, quæ formaliter sumpta, non est, nisi relatio agentis ad passum; materialiter verò potentia actiua, seu forma agentis, concedimus, ipsam mediare posse inter causam, & effectum; siquidem ignis, priusquam igniat, hoc est inducat propriam formam in materiam ligni, ignemque alium producat, agit in lignum, ad hoc vt expellat eius formam, propriamque introducat, & sic, cum huiusmodi actio, sit prior effectu producto, libenter concedimus ipsam mediare inter causam, & effectum. Ceterùm si loquamur de posteriori, cùm fundamentaliter accepta, non sit, nisi virtus absoluta causæ, seu eius forma intrinseca, & formaliter præseferat relationem intrinsecùs aduenientem causæ ad effectum, impossibile est in via Scoti, dari talem actionẽ inter causam, & eius effectum, secundùm esse absolutum cõsideratos; siquidem relatio productiua causæ, non resultat, nisi postquam effectus secundum esse absolutum sit in esse positus.

Tertiò notandum est ex Scoto in 1. d. 7.q.vn. L. & quol.8.sub H. quod hoc nomen potentia potest dupliciter sumi, sicut etiam hoc nomen principium, scilicet pro substrato, seu fundamento, & pro formali, siuè pro per se significato. Primò modo non importat aliud, quam formam absolutam agentis, vel causæ, qua mediante dicitur agere, seu producere effectum. Secundò modo autem dicit relationem causæ, seu principij, qua denominatur formaliter causare, seu principiare. Et quamuis hæc relatio cõcomitetur semper illam formam absolutam, quæ est eius proximum fundamentum, nequit tamen facere, seu constituere vnum, & eũdem conceptum formalem causæ, vt putat Mastrius, & rationẽ reddit Doctor, quia ratio formalis causandi, seu agendi debet esse prior natura termino formali actionis, seu causationis; at huiusmodi relatio, seu respectus non est prior, sed subsequitur fundamẽtum, & terminum, vt docet etiam in 1. d.30.

d. 30. q. 1. sub G. & in 2. d. 1. q. 2. ad 1. principale, & in 3. d. 8. q. vn. ac alibi pluries; igitur dicendum est, causalitatem, seu potentiam fundamentalem causæ, consistere in sola entitate absoluta; formalem verò in relatione causæ ad effectum.

Ex his fit prima conclusio. Causalitas in actu primo fundamentaliter accepta, non est nisi ipsamet entitas, seu forma absoluta causæ, & non aliquis modus, etiam ipsi realiter identificatus. Est Scoti in 2. d. 1. q. 2. ad 1. principale & c. contra Auctores citatos in prima sententia. Probatur prima pars, quia causalitas fundamentaliter in actu primo est ratio formalis agendi, seu causandi ipsi causæ, sed ratio formalis causandi est entitas causæ, seu eius forma absoluta; ergo &c. Maior est communiter concessa ab omnibus. Minor probatur à Scoto in quol. 8. H. illud est principium formale agendi, seu formalis ratio causandi, in quo agens, & productum assimilantur; sed non assimilantur in entitate relatiua, cùm alia sit relatio producti, & producentis, effectus & causæ, verum in entitate absoluta; ergo ratio formalis agendi, & causandi debet esse entitas absoluta. Maior est nota, quia producens, seu agens naturale intendit producere sibi simile in natura; ergo ratio formalis agendi, quæ est agentis natura, est in quo agens, & productum assimilantur. Minor probatur ex Aristotele 5. Physic. t. c. 10. & 7. Physic. t. c. 17. & 20. vbi dicitur, quod terminus formalis actionis, vel motus, debet esse forma absoluta, non includens aliquam relationem, sed huiusmodi forma absoluta est ipsa forma, quæ est ratio formalis agendi, vt habet esse fluens; ergo principium formale in quo assimilantur agens, & productũ, causa, & causatum pro fundamento accepta, est entitas absoluta causæ. Secundò probatur eadem minor ab eodem in 2. d. 1. q. 2. loco sæpiùs citato, quia ratio formalis causandi debet esse prior natura ipso causato, seu effectu, ex Aristotele in Postprædicam. cap. de Priori, & Posteriori, & 5. Met. eodem tit. cap. 11. sed sola entitas absoluta causæ, & eius forma, secluso quocũque respectu, est prior natura causato, & effectu eiusdem causæ, ergo in sola entitate causæ, & eius forma absoluta consistit eius ratio formalis causandi sumpta pro fundamento in actu primo. Minor probatur illud est prius natura alio, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, sed licèt sequatur, est absolutum effectus; ergo est absolutum causæ, non tamen sequitur, est absolutum causæ; ergo est etiam absolutum effectus, quia sine contradictione, hoc potest ab ipso separari; igitur &c. Similiter non valet, est relatio causæ; ergo non est relatio effectus, quia relatiua sunt simul natura; ergo sequitur, quod sola entitas causæ, & eius forma absoluta, seclusa quauis relatione, sit prior natura suo effectu, & consequenter sola sit ratio formalis causandi, & causalitas in actu primo fundamentali. Secunda pars probatur, quia secluso quolibet modo à causa entitate absoluta, vel causa potest causare, vel non; si primum dixeris, habeo intentum, quod causalitas fundamentalis non consistit in tali modo absoluto, eidem superaddito: si verò secundum concesseris, quod poterit causare, igitur erit destructa natura, & entitas absoluta causæ, sed hoc est falsum, quia nullum posterius potest destruere prius, cum ab ipso non dependeat in esse; ergo &c. Sequela maioris probatur per Coment. 9. Met. t. c. 2. dicentem, si quis neget actionem à rebus, negat consequenter earum essentias, cum hæ non possint esse sine suis actionibus.

Secunda conclusio. Causalitas fundamentalis in actu secundo, est entitas absoluta effectus, prout est in fieri, quæ appellatur concursus causæ. Probatur, quia accipio causalitatem in actu secundo, cum sit quid realiter distinctum ab entitate causæ, sicut actus secundus est distinctus realiter à primo, quæro an sit etiam realiter distincta ab effectu, vel non; si dixeris non; ergo habetur Intentum, quod sit idem effectus in fieri; si verò asseris esse distinctam ab effectu in fieri, iterùm sciscitor, an sit causata, vel incausata, non est dicendum, quod sit incausata, cùm sit quid creatum; ergo causata. Si est causata, vel per seipsam,

vel per aliam causalitatem, sed neutrum dici potest; ergo &c. Minor probatur nõ per seipsam, quia sic quælibet res posset dici sic causata, & nulla per aliam: nec per aliam, quia sic daretur processus in infinitum, quod est contra Aristotelem 1. Post. cap. 3. & 24. & 25. ergo dicendũ est, causalitatem in actu secundo non esse distinctam ab effectu in fieri.

Tertia conclusio. Causalitas pro formali, siuè in actu primo, siuè in actu secundo est entitas relatiua. Colligitur ex Scoto in 2.d.1.q.2. Et in quol. 8. H. Probatur, quia causalitas in actu primo pro formali, est forma à qua denominatur causa actu causans; in actu verò secundo est alia forma, qua denominatur effectus actu existens, vel in fieri, vel in facto esse, vt dictum est in 1.not. sed huiusmodi sunt relationes causæ ad causatum, & causati, seu effectus ad causam; ergo causalitas pro formali, tàm in actu primo, quàm in actu secundo est entitas relatiua.

Quarta conclusio. Causalitas, secundum conceptum adæquatum causæ essentialem, non inuoluit respectum, seu relationem transcendentalem ad effectũ possibilem. Est Scoti quol. 8. H. & colligitur ex eodem in 2.d.1.q.2.E. vbi dicit, quòd illud idem absolutum, quod præcessit in causa, tàm natura, quàm duratione, ipsum effectum productum, vel causatum, est etiam in ea in illo instanti prius naturaliter, quàm causet, & secundum illud absolutum, secundum quod prius fuit causatiuum, est nunc causans, & non secundum aliquod additum, neq. absolutum, neque respectiuum. Quid clariùs dici potuit, ò doctissime Mastri, contra à te assertum conceptum essentialem causæ in actu primo? Probatur insuper ratione ex eodem desumpta, quia causalitas in actu primo, vt est principium causandi effectũ debet esse prior naturaliter ipso effectu, sed nulla potentia, vt dicit respectum ad effectum, est ipso prior, verò posterior ipso; ergo nulla potentia, vt dicit respectum, erit de conceptu essentiali principij causatiui formalis causæ. Maior patet, quia effectus dependet essentialiter à sua causa, & ab eius ratione formali causandi, sed dependentia essentialis est posterioris ad prius, & non è conuersò; ergo causalitas, vt dicit principium formale causandi effectum, debet esse prior ipso effectu. Minor probatur, quia quilibet respectus dependet essentialiter à fundamento, & termino, vt probat Scotus in 1.d.30.q.1. & in 4.d.12.q.1.D. & nos cum ipso ostẽdimus in Logica lib. Prædicam. disput. de Relationibus 9. ergo nequit esse prior, alioquin non dependeret ab ipsis essentialiter, sed potentia causandi, vt dicit respectum ad effectum, habet ipsum effectum pro termino; ergo non est prior, sed posterior effectu. Confirmatur, quia in tantum potest exigi huiusmodi respectus transcendentalis, in quantum causa, pro fundamento, sine illo videtur indeterminata, & solum in potentia remota ad ponendum effectum in esse, sed hęc ratio est nulla; ergo non exigitur huiusmodi respectus transcendentalis. Maior patet, quia absolutum causæ absque illo respectu, diceretur quidem causatiuum, non vero actu causans; siquidem dum est sub illo respectu dicitur actu causare. Minor probatur, quia absolutum causæ, ad hoc, vt sit in potentia proxima causãdi, sufficit, vt sit prius natura ipso effectu non esse absolutum; nõ enim causat per respectum, sed per absolutum prius natura absoluto effectus, sed absolutum causæ non constituitur in tali prioritate per respectum ad effectum, quinimò dũ est sub ipso, deperdit talem prioritatem; euadit enim relatiuum, & relatiuum, & correlatiuum sunt simul natura, ex Aristotele in Prædicam. cap. de Ad aliquid; ergo causa non sit in potentia proxima causandi per huiusmodi respectum trãscendentalem, ac proindè non poterit ipsum inuoluere in suo conceptu essentiali.

Quinta conclusio. Nulla actio productiua mediat, tamquam via ad terminũ, inter causam, & effectum, sed tantum actio transmutatiua. Prima pars est Scoti in 2.d.1.q.2. vbi Lychetus. Secunda verò est eiusdem in Prologo sent. q. 4 L. Et quol. 13. art. 3. & 5. Ad ista &c. tota autem conclusio est contra Antonium

An-

Andream 9. Met. ad t. 16. (quamuis oppositum sustineat lib. sex Principiorum cap. de Actione) Sulmonensem 3. Phys. q. 3. & Merineru loco suprà citato. Probatur prima pars, quia aut actio productiua sumitur fundamentaliter, aut formaliter, si primo modo, est entitas, seu virtus causæ in actu primo, si secundo modo, est relatio producentis ad productum; sed neutro modo mediare potest inter causam, & effectum; ergo &c. Maior patet ex 2. not. Minor similiter, tum quia actio productiua fundamentalis est ipsa entitas causæ; igitur non potest mediare inter seipsam, & suum effectum; Tum etiam, quia relatio producentis ad productum est posterior entitate absoluta causæ, & effectus; ergo nequit mediare inter causam, & effectum. Antecedens est Scoti, loco sepiùs citato, quod prius est absolutum in causa, deindè absolutum in effectu; deindè relatio in effectu, & tandem relatio producentis ad effectum productum in causa; ergo huiusmodi relatio est posterior, nedum effectu, sed etiam ipsa causa, ac proindè non potest esse media inter illos. Secunda pars probatur, quia non potest produci forma noua per generationem, nisi corrumpatur, saltem prius natura, forma rei corrumpendę per corruptionem, vt patet experientia in igne comburente lignum, qui prius corrumpit formam ligni, antequam introducat propriam formam; sed talis corruptio est actio trãsmutatiua materię de forma ligni ad formam ignis; ergo actio transmutatiua mediat inter ignem generantem, & ignẽ genitum, & sic inter causam, & effectũ. Confirmatur auctoritate Scoti in Prologo sent. q. 4. L. dicentis, voluntatem elicere volitionem, mediante elicitione, quæ est actio de genere actionis, sed volitio est effectus ipsius voluntatis; ergo actio de genere actionis mediat inter causam, & effectum.

Obijcitur primò contra primam conclusionem: Causa aliter se habet, cùm causat, quàm cum non causat, sed non aliter se habet per suam entitatem, quia hæc semper est eadem penitus immutata, etiam per Scotum in 2. d. 1. q. 2 ad primum argumentum principale; ergo per aliquem modum superadditum, in quo sita sit eius causalitas actualis.

Respondetur maiorem esse veram formaliter, non verò fundamentaliter, hoc est dictu, dum causa actu causat, recipit in se nouam relationem, per quam denominatur causa formaliter, quam tamen prius non habebat, & sic aliter se habet per causalitatem formaliter, non tamen fundamentaliter receptam de nouo.

Contrà, quia per Scotum ibidem, Causa prius natura causat, quàm habeat huiusmodi relationem, sed quando causat, aliter se habet; ergo non se habet aliter per talem relationem; ergo per nouam entitatem absolutam, saltem modalem, priorem ipso effectu.

Respondetur minorem esse veram extrinsecè ratione effectus, quia prius natura non habebat effectum, & posteà habet ipsum cum relatione ad semetipsam, qua ratione dicitur mutari extrinsecè, non tamen intrinsecè per receptionem alicuius nouæ entitatis absolutæ, vel relatiuæ, quia non recipit relationem, nisi in 4. signo, vt dictum est not. 1.

Contrà, quia sicut agens agit mediante actuali actione, ita causa causat media causatione, sed in illo priori, antequam sit aliqua relatio, agens agit actuali actione absoluta; ergo etiam causa in illo priori, causat actuali causatione absoluta, & sic intrinsecè aliter se habet, & non tantùm extrinsecè per relationem effectus ad ipsam.

Respondetur maiorem esse veram de actione, & causatione fundamentali, hoc est dictu, agit, & causat per suam entitatem, tamquàm priorem natura suo effectu, non tamen per aliquam actionem, & causationem ipsi de nouo superadditam, vt supponunt Aduersarij, quia nulla talis est necessaria, ad hoc vt agens agat, & causa causet, vt superiùs dictum fuit.

Obijcitur secundò contra tertiam cõclusionem, quia causa causalitate causat, sed non causat relatione; ergo causalitas non est relatio.

Respondetur ex Scoto in 4. d. 13. q. 1. P, quod

P, quòd ablatiuus causalitate, & relatione potest denotare rationem principij proximi, idest formalis, vel remoti, hoc est, fundamentalis; si primo modo accipiatur, vtraque propositio est vera, quia causa sua entitate, quæ eius causalitas fundamentalis, causat, & non relatione, quæ est sibi aduentitia; si verò sumatur secundo modo, maior est vera denominatiuè, & formaliter, falsa verò fundamentaliter; & minor est falsa formaliter, & vera fundamentaliter; conclusio autem est vera accipiendo causalitatem fundamentaliter, falsa verò si sumatur formaliter.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram sumendo causalitatem pariformiter, vel formaliter, vel fundamentaliter; Ad minorem dico, esse veram fundamentaliter, falsam formaliter, quia sic relatione causæ causat. Consequens etiam est verum de causalitate fundamentali, falsum verò de formali, quia sic est relatio causæ.

Obijcitur tertiò: Causalitas formalis, non est nisi actualis influxus, secundum quem causa dicitur actualiter causans, sed relatio causæ ad causatum non est huiusmodi, quia remanet post actualem influxum, cùm perseuerent extrema, scilicet absoluta entitas causæ, & entitas absoluta effectus; ergo hæc relatio non erit causalitas formalis.

Respondetur maiorem esse veram de causalitate formali fundamentaliter, nō formaliter sumpta, quia sic non est influxus, sed relatio causæ ipsam denominans actu causam; vndè in hoc sensu minor est falsa, & cùm probatur, quod remanet relatio, & non remanet fundamentum, idest influxus actualis, dico cum Scoto in quol. 12. huiusmodi relationē, cum sit secundi modi, non fundari in actione causæ, sed in entitate eiusdem, vt est prior natura suo effectu, quia sic dicitur potentia actiua, quæ semper remanet post influxum actualem, & sic potest remanere etiam relatio causæ, vt forma intrinseca, & non tantum extrinsecè, vt non benè Scotizat Mastrius disp. 5. q. 2. n. 15. sicut aliàs ostendi cum Doctore subtili.

Obijcitur quartò contra quartam conclusionem ex Mastrio disp. 5. q. 2. n. 7. §. Quæres, quid dicat &c. quia causa in actu primo idem sonat, quod causa potens agere, sed potentia, & virtus causandi importat directè relationem transcendentalem ad effectum possibilem; ergo conceptus causæ in actu primo inuoluit essentialiter huiusmodi relationē transcendentalem.

Respondetur maiorem esse veram, vel formaliter, vel fundamentaliter; ad minorem, dico cum Scoto in 1. d. 7. q. vn. L. & quol. 8. H., esse veram sumendo potentiam pro formali, non tamen pro substrato, quia sic non dicit respectum, sed entitatem absolutam, per quā dicitur esse in actu primo, vt sit potens agere.

Contrà, quia, inquit Mastrius, Scotus in 1. d. 7. q vn. L. citatus, dicit, quòd virtus absoluta in causa non est ratio agendi, nec eam constituit in actu primo, seu potentem agere, nisi includendo respectum transcendentalem ad effectum; ergo, vel sibi contradicit, vel aliter sonant verba allata ex eodem loco citato in 1. & in quol. 8.

Respondetur salua pace tanti viri (quem alioquin maximi facio) Scotus illa verba ab eodem allata non habet eo loci, & illorum sensum, quippè eius verba sunt sequentia; loquendo præcisè de potentia actiua, seu productiua, de qua est modo sermo, distinguo vlterius de potentia denominatiuè sumpta, quod aliquando sumitur pro suo fundamento præcisè; aliquando autem pro ipso cum omnibus alijs, quæ concurrunt ad hoc, vt possit elicere actum, quæ scilicet requiruntur ad rationem potentiæ propinquæ, cuiusmodi sunt in creaturis approximatio passi, & impedimenti remotio: hactenus Doctor. Sed amabo dicat mihi iste Pater, vbi reperiantur verba ab ipso allata, aut illorum sensus, vt habeat concludere, respectum transcendentalem potentiæ ad effectum possibilem esse de constitutione eiusdem potentiæ in actu primo?

Dicet forsan contineri in illa clausula generali (cum omnibus alijs, quæ concur-

cur-

curruntad hoc, vt possit elicere in actũ) sed, meo videri, fallitur, tum quia illa, quæ requiruntur, ad hoc, vt possit substractum potentiæ elicere actum, debent esse illa priora, cum pertineant ad complementum actus primi potentiæ propinquæ, at quis non videat illum respectum esse posteriorem in sententia Scoti? quandoquidem habet pro termino actum secundum, seu effectum secundum esse absolutum, à quo huiusmodi respectus essentialiter dependet, & dependentia est semper ad prius: Tum etiam, quia Scotus quol.8.H. apertè excludit illum à ratione principij actiui, accipiendo pro illo, quod immediatè denominatur ab illo respectu. En quomodo Scotus, non habeat verba, aut verborum sensum, quæ attulit Mastrius pro fundamento suæ sententiæ, & quomodo non sibi faueat, sed potiùs sit in oppositum.

Obijcitur quintò contra quintam cõclusionem, quia Scotus in 2. d. 1. q. 2. ad 1. principale, dicit, quod prius est absolutum in causa, deindè absolutum in effectu, postea relatio in effectu, & tandem relatio in causa, sed actio est quædam relatio; ergo actio non præcedit ipsum effectum.

Respondetur agens duplicem habere relationem, scilicet producentis ad productum, & transmutantis ad transmutatum; ratione prioris dicitur causa, & terminatur ad effectum; ratione posterioris dicitur agens, & terminatur ad passum, seu subiectum. De vtroque verificatur axioma Scoticum, ita quod sicut relatio producentis ad productum non mediat inter causam, & effectum, sic nec relatio transmutantis ad transmutatum mediat inter agens, & passũ; non tamen hinc sequitur, quod relatio inter agens, & passum, quæ dicitur actio transmutatiua, non habeat mediare inter causam, & effectum, cum ista præcedat effectum, vt via suum terminum; quinimò est necessarium, ad hoc vt causa possit consequi suum terminum, sicut explicatum est in probatione conclusionis quintæ, & in 2. not.

Contra, quia via præcedit suum terminum, sed productio est via in productum; ergo productio præcedit ipsum productum, sed productio est actio productiua; ergo actio productiua causæ præcedit effectum, ac proindè mediat inter causam, & effectum.

Respondetur minorem, & subsumptũ habere veritatem de productione, & actione productiua fundamentaliter, nõ tamen de eadem formaliter sumpta, quia sic, nec præcedit effectum, nec est via in ipsum, cum relatio intrinsecus adueniens per quam causa dicitur producere tantùm denominatiuè, non formaliter.

Obijcitur sextò: Omnis relatio præsupponit suum terminum, cum ab ipso essentialiter dependeat, vt habet Scotus in 4. d. 12. q. 1. concl. 2. sed actio est quædam relatio; & effectus est eius terminus ex eodem Scoto in quol.8. art. 3. vbi dicit, per actionem rem produci; ergo actio productiua mediat inter causam, & effectum.

Respondetur maiorem esse veram de termino intrinseco, ad quem nimirum intrinsecè terminatur relatio, non tamen de extrinseco, & concomitanti, modò actio de genere actionis intrinsecè terminatur ad passum, cum dicat formaliter relationem transmutantis ad transmutatum, extrinsecè autem, & cõcomitanter tantum terminatur ad effectum productum à causa; igitur, quamuis præsupponat passum, ad quod intrinsecè terminatur, potest tamen præcedere effectum productum, cum ad ipsum ordinetur solùm extrinsecè, & ex consequenti.

Vtrum diuisio causa in Efficientem, Finalem, Materialem, & Formalem sit sufficiens?

QVÆSTIO III.

NOn defuerunt ex Antiquis, qui dixerint, numerum causarum esse minorem quatuor, & alij maiorem; siquidem Democritus teste Cicerone lib. 1. quæst. Academicarum, solùm materialem ponebat, Stoici verò, vt refert Seneca lib. 8. Epist. 66. Efficientem dumtaxat

xat concedebant, quibus adstipulari videtur etiam D. August. lib. 83. Quæstionum q. 28. vbi dicit, omnem causam Efficientem esse, nimirum Dei voluntatem, à qua omnia pendent. Socrates autem posuit tantum Finalem, & Plato his addidit Formalem, Exemplarem, & Instrumentalem, adeòvt omnes causas in numerum senarium redigeret.

Cæterùm Aristoteles in hoc 2. t. 27. 28. & 29. nec diminuit cum Antiquis, nec nimis excreuit cum Platone, causarum numerum, sed illas omnes ad quatuor reduxit: & quamuis assignauerit præter Efficientem, Finalem, Materialem, & Formalem, etiam Exemplarem, quam, & Idæam appellauit, illā tamen ordinauit, vel ad Efficientem, vel Formalem (vt suo loco videbimus de mente Scoti, & aliorum) adeò, vt propter illam non sit augendus, vltra quatuor, causarum numerus.

Pro cuius intelligentia, præter ea, quæ de causis hactenùs dicta sunt; insuper primò notandum est, causam dupliciter accipi posse, scilicet propriè, & impropriè. Causa impropriè dicitur illa ad quam sequitur aliquid, siuè positiuè, siuè negatiuè, siuè cum dependentia, siuè sine illa, siuè sit ab ea realiter distinctum, siuè non, & sic punctum respectu lineæ, instans respectu temporis, priuatio respectu compositi naturalis, & Pater in Diuinis respectu Filij, possunt dici causæ, cùm talia ad illa aliquo modo sequātur. Causa verò propria est illa, ad quā sequitur aliud positiuè, distinctum realiter, & essentialiter numericè, hoc est cum dependentia ad ipsam, & sic diuiditur dumtaxat in quatuor genera Causarum, scilicet in Efficientem, Finalem, Materialem, & Formalem, & de his est tantum sermo in præsenti quæstione.

Secundò notandum est, quod sufficiētia harum quatuor causarum deducenda venit à posteriori ex earum effectu, quādoquidem admisso aliquid verè produci in rerum natura, nequit fieri absque concursu harum quatuor causarum; nàm si aliquid realiter producitur, aut à se, aut ab alio, non est dicendum, quod à se, quia nihil gignit seipsum ex D. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 1. igitur ab alio, & sic datur producens, scilicet Efficiens. Hoc autem efficiens, aut supponit aliquid in actione sua, aut nihil; non potest dici nihil, quia ex nihilo, nihil fit; ergo aliquid, & tale est materia, seu causa materialis. Insuper ad hoc, vt agens dicatur agere debet aliquid producere, vel inducere in materiam, illud autem est forma, seu causa formalis, à qua compositum habet esse formale, cæterùm eum agens, non agat à casu, sed consultò, oportet vt moueatur ad actionem ab aliquo fine intento, & talis appellatur causa finalis; cùm igitur nihil aliud appateat necessarium agenti naturali ad hoc, vt compositum naturale producat in rerum natura, sequitur, causas huiusmodi suæ actionis productiuæ, debere esse tantū quatuor, scilicet Efficientem, Finalem, Materialem, & Formalem, ac proindè diuisionē illam causæ, vt sic, esse sufficientem, & adæquatam in has quatuor & non plures, nec pauciores.

Tertiò notandum, quod diuisio est duplex, scilicet per se, & per accidens; per se triplex, Vniuoci in sua vniuocata, Æquiuoci in æquiuocata, & totius in partes. Insuper diuisio vniuoca est triplex, scilicet generis in differentias, generis in species, & speciei in indiuidua, quarum omnium partitiones, & diffinitiones luculenter dedimus in Summulis tract. 1. sect. 3. cap. 3. ad propositum nostrum, Diuisio causæ in Efficientem, Finalem, Materialem, & Formalem, est per se, quia diuisum, & membra diuidētia non sunt alteri accidens, sed prædicata per se essentialia; & vniuoci in sua vniuocata, & generis in suas species, quia causa prædicatur de illis, tanquam genus de suis speciebus secundum idem nomen, & eandem rationem in eis inclusam; valet enim dicere, Causa efficiens est causa, & est principium, à quo aliquid essentialiter dependet; Causa finalis est causa, à qua aliquid essentialiter dependet, & sic de alijs; ergo causa vt sic, dicitur de illis quatuor, secundum idem nomen, & eandem rationem, ac propterea vniuocè.

Quartò notandum est, tres esse conditio-

ditiones requisitas ad bonam diuisionẽ, scilicet quod membra diuidentia sint opposita, saltem disparata, ita quod alterũ de altero prædicari verè, & affirmatiuè non possit; quod membra diuidentia non excedant diuisum, idest, quod nihil contineatur sub illis, quin etiam contineatur sub diuiso; & denique quod diuisum non excedat membra diuidentia, idest, quod omnia contenta sub diuiso distribuantur sub membris diuidentibus. Ex his infertur, hanc diuisionem causæ esse bonam per primam conditionem, quia illæ quatuor causæ sunt ad inuicem disparatæ; siquidem diffinitio vnius repugnat diffinitioni alterius, & cõsequenter etiam causæ sic diffinitæ abinuicem repugnant, vt vna de alia prædicari verè, & affirmatiuè nequeat, vt suis in locis videbimus. Per secundam, & tertiã conditionem etiam, est bona diuisio; siquidem omnis causa per se, vel est efficiens, vel finalis, vel materialis, vel formalis, aut saltem reducibilis, ad aliquam illarum, quod dico propter Exemplarẽ, & Instrumentalem, quæ habent reduci ad Efficientem, vt videbimus infra: similiter omnes causæ, participantes diffinitionem causæ in communi, continentur sub aliqua illarum; & quæ participant diffinitionem vniuscuiusq. harum quatuor causarum, continentur vniuocè sub causa vt sic considerata.

Ex his sit prima conclusio. Causæ per se requisitæ ad fieri rerum naturalium, sunt numero quatuor .s. Efficiens, Finalis, Materialis, & Formalis. Probatur primo auctoritate Aristotelis in hoc 2. Physic. t. c.27 & sequentibus vsq. ad 30. in quibus diffinit, quid sit vnaquæque illarum, & tandem t. 31. concludit, quod omnes causæ per se continentur sub his quatuor generibus causarum, ac proindè esse tantum quatuor genera causarum iã enumerata. Secundò probatur ratione desumpta ab earum sufficientia, quia aliquid fit de nouo, vt experientia quotidiana cõpertum est, sed nequit quicquã fieri sine istis quatuor causis (vel coniũctim, vel disiunctim, quod dico ob quosdã effectus simplices, qui refugiunt materiam, & formã, vt sunt Angeli, Animę rationales, & materia prima, quæ fiunt à Deo ex nullo præsupposito) ergo istæ quatuor causæ sunt necessariæ. Minor probatur, quia omne, quod fit naturaliter, vel est simplex, vel compositũ naturale, sed neutrum fieri potest sine aliqua istarum, vel sine omnibus simul sumptis, ergo &c. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur, quia entia naturalia simplicia, quæ carent materia, vt sunt accidentia materialia producuntur ab agente naturali in subiecto, vt sint dispositiones formarum substantialium, & accidentalium, tum absolutarum, tũ relatiuarum; ergo necessariò egent causa efficiente, & finali; entia verò naturalia composita ex materia, & forma, vt sunt corpora naturalia, siuè simplicia, siuè mista ex illis, siuè fiant ab agente naturali immediatè, siuè ab ipso Deo naturaliter agente, exposcũt de necessitate has quatuor causas, vt declaratum est 2. not. ergo necessariò dantur istæ quatuor causæ ad fieri rerum naturalium.

Secunda conclusio. Causæ huiusmodi necessariò requisitæ ad fieri rerum naturalium, sunt tantum quatuor, & non plures in genere, vel specie subalterna. Probatur, quia quot sunt genera quæstionum, tot sunt genera causarum; sed genera quæstionũ sunt tantum quatuor, & non plura; ergo & genera causarum sunt tantum quatuor, & non plura. Maior patet, quia ex Arist. t. 28. & 29 vnicuiq. quæstioni respondetur per aliquã causam; ergo quot sunt genera quæstionum, tot debent esse causarum genera. Antecedens patet discurrẽdo per omnia genera quæstionum, quæ sunt ista quatuor, scilicet à quo, cui correspondet Efficiens, ex quo, cui respondet Materialis, per quod, cui respondetur per Formam, & propter quod, cui fit satis per finem, seu causam finalem, vt si quæratur à quo genitus sit Ioannes? Respondetur per causam efficientem .s. à Francisco; si dicatur, ex quo sit genitus? Respondetur ex semine Frãcisci, & eius vxoris, quæ sunt causa materialis eiusdem. Si autem subiungatur; per quod Ioannes est homo genitus? Fit satis, per formalem causam, quæ est eius anima.

Si tandem quis perconctetur; propter quid Ioannes est genitus in hominem? Respondetur per finem, vt fęlicitate, ac beatitudine fruatur; ergo patet illa maior, quod cuilibet quæstioni correspondet aliqua ex his quatuor causis. Minor patet ex Aristotele t. 68. & 69. quia cùm quæstiones physicæ (de quibus in præsenti tantum loquimur) ordinentur ad cognitionem rerum naturalium, & harum cognitio pendeat ex notitia eorum, à quibus, ex quibus, per quæ, & propter quid fiant, consequenter dicendum est, quęstiones physicas esse tãtum quatuor, & non plures.

Tertia conclusio. Diuisio Causæ in Efficientem, Finalem, Materialem, & Formalem, est bona, & sufficienter data ab Aristotele in t. 28. & seqq. Prima pars probatur, quia illa diuisio, cui conueniunt conditiones bonæ diuisionis, est bona, & conueniens; sed hæc diuisio est huiusmodi; ergo &c. Maior patet. Minor remanet probata ex dictis in 4. not. Secunda pars patet ex 2. not. & ex duabus conclusionibus præcedentibus.

Quarta conclusio. Huiusmodi diuisio causæ in illas quatuor Causas iam enumeratas, est vniuoca, non tamen generis in species specialissimas, sed in subalternas, neque est immediata, verum mediata dumtaxat. Videtur communis apud omnes Doctores. Probatur prima pars, illa diuisio est vniuoca, cuius diuisum est vniuocum vniuocans, & membra diuidentia sunt vniuocata; sed diuisio causæ in has quatuor est huiusmodi; ergo &c. Maior patet ex diffinitione diuisionis vniuocæ, quam dedimus in Summulis tract. 1. sect. 3. cap. 3. Minor probatur, quia & nomen Causæ, & eius diffinitio congruit cuilibet harum quatuor causarum; siquidem Causa efficiẽs est causa, & ab ea effectus essentialiter dependet. Causa finalis est causa, & ab ea essentialiter aliquid dependet, & sic de alijs; ergo Causa, vt sic diuisa, est vniuoca, & quatuor causæ sunt vniuocatæ in illa. Secunda pars probatur, quia quælibet harum quatuor causarum subdiuiditur in plura membra; quandoquidem Causa efficiens diuiditur in primã, & secundam, scilicet in Deum, & Creaturas; Finalis in vltimatam, & non vltimatam; Materialis in primam, cuiusmodi est materia prima, quæ est altera pars compositi naturalis; & secundam, vt est compositum, seu subiectum immediatum accidentium, & tandem Formalis in substantialem, & accidentalem; ergo vnaque constituit vnum genus subalternum, ac proinde est diuisio generis in species subalternas, & nõ specialissimas. Tertia pars similiter probatur, quia ista diuisio supponit alias diuisiones; ergo non est per membra immediata. Antecedens probatur, quia causa prima sui diuisione partitur in causam per se, & per accidens; Causa per se in causam intrinsecam, & extrinsecam: Intrinseca in materialem, & formalem; & extrinseca in efficientem, & finalem; ergo hæc diuisio causæ in quatuor causas supponit alias, & consequenter non est immediata, sed mediata.

Obijcitur primò contra primam, & secundam conclusionem simul, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed nulla est necessitas ponendi quatuor causas; ergo &c. Maior est Aristotelis 1. Physicorum. Minor probatur, quia omnia possunt fieri à solo Deo, sicut de facto totus Mundus, cum omnibus in eo contentis, ab eo productus est; ergo nulla est necessitas ponendi tot causas inter se distinctas.

Respondetur negando minorem; ad probationem dico, huiusmodi necessitatem non desumi in ordine ad agens increatum, quia sic ab ipso pendent omnia, saltem vt à causa prima efficiente, & finali (quicquid sit pro nunc de materiali, & formali) omnia enim propter semetipsum operatus est Dominus, sed huiusmodi necessitas habet sumi per ordinem ad agens creatum, quod agit per motum, & mutationem, quia sic nõ potest quicquam fieri, nisi ad eius factionẽ concurrant omnes hæ quatuor causæ, vt probatũ est not. 2. & conclusione prima.

Obijcitur secundò: Causa exemplaris est causa, vt dicit Aristoteles in hoc 2. Physicorum t. 28. sed non est aliqua istarum quatuor; ergo non sunt tantum qua-

quatuor. Minor probatur, quia si esset aliqua istarum, maximè esset vel formalis, vel efficiens (quia de finali, & materiali non est dubium, cum habeant diuersum modum causandi ab exemplari) sed neutra esse potest; ergo &c. Minor probatur: Non formalis, quia Scotus in 1.d.2.q.2. sub G. inquit: Causam exemplarē, non constituere aliud genus causæ ab efficiente; sed neque efficiens esse potest, quia Philosophus 2. Physicorum tex. 29. dicit, Causam efficientem esse, à qua fit primo motus, sed ab exemplari non fit primo motus; ergo causa exemplaris non est efficiens.

Respondetur negando minorem; ad probationem dico pro nunc (quia in sequenti quæstione iterùm redibit sermo de hac materia) causam exemplarem reduci ad causam efficientem, cum habeat eundem causandi modum, vndè ad probationem in contrarium, dico cum Magistro, causam exemplarem ad duo comparari posse, & ad actionem causæ efficientis, & ad propriam; si ad priorē comparetur ab ea non fit primo motus; sin autem ad posteriorem, ab ea fit primo motus, vt declarabitur in sequenti.

Obijcitur tertiò: quia instrumenta, vt serra respectu sectionis ligni, securis respectu cæsionis arborum, & similia, sunt veræ causæ, sed non sunt aliqua istarum; ergo &c. Minor patet, quia si essent harum aliqua, maximè essent efficiens, sed non sunt efficiens, quia ab instrumentis non fit primo motus, verùm à causa principaliter agente; ergo nequeunt instrumenta esse causæ efficientes.

Respondetur negando minorem; ad probationem dico, esse veram maiorē, si comparentur instrumenta ad agentia principalia, non tamen si ad materiam, & formam, quia sic, cum habeant modum agendi causæ efficientis potiùs, quā materialis, & formalis, ad efficientem habent reduci, & non ad alias causas.

Obijcitur quartò: Vnio inter materiam, & formam est causa compositi naturalis, & approximatio stuppæ ad ignē est causa combustionis; sed neutra est aliqua harum quatuor; ergo plures sunt causæ, quàm quatuor. Maior patet, quia sicut absque vnione materiæ, & formæ non potest resultare compositū, ita sine approximatione stuppæ ad ignē nequit fieri combustio; ergo &c.

Respondetur negando maiorem, quia nullum influxum habent in ea, quæ censentur causare, tum quia sunt relationes extrinsecus aduenientes, quæ sunt de genere sterilium; Tum etiam, quia causæ verè influunt aliquid in suos effectus, at vnio nihil in compositum, & approximatio pariter nihil influit in combustionem; se habent enim tantum vt conditiones sine quibus causæ non influerent in suos effectus.

Vtrum Idea, seu Exemplar reducatur ad causam Efficientem, vel Formalem? Vel an constituat genus ab his distinctum?

QVÆSTIO IV.

QVamuis ex dictis, respondendo ad secundum argumentum præcedentis quæstionis, posset faciliter haberi resolutio huius propositæ difficultatis, nihilominus, quia ferè omnes Doctores eam seorsim tractant, vt potè controuersam, & nos pariter denuò illam examinabimus, referendo oppositas sententias, quæ super eadem adduci solent.

Prima igitur sententia est Alberti Magni in 1.sent.d.20.art. 1. Ægidij in Theoremat Proposit. 37. Henrici quol.9. q. 1. Durandi in 1. d.45 q.2. Caietani 1. p. q. 6. art.4. & aliorum asserentium, Ideam, seu Exemplar reduci ad causam formalem.

Secunda sententia, huic opposita, docet illa reduci, non ad formalem, sed ad efficientem causam. Ita Alensis 1. p. q. 23. memb.4. art. 1. D. Bonauent. in 3. d. 11. q.3. Scotus in 1.d.2.q.2.art.1. G. & d. 36. q.vn. B, quos postcà secuti sunt ex Recentioribus Suarez in Met. disp. 25. sect. 2. Molina 1.p.q.15. disp.2. Pererius lib.8. Natural.Philosophiæ c.1 & Ruuius tract. 6. de Causa Exemplari quæst. 3.

&

& alij multi.

Tertia est Platonicorum, dicentium Ideam, seu exemplar, non reduci ad aliquod genus causarum enumeratarum, sed constituere quintum genus ab illis distinctum. Hanc sequuti sunt Simplicius 2. Physic. com. 64. Tolet. q. 7. Fonseca lib. 1. Met. cap. 7. q. 1. sect. 5. Conimbricenses q. 4. & alij pauci, qui, quamuis videantur sequi Aristotelem, asserentem omnes causas per se contineri sub aliqua prædictarum quatuor, tamen secundum veritatem admittunt quintum genus in causa exēplari, cùm autument ad nullam illarum quatuor commodè, & propriè posse ordinari, ac reduci. Vndè pro totius controuersiæ definitione, ac veritate sententiæ Doctoris subt.

Primò notandum est, quod exemplar, seu idea, est duplex quædam est æterna, & increata, quædam creata, & temporalis. Idea æterna, ex Scoto in 1. d. 35. q. vn. est ratio æterna in mente diuina, secundum quam aliquid est formabile extra, vt secundum propriam rationem eius, & sic dicimus in Deo fuisse ab æterno ideas omnium rerum, ad quarum similitudinem postea in tempore omnia ab eodem sunt condita. Idea verò temporalis adhuc est duplex, alia enim est interna, & alia externa; interna est imago, seu similitudo rei faciendæ ad extra, existens in mente artificis, vel agentis, vt cognitio, seu conceptus, quem habet ædificator de fabricanda domo tali, vel tali modo, & forma, existens in eius intellectu, dicitur idea domus; similiter cognitio, quam habet faber lignarius de modo construēdi cathedram, vel scamnum, aut aliquid aliud artificiale, dicitur idea cathedræ scamni, aut alterius rei artificialis; externa verò est prototypus, vel imago externa, quam sibi fingit, aut format artifex, antequam opus intentum moliatur, vt parua statua ex creta, vel figura, à sculptore, vel pictore formata, aut delineata, vt ad eius similitudinem statuam, aut picturam vnusquisque in esse perfectum commodiùs reducere valeat. Hic non est sermo de idea æterna, quia hæc spectat ad Theologiam, sed de temporali, ac creata, nec de externa, quia talis attinet ad artificem mechanicum, verùm duntaxat de interna, cum hæc pertineat ad Philosophum, vndè quæritur: An huiusmodi exemplar, vel idea constituat aliquod genus causæ à cæteris distinctū, vel potiùs ad vnum illorum quatuor reducatur?

Secundò notandum est, quod ad hoc, vt aliquod principium construere valeat aliquod genus causæ à cæteris distinctū realiter, exigitur inter alia, vt habeat modum principiandi ab illis diuersum; siquidem Aristoteles in hoc 2. Physicorū à t. 28. vsque ad 31. quia conspexit materiam principiare ex quo, formam per quod, efficientem à quo, & finem propter quod, vel gratia cuius, qui sunt modi diuersi, & rationes principiatiuæ disparatæ, ideò in t. 31. conclusit, vnamquamque illarum constituere posse vnum genus causæ, & sic quatuor esse genera causarum inter se realiter distincta: Ad hoc verò, vt aliquid reducatur ad aliquod genus causæ, requiritur, quod habeat, seu participet causalitatem illius: vndè fit vt illa ex quibus fit aliquid, reducantur ad materialem; illa verò, quæ informando causant, ad formalem; illa quæ principiant efficiendo, ad efficientem, & illa, quæ mouent efficiens ad operandum, ad finalem causam: Cùm igitur exemplar, seu idea non habeant modum principiandi à cæteris diuersum, quin potiùs eius causalitas consistat in ostensione, seu repræsentatione operis ad extra producendi, & ostendere, ac repræsentare sit quodammodo efficere mentaliter, & intellectualiter producere, hinc fit, vt non possit constituere quintum genus causæ, sed ad genus causæ efficientis reduci habeat.

Tertiò notandum est, pro solutione argumentorum, quæ pro sententia opposita adduci solent, quod exemplar, seu idea mentalis, ac creata ad duo comparari potest, nempè ad agens, cuius intellectum quodammodo informat, & ad effectum eius, quem indicat tali, vel tali modo producendum. Primo modo idea, seu exemplar, potest dici, quod spectet ad causam formalem; siquidem informare est causalitas formæ, & hoc modo intelli-

intelligimus Philosophum locutum fuisse de idea, & exemplari, cum id inter formas enumerauerit 2. Physicorum t. 28. & 8. Metaph. t. 2. verùm vt sic non causat exemplando, quia exemplare non est informare, sed ostendere agenti opus ad extra fiendum. Cæterùm secundo modo, dicendum est omninò pertinere ad causam efficientem; quandoquidem complet eius virtutem in esse causæ, cum absque idea rei fiendæ existente in intellectu, non posset artifex quicquam consultò, & propter finem agere, sed omnia imprudenter, & à casu moliretur; nec magis statuam, quam scamnum conficeret, si prius in mente non haberet ideam statuæ, ostendentem diuersitatem statuæ à scamno, & è conuersò exemplar scamni differens ab exemplari statuæ.

Ex his igitur sit prima conclusio. Exemplar, seu idea creata interna, non constituit aliquod genus causæ à cæteris quatuor distinctum realiter, est communis inter Peripateticos, paucos si demas. Probatur, quia in tantum Aristoteles multiplicauit quatuor causas, in quantum habent diuersam causalitatem inter se, sed exemplar non habet causalitatem diuersam ab his quatuor causis; ergo nequit cõstituere vnum genus causæ ab his realiter distinctum. Maior patet ex Aristotele 2. Physicorum à tex. 28. vsque ad 31. Minor probatur, quia causalitas exemplaris est ostendere, vel repræsentare opus faciendum ab agente, sed repræsentare, aut ostendere opus fiendum ad extra, vel est munus formæ, vel efficientis; ergo exemplar non habet causalitatem diuersam ab his quatuor causis iam enumeratis. Minor probatur, quia ostendere, vel repræsentare opus faciendum est tribuere illi esse specificum, per quod ab alio cognoscatur distinctum, ac diuersum, sed dare esse specificum intrinsecè est proprium formæ, extrinsecè verò efficientis; ergo ostendere, aut repræsentare opus faciendum ad extra, est munus formæ, vel causæ efficientis, ac proindè exemplar non habet causalitatem diuersam ab his quatuor causis.

Secunda conclusio. Exemplar, & idea non reducitur ad causam formalem. Probatur, quia aliquid reduci ad causam formalem est participare causalitatem causæ formalis; sed exemplar, siuè idea non participat causalitatem formalem; ergo &c. Maior patet ex dictis not. 2. Minor probatur, quia causalitas causæ formalis est per informationem dare esse effectui, vt patet de forma substantiali, quæ dat esse composito, ex eo, quod informat materiam, sed exemplar non exemplat opus faciendum ab agente ex eo, quod informat intellectum agentis; ergo &c. Minor probatur, quia accidit exemplari, ad hoc vt exemplet opus faciendum, informare intellectum agentis; siquidem potest exemplare, & non informare, cum non dicat conceptum formalem, sed tantum obiectiuum in mente artificis; patet etiam à simili de exemplari externo, quod exemplat dum artifex aliquod opus simile molitur, & tamen nihil informat; ergo accidit informatio exemplari interno, adhoc, vt exemplare valeat opus per agens fiendum, & consequenter exemplar, vt tale, non participat causalitatem causæ formalis.

Tertia conclusio. Exemplar, siue idea in causando reducitur ad causam efficientem. Est Scoti in citatis locis. Probatur primò auctoritate D. Dionysij Areopagitæ lib. de Diuinis Nominib. cap. 4. & 5. ac D. Augustini lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 25. dicentium, Exemplaria, & ideas esse causas effectiuas rerum. Deindè Aristoteles 7. Metaphysic. tex. 23. & 12. Metaphysic. tex. 24. dicit, externam domum, vel sanitatem fieri effectiuè ab interna domo, vel sanitate, quæ est in mente domificatoris, vel medici; sed domus, & sanitas in mente sunt ideæ, & exemplaria domus, & sanitatis externæ; ergo exemplar, & idea habet reduci ad causam efficientem, etiam secundum Aristotelem. Secundò probatur ratione, desumpta ex Doctore subt. in 1. d. 36. q. vn. §. Præterea sexto sub B. sicut se habet forma naturalis ad suum effectum in producente, ita forma intelligibilis ad suum

in intelligente, sed forma naturalis, in quantum est ratio agendi in producente est causa efficiens; ergo & forma intelligibilis, prout est ratio producendi erit causa efficiens. Minor probatur, quia etsi anima, prout informat corpus, sit causa formalis, tamen quatenus est ratio producendi operationes vitales est causa efficiens. Confirmatur, quia quæcumque necessariò concurrunt, ad hoc vt possit potentia elicere suum actum, talia pertinent ad talem potentiam ex Aristotele 9. Metaph. cap. 4 & Scoto in 1. d. 7. q. vn. sub L. ergo etiam, quæ necessariò concurrunt ad hoc vt aliqua causa possit causare, pertinent ad talem causam, sed causa efficiens absque exemplari nequit dare esse effectui specificum, & distinctum ab alio; ergo exemplar spectabit ad causam efficientem. Sequela maioris patet, quia causa nequit causare, nisi sit potens potentia propinqua, ergo si quæ necessariò concurrunt ad potentiam, vt possit elicere actum, spectant ad huiusmodi potentiam, sic spectabunt ad talem causam omnia, quę sunt ei necessaria ad causandum. Minor probatur, quia statuarius non potest facere statuam Veneris, vel Mercurij, nisi habeat in mente exemplaria vtriusque, alioquin, aut neutrum produceret, aut alteram pro altera; ergo exemplar necessariò concurrit ad hoc, vt efficiens possit efficere, ac proindè ad efficientem causam spectabit, & non ad formalem.

Obijciunt Platonici contra primam conclusionem, quia per ideam, & per nullam aliam causam, fit satis interrogationi propter quid de aliquo ideato, seu artificiali; quandoquidem quærenti cur statua, vel imago Socratis sit nasicunca, respondetur per causam, nempè, quia eius exemplar in mente sculptoris, vel pictoris erat huiusmodi, & nequit satisfieri per aliam ex quatuor causis; ergo signum est, quod exemplar constituit quintum genus causæ à cæteris distinctum. Consequentia patet, quia Aristoteles 2. Physic. t. 68. & 99. iuxta multiplicationem quæstionum multiplicauit etiam causas; ergo si ad quæstionem de ideato non potest fieri satis per alias causas, sed tantum per causam exemplarem, dicendum est, hanc necessariò constituere quintum genus à cæteris distinctum.

Respondetur negando consequentiam; siquidem dissoluitur quæstio per causam efficientem determinatam per ideam, & non per ideam, vt per causam ab ipsa distinctam; quo fit vt idea non sit principium quod causandi, sed tantum quo sine, agens nequit quicquam exemplariter efficere.

Obijcitur secundò cum Auctoribus citatis pro prima sententia, quia D. August. lib. 83. quæst. q. 46. Et lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 25. & Aristoteles 2. Physicorum t. 28. Et 5. Met. cap. 2. appellant ideas formas, sed formæ non spectant ad causam efficientem, verum ad formalem; ergo &c.

Respondetur minorem esse veram de formis in ordine ad subiectum, quia sic, cum illud afficiant, sunt causæ formales, falsam autem in ordine ad operationes, respectu quarum sunt rationes productiuæ, quia sic pertinent ad causam efficientem, & non ad formalem.

Obijcitur tertiò: Esse specificum effectus habetur à forma potius, quàm ab efficiente, sed exemplar dat esse specificum effectui producendo; ergo exemplar debet esse potiùs causa formalis, quàm efficiens. Maior patet, quia esse specificum hominis, & bouis habetur in illis à propria anima, quæ & eorumdem forma. Minor similiter, quia si quæratur, cur statua equi differat specie à statua hominis, respondebitur certè, quia exemplar huius differt specie ab exemplari illius; ergo exemplar dat esse specificum effectui.

Respondetur maiorem esse veram de esse specifico intrinseco; tale inquam sumitur à forma intrinseca ipsum constituente, vt rectè exemplificatur de homine, & equo, qui distinguuntur specie per eorum animas, vt per formas intrinsecas; falsam tamen de esse specifico extrinseco, quia tale est ab efficiente, determinato per formam extrinse-

cam

cam ad productionem effectus tali, vel tali modo: cæterùm exemplar dat esse specificum extrinsecè effectui, quatenus determinat agens ad producendum potiùs hunc, quàm illum, & ideò, cum se habeat veluti principium quo, & ratio producendi determinatè in ipso artifice, ad efficientem causam potiùs, quàm ad formalem reduci debet.

Obijcitur quartò contra tertiam conclusionem: Causa efficiens est id, vndè motus sumitur; sed idea non est id, vndè motus sumitur saltem primò in artificialibus; ergo &c. Maior est Aristotelis 2. Physic. t. 29. Minor patet, quia agens ab idea non sumit motum agendi simpliciter, sed tantum determinatè agendi; ergo non est causa effectus.

Respondetur argumentum non probare, quod idea non reducatur ad causam efficientem, sed solum non esse causam efficientem, quod vtique concedimus.

De causa Materiali, & Formali simul.

DISPVT. IV.

Ex hactenus dictis, ac disputatis de Causis in communi, facilè posset vnusquisque nosse, quid respondendū sit ad quæstiones de eisdem in particulari; tamen quia finis intentus est iuuare Tyrones Scotistas, operepretium duxi communem doctrinam vnicuique causæ adaptare. Et quia inter omnes, Causa materialis, & formalis, vt quæ potè intrinsecè concurrunt ad esse rerum naturalium, primum locum sibi vendicant, idcircò de illis prius, quàm de Efficiente, & Finali, agendum nobis erit, modo quo sequitur.

Quid sint Causa Materialis, & Formalis, quaue, ac quot sint earum causalitates?

QVÆSTIO I.

Quamuis ex multis dictis de Materia, & Forma possemus satisfacere etiam quæstioni propositæ, cùm nonnulla dixerimus, quæ spectant ad ipsas quatenus sunt causæ intrinsecæ compositi naturalis, nihilominus ad vberiorem doctrinam tradendam, & ad meliùs explicandam iam traditam, iterùm examinanda (breuiter tamen) nobis erit eadem materia, vt ad propositum spectat.

Circa naturam harum duarum Causarum in se nullum reperitur dissidium inter Expositores; omnes enim recipiunt diffinitiones ab Aristotele de vtrisque traditas hic t. 28. Et 5. Metaphysic. cap. 2. cæterùm circa numerum effectuum, & causalitatum, tàm materiæ, quàm formæ, vt causæ sunt, dissonueniunt; siquidem Maior in 2. d. 12. q. 2. Albertus Magn. 2. Physic. tr. 2. c. 2. cum alijs putant, dari tantum vnicum effectum, & consequenter vnicam causalitatem in actu secundo vtriusque, vt causæ sunt. Conimbricēses ex opposito, cum Fonseca 5. Metaph. c. 2. q. 1. sect. 2. & Suarez disp. 13 sect. 7. quos sequuntur alij plures ex Recentioribus, assignant plures effectus, & plures causalitates vtriusque. Quid autem nobis sit dicendum, quibusdam notatis, aperimus in conclusionibus.

Primò notandum est: Causam materialem diffiniri per id, ex quo aliquid fit, cum insit .i. Causa materialis est principium intrinsecum, ex quo simul cum forma fit compositum, siuè substantiale, siuè accidentale. Ex materia namque prima simul cum forma substantiali fit compositum substantiale, seu totum essentiale per se physicum, & ex materia secunda simul cum forma accidentali, fit compositum accidentale .i. totum per accidens physicum. In qua diffinitione ly principium ponitur loco generis, & ly ex quo, loco differentiæ, cum per hanc par-

ticulā causa materialis, nō solum differat à formali, quæ habet modū causandi per quod, sed etiā ab efficiente, cuius modus est à quo, & à finali, quæ habet modum principiandi erga compositum propter quod, seu gratia cuius. Per ly autem, cū insit, seu inexistenti, ostenditur, non solum eius differentia cum priuatione, quæ dum principiat non inexistit composito, sed innuitur, quod materia simul cum forma sit principium intrinsecum compositi, ratione cuius ambæ differunt à causa efficiente, & finali, quæ sunt eiusdem principia extrinseca. Ex his infertur bonitas huius diffinitionis, cum per eam expendatur natura causæ materialis, vt sic, per genus, & differentiam, & competat soli, & omni causæ materiali, quia in his tribus conditionibus consistit bonitas, & conuenientia cuiuscumque diffinitionis.

Secundò notandum est, ex Aristotele in præcitatis locis, Causam formalem esse rationem quod quid erat esse, seu rationem quiditatis compositi, idest causa formalis est principium intrinsecum, à quo per modum actus dependet essentialiter compositum. In qua diffinitione ponitur ly principium loco generis, ly intrinsecum loco differentiæ, per ipsum namque causa formalis differt ab efficiente, & finali, quæ sunt principia extrinseca compositi physici; & per ly per modum actus, discriminatur causa formalis à materiali; ab hac enim dependet essentialiter compositum per modum potentiæ, & non per modum actus, vt alibi diximus. Ex qua diffinitione infertur, primò quod non solum formæ substantiales, sed etiam accidentales; nec tantum naturales, verùm etiam artificiales, sint veræ causæ formales; siquidem ab omnibus respectiuè pendent essentialiter sua composita. Secundò infertur, hic non diffiniri causam formalem substantialem, aut accidentalem, naturalem, vel artificialem duntaxat, sed omnes simul, quatenus conueniunt in causa formali, vt sic, omnibus communi.

Tertiò notandum est, quod effectus, tàm materiæ, quàm formæ sunt in duplici differentia; quandoquidem alij respiciunt compositum; alij verò mutuò ordinantur in seinuicem. Si de prioribus loquamur, certum est, esse tantum vnicum effectum, tàm ex parte materiæ, quàm formæ, qui est compositum ab illis essentialiter dependens in suo genere; siquidem materia causat compositum per modum per se potentiæ, & forma per modum per se actus. Si verò de posterioribus sit sermo, plures sunt effectus vtriusque, nam ex materia educitur forma, & postea recipitur ab ea, in qua receptione consistit eius vnio cum forma; hæc verò informat, actuat, & determinat ipsam materiam, quæ de se est indifferens ad omnes formas, ne alias præter seipsam, recipiat, & ex hac actuatione, & determinatione, insurgit alter effectus secundarius formæ, qui est expulsio formæ præcedentis in materia: vndè dicta recolligendo, primò sequitur, quod eductio passiua formæ, & eiusdem receptio, seu vnitio passiua, sint duo effectus materiæ; informatio verò, seu actuatio formæ, ac denominatio materiæ sint alij duo effectus ipsius formæ. Secundò sequitur, quod priores effectus respicientes compositum sint proprij vtriusque, scilicet materiæ, & formæ, quatenus sunt causæ; siquidem ab illis essentialiter dependet compositum, tamquàm à per se actu, & per se potentia: posteriores verò sunt effectus, tàm materiæ, quàm formæ, non prout sunt causæ, sed quatenus sunt principia, seu rationes, sine quibus, nec materia esset causa materialis ex qua, nec forma esset causa formalis per quam compositum haberet esse, veluti vtriusque effectus.

Quartò notandū est ex dictis quæst. 2. Causalitates materiæ, & formæ dupliciter attendi posse, vel fundamentaliter, vel formaliter; & insuper in actu primo, & in actu secundo. Si primo modo attēdantur, sunt entitates materiæ, & formæ absolutæ in actu primo consideratæ; in actu verò secundo sunt entitates

in fieri effectuum, tam materiæ, quàm formæ. Sin autem secundo modo spectentur, causalitas materiæ in actu primo est relatio causæ materialis ad compositum, ab ea essentialiter dependens, vt à principio ex quo; in actu verò secūdo est ipsius compositi relatio effectus ad materiam, vt ad causam materialem ex qua. Similiter causalitas formæ in actu primo est relatio causæ formalis ad idem compositum, à quo essentialiter dependet, vt à principio intrinseco per quod habet esse formale, ac specificum; in actu verò secundo est relatio effectus causæ formalis ad suam causam per quā habet esse quiditatiuum, & specificum. Ex his infertur, quod causalitas in materia, & forma vt causæ sunt, fundamentaliter sumptæ, compositi naturalis, est tantum vna; siquidem huiusmodi causalitas in actu secundo cum non sit, nisi effectus in fieri, & effectus in fieri sit tantum vnus, nimirum compositum ab eis essentialiter dependens, consequēter etiam causalitas in actu secundo erit tantum vna.

Ex his fit prima conclusio. Diffinitiones causæ materialis, & formalis, datæ ab Aristotele in citatis locis, sunt bonæ, ac conuenienter assignatæ. Probatur, quia diffinitio, quæ explicat naturam, & essentiam diffiniti per genus, & differentiam, & insuper competit soli diffinito, & omni contento sub eo, est bona, ac conueniter assignata, sed diffinitiones causæ formalis, & materialis sunt huiusmodi; ergo sunt bonæ, ac conuenienter assignatæ. Maior est Aristotelis 7. Metaphysic. tex.43. &44. Minor verò probata manet in primo, & secundo notab.

Secunda conclusio. Causalitates causæ materialis, & formalis in actu primo fundamentaliter sumptæ, non consistunt in aliquo modo eis superaddito, sed dumtaxat in earum entitate absoluta, prout est prior natura suo effectu. Est Scoti in 2. d.1. q.2. & d. 12. q. 1. vbi cum loquatur in primo loco de causa vt sic, consequenter debet intelligere etiam de qualibet causa in particulari. Probatur eodem modo, quo probata fuit huiusmodi cōclusio de causalitate in actu primo fundamentaliter sumpta causæ in communi, quia seclusis quibuscumque modis ab entitatibus vtriusque causæ, quæro an possint causare, seu ponere in esse effectum, aut non: si sic, habetur intentum, quod in sola entitate sita est vis causandi: si verò non, igitur sequitur destrui earum naturas; quandoquidem negatis operationibus ab aliqua causa, destrui eius essentiam necesse est secundum Commentatorem 9. Metaph. com. 2.

Tertia conclusio. Causalitates in secundo actu fundamentaliter sumptæ, sunt earum effectus in fieri, siuè sumantur in ordine ad se, siuè ad compositum. Probatur, quia si huiusmodi causalitas, seu cōcursus est distinctus ab effectibus, quæro per quid fiant, non per se, quia eodem modo etiam effectus fierent per se; ergo per aliam causalitatem, seu concursum, & de hoc quæram sicut priùs, an fiat per se, vel per alium, & sic concedēdum est, vel per se fieri, vel dari processum in infinitum, quod vtrumque repugnat, quarè relinquitur, quod huiusmodi causalitas, seu concursus harum causarū in actu secundo fundamentaliter, non sint, nisi earundem effectus in fieri.

Quarta cōclusio. Causalitas huiusmodi causarum in actu secundo fundamentaliter sumpta in ordine ad compositū, est tantum vna vtreque communis. Probatur, quia huiusmodi causalitas est effectus in fieri ex præcedenti conclusione, sed talis effectus, ab his causis essentialiter dependens, est tantum vnus .i. compositum ab vnaquaq. earum in suo genere resultans est vnicum duntaxat; ergo & causalitas est tantum vna.

Quinta conclusio. Causalitates verò huiusmodi causarum in seinuicem ordinatarum, quæcumque sint illæ, siuè adæquatæ, siuè inadæquatæ, sunt plures ex parte vtriusque. Probatur, quia formæ educuntur de potentia materiæ, ipsa præbente suum concursum passiuum; deindè illas recipit in se, qua ratione dicitur eas sibi vnire; similiter forma informat, seu actuat materiam, determinando illam,

ne simul aliam secum substentare valeat; sed in his effectibus consistunt causalitates in actu secundo in seinuicem harum causarum; ergo huiusmodi causalitates sunt plures.

Sexta conclusio. Causalitates formaliter sumptæ, tum in actu primo, tum in actu secundo sunt plures in vtraque causa. Probatur, quia causalitas formaliter in actu primo dicit relationem causæ ad effectum, & in actu secundo importat relationem effectus ad suam causam, sed vtriusque sunt plures effectus, siuè ordinentur ad seinuicem, siuè ad compositum, vt probatum est in præcedentibus conclusionibus; ergo etiam plures relationes causæ ad effectum, & è conuersò, effectus ad suam causam. Maior patet ex dictis ac probatis de causa in se formaliter sumpta supra quæst. 2.

Septima conclusio. Causalitates materiæ, & formæ in actu secundo fundamentaliter sumptæ, distinguuntur à suis causis realiter; formaliter verò acceptæ, tàm in actu primo, quàm in actu secundo, sunt aliæ realiter à suis fundamentis. Probatur prima pars, quia effectus distinguuntur realiter à suis causis, cum nihil idem causet se, ex D. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 1. sed huiusmodi causalitates sunt effectus in fieri; ergo &c. Secunda pars probatur, quia relatio prædicamentalis distinguitur realiter à fundamento, & termino; sed causalitates formales sūt relationes prædicamentales, siuè intrinsecùs, siuè extrinsecùs aduenientes, non curo; ergo distinguuntur realiter à suis fundamentis. Maior fuit probata in lib. Prædicam. cap. de Relationibus in propria quæstione. Minor probatur, quia relatio, cuius fundamentum potest esse sine termino, est prædicamentalis, vt probat Scotus in 2. d. 1. q. 5. & nos cum illo ostendimus in præcitato loco; sed relationes, quæ intercedunt inter causam materialem, ac formalem, & suos effectus, sunt huiusmodi; siquidem materia, & forma possunt adinuicem separari, & ambæ à composito, vt probatum est in 1. lib. Physicorum, quæstione illa de Toto essentiali physico, & alia de separatione Materiæ à Forma; ergo huiusmodi relationes sunt prædicamentales, & consequenter realiter distinctæ à suis fundamentis.

Obijcitur primò contra primam, quia diffinitiones assignatæ ab Aristotele de causis materiali, & formali, non explicant adæquatè naturam huiusmodi causarum; ergo non sunt bonæ, nec conuenienter assignatæ. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia forma fit ex materia, tanquam ex causa materiali ex qua educitur, sed materia non inest intrinsecè formæ; ergo malè dicitur, esse id, ex quo aliquid fit cum insit. Similiter forma dat esse formale materiæ, cum illam actuat, sed hoc esse non est de quiditate materiæ; ergo malè dicitur in eius diffinitione, quod sit ratio quod quid erat esse, idest ratio quiditatis eius, quod causat.

Respondetur: Causas intrinsecas, sicut extrinsecas, cum ab Aristotele non fuerint potissimùm ordinatæ, vt exerceāt earum causalitates in seinuicem; sed in compositum naturale, quod earum effectus est omnibus communis, non fuisse diffinitas secundum omnem causalitatem, quam habere possunt, verùm dumtaxat secundum illam, per quam respiciunt compositum naturale; ideò non est mirum, si huiusmodi diffinitiones nō exprimant naturam, & causalitatem, quam in seinuicem habere possunt.

Formaliter ad argumentum negatur vtraque consequentia, quia huiusmodi diffinitiones sunt assignatæ ab Aristotele de Causa materiali, & formali ordinatis ad principalem effectum, & non ad omnes, quos habere possunt.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem: Materia potest esse sine actuali causalitate, sed nequit esse sine propria entitate; ergo eius causalitas in actu primo non consistit in eius entitate absoluta. Maior patet, quia si per diuinā potentiam separaretur ab omni forma, nihil causaret, siuè in actu primo, siuè in actu secundo; siquidem nullus esset effectus, cum nulla esset forma in quam, & cum qua exercere posset eius causalitatem passiuam; ergo materia potest

poteſt eſſe ſine omni cauſalitate, etiam in actu primo.

Reſpondetur maiorem eſſe veram de actuali cauſalitate in actu ſecundo, non tamen in actu primo; ſiquidem omnis cauſa ſecundum ſuum eſſe habet ſemper principium cauſandi, ſecluſo quocumque ab ea diſtincto realiter. Ad probationem dico, eſſe veram in actu ſecundo, quia data hipotheſi, reuera nihil cauſaret in actu ſecundo, cauſaret tamẽ in actu primo, quia eius entitas abſoluta eſſet prior natura quocumque eius effectu poſſibili.

Obijcitur tertiò: Materia, & forma non cauſant compoſitum, niſi ſint vnitæ; ergo earum cauſalitas in actu primo non conſiſtit in earum entitate, ſed in vnione illarum. Antecedens patet. Cõſequentia patet ſimiliter, quia illud eſt ratio cauſandi, quo poſito cauſa cauſat, & quo remoto, non cauſat, ſed poſita vnione materiæ ad formam, ſtatim ambæ cauſant compoſitum, & remota, non amplius cauſant; ergo vnio eſt ratio cauſandi, & nõ virtus, ſeu entitas vtriuſque.

Reſpondetur negando conſequentiã; vnio enim inter materiam, & formam, non exigitur, vt ratio cauſandi, ſed vt cõditio ſine qua non; ſicut etiam approximatio agentis ad paſſum exigitur neceſſariò ad hoc vt agens agat in paſſum, & tamen approximatio non eſt ei ratio agendi, ſed tantum conditio; ideò maior ſumpta in probatione conſequentiæ, eſt omninò falſa, quia non omnia neceſſariò requiſita ad actionem, vel paſſionem alicuius, ſunt ſibi rationes agendi, & patiendi: eſtque manifeſta inſtantia, non ſolùm de approximatione, ſed etiam de remouente prohibens, ac de diſpoſitionibus neceſſarijs ad generationem, & corruptionem, & tamen illæ non ſunt rationes formales generationis, & corruptionis.

Obijcitur quartò contra tertiam concluſionem: Cauſalitas, cum ſit ratio cauſandi, debet præcedere effectum, ſed effectus non præcedit ſeipſum; ergo effectus in fieri nequit eſſe cauſalitas in actu ſecundo.

Reſpondetur maiorem eſſe veram de cauſalitate in actu primo, non tamen in actu ſecundo; quandoquidem ſicut illa eſt ratio cauſandi effectum, qua de cauſa debet illum præcedere, ita iſta cum non ſit ratio cauſandi, ſed potius cauſata cum effectu, non habet illum præcedere, verùm ipſum comitari, ſiquidem eſt effectus in fieri, præcedens ſeipſum in facto eſſe, ſicut potentia actum; vel vt via ſuum terminum.

Obijcitur quintò contra quartam concluſionem: Cauſæ compoſiti ſunt duæ, inter ſe realiter diſtinctæ; ergo & cauſalitates debent eſſe duæ. Antecedens patet, quia materia, & forma, quæ ſunt cauſæ compoſiti, ſunt abinuicem realiter diſtinctæ. Conſequentia patet, quia cauſalitas eſt ratio cauſandi in cauſa; ergo ſi multiplicantur cauſæ, & cauſalitates debent multiplicari.

Reſpondetur: Conſequens, cum ſua probatione eſſe verum de cauſalitatibus in actu primo, non vero in actu ſecundo, quia hæ non diſtinguuntur ab effectu in fieri; cùm igitur hic effectus ſit vnicus, & indiuiſus, pendens eſſentialiter à materia, & forma, & cauſalitas earum in actu ſecundo erit tantum vna, & non plures.

Obijcitur ſextò contra quintam concluſionem, quia tantum eſt vna forma, quæ eſt effectus cauſæ materialis, & ſolum vna materia dependens in eſſe formali à cauſa formali; ergo vtrinque erit tantum vna cauſalitas, & non plures. Antecedens patet. Conſequentia patet ſimiliter, quia cauſalitas in actu ſecundo non diſtinguitur ab effectu, ſed effectus materiæ, & formæ eſt tantum vnus; ergo & cauſalitas vtrinque erit vna.

Reſpondetur negando conſequentiã; ad probationem dico, maiorem eſſe veram de effectu in fieri, non autem in facto eſſe, quia, ſicut actus, & potentia, hoc modo diſtinguuntur realiter, vndè effectus materiæ, & formæ ſic accepti ſunt tantum duo; verũ in fieri ſunt plures, eductio enim formæ de potentia materiæ, diſtinguitur realiter à receptione, & tranſmutatione, cum abinuicem ſeparari poſſint, vt patet de anima rationali, quæ recipitur in materia, nec tamẽ

ab ea educitur; similiter informatio materiæ, & expulsio formæ præcedētis sunt effectus formæ, sicut præcedentes, materiæ; igitur dicendum est, plures esse causalitates, tàm materiæ, quàm formæ, si comparentur adinuicem in ratione causæ, vt luculentiùs explicabimus in propria quæstione.

Vtrum Deus supplere possit causalitates materiæ, & formæ, tùm in ordine ad seinuicem, tùm etiam in ordine ad compositum?

QVÆSTIO II.

Hanc difficultatem tangit Doctor subtil. diuersis in locis, nec in omnibus videtur vniuocus; siquidem in 1. d. 5. q. 2. C. loquens de causalitate materiæ, quatenus subesse potest potentiæ primæ causatiuæ, inquit, quod quamuis non possit se sola supplere causalitatem causæ materialis, ob eius in causando imperfectionem, hoc tamen præstare poterit, reducendo genus causæ materialis, ad genus causæ efficientis, in quo non reperitur imperfectio: vndè infertur, Deum posse quidem supplere causalitatem causæ materialis, in genere causæ effectiuæ, non verò in proprio genere materiæ. Item in 4. d. 12 q. 1. E. dicit, primam causam supplere posse causalitatem cuiuscumque causæ secundæ, quia habet in se omnem talem causalitatem eminentiùs, quam secunda causa, & loquitur, non tantum de causa extrinseca, sed etiam de intrinseca, & potissimùm de materiali, ex qua educitur forma accidentalis, alioquin non benè probaret, accidens dicere essentialem dependentiam ad causam extrinsecam simpliciter primam .s. ad Deum tantum, cum eius productio eminentiùs contineatur in eius causalitate, quam subiecti, ex quo educitur. Cæterùm in 1. dist. 8. q. 4. sub X. negat, in Deo reperiri posse formam informantem, cum informatio dicat imperfectionem, sicut receptio in subiecto, quod informatur per ipsam; vndè inferri, non posse Deum supplere causalitatem, quam forma exercet in materiam ipsam actuando, cùm nequeat informare, nec rationem partis habere, ob imperfectionem, quam secum afferunt ratio partis, & informatio. Denique in 1. d. 17. q. 1. sub Cc §. Secunda via accipitur &c docet, causam primam posse per se, quicquid potest cum causa secunda, quæ non sit de essentia rei, & hoc fatetur se addere propter materiam, & formam in composito, quia Deus non posset compositum sine partibus componentibus causare. Hæc Scotus; ex quibus apparet varietas eius dicendi in hac materia, dum aliquando affirmat, Deum posse supplere, saltem in genere causæ efficientis, causalitatem materiæ, & formæ, & aliquando neget, ne ipsum imperfectionis insimulari videatur.

Mastrius disp. 5. q. 5. nititur conciliare hunc varium dicendi modum, distinguendo de duplici causalitate, quam materia, & forma exercere possunt, vel in seinuicem, vel in ordine ad compositum. Priorem, quam veluti extrinsecam ad modum causæ efficientis agnoscit, ait esse consentaneum Doctori, affirmare, posse per Deum suppleri, saltem in genere causæ efficientis, non in totum, sed solum quoad illam causalitatem, quam materia exercet in formam, illam sustinendo; cæterùm, causalitatem formæ in materiam, aut vtriusque in compositum, nullo modo posse per Deũ suppleri, inquit, tenendum esse de mente eiusdem Doctoris. Hanc eamdem opinionem, suppresso tamen nomine Doctoris, aut Mastrij, tuetur etiam Poncius hic disp. 8 q. 4.

Quid autem nobis dicendum sit de intentione Doctoris subtilis, & secundum veritatem ipsam, quibusdam adnotatis, aperiemus in conclusionibus.

Primò igitur notādum est ex Mastrio citato n. 53. & colligitur ex Scoto in 1. d. 8. q. 4. X. & d. 17. q. 1. Cc, & in 4. d. 12. q. 1. Materiam, & formam exercere posse causalitatem, & in seinuicem, vicissim se causando, & in compositum, se illi communicando per modum partis essentialis, ex quibus intrinsecè coalescit vt to-

tum

tum physicum. Prioris generis causalitas vocatur ab eodem extrinseca, quia nec materia formæ, nec forma materiæ, exhibet propriam entitatem, sed mutuò se iuuant extrinsecè, in proprio tamen genere, secundum virtutem, ad modum causæ efficientis extrinsecæ; non enim cum forma educitur ab agente de potentia materiæ, ipsa se illi communicat secundum entitatem, quo pacto dat esse composito, sed solùm præstat cōcursum passiuum, vt ex aliquo præsupposito, possit ab agente educi de non esse actu, ad esse actu: similiter, cū materia actuatur per formam, illam in se recipiendo, non accipit ab ea esse intrinsecum, & sibi essentiale, sed tantum esse formale, quod est sibi extrinsecum, & ab ipsa, nedum essentialiter, verùm etiam realiter distinctum: Cæterùm posterioris generis causalitatem meritò appellat intrinsecā; composito enim se exibent partes essentiales, ipsum constituendo, quia sine illis esse non posset per vllam potentiam; quandoquidem nullum ens potest habere esse, & existere absque illis, quæ sunt de eius essentia, cum essentia, & esse sint omninò idem.

Secundò notandum est, vt colligitur ex Scoto locis citatis, Deum supplere causalitatem, seu causalitates materiæ, & formæ, non est aliud, quàm seipso posse ponere in esse effectus vtriusque absque illarum concursu; hoc autem potest contingere dupliciter, vel exercendo munia, & modos causandi materiæ, & formæ, hoc est, præstando concursum passiuum ad eductionem formæ, ipsam recipiendo, ac sustentando, & actuando ipsam materiam, sicut facit forma, vel compositum constituendo, exhibendo illi partem materialem, & formalem, sicut de facto se gerunt materia, & forma, aut ponendo in esse huiusmodi effectus, absque illarum concursu, per modum causæ efficientis primæ. Primo modo loquendo est impossibile, Deum posse supplere causalitatem, siuè intrinsecam, siuè extrinsecam, tàm materiæ, quàm formæ; siquidem hi causandi modi inuoluunt imperfectionem, quæ prorsus à Diuina simplicitate abesse debet. Deus enim cum sit ens in se perfectissimum, & simplicissimum, nequit se habere per modum potentiæ passiuæ, vel actus informantis potentiam passiuam, sicut faciunt adinuicem materia, & forma: cæterùm secundo modo, quamuis Deus non possit causare seipso compositum physicum, independenter à materia, & forma, cum sint eius partes essentiales, in quibus consistit totum suum esse, ac existere, potest tamen, se solo, ponere in esse formam, & illam conseruare independenter à concursu materiali; similiter potest dare esse formale materiæ independenter ab actuatione formæ, cum altera ad alteram extrinsecè tantum se habeat, & vna non sit de essentia alterius, quia hæc, nec vllam imperfectionem ponunt in eo, nec vllam repugnantiam à parte rerum, quæ ab ipso effectiuè causarentur, Deus autem potest se solo, quicquid potest cum causa secunda, quæ non sit de essentia, sed reuera sit rei extrinseca, vt docet Scotus in 1. d. 17. q. 1. Cc, & in 4. d. 12. q. 1. cum eminentiùs habeat in se causalitates huiusmodi causarum, quàm in seipsis.

Tertiò notandum est, quod dependentia, quam dicit forma ad materiam, quoad eius eductionem, & sustentationem, & similiter ea, quam dicit materia ad formam quoad eius esse formale, ac determinatum, cum sit absoluti ad absolutum, quamuis sit essentialis in suo genere, non est tamen simpliciter necessaria, cum non sit ad aliquid, quod sit de eius essentia, sed tantum ad ei extrinsecum, vt probat Scotus in 4. d. 12. q. 1. conclus. 3. ante, & sub E. in simili de dependentia accidentis absoluti ad subiectum; quandoquidem, sicut illud potest fieri, & conseruari à Deo independenter à subiecto, quia non est de eius essentia, verum ei extrinsecum, ita consequenter dicendum est de forma in ordine ad materiam, & de materia in ordine ad formam, cum neutra sit de essētia alterius, quin potiùs sibi extrinseca, quod Deus possit dare esse, & sustentari formæ, independenter à materia, & esse formale, ac determinatum materiæ inde-

independenter ab informatione, & actuatione formæ, ac proindè supplere causalitates, quas exercent in seinuicem in genere causæ efficientis, independenter ab eis.

Ex his fit prima conclusio. Deus, in nullo genere causæ, supplere potest causalitatem, quam habent materia, & forma erga compositum, seu totum essentiale physicum. Est Scoti in 1.d. 17.q.1. C c. Probatur, quia Deus supplere potest omnem causalitatem causæ secundę, quæ non sit de essentia rei causabilis, sed materia, & forma, vt sunt causæ intrinsecæ compositi, sunt de eius essentia; ergo Deus se solo supplere nequit huiusmodi causalitatem. Maior patet, quia dato opposito, sequeretur, Deum posse facere, & conseruare aliquid sine essentia, & consequenter sine esse, quod repugnat. Minor probatur totum essentiale componitur essētialiter ex suis partibus, sed totum essentiale, seu compositum physicum componitur ex materia, & forma, tanquam ex causa materiali, & formali; ergo materia, & forma, vt sunt causæ intrinsecæ compositi, sunt de eius essentia. Confirmatur, quia si homo, e. g. posset produci à Deo independenter à corpore, & anima, quæ sunt eius causæ intrinsecæ, sequeretur, quod esset homo, & non esset homo, sed hoc inuoluit contradictionem; ergo &c. Sequela maioris probatur, esset quidem homo ex hipothesi, quod esset productus, non esset autem homo, quia careret anima, & corpore, in quibus consistit essentia hominis, & ita esset homo, & non homo, quod est contradictio. Superest igitur, vt concludamus, non posse Deum se solo, independenter à materia, & forma producere compositum physicum.

Secunda conclusio. Potest tamen Deus in genere causæ efficientis, supplere causalitatem, qua materia dat esse, & sustentari, formæ materiali: nequaquam autem in proprio genere causæ materialis. Est Scoti in 1.d.5.q.2. & est communis. Probatur prima pars, quia causa prima potest per se, quicquid potest cum causa secunda, quæ non sit de essentia rei, sed sit ei extrinseca, sed materia non est pars essentialis formæ, quin potiùs est eius causa totalis extrinseca, cum ab agente educatur de eius potentia, tanquam de causa eius totali in suo genere; ergo si Deus potest dare esse formæ, simul cum materia, eam educendo de eius potentia, poterit etiam hoc se solo præstare. Maior patet, quia causalitas causæ extrinsecæ continetur eminentius in Deo, quàm in causa secunda, vt omnes fatentur; ergo Deus potest se solo, quicquid potest cum causa secunda extrinseca. Minor similiter est nota ex q. 1. de Materia, & ex not. 1. huius quæstionis. Confirmatur, quia non minus dependet accidens absolutum, quoad suũ fieri, à suo subiecto, quàm forma substantialis à materia; siquidem omnes sũt formæ educibiles de potentia materiæ, aut primæ, aut secundæ, sed accidens absolutum, non obstante tali dependentia, potest immediatè produci à Deo; ergo etiam forma substātialis poterit sic produci independenter à materia. Minor probatur, quia tota repugnantia, quare non potest Deus producere se solo, accidens absolutum, absque concursu materiali subiecti, proueniret, aut quia subiectum esset de essentia accidentis absoluti, aut quia dependentia eius est, vt ad causam simpliciter primam; siquidem nulla alia causa huiusmodi repugnantiæ excogitari potest, sed neutrum dici potest; ergo &c. Minor probatur: Non primum, quia tunc homo albus non esset ens per accidens, sed per se, quod est contra Aristotelem 5. Metaphysicorum cap. de Ente, cap. de Vno, & 7. Metaph. cap. 3. Nec secundum, quia subiectum non est causa extrinseca simpliciter prima, sed solus Deus est huiusmodi causa, à qua omnia simpliciter dependent. Secunda pars probatur, quia Deus potest conseruare formam extra materiam, vt patet etiam de accidentibus Eucharisticis, quæ conseruantur in Sacramento absque vllo subiecto; ergo Deus potest supplere causalitatem sustentatiuam, quam exercet materia in formam. Tertia pars probatur, quia esse formæ in proprio genere, habetur per eductionẽ

de

de potentia materiæ, & conseruatio per sustentationem, sed neutrum munus potest exerceri à Deo, cum non sit subiectum potentiale, sed simplicissimus, & purissimus actus, excludens quamcumq. compositionem; ergo Deus nequit supplere causalitatem materiæ in formam in proprio genere, vel quoad fieri, aut sustentari eiusdem formæ.

Tertia conclusio. Deus, saltem in genere causæ efficientis, & etiam formalis, seclusis imperfectionibus, supplere potest causalitatem formæ, quam exercet in materiam, dando illi esse formale. Colligitur ex Doctore subtili in 1. d. 8. q. 4. X. contra Mastrium, & Poncium citatos. Probatur prima pars, quia non minus est extrinseca causalitas formæ in materiam, quam materiæ in formam, sed omnem causalitatem materiæ in formam, ex eo solum, quod sit extrinseca ipsi formæ, Deus supplere potest in genere causæ efficientis, ergo & illam, quæ est formæ in materiam. Deus sic supplere poterit. Minor est probata in præcedenti conclusione. Maior probatur, quia quamuis forma suo modo causet materiam seipsam illi communicando, & exhibendo, non tamen, vt etiam dicit Mastrius n. 53. se intimè illi communicat, sicut quando constituit compositum, quia non constituitur pars eius, sed tantum extrinsecè suum esse formale ei communicat; ergo secundum hunc Doctorem, causalitas formæ in materiam est ei extrinseca, sicut illa, quæ est materiæ in formam. Nec valet dicere, repugnantiam hanc in forma non prouenire ex eo, quod forma sit intrinseca, vel extrinseca materiæ, sed quoniam effectus causæ formalis, cum sit entitatiuè idem cum sua forma, non potest aliter poni in materia, quam per ipsam formam, & ita nequit illum Deus supplere, vt causa efficiens, quæ exigit effectum ab ipsa realiter distinctum; non valet in quam hoc effugium, quia assumit vnum falsum, nimirum effectum formalem non posse seiungi à sua forma; nam licet hoc possit esse verum de forma cum imperfectionibus considerata, fallitur tamen in forma secundum rationem suam formalem spectata, quod non obscurè ostenditur ex doctrina, quam habet Doctor in 1. d. 8. q. 4. loco citato, quia non minus, esse animatum est effectus formalis animæ, quàm esse album sit effectus formalis albedinis, vel sapiens, sapientiæ, sed esse animatum est in homine absque eo, quòd anima sit eius forma; siquidem anima, non est forma hominis, sed corporis, vt dicit Aristoteles 2. de Anima t. 6. & probat Doctor subtilis in quol. q. 9. ergo etiam esse album, vel sapientem, poterit poni in aliquo denominatiuè, etiam si albedo, vel sapientia sit in illo, vt eius causa formalis. Confirmatur, quia Deus est infinitè sapiens, sed non dicitur talis à sapientia, quæ sit in ipso forma, seu causa formalis; ergo effectus formalis potest seiungi, vt non sit simul cum sua causa: Poterit igitur Deus, vt causa efficiens dare esse formale materiæ, etiã si forma non recipiatur in illa, vt eius actus formalis. Secunda pars probatur, & prior magis roboratur, quia Deus potest supplere, etiam in proprio genere, illas causas, quæ non sunt de essentia rei, & quæ nullam dicunt imperfectionem in causando, sed forma, demptis imperfectionibus, quod sit actus, & pars, nec est de essentia materiæ, nec ponit imperfectionem in causando esse formale in ea; ergo poterit effectus eius poni in materia, Deo vices agente, etiam in proprio genere. Maior est Scoti in 1. d. 5. q. 2. C, & in d. 17. q. 1 C c, & in 4. d. 12. q. 1. E. vbi ponit illam propositionẽ de causalitate Diuina per se considerata, cum illa duplici censura, vndè infert, Deum posse supplere omnem causalitatem extrinsecam cuiuscunque causę secundæ, quia, nec sunt de essentia rei, nec in causando dicunt imperfectionem. Minor probatur, quia forma non est de essentia materiæ, tum quia sunt primò diuersæ, & abinuicè separabiles, vt probat Scotus in 2. d. 12. q. 1. E, & q. 2. per totam, Tum etiam, quia eius causalitas respectu formæ est extrinseca, etiam secundum Mastrium sub n. 53. nec in causando, necessariò dicit imperfectionem, cum possit dare esse formale, absque eo, quod sit eius forma informans,

vt probatum est in hac prima parte conclusionis; ergo Deus poterit supplere eius causalitatem, etiam in genere proprio.

Obijcitur primò contra primam conclusionem, quia Doctor subt. in 1. d. 5. q. 2. sub C. dicit, totum ordinem causæ materialis, reduci in genus causæ efficientis; ergo quamuis compositum pendeat à materia, vt à causa essentiali, poterit independenter ab ipsius concursu in genere proprio, produci à Deo in genere causæ efficientis. Confirmatur, quia potentia productiua est similis potentiæ creatiuæ, sed potentia creatiua ponit in esse productum absque principio materiali; ergo hoc idem poterit potentia productiua. Maior, & minor sunt Scoti in loco citato.

Respondetur totum argumentum esse verum, vbi non adest specialis repugnantia, vt patet de causalitate materiæ in ordine ad formam, quæ, cum sit extrinseca, & nullam in causando dicit imperfectionem, potest à Deo suppleri in genere causæ efficientis; cæterū in proposito adest repugnantia, tum quia cōpositum, cum sit totum essentiale physicum, posset esse sine suis partibus essentialibus; tum etiam, quia, cum materia, & forma sint partes compositi, & ratio partis dicat imperfectionem in causando, non poterit à Deo suppleri, nec in genere causæ efficientis, quin sit agens cum imperfectione, quæ omnia inuoluunt repugnantiam, & ex parte rei, & ex parte Dei. Ad confirmationem dico eodem modo, maiorem esse veram vbi non est repugnantia, sicut est in proposito &c.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem: Causa materialis est subordinata Deo, etiam in proprio genere; ergo si supplet eius causalitatem in ordine ad formam in genere causæ efficientis, hoc idem poterit etiam in suo genere. Antecedens patet, quia causa materialis est causa secunda, sed omnis causa secunda est subordinata causæ primæ in operando, sicut ab illa dependet in essendo; ergo causa materialis, etiam in suo genere, est Deo subordinata.

Respondetur negando consequentiā, quia in genere proprio dicit potentialitatem, quæ cum dicat imperfectionem, ortam ex dependentia eius ad formam, à qua expectat perfici, & actuari, faceret etiam ipsum Deum potentialem, & dependentem ab alterius perfectione: nec ex eo, quod subdatur ei, vti causa secunda etiam in proprio genere, facit, quod possit supplere eiusmodi causalitatem in proprio genere, quia dum secum concurrit ad ponendum eius effectum, non exit limites causæ efficientis, vt in sequenti disputatione explicabimus.

Obijcitur tertiò contra tertiam conclusionem, quia modus causandi causæ efficientis, fit per productionem effectus ab ea realiter distincti, & non per communicationem suæ entitatis subiecto, in quod agit, sed implicat effectum causæ formalis separari ab ipsa; ergo effectus causæ formalis nequit esse effectus causæ efficientis. Maior patet. Minor probatur, quia implicat dari calorē in aqua, & aquam non esse calidam, & è contrà aquam esse calidam, & non habere calorem; hoc enim est esse calidum, quod habere calorem; ergo implicat effectum causæ formalis ab ea separari posse.

Respondetur negando minorem, si sermo sit de separatione subiectiua, de qua videtur loqui Mastrius; Ad probationem dico, implicare quidem, esse calidam aquam, & non habere calorem, aut formaliter, aut virtualiter, non autem si non habeat formaliter, quia virtute agentis superioris potest fieri calida absque calore formali in eadem posito; patet enim separatio effectus formalis à sua causa formali, nedum in exemplis adductis in probatione conclusionis, sed etiam in forma totius, cuius effectus formalis est in homine, & tamen humanitas non est formaliter subiectiuè in ipso, cum non sit forma informans, vt docet Scotus in 3. d. 2. q. 2. art. 3. similiter totum coalescens ex partibus, siuè essentialibus, siuè integralibus, denominatur vnum per se, & tamen vnitas non est in eo subiectiuè, vt forma informans, seu vt causa formalis, vt dicit idem Doctor ibidem.

ibidem, & d. 22. q. vn. L. & in Met. lib. 8. ad t. 10. ac q. 4.

Dices cum Mastrio, quòd exempla adducta de animato, & anima; de homine, & humanitate, & vno, ac vnitate, potiùs confirmant, quam eneruent eius rationem ad suam conclusionem positam; quandoquidem homo non diceretur animatus, nec homo, nec vnus per se, nisi in eo esset anima, & humanitas, ac vnitas, à quibus huiusmodi effectus deriuantur, vt à suis causis formalibus; ergo semper verum est, quod effectus formalis nequeat separari à sua causa formali, quæcumque sit illa.

Respondetur negando consequentiam, *quia estò sit verum*, quod infertur de animato, homine, & vno, nimirum esse effectus illarum formarum, in homine suo modo existentium, est tamen falsum huiusmodi denominationes fieri ab illis, vt à formis informantibus, de quibus tantum habet loqui Mastrius; cum sit manifestum in schola Doctoris subtilis huiusmodi formas non esse informantes respectu hominis denominati.

Dices: igitur huiusmodi instantiæ nihil probant contra ipsum, cum ille non loquatur de quibuscumque formis, sed tantum de informantibus, à quibus non videtur posse separari subiectiuè effectus formalis.

Respondetur negando illatum, quin potiùs maximè faciunt; dum enim ostêdunt dari huiusmodi effectus formales, absque hoc, quod proueniant à formis subiectiuè existentibus in rebus denominatis, ita innuunt etiam non implicare, dari in aliquo similes effectus consequêtes rationem formalem formæ informantis, absque eo, quod subiectetur in denominato, vt exemplificatur de Deo, qui dicitur sapiens, quamuis sapientia non sit in ipso cum imperfectione informationis, & dependentiæ.

De causa efficiente.

DISPVT. V.

EXpeditis in præcedenti, quæ necessaria scitu iudicauimus ad explicâdam naturam causarum intrinsecarū, ad cognitionem causarum extrinsecarū calamum conuertere debemus, quæ sunt Efficiens, & Finalis. Et quamuis Finalis principatum obtinere videatur, tum quia sibi tribuitur ab Arist. lib. 1. de partibus Animal. cap. 1. tum etiam, quia est prior in causando, ab ipsa enim mouetur efficiens ad operandum; nihilominus de efficiente prius nobis agendum est, cum sit nobis notior ipsa causa finali; modò ordo doctrinæ postulat, vt à notioribus nobis incipere debeamus, vt faciliùs ad ea, quæ sunt minus nota peruenire possimus. De efficiente igitur multa sunt scitu necessaria, de quibus quærendum nobis erit ordine sequenti, & primò

Quid, & quotuplex sit causa efficiens, ac in quo consistat eius causalitas?

QVÆSTIO I.

HAnc quæstionem, quid sit, præcedere deberet quæstio an sit causa efficiens iuxta ea, quæ tradit Aristoteles 2. Posteriorum cap. 1. & quæ communiter docentur ab eius Expositoribus, sed quoniam dari causam efficientem, est ita notum inter Philosophos, vt non nisi à proteruo negari possit; quippè videntur quotidianæ productiones rerum naturalium, quæ per causas effectrices fieri dignoscuntur, cum nihil semetipsum producere possit, idcircò consultò omittitur quæstio de existentia, & inuestigatur eius essentia, ac causalitas; vndè pro resolutione, ac clariori notitia totius tituli propositæ difficultatis.

Primò notandum est duobus in locis, diffiniri causam efficientem à Philoso-pho,

pho, & ferè eisdem verbis, nempè 2. Physicorum t. 29. dum inquit: Amplius vndè principium mutationis primum, & quietis; Et 5. Met. t. 2. cum repetit: Item vndè principium mutationis primum, aut quietis, vt qui consulit causa, pater prolis, & simpliciter eius, quod factum est, transmutatiuum, trāsmutati, idest, causa efficiens est principium per se, à quo incipit actio transmutatiua, aut productiua, vel iam facta desinit, & quiescit, vt ignis est causa efficiens alterius ignis; pater prolis, quia ab ipsis incipit actio dispositiua ad eductionem, vel inductionem formę in materiam, vel ignis, aut animalis. In qua diffinitione, ly principium ponitur loco generis, vt dictum est in diffinitione materialis, & formalis causæ; siquidem conueniunt omnes in ratione generica principij: ly per se ponitur ad differentiam causæ per accidēs, quæ non est propriè causa, nec ab ea incipit actio transmutatiua, aut productiua. Per ly, à quo; innuitur differentia constitutiua causæ efficientis, & eius causandi modus, quatenus differt ab alijs causis; vt satis dictum est in explicatione diffinitionum causæ materialis, & formalis; Per ly incipit actio &c. ostenditur differentia causæ efficientis à cæteris; siquidem nec materia, nec forma principiat, idest recipiendo, & informando, quin prius efficiens agat disponendo ad eductionem formæ de potentia materię, & ad eiusdem introductionem in eamdē materiam: Et quamuis causa finalis sit prior in causando, efficienti, quia tamen eius causalitas non est realis, sed metaphorica, vt suo loco videbimus; ideò non ab ea, sed ab efficiente exordiri motum, & mutationem physicam, ac realem dicimus. Ex his infertur, quòd cùm ista diffinitio exactè explicet naturam causæ efficientis per genus, & differentiam, sit conuenienter data; & causa efficiens per eamdem sit rectè, & exactè diffinita, quicquid dicant Hurtadus disp. 9. sect. 1. Pererius lib. 8. cap. 2. & Fonseca 5. Met. cap. 2. q. 5. sect. 1. qui eam insimulant, vel obscuritatis, aut excessus, & diminutionis.

Secundò notandum est ex Scoto in 2. d. 1. q. 5. S. Et 4. d. 13. q. 1. F. quod agens, seu efficiens in generatione habet multas actiones, & respectus; primam respectu materiæ, & dicitur transmutatiua; per ipsam enim materia transmutatur de vna ad aliam formam, & in agente insurgit respectus transmutantis ad transmutatum: Secundam habet respectu formę, & vocatur eductiua, vel inductiua, quia per eam agens educit formam de potentia materiæ, & sic eductum in eamdem inducit, adeò vt in ipso insurgat respectus duplex, scilicet educentis ad formā eductam, vel inducentis ad eamdem inductam in materiam. Tertiam habet respectu compositi, & appellatur ab ipso productiua, quia per hanc producit cōpositum in rerum natura, & tunc dicitur habere respectum ad ipsum, producentis ad productum. Hanc triplicem actionē tetigit Aristoteles in diffinitione causæ efficientis; siquidem exemplificauit, de prima cum dicit, transmutatiuum transmutati; de secunda cum inquit, faciens eius, quod factum est, seu faciens, facti, & de tertia cum ait, pater prolis; & consultor causæ.

Tertiò notandum est, pro solutione secūdi quæsiti in titulo quæstionis, Causam efficientem prima sui diuisione partiri in causam per se, & per accidens. Causa per se, secundum Scotum in 1. d. 2. q. 2. sub F. est, quæ secundum naturam propriam, & non secundum aliquid sibi accidens, causat, vt statuarius respectu statuæ: Causa verò per accidens, est quę secundum se, non producit effectum, sed solùm quatenus est coniuncta cum causa per se, vt musicus ædificat, vel aqua calida calefacit; siquidem ædificium non prouenit ab aliqua ratione musicæ secūdum se, sed quatenus cum musica habet coniunctam artem ædificandi, quæ est causa per se ædificij; similiter aqua non calefacit secundum se, sed solum quia habet in se caliditatem, quæ est per se causa calefactionis. Causa efficiens per se, de qua hic agimus, subdiuiditur in Physicam, & Moralem. Causa efficiens physica, vt hic sumitur physicum, se extendit ad omnes illas causas, quæ realiter influunt in effectum, siuè sit naturalis, siuè

siuè artificialis, siuè corporea, siuè incorporea, siuè sit necessaria, siuè libera, & sic Deus, Angeli, homines, ignis, aqua, statuarius, aut domificator dicuntur causæ physicæ, quia realiter influunt aliquid in suos effectus. Causa moralis est, quæ secundum se non influit realiter in effectum, nihilominus sibi imputatur quo ad mores, ac si ab ipsa realiter penderet; huiusmodi sunt consulentes, præcipientes, suadentes, non impedientes cum ad hoc teneatur, recurrentes, & similes, de quibus fit mentio in Theologia morali in tract. de Restitutione bonorum, ac famæ. Hic est sermo tantum de causa per se physica, quæ subdiuiditur in principalem, & instrumentalem. Principalis causa, secundum Doctorem subt. in 4. d. 1. q. 1. D d. vel est illa, quæ in agendo non dependet à causa superiori, vt est solus Deus; vel quæ agit per formam propriã, & intrinsecam, licet in agendo per eam sit subordinata causæ independenter agenti, vt sunt omnes causæ physicæ subordinatæ Deo, de quibus superiùs exemplificatum est. Causa autem instrumentalis, ex eodem Scoto, etiam duplex potest notificari, quatenus opponitur causæ principali primo, & secundo modo diffinitæ. Causa instrumentalis, vt opponitur causæ principali primo modo, est, quæ in agendo dependet ab alia causa superiori, cui subordinatur, & à qua accipit rationem agendi, & sic omnis causa secunda, excepto Deo, dicitur causa instrumentalis, non tantum, quia in sui actione subordinatur illi, verùm etiam, quia ab ipso recipit virtutem agendi. Causa verò instrumentalis, vt distinguitur à principali causa secundo modo explicata, est quæ non habet in se formam actiuam in suo ordine in esse quieto, hoc est, antequam agat, sed eam recipit in actuali motione à causa principali, vt est securis, vel serra artificis, quæ secundum se non habent formam actiuam per quã agant, sed eam recipiunt in actuali motione ab artifice. Vel dicendum & proprius cum eodem D. ict. subtili in 4. d. 1. q. 5. F. Causam principalem esse omnem illam, quæ secundum suam naturam attingit effectum principaliter intentum; Instrumentalem verò, quæ actiuè non attingit effectum, sed tantum dispositionem eius. Causa principalis partitur in totalem, & partialem. Totalis est illa, quæ secundum se, & in suo ordine, habet virtutem ponendi effectum in esse, circumscripta quacumque alia, vt est Deus in ordine causæ superioris, & ignis respectu alterius ignis in ordine causarum inferiorum. Partialis verò est, quæ secundum se non habet virtutem ponendi effectum, sufficientem, sed indiget alia concausa, vt pater, & mater respectu prolis, & duo trahentes nauim; siquidẽ neuter secundum se sufficit, sed mutuò se adiuuant ad ponendum effectum in esse. Causarum totalium, aliæ sunt subordinatæ in agendo, vt Deus, Sol, & homo in generatione hominis, aliæ autem sunt disparatæ, vt ignis, & aqua respectu suorum effectuum. Causarum subordinatarum, aliæ dicuntur essentialiter subordinatæ, quia in essendo, & operando vna ab alia dependet, vt sunt Deus, Sol, & homo; siquidem homo dependet à Sole, & Deo, tum in esse, tum in generare: aliæ verò sunt accidentaliter subordinatæ, quarum vna in agendo non dependet ab alia, vt pater, auus, & abauus respectu generationis huius filij; quandoquidem iste tantum essentialiter dependet à Patre, ab alijs verò accidentaliter, cum possit esse sine illis. Causa Totalis diuiditur in primam, & secundam. Causa prima est, quæ in operando non supponit aliam, vt est solus Deus. Causa secunda est duplex, scilicet vniuersalis, & particularis. Causa secunda vniuersalis, est quæ in operando dependet ab alia, & est causa diuersorum effectuum, vt est Sol. Causa secunda particularis, quæ in operando ab alia dependet, est illa, quæ est determinata ad effectus eiusdem rationis, vt ignis tantũ ignem causat, aqua aquam dumtaxat. Causa insuper diuiditur in vniuocam, & æquiuocam. Causa vniuoca est illa, quæ producit effectus eiusdem speciei cum seipsa, vt ignis, aqua, homo, leo, &c. Æquiuoca est, quæ producit effectus diuersarum specierum, & naturarum, vt Sol, qui producit aurum, ranam, hominem; similiter intellectus, &

& obiectum dicuntur causa æquiuoca respectu intellectionis, quæ est alterius rationis ab eis, cum sit accidens, & illa possunt esse substantiæ. Plures alias diuisiones causarum congerunt Mastrius, & Sulmonensis, sed hæ pro nunc sufficiunt, cum sint vsitatiores in Schola nostra, & quæ magis recipiuntur ab alijs.

Quartò notandum est, vel melius memoriæ reuocandum id, quod sæpiùs dedimus de duplici diuisione, vniuoca, & æquiuoca, & de triplici conditione requisita ad cognoscendam, nedum bonā diuisionem, sed etiam bonam diffinitionem, quia hæc omnia sunt necessaria, vt scire possimus, an diffinitio, & diuisio causæ efficientis sint vniuocæ, vel æquiuocæ, vel potiùs denominatiuæ.

Quintò notandum est, pro declaratione tertij quæsiti, causalitatem causæ efficientis, posse attendi, vt dictum est de alijs, vel fundamentaliter, vel formaliter: vel in actu primo, vel in actu secundo. Causalitas causæ efficientis fundamentaliter, & in actu primo considerata, non est, nisi entitas absoluta, vt præcedit naturaliter effectum, vt entitas, seu forma absoluta ignis, vt naturaliter prior igne producto per ipsum. Causalitas verò eiusdem in actu secundo fundamentaliter sumpta, est eius effectus in fieri, vt posterior natura entitate absoluta causæ, cuiusmodi est ignis in fieri, seu produci ab igne producente. Causalitas autem formalis efficientis in actu primo, est relatio causæ ad suum effectum, per quam denominatur formaliter causare, seu efficere: in actu verò secundo est relatio effectus in fieri ad suam causam; siquidem, vt inquit Doctor in 2. d. 1. q. 2. ad primum argumentum principale, prius est absolutum in causa, deindè absolutum in effectu, postea relatio in effectu, & tandem relatio in causa ad effectum. Ex quo infertur, quod causalitas efficientis non consistit in quodam modo absoluto, superaddito entitati causæ, sibi realiter identificato, sicut tradiderunt multi, quorum meminimus disp. 3. q. 2. de causa vt sic, neque in modo, seu actione media, vt docuerunt nonnulli ex Thomistis, & Scotistis, quos recensuimus loco suprà citato, sed in nuda entitate absoluta causæ fundamentaliter, & in pura relatione ab eadem realiter distincta, formaliter sumptæ.

Ex his fit prima conclusio. Diffinitio causæ efficientis ab Aristotele tradita in locis suprà citatis in 1. not. est bona, & sufficiens. Probatur, quia diffinitio, quę datur per genus, & differentiam, & conuenit soli diffinito, ac omni contento sub eo, est bona, ac sufficienter data, vt patet ex conditionibus requisitis ad bonam diffinitionem, & ex Aristotele 7. Met. t. 43. sed diffinitio causæ efficientis ab Aristotele tradita est huiusmodi; ergo &c. Minor patet ex dictis in 1 not.

Secunda conclusio. Diffinitio huiusmodi conuenit vniuocè tantum causis per se physicis, non autem causis per accidens, & moralibus. Probatur, quia hæc diffinitio illis causis vniuocè conuenit, quæ verè, & realiter influunt in effectū motum, & mutationem, sed causæ per accidens physicæ, & morales non sunt huiusmodi, verùm dumtaxat causæ per se physicæ: ergo his solùm conuenit vniuocè diffinitio causæ efficientis. Maior patet ex 1. not. Minor verò est nota ex dictis de causa per accidens, & morali in 3. not. ergo &c.

Tertia conclusio. Diuisio causæ efficientis expressa in 3. not. est bona, & conuenienter data. Probatur, quia habet conditiones requisitas ad bonam diuisionem; ergo est bona, & conuenienter data. Consequentia patet, cum nil aliud desiderari possit. Antecedens probatur, quia diuidentia, scilicet per se, & per accidens, physica, & moralis; principalis, & instrumentalis; totalis, & partialis; prima, & secunda; vniuoca, & æquiuoca, sunt disparata, vt patet ex eorum diffinitionibus; deindè huiusmodi membra euacuant totam causam efficientem, & ipsam non excedunt, vt cuilibet inspicienti patere potest, ergo huiusmodi diuisio habet omnes conditiones, requisitas ad bonam diuisionem.

Quarta conclusio. Diuisio causæ efficientis in per se, & per accidens, in physicam, & moralem; in principalem,

&

& instrumentalem, est æquiuoca, in cætera verò membra est vniuoca. Probatur prima pars, quia illa diuisio est æquiuoca, cuius diuisum est æquiuocum æquiuocans, & membra diuidentia sunt æquiuocata; sed diuisio causæ efficientis in per se, & per accidens, in physicam, & moralem; in principalem, & instrumentalem est huiusmodi; ergo est æquiuoca. Maior patet ex dictis de Diuisionibus in Summul. tract. 1. sect. 3. cap. 3. Minor probatur, quia causa efficiens est communis ad omnes illas diuisiones; nõ vniuocè, vt probatũ est conclusione secũda; ergo æquiuocè. Secunda pars similiter probatur, quia diffinitio causæ efficientis vt sic conuenit omnibus causis efficientibus, contentis in iàm enumeratis diuisionibus, quia ab omnibus sumitur initium motus, seu mutatio, & quies, vt patet discurrenti; ergo etiam eius diffinitum, nempè causa efficiens habet illis vniuocè competere.

Quinta conclusio. Causalitas efficientis causæ, fundamentaliter, & in actu primo sumpta, non consistit in modo absoluto sibi realiter identificato, sed in nuda entitate absoluta causæ efficientis. Est Scoti in 2. dist. 2. q. 2. ad primum argumentum principale, contra Heruæum Natalem, Soncinatem, Suarium, & alios Recentiores citatos disp. 2. quæst. 2. de Causa in Communi. Probatur eodem modo, quo superiùs probauimus hanc eamdem conclusionem de causalitate fundamentali in actu primo causæ in communi, quia circumscripto quocumque modo, & relicta nuda entitate absoluta causæ efficientis, quæritur, an possit causare, vel non; si primum dicatur, habetur intentum, quod non in aliquo modo superaddito, sed in sola entitate nuda causæ consistit eius causalitas: si verò secundum admittatur, sequitur destructio causæ ex Commentatore 9. Metaph. com. 2. ergo &c.

Sexta cõclusio. Causalitas efficientis, in actu secũdo fundamentaliter sumpta non distinguitur ab eius effectu in fieri. Probatur similiter sicut diximus de Causalitate fundamentali in actu secundo in communi, seu causæ vt sic.

Septima conclusio. Concursus, seu causalitas causæ efficientis physicæ est triplex. Est Scoti in 4. d. 13. q. 1. F. Probatur, quia in qualibet generatione agẽs respicit tria .s. materiam, seu subiectum; formam; & compositum, quia transmutat subiectum, de illo educit formam, & eidem vnit, & producit cum illis, & ex illis compositum; sed respectu materiæ, seu subiecti habet causalitatem transmutatiuam; respectu formæ eductiuã, vel inductiuam; & respectu compositi productiuum; ergo causalitas efficientis in actu secundo est triplex. Confirmatur, quia Aristoteles in diffinitione causæ efficientis exemplificat de tribus effectibus, qui oriri possunt à causa efficiente, vt dicimus suprà not. 2. sed effectus in fieri sunt causalitates in actu secundo, ergo triplex est causalitas efficientis in actu secundo.

Octaua cõclusio. Causalitas formalis in actu primo causæ efficientis est quadruplex. Est Scoti in 2. d. 1. q. 2. S, & in 4. d. 13. q. 1. sub F. Probatur, quia causalitas formalis in actu primo est relatio causæ ad effectum; sed causa efficiens fundat quadruplicem relationem ad quadruplicem effectũ; ergo &c. Maior patet ex 5. not. Minor probatur, quia ad materiam, seu subiectum, fundat relationem transmutantis ad trãsmutatum; Ad existentiã formæ relationem educentis ad eductũ; Ad vnionem eiusdem cum subiecto, inducentis ad inductum; Et ad compositũ, producentis ad productum; sed istæ sunt quatuor relationes causæ efficientis ad suos effectus; ergo eius causalitas formalis in actu primo est quadruplex. Similiter quadruplex potest esse causalitas formalis in actu secundo, quia secundum Doctorem loco citato in 4. & expressiùs in 2. loco pariter citato, in effectibus causæ efficientis fundãtur respectus trãsmutati ad agens transmutans, respectus formæ eductæ ad agens educens, formæ inductæ ad ipsum inducens, & compositi producti ad efficiens producens; sed quilibet horum respectuum dicit causalitatem formalem in actu secundo; ergo causalitas formalis efficientis in actu

secundo est quadruplex; vel saltem potest esse quadruplex; quod notantet additur propter formam, quæ solum inducitur, quia non fundat respectum educti ad educens, sicut facit forma materialis, sed tantum inducti ad inducens, vt est anima rationalis, quæ non educitur de potentia materiæ, sed tamé per creationem inducitur in corpus organicum.

Obijcies tamen primò contra primã conclusionem, quia causa creans verè est causa efficiens, sed non est principiũ vndè motus; siquidem creatio, quæ est à causa creante, non est motus, cum nullum supponat subiectum, quod tamen est necessarium ad motũ, & mutationem.

Respondetur minorem esse veram, loquendo de motu propriè dicto, non tamen si sumatur motus pro quocumq; influxu tendente in terminũ, siuè agens præsupponat subiectum, siuè non, sicut loquitur Doct. subt. in 4. d. 11. q. 1. sub F. ex Aristotele 5. Physicorum, quod datur triplex mutatio, scilicet à subiecto in non subiectum, & talis dicitur annihilatio, à non subiecto in subiectum, & dicitur creatio, & à subiecto in subiectum, & huiusmodi appellari potest transubstantiatio, quia sic etiam causa creans potest esse principium vndè .i. à quo fit motus, & mutatio saltem largè sumpta.

Obijcies secundò: Natura est principium motus, & quietis ex Aristotele 2. Physic. t. c. 2. sed natura non est causa efficiens, cum natura dicatur tantum de principio passiuo, & efficiens solum de actiuo; ergo diffinitio non est bona, cum conueniat alijs à diffinito.

Respondetur: Aliter sumi principium in diffinitione naturæ, & aliter in hac diffinitione causæ efficiẽtis; quippè principium in diffinitione naturæ dicitur de principio passiuo, in diffinitione autem causæ efficientis sumitur pro actiuo, & sic negatur consequentia, quod hæc diffinitio conueniat alijs à causa efficienti.

Obijcies tertiò contra secundam, & quartam conclusionem: Simul quia omnibus habet conuenire causa efficiẽs, & eius diffinitio vniuocè, de quibus exemplificat Aristoteles: sed exemplificat, nedũ de causa physica, sed etiam de morali; ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quia nedum exemplificat de patre, qui est causa efficiens physica, sed et de consulente, qui est causa moralis.

Respondetur negando maiorem, sufficit enim vt aliquo modo possit ei competere, siuè vniuocè, siuè æquiuocè, quia exempla dantur, non quod ita sint, sed vt per illa magis addiscentes percipiant, ad quæ aliquo modo se extendit res diffinita: Hæc enim ratio manifestè liquet in diffinitionibus secundarum intentionũ, in quibus exemplificatur de primis intentionibus, & tamen nemo dixerit, secundas intentiones, & earum diffinitiones conuenite vniuocè primis; hoc enim prædicatio, homo est species, & homo prædicatur de pluribus differentibus numero in quid, est tantum denominatiua, & non vniuoca.

Obijcies quartò contra quintam, & sextam conclusioné. Causalitas alicuius causæ est illud, à quo denominatur actu causa; sed efficiens dicitur actu causa ab actione; ergo actio erit causalitas eius. Minor probatur: Nam agens, & efficiẽs eamdem rem significant, sed agens aliquod dicitur agens actu ab actione; ergo etiã efficiens actu, ac proindè actio erit causalitas efficientis.

Respondetur negando minorem, si intelligatur de actione de genere actionis, & concedendo illam de actione productiua, quæ dicit relationem producẽtis ad productum; Ad probationem minoris, dico, maiorem esse veram fundamentaliter; falsam formaliter, quia agẽs formaliter dicit relationem agentis transmutantis ad passum transmutatum, & huiusmodi relatio est actio de genere actionis, & potest dici largo modo causalitas agentis; efficiens verò importat relationem producentis ad productum, & hæc non est actio de genere actionis, sed de genere ad aliquid, cùm sit intrinsecus adueniens, & dicitur causalitas formalis efficientis in actu primo: vndè in hoc sensu neganda est consequentia, quod actio de genere actionis sit causalitas efficientis.

Contrà, quia nõ potest assignari aliud, à quo efficiens denominetur actu causa, quàm

quàm actio de genere actionis; ergo nulla responsio. Antecedens probatur: nam si aliud ponatur, à quo denominetur actu causa, vel est actione prius, vel posterius, sed neutrum est dicendum; ergo &c. Minor probatur: Non potest esse prius actione, quia tunc esset medium inter agens, & actionem; nec posterius, quia esset medium inter actionem, & effectum; sed neutrum dici potest; ergo &c. Maior patet, quia non potest excogitari, nisi altera ex his conditionibus. Minor probatur: Non potest esse mediũ inter agens, & ipsam actionem, quia actio immediatè procedit à virtute agẽtis, quæ nequit esse causalitas causæ in actu, aliter semper causaret, nihil etiam agendo: nec potest mediare inter actionem, & effectum, quia ab ipso non posset denominari agens actu, cum actio præcedat per quam prius diceretur tale; ergo cùm non possit dari aliud prius ipsa actione, restat, vt dicatur actu agens ab ipsa, & sic ipsa erit causalitas agentis, & efficientis.

Respondetur negando antecedens, ad cuius probationem dico, quod si loquamur de causalitate fundamentali, tale prius ipsa actione est entitas, seu virtus absoluta agentis, vel efficientis, quæ semper in actu primo est causa; in actu verò secundo est entitas absoluta effectus, vt in fieri: Si verò loquamur de causalitate formali in actu primo est posterior actione de genere actionis, saltem natura, cum sit relatio producentis ad productum, vel educentis ad eductum; siquidem intelligitur prius agens transmutare passum, antequam educat de ipso formã, & postea producat effectum, seu compositum; & cum probatur, quod non posset denominari per ipsam, cum actio præcedat ipsum denominans, dico, per actionem denominari agens, vt agens, idest transmutans passum, at per relationem producentis ad productum, denominaretur agens, vt efficiens causa, quatenus nimirum diceret relationem causæ efficientis ad suum effectum.

Vtrum causæ efficientes secundæ aliquid agant, & causa prima simul cum illis?

QVÆSTIO II.

Circa primam partem huius propositæ quæstionis, varia fuerunt Antiquorum placita, vt referunt Albertus Magnus 2. Physic. tract. 2. c. 3. D. Thom. 1. p. q. 105. & q. 115. & contra Gentes c. 69. siquidem aliqui denegabant omnem efficientiam causis secundis, dicebantq. causam primam omnia operari, ad præsentiam tamen causarum secundarum, qua ratione videbantur, sed reuera non erant, causæ talium operationum, cùm sola virtute causæ superioris ponerentur in esse huiusmodi effectus. Hanc opinionem, vt probabilem ausi sunt defendere Gabriel in 4. d. 1. q. 1. art. 3. & Petrus de Aliaco ibidem art. 1. innixi auctoritatibus quibusdam Sacræ Scripturæ, quas in fine adducemus, & explicabimus.

Alij verò, quamuis cõcederent aliquã efficientiam quibusdam causis secundis, nempè spiritualibus, eam tamen adimebant à corporalibus, quippè dicebant, à rebus corporeis nullam actionem oriri posse, sed omnem fieri à substantia quadam spirituali in eis intimè existente. Ita Auicebron in libro Fontis vitæ, & nonnulli Arabes, quorum meminit Auerroes 9. Met. com. 7.

Alij denique, licèt non denegauerint omnem efficientiam rebus corporeis, eã tamen concesserunt ita diminutam, vt dicerent, eas non posse attingere productionem substãtiæ, sed tantũ accidentiũ. Sic Auicennas lib. 4. suæ Metaphysicæ c. 4. & 5. ac lib. Sufficientiæ cap. 10

Circa secundam partem etiam est dissidium inter Theologos; quandoquidem Durandus in 2. d. 1. q. 5 & d. 37. q. 1. attribuit omnem efficientiam causis secũdis, dicens causam primam nihil omninò cũ ipsis agere; siquidem Deus res omnes, quas condidit, ita administrat, vt proprios motus, & operationes agere sinat.

Cæterùm, quàm falsum asserant, &

S 2 quonam

quonã pacto à veritate, nedum philosophica, verùm etiã diuina aberrẽt omnes istæ sententiæ, testes sint D. Aug. lib. 7. de Ciuit. Dei c. 30. D. Damascenus 3. Fidei orthodox. c. 18. Anselmus lib. de Concordia Præscientiæ cum libero arbitr. Basilius hom. 3. Ambrosius lib. 3. Exameron, D. Thomas in citatis locis, & Doct. subtilis in 1. d. 2. q. 2. in 2. d. 37. & in 4. d. 3. q. 1. vbi ostendunt contra priores Philosophos, causas secundas omnes reuera operationes proprias moliri, per virtutem à Deo in earum conditione receptam, causamque primam cum illis agere, producendo easdem operationes, nedum in specie, sed etiam in indiuiduo, contra postremam opinionem Durandi. Hanc sententiam, vti catholicam, ac veritati humanæ, & diuinæ consonam, post prædictos Auctores, docuerunt semper omnes Philosophi, ac Theologi, quam & nos, quibusdam adnotatis, per sequentes conclusiones libenter explicabimus, oppositas pro posse confutando.

Primò igitur notandum est, quod etiã in præcedenti aliqualiter tetigimus, causam efficientem per se, diuidi in primã, & secundam. Causa prima est illa, qua non datur superior, agitque independẽter ab omnibus, & sic solus Deus dicitur causa efficiens omnium rerum, cùm ab ipso, vt ab agenti omninò supremo, ac independenti omnia habeant esse. Causa verò secunda est, quæ in essendo, & operando, pendet à prima, & hæc est duplex .s. vniuersalis, & particularis. Vniuersalis est, quæ se extendit ad plures effectus disparatos, vt Sol, virtute cuius omnia, quamuis diuersarum rationum, & specierum, generantur, & producuntur. Particularis verò, quæ determinatur ad productionem effectuum eiusdem rationis, vt homo ad procreandos homines; ignis ad ignes generandos determinatur dumtaxat & non ad effectus disparatos, ac alterius rationis, vel speciei. Causa autẽ particularis est duplex etiã, nempè libera, & naturalis. Causa libera est, quæ est indifferens ad effectus cõtrarios, & contradictorios, vt voluntas humana, & Angelica, quæ possunt velle, & nolle, qui sunt actus contrarij; & velle, & non velle; nolle, ac non nolle, qui sunt actus contradictorij. Causa verò naturalis est illa, quæ est determinata ad vnum modum agendi, idest, quæ non potest in effectus contradictorios, etsi possit in contrarios, ac disparatos, vt Sol, qui, licet possit exsiccare lutum, & liquefacere ceram, nequit tamen exsiccare, & non exsiccare lutum; liquefacere, & non liquefacere ceram; similiter ignis est ita determinatus ad comburendum, vt non nisi impeditus, non possit non comburere, combustibili sibi applicato, ac rectè disposito. Hic est sermo de omnibus causis, cum quæritur, an aliquid verè agant, Deusque simul cum illis.

Secundò notandum est, quod effectus causæ liberæ creatæ sunt in duplici differentia; quidam enim sunt ordinis naturalis, qui videlicet tendũt circa res creatas, vel etiam in Deum, vt auctorem naturæ, vt amor creaturarũ, vel Dei, vt est creator, conseruator, infinitus; quidam verò sunt ordinationis supernaturalis, cuiusmodi sunt volitiones piæ circa Deum, quatenus attingibilis est à nobis per gratiam, & gloriam, & vt finis noster supernaturalis, vt fruitio beatifica in Patria, amor Dei super omnia, detestatio peccatorum per actum contritionis, & huiusmodi.

Tertiò notandum est, Deum, vti primam causam agere cum causis secundis, non est aliud, quam ipsum producere eosdem effectus, qui producuntur ab eis cum ipsius dependentia. Huius autẽ mutui concursus in coagendo necessitas, ex multiplici capite deprehenditur, tàm ex parte Dei, quàm ex parte causarum secundarum, vt docet Scotus in 1. d. 2. q. 2. & in 2. d. 37. sub P. ex parte quidem Dei, quia non esset omnipotens; siquidem non attingeret effectum voluntatis creatæ, cum hic totaliter esset ab illa; ex quo infertur aliud inconueniens, quod nec esset omnisciens certitudinaliter; nam cum hæc fundetur in decreto voluntatis Diuinæ, si hæc non attingeret actum voluntatis creatæ, illum efficiendo, posset non esse, cum voluntas creata contingenter se habeat ad illum, & sic

ipſum neſcire, quod eſt maximum abſurdum; quandoquidem, ſicut per immenſitatem dicitur eſſe vbique, ita per omnipotentiam omnia facere, & per omniſcientiam omnia ſcire debet. Secundò arguitur neceſſitas concurſus diuini ex parte cauſæ ſecundæ, quæ ſicut pendet à Deo in eſſendo, ita debet ab ipſo dependere in operando. Tertiò etiam concluditur neceſſitas diuinæ efficientiæ cum cauſis ſecundis ex parte effectus, quia alioquin daretur aliquod creatum independens à Deo, quod eſt impoſſibile. Ex parte autẽ creaturæ arguitur eius efficientia cum diuino concurſu ex quadruplici capite. Primo ex parte diuinæ liberalitatis, quæ ſicut omnia liberaliter creauit, ita pariter adminiſtrat, vt proprios motus agere ſinant. Secundò ex parte virtutis inditæ cuicumque cauſæ, quæ eſſet fruſtra, ſi nihil operaretur. Tertiò ex parte libertatis, quæ parte tolleretur, ſi nihil ageret. Et quartò ex parte actionis bonæ, vel malæ, quæ ſi non fieret à creatura, non imputaretur ſibi, ſed ſoli Deo; ſicque ipſe ſolus eſſet cauſa meriti, & demeriti, quod nemo catholicus concedere auderet.

Ex his ſit prima concluſio. Denegare vim effectricem cauſis ſecundis, ſiuè corporeis, ſiuè ſpiritualibus, eſt error contra fidem, & contra veram philoſophiam. Probatur prima pars, quia Sacra Scriptura tribuit efficientiam terræ, aquæ, & plantis; ſed hæ ſunt cauſæ ſecundæ corporeæ; ergo &c. Antecedens probatur, quia Gen. cap. 1. dicitur: *Germinet terra herbam virentem: Producat terra animam viuentem*: Item Matthæi 4. *Terra fructificat primum herbã, deindè plenum frumentum*. Item Gen. cap. 1. *Producant aquæ reptile animæ viuentis in genere ſuo*: & Lucæ 21. inquit Chriſtus: *Videte ficulneam, & omnes arbores, cum producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quia propè eſt æſtas*. Item maledixit ficulneæ infructuoſæ, quod nõ feciſſet ſi non potuiſſet producere ex ſe fructus; ergo ex ſacra Scriptura habetur clarè efficientia cauſarum ſecundarum ſecundum propriam virtutem vnicuiq. inditam; denegare igitur ab eis cauſalitatem, eſſet error contra fidem. Secunda pars probatur, quia experientia conſtat, Solem illuminare; ignem comburere, & calefacere; aquam infrigidare, & humefacere; animalia generare; plantas flores, & fructus emittere, quæ omnia pariter Philoſophia docet; ergo ab eis denegare huiuſmodi efficientiam, eſſet error contra veram philoſophiam. Nec valet dicere, huiuſmodi effectus prouenire à Deo immediatè (vt dicit prima opinio) vel ab occulta vi ſpirituali (vt dicit ſecunda ſententia) Tum quia Deus, & natura nihil agunt fruſtra ex Ariſtotele 1. de Cœlo t. 30. 2. de Cœlo tex. 50. De partib. Animalium cap. 1. Et 3. de Anima t. 43. ſed omnes cauſæ ſecundæ fuerunt factæ propter operationes, ergo ſi nihil operarentur ex ſe, ſed Deus, aut alia vis occulta, huiuſmodi operationes efficerent ad earũ præſentiam, eſſent fruſtra poſitæ in rerum natura, quod nõ eſt dicendum; Tũ etiam quia ſenſus tactus non poteſt decipi circa proprium obiectũ; ſed ſenſus tactus iudicat ſupradictas operationes oriri à cauſis ſecundis; ergo non eſt cur recurramus ad virtutem diuinam, vel aliam occultam, quę tales operationes efficiat.

Secunda concluſio. Cauſa prima cõcurrit ad quamcumq. actionem cauſarũ ſecundarum, tam vniuerſalium, quàm particularium, nec ſolum naturalium, ſed etiam libertate donatarum. Eſt communis omnium penè Doctorum, contra Durandum citatum. Probatur primò auctoritate ſacræ Scripturæ, Tũ in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 12. inquit Apoſtolus; *Deus operatur omnia in nobis*. Tum etiam in Epiſt. ad Philippenſ. cap. 2. ait; *Deus eſt enim, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate*: Et Io. c. 15. inquit Chriſtus: *Sine me nihil poteſtis facere*; ſuper quo D. Aug. tract. 81. in Ioan. ſubiungit: *Siuè paruum, ſiuè multum, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt*; ergo ex ſacra Scriptura clarè deducitur Deũ, vt primã cauſã, concurrere ad operationes oẽs cauſarũ ſecundarũ. Secũdò probatur ratione: Sicut ſe habet immenſitas ad Deum, ita

omnipotentia; sed ex eo quod Deus est immensus arguitur necessariò eius præsentia ad omnem locum; ergo ex hoc, quod etiam est omnipotens, debemus dicere ipsum omnia attingere. Nec valet dicere, sufficere ad eius omnipotentiam, vt possit omnia efficere, licet actu non efficiat: quia sicut per immensitatẽ adstringitur actu, vt sit vbique, ita per omnipotentiam debet arctari, vt omnia factibilia attingat; siquidem in perpetuis non differt esse à posse ex Aristotele 3. Physic. t.32. ergo per omnipotentiam Deus omnia potest attingere, cum sit ens infinitum, ac perpetuum: concludendum est igitur necessariò, quod actu omnia per suam efficientiam tangat.

Tertia conclusio. Quamuis Deus ex se valeat efficere omnia, nihilominus admittit ad illa etiam concursum causarũ secundarum. Est communis vtriusque Scholæ, Angelici videlicet, ac subtilis. Probatur prima pars. Deus, qui est prima causa, continet eminenter, & virtualiter omnes causas secundas; ergo & actiones earum. Antecedens patet, quia infinitum continet eminenter, & virtualiter omne finitum; sed Deus est infinitus, & omnes causæ secundæ finitæ; ergo Deus continet eminenter, & virtualiter omnes causas secundas. Consequentia probatur, quia actiones non sunt perfectiores suis causis; ergo si Deus cõtinet eminenter, & virtualiter causas secundas, cõtinent etiam earũ actiones. Secunda pars probatur primò per D. Aug. lib. 7. de Ciuit. Dei cap. 30. Deus res, quas condidit, ita administrat, vt proprios motus egere sinat: Tum secundò, quia frustra dedisset vim productiuam causis, si eas non admitteret ad productiones suarum operationum: Tum tertiò, quia tolleretur libertas creata: Tum quartò, quia peccata, quæ fierent in Mundo, attribuerentur Deo; Tum denique, quia destruerentur essentiæ causarum secundarum: nam Auerroes 9. Met. com. 2. dicit, quod ablatis operationibus, & essentias rerum necesse est auferri; sed omnes istæ consequentiæ sunt falsæ, & absurdissimæ; ergo potius dicendum est causas secundas admitti simul cum Deo ad suas operationes producendas.

Obijcies tamen primò contra primã conclusionem: Tum quia D. Paulus in epist. 1. ad Corinth. c. 12 inquit: Deum operari omnia in nobis: Tum etiã, quia cum Deus sit agens perfectissimum, debet habere perfectissimum modum operandi, atqui perfectior modus operandi est operari se solo, quam simul cum causis secundis; ergo: Tum denique, quia frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora; sed causa prima, cum sit vniuersalissima, omnia effectiuè potest producere; ergo frustra admittuntur causæ secundæ.

Respondetur negando consequentiã; ad primam probationem dico esse veram de possibili, de facto autem admittit etiam cõcursum causarum secundarum, propter rationes iam dictas in tertia cõclusione. Ad secundam probationem concedo illam, sed nego consequentiã, quia ex sua liberalitate nedum dat esse causis secundis, & virtutem vt possint operari, sed etiam illas admittit ad secum operandum. Ad tertiam probationem dico, habere veritatem, si per pauciora fieri possent æquè benè, ac per plura; cæterùm non congruit bonitati, ac liberalitati diuinæ, vt operetur absque causis secundis, ne videatur eis frustra dedisse vim operandi; & ne mala, quæ per causas secundas fieri possunt, sibi attribuantur.

Obijcies secundò: Tum quia inquit D. August. lib. 5. de Ciuit. Dei c. 9. substantias corporeas inter causas efficientes non debere connumerari: Tum etiam, quia substantiæ corporeæ non sunt immediatè, & per se operatiuæ, sed indigent accidentibus, vt operari valeant: Tum denique, quia experientia constat aliquas substantias fieri, non per causas proximas, sed per remotas, vt ranas & mures ex putrefactione, virtute Solis; ergo substantiæ corporeæ non sunt per se effectrices, sed indigent aliqua vi spirituali oculta, per quam agere possint.

Respondetur negando consequentiã; ad probationem primam desumptam ex

ex D. Augustino dico, esse locutum non simpliciter, sed tantum comparatiuè ad causas liberas; quandoquidem illæ ex se applicari nequeunt ad opus, sicut causæ liberæ, sed indigent aliquo extrinseco, nempè agente illas applicante ad actionem. Ad secundam dico, quod si ly immediatè, & per se excludere intendat virtutem intrinsecam causarum corporalium, falsa est propositio, cum vnaquæque habeat propriam formam, quæ est eis ratio agendi: si verò includere velit dispositiones necessarias, medijs accidentibus fiendas, ad hoc, vt substantiæ corporeæ possint producere proprias operationes, propositio est vera, sed postea negatur consequentia ob rationem iam dictam. Ad tertiam negatur consequentia, esse nimirum necessariam illam vim spiritualem occultam, ad hoc vt causæ secundæ corporeæ producant suas operationes, siuè vniuocas, siuè æquiuocas; hoc enim sufficienter habetur per actionem causæ primæ, determinantis, & concurrentis ad tales operationes.

Obijcies tertiò contra secundam conclusionem, quia causa secunda est causa totalis sui effectus; ergo sufficit absque concursu causæ primæ; consequentia patet, alioquin causa secunda non esset totalis.

Respondetur antecedens esse verum in suo ordine, & dependenter à Deo, nō tamen simpliciter, & independēter, quia sic continendo virtualiter, & eminenter, nedum causas, sed etiam earum effectus, consequenter debet illos producere independenter à causis secundis.

Contrà, quia sequeretur, Deum concurrere ad peccatum, quod fit à causa secunda; sed hoc est hæreticum; ergo Deus non concurrit cum causis secundis ad productionem suorum effectuū.

Respondetur sequelam maioris esse veram de peccato pro materiali, quia tale cum sit quid positiuum, & bonum, saltem physicè, si fiat à causa secunda, necesse est fieri etiam à Deo; falsam autem de peccato pro formali, quia cum tale sit quid priuatiuum, & malum moraliter, non effectibile est nec à Deo, nec à causa secunda; siquidem hæc dum peccat, non efficit, sed deficit à rectitudine, quam tenetur dare actui suo secundo; modò Deus non est causa defectiua, cum nulli obligetur legi, sed tantum effectiua boni.

Obijcies quartò: si Deus concurreret ad actiones causarum secundarum, vel esset vna, & eadem actio, vel alia, & alia; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Maior patet, quia inter vnum, & multa non datur medium. Minor probatur, non vna, & eadem actio, quia agentia sunt diuersa, & alterius ordinis, quamuis subordinata: nec alia, & alia, quia actio sumit distinctionem à termino; sed terminus est tantum vnus, scilicet effectus vnicus ab vtroque indiuisibiliter productus; ergo & actio debet esse tantum vna.

Respondetur: Actionem esse tantum vnam in actu secundo consideratam, quia non distinguitur ab effectu in fieri; esse verò aliam, & aliam in actu primo, quia alia est virtus productiua in causa prima, & alia in causa secunda.

Obijcitur quartò contra tertiam conclusionem: Non sunt multiplicanda entia sine necessitate ex Aristotele 1. Phys. t. 20. sed nulla, est necessitas concursus causæ secundæ; ergo &c. Minor probatur, quia Deus cum sit omnipotens potest se solo omnes effectus producere.

Respondetur: Maiorem esse veram in agentibus naturalibus, non tamen in liberis, modo cum Deus sit agens liberum, quamuis possit ex se omnia facere, tamen ex sui liberalitate admittit ad suū concursum etiam causam secundam.

Cōtrà, quia tolleretur Dei perfectio, quæ cum sit infinita, adhiberet secum entia finita ad concausandum.

Respondetur consequens fore verū, si cogeretur admittere ad concausandū huiusmodi entia finita; secus si hoc faceret ex mera sua liberalitate, & bonitate, immò sic augeretur eius perfectio, quia illam extenderet; nedum ad causas quoad esse, verùm quoad operari.

Vtrum causa prima concurrendo cum causis secundis naturalibus ad earum actionem, prius eis agat, influendo aliquid illis, vel in earumdem effectibus?

QVÆSTIO III.

Circa hanc quæstionem extat duplex opposita sententia, quarum prima est nonnullorum Thomistarum, asserentium, Deum concurrere cum causis secundis concursu præuio, imprimendo videlicet prius in illis aliquam qualitatem physicam, per quam reducantur ad actum primum completum, & postea cum eisdem producere vnum, & eũdem effectum, indiuisibiliter ab eis dependentem. Ita Ferrariensis 3 contra Gentes c. 70. & Capreolus, quibus fauere videtur eorum Magister D. Thom. 1. p. q. 105. art. 5. Et 1. 2. q. 109. art. 1. & q. 3. de Potentia art. 2. quamuis Ruuius 2. Physic. tract. 4. q. 8. nitatur ostendere ex his, quę docuit 1. p. q. 14. art. 13. & q. 15. art. 8. fuisse alterius opinionis, nec alienus à sententia Scoti.

Secunda sententia est Doctoris subtilis in 1. d. 3. q. 7. B b, & d. 7. q. vn. E, & in 2. d. 3. q. 8. F, & d. 9. q. 2. S. sed clariùs in 4. d. 1. q. 1. R r, & d. 6. q. 5. D, & d. 13. q. 1. art. 3. Cc, & d. 43. q. 3. §. Tertia opinio &c. docentis, Deum non prius attingere causam secundam per aliquem influxum præuium, quàm simul cum illa attingat, & producat effectum; siquidem causa secunda in sui conditione recepit à Deo sufficientem virtutem, vt absq; noua motione præuia possit dependenter ab ipso ponere in esse proprias operationes. Scotum sequuntur omnes eius discipuli, & ex alienis Molina in 1. p. D. Thom. q. 14. art. 13. disp. 6. Suarez de concursu Dei c. 2. Et in Metaphys. tom. 1. disp. 22. sect. 2. Conimbric. 2. Physic. cap. 7. q. 13. art. 1. & 2. Almainus 1. Moral cap. 1. & alij, quos refert, & sequitur Ruuius cit. sub n. 79.

Pro cuius intelligentia, ac fundamento primò notandum est ex Scoto in citatis locis, Causam secundam moueri, & determinari ad actionem à causa prima, potest dupliciter intelligi, vno modo intrinsecè per receptionem alicuius entitatis physicæ, qua compleatur eius virtus, & constituatur in actu primo sufficienti ad agendum, & sine quo non posset exire in operationem secundam, & sic causa secunda non dicitur moueri, & determinari ad actionem à prima causa; siquidem Deus in principio creauit, seu condidit omnes causas secundas, ita cõpletas, & perfectas, dicente Moyse Gen. c. 1. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona, vt nihil desiderari potuisset pro cõplemento naturæ cuiuscũq. causæ, ignis enim quando comburit, nil recipit de nouo per modum virtutis, per quod eius virtus combustiua compleatur: Alio modo extrinsecè, seu per subordinationem, ita quod causa prima nõ causante, nec secunda causare possit, & in hoc sensu dicitur moueri, applicari, & determinari à prima causa; quandoquidem datur talis ordo essentialis inter primam, & secundam causam, quòd sicut secunda nequit esse independenter à prima, ita nec operari potest, ipsa non operante, & huiusmodi cooperatio vocatur per modum cõcursus, ex eo quod Deus simul cum virtute causæ secundæ producat indiuisibiliter omninò vnum, & eumdem effectum.

Secundò notandum ex eodem Scoto in 4. d. 1. q. 1. & q. 5. F, & d. 6. q. 5. sub D. quod instrumentum multipliciter accipitur: Primo modo, vt distinguitur contra causam independenter omninò agẽtem, & sic omnes causæ secundæ appellari possunt instrumenta primæ causæ, cum in causando dependeant necessariò ab illa. Secundo modo pro illo, quod non attingit principaliter, & effectiuè terminum intentum à principali agente, sed tantum disponit ad illum, & sic omnia accidentia dicuntur instrumenta substantiæ; vt calor est instrumentum, quo ignis generat alium ignem; disponit enim materiam ligni, vt possit recipere formam ignis. Tertio modo sumitur pro parte principalis agentis, qua me-

mediante agit, & sic manus dicitur instrumentum scriptoris. Quarto modo pro eo, quod in esse quieto non habet virtutem actiuam, sed tantum eam recipit, dum actualiter agit, & sic species intentionalis coloris per aerem diffusæ dicuntur instrumenta respectu illuminationis, quia non agunt semper ad illuminationem, sed solum dum illustrantur à Sole. Quinto modo tandem sumitur nomen instrumenti ad significandum instrumenta, quibus vtuntur artifices ad efficienda artificialia, & sic serra, securis, maleus dicuntur instrumenta fabri lignarij ad conficiendũ scamnum; ad propositum causa secunda dici potest instrumentum causæ primæ tantum primo modo sumendo instrumentum, quia agit per propriam virtutem dependenter tamen à virtute causæ primæ.

Tertiò notandum est ex eodem Scoto in 2. d. 37. q. vnica sub V. Causam primam prius agere, quàm secunda potest dupliciter intelligi: Vno modo prioritate naturæ, vel durationis, ita quod in aliquo instanti naturæ, vel temporis prius influat in effectum, quàm secunda causa; alio modo prioritate perfectionis, & independentiæ, itaut effectus perfectiori modo, ac independentius habeat esse à causa prima, quàm à secunda. Si de prioritate sit sermo primo modo sumpta, causa prima nõ prius, quàm secunda agit, quia ambæ simul in eodem instanti temporis, & naturæ attingunt effectum, alioquin effectus poneretur in esse tantum virtute causæ primæ, & secunda nihil ageret circa ipsum, quod est contra suppositum; si verò loquamur de prioritate secundo modo accepta, certum est, causam primam prius agere, quàm secunda; siquidem cum sit perfectior, & independentior in operando, etiam perfectiori modo, & independentius producit effectum, quàm secunda.

Quartò notandum est: Causam primã agere immediatè in effectum producendum etiam à causa secunda, posse dupliciter intelligi: Vno modo loquẽdo de immediatione virtutis, ita quod agat per virtutem propriam non aliundè receptam, & sic causa prima dicitur agere immediatè in effectum producendum etiam à causa secunda, quia producit illum per virtutem, quam habet independenter à se; & per oppositum causa secunda agit hoc modo mediatè, quia per virtutem receptam à causa prima in sui conditione, producit effectum. Alio modo intelligendo de immediatione suppositi, ita quod inter ipsam, & effectum nullum mediet suppositum, per quod ponatur in esse, & hoc modo causa prima agit immediatè in effectum producendum à causa secunda, quia eius virtus non prius recipitur in causa secunda, vt ipsa mediante influat in effectum, sed immediatè, simul cum secunda causa attingit effectum in esse ponendum. Ex hoc potest inferri differentia inter primam, & secundam sententiam; siquidem prima, cum asserat causam secundam indigere in actuali actione aliqua virtute primæ causæ, quæ propriam compleat, ad hoc vt possit agere, debet fateri, causam primam agere immediatè in effectum, immediatione virtutis, non tamen immediatione suppositi; cæterùm secunda, cùm doceat, Deum producere effectum per propriam virtutem, non aliundè receptam, nec per ipsam prius impressam causæ secundæ, sed per eamdem immediatè terminatam in effectum, cogitur profiteri, causam primam immediatè vtraque immediatione, effectum producere.

Ex his sit prima conclusio. Deus, seu causa prima concurrens cum secunda, non prius influit in eam aliquam qualitatem completiuam, aut ipsam præmouentem ad actionem, sed immediatè immediatione virtutis, & suppositi, causat simul cum illa vnum, & eumdem effectum. Est Scoti in citatis locis lib. 4. sent. & Doctorum; quos retulimus pro secunda sententia. Hæc conclusio diuersimodè probatur, nedum à nostris, sed etiam ab alienis, iuxta diuersitatem principiorum, verùm omnibus omissis, breuiter sic suadetur, quia si esset necessaria talis quali-

qualitatis in causa secunda, ipsam excitans seu præmouens ad actionem, maximè hoc esset ob defectū virtutis necessariæ in causa secunda, sed hoc est falsū; ergo huiusmodi qualitas non est necessaria. Sequela maioris conceditur; siquidem astruitur talis qualitas, vt compleat in actu primo virtutem causatiuā causæ secundæ. Minor probatur, quia causæ secundæ fuerunt à Deo conditæ in principio completæ, & perfectæ in entitatibus vnicuique conuenientibus, dicente Moyse cap. 1. Gen. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona, idest perfecta perfectione sibi in suo ordine conuenienti; sed virtus causatiua in actu primo consistit in entitate, seu ratione formali cuiuscumque causæ; ergo nulla erit insufficientis virtutis in suo ordine, adeò vt egeat compleri per aliquid superadditum. Confirmatur, quia Deus, & natura nihil agunt frustra ex Philosopho lib. 1. de Cœlo t.32. & lib. 2. tex. 50 & 59. sed talis qualitas, asserta à Themistis, esset frustra; ergo &c. Minor probatur, quia si accipiatur causa secunda absque tali qualitate, quæritur, si cætera non desint, an esset actiua in actu secundo, aut non: si primum dicatur, habetur intentum, quod esset frustra, quia non consequeretur finem, cuius gratia esset posita: si verò dicatur secundum, sequitur destrui naturam causæ secundæ; quandoquidem abnegatis operationibus ab aliqua causa, & eius essentiam abnegari necesse est, teste Auerroe 9. Met. com. 2. Secundò probatur conclusio, quia posita tali qualitate in causa secunda, vel necessariò sequitur actio intenta, vel non; sed neutrum dici potest; ergo &c. Maior patet, quia cùm huiusmodi qualitas ponatur propter actionem, potest quæri, an ipsa posita, sequatur finis intentus, nec ne. Minor probatur: Non potest dici, quod non sequatur necessariò actio, quia posito concursu Dei, necessariò in causis naturalibus (quicquid sit in liberis) sequitur actio, vt est notum apud omnes; sed huiusmodi qualitas esset concursus Dei impressus causæ secundæ; ergo dicendum est, debere sequi actionem saltem infallibiliter; atqui hoc est falsum, quia ad positionem prioris, non necessariò sequitur positio posterioris in causis efficientibus, vt patet de igne in fornace Babylonis, in qua fuit suspensa à Deo actio ignis, ne combureret illos tres pueros; sed talis qualitas, si poneretur in causa secūda, esset prior, saltem natura, actione eius; ergo virtute diuina posset suspendi actio, & consequenter frustrari finis talis qualitatis, ac proindè huiusmodi qualitas præmotiua non est necessaria in causa secunda ad hoc, vt Deus possit concurrere cum illa ad producendum effectū. Secunda pars conclusionis probatur. Deus concurrit cum causis secundis per propriam virtutem non aliundè receptam, vt ostendimus in præcedenti quæstione; sed eius virtus non recipitur prius in causa secunda, quàm terminetur ad effectum, vt est probatum in prima parte huius conclusionis; ergo concurrit cum illa immediatè vtraque immediatione, tàm virtutis, quàm suppositi. Consequentia patet ex dictis in 8. not.

Secunda conclusio. Deus, seu causa prima quamuis concurrat cum causa secunda prius primitate perfectionis, & independentiæ, ad producendum effectum, non tamen prioritate naturæ, aut durationis. Est Scoti in 2. d. 37. q. vnica sub V. Probatur prima pars, quia perfectior causa, & independens, perfectius, & independentius agit; sed causa prima est perfectior, & independentior in operando, quàm secunda; ergo perfectius, & independentius causat, quàm secunda. Secunda pars probatur, quia si causaret effectum prius natura, & durationis, quàm secunda; sequeretur causam secundam nihil omninò circa ipsum operari; sed hoc est contra suppositum; ergo causa prima non influit in effectum prius natura, aut duratione. Maioris sequela probatur, quia accipiatur causa prima in illo priori naturæ, aut durationis, & quæro; aut causat effectum, aut non, si causat aut totum, aut aliquid eius; sed nullum dici potest; ergo &c. Minor probatur: Non enim potest dici, quod non causet, quia causa, vt præcedit natura suum effectum, dicitur causa in actu;

actu; ergo causa prima si diceret ordinē prioritatis naturalis, præ causa secunda erga effectum, ipsum certè causaret. Insuper si ipsum causaret, vel totum, vel partem; si totum, ergo totus effectus esset independens à causa secunda: si partem, igitur saltem illa pars non causaretur ab ea, quod vtrumque est falsum, & contra suppositum. Vtraque consequētia probatur. Quod habet esse, & existere in aliquo priori, nequit fieri ab aliquo posteriori, nisi dicatur idem posse bis fieri; sed, data hipothesi, quod in aliquo priori naturæ effectus, vel secundum totum, vel secundum partem, causetur à causa prima, haberet esse, & existere per illam; ergo non posset habere esse à causa secunda, & sic esset independens ab ea, quod esset contra suppositum, nempè ipsam causare in posteriori signo naturæ, vel durationis. Confirmatur, quia concursus causæ primæ, & causæ secundæ in actu secundo consideratus est prorsus idem, cum sit effectus in fieri; ergo inter concursum causæ primæ, & secundæ nequit esse ordo prioritatis, & posterioritatis naturæ, vel durationis. Consequentia patet, quia idem nequit realiter distingui à se; sed inter prius, & posterius natura, cum sit causalitatis in proposito, cadit distinctio realis; ergo concursus causæ primæ cum sit idem cum concursu causæ secundæ, nequit esse prius natura illo.

Obijcitur contra primam conclusionem. Causa, quæ non mouet nisi mota, necessariò aliquid recipit in tali motione; siquidem motus nequit terminari ad nihil; ergo cùm per ipsum acquiratur forma, debet esse forma noua in eo, quod mouetur; sed causa secunda, non mouet nisi mota à causa prima; ergo in tali motione debet aliquid intrinsecè ab ea recipere. Maior est Doctoris subt. in 1. d. 2. q. 2. & d. 8. q. 5. & d. 39. ac Aristotelis 8. Physicorum t. 33. vbi habet hæc verba: *Vtraque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium, sed magis primum; illud enim mouet vltimū, sed non hoc primum, & sine primo quidem, vltimum non mouebit, illud primum autem mouebit sine hoc, vt baculus non mouebit, non mouente homine*; ergo causa secunda non mouet, nisi mota à prima.

Respondetur maiorem esse veram de causa, quæ mouetur intrinsecè, non tamen si moueatur extrinsecè per quamdā subordinatione n vnius ad aliam; modò causa secunda mouetur tantum à prima extrinsecè, quod clarissimè innuit Scotus in 4. d. 1. q. 1. respond. ad vltimum principale, dum inquit: *Ex hoc patet, quod causæ primæ in secundam, quando simul agunt, non est influentia noua, quę sit creatio alicuius inhærentis causæ secundæ, sed influentia ibi est determinatus ordo istarum causarum in agendo effectum communem; & hoc idem vult Philosophus, dum dicit, vltimum non posse mouere sine primo, & non è conuerso.*

Contrà, quia Aristoteles exemplificat de baculo moto ab homine, sed certum est, baculum vt moueat debere recipere virtutem in se ab homine ipsum mouente; ergo motio causæ secundæ à prima præter ordinem dicentem subordinationem vnius ad aliam, ostendit etiam receptionem alicuius inhærentis, ipsam præmouentis.

Respondetur: Causam secundam habere similitudinem cum instrumento, si comparetur ad causam primam, & pariter ab eo discriminari in aliquo; assimilantur enim quia sicut instrumentum non potest aliquid causare, nisi recipiat virtutem à principali agente, ita nec causa secunda potest causare effectum, si prius non recipiat virtutem causatiuam à causa prima. Differunt verò abinuicē, quia instrumentum in esse quieto non habet formam actiuam, per quam possit agere, sed illam recipit in actuali motione ab agente principali duntaxat; at causa secunda virtutem receptam à causa prima in sui conditione retinet semper etiam in esse quieto, & per illam solam concurrit cum causa prima ad producendum effectum communem.

Formaliter ad argumentum nego cōsequentiam, quia baculus, cum sit instrumentum, non conuenit in omnibus cum causa secunda, & maximè in actuali motione,

tione, per quam applicantur ad actionẽ, quia instrumentum applicatur intrinsecè, & extrinsecè; causa verò secunda, extrinsecè tantũ, vt declaratum est cum Doctore subtili.

Obijcitur secundò: Si causa secunda non reciperet aliquam virtutem à prima, per quam determinetur ad actionem, sequeretur, causam secundam, fore causam primam; sed hoc est erroneũ, quia essent duo prima principia; ergo dicendum est causam secundam determinari à prima per impressionem alicuius virtutis. Maioris sequela probatur, quia, data hipothesi, causa secunda esset per se mouens, & primum se determinans, & consequenter independens, sicut causa prima in agendo.

Respondetur negando consequentiã; ad probationem dico, esse falsum quod causa secunda esset primum per se mouens, ac se determinans, immò moueretur, & determinaretur à prima extrinsecè, per concursum simultaneum, non verò præuium.

Contrà, quia concursus simultaneus non facit vt vna causa aliam determinet, & applicet ad actionem; ergo &c. Antecedens probatur, quia determinatio, & applicatio vnius causæ importat ordinem prioritatis in causa determinãte; sed in concursu simultaneo non potest dari huiusmodi ordo, quia simultas dicit negationem prioritatis, ac posterioritatis; ergo concursus simultaneus non importat ordinem prioritatis, & posterioritatis, & consequenter indeterminationem.

Respondetur antecedens, & eius probationem habere veritatem de determinatione intrinseca; non tamen extrinseca, quia cum hæc consistat in subordinatione, ac dependentia vnius ab alio, benè potest haberi per concursum simultaneum causæ primæ cum secunda.

Obijcitur tertiò: Causa, quæ aliquando agit, & aliquando non agit, debet ab aliquo determinari; sed causa secunda, tàm libera, quàm naturalis est huiusmodi; ergo debet ab aliquo determinari ad actionem. Maior patet, quia indifferentia tollitur per determinationem ad alteram partem. Minor probatur, quia homo, qui est causa libera, aliquando vult, & aliquando non vult: similiter bos, vel equus aliquando ambulat, & aliquando non, & tamen vterque est causa naturalis; ergo causa secunda siuè naturalis, siuè libera, aliquando agit, & aliquando non agit.

Respondetur maiorem esse veram de causa, quæ aliquando agit, & aliquando non, ex defectu virtutis, non tamen si hoc illi proueniat ex libertate, vel ex defectu concausæ: modo quod homo aliquando velit, & aliquando non velit, prouenit ex sua libertate, & non ex defectu virtutis in sua voluntate; similiter, quod bos, vel equus aliquando ambulet, & aliquando non, accidit sibi ex defectu obiecti alijcientis ad motum, & non ex defectu propriæ virtutis progressiuæ.

Obijcitur quartò contra secundam conclusionem ex Poncio 2 Phys. disp. 9. q. 6. quia volitio Dei est prior natura volitione creaturæ; sed volitio Dei est concursus Dei cum creatura; ergo Deus concurrendo cum creatura, non tantum perfectius, & independentius, sed etiam prius naturaliter concurrit cum ea. Minor probatur, quia quoties Deus concurrit, habet volitionem concurrendi, & nihil impedit quominus per illam volitionem actualiter concurrat; ergo volitio Dei debet dici concursus Dei cũ causa secunda.

Respondetur: Concursum, tàm Dei, quàm creaturæ, posse dupliciter considerari, sicut supradictum est de causalitate cuiuscumque causæ, nempè in actu primo fundamentali, & in actu secundo pariter fundamentali. Si priori modo consideretur, cõcursus Diuinus est volitio Dei, & concursus creaturæ est entitas, seu ratio efficiendi eius, & sic Poncius benè dicit, & est Scotista. Si verò secundo modo spectetur, cõcursus est effectus in fieri dependenter à Deo, & à causa secunda, & cum sit idem effectus, qui fit à causa prima, & secunda; consequenter habet dicere, si non vult aberrare à Doctore, concursum Dei esse simul natura cum concursu causæ secundæ.

Formaliter ad argumentum dico, minorem,

norem, & probationem esse veram de concursu sumpto in actu primo, non tamen de concursu in actu secundo, quia sic non est volitio Diuina, sed eius effectus dependenter simul ab ipsa, & à causa secunda in fieri.

Contrà, quia eadem actio non potest egredi à diuersis causis; sed concursus causæ est actio causæ; ergo nequit esse idem concursus Dei, & causæ secundæ. Maior patet, quia actio subiectatur in agente, & non in passo; ergo eadem actio nequit procedere à duobus agentibus, seu à duabus causis. Minor patet, quia concursus est effectus in fieri, sed actio causæ, & effectus in fieri sunt omninò idem; ergo concursus causæ est actio causæ.

Respondetur maiorem, & eius probationẽ esse veras, de actione pro formali sumpta, quatenus dicit relationẽ agentis ad passum, vel producentis ad productũ; falsas tamen de actione acta pro fundamento accepta, quia sic cum non distinguatur à termino, seu ab effectu, poterit oriri eadem actio à duobus agentibus, seu causis subordinatis in agendo, sicut idem effectus potest ab illis produci. Æquiuocat ergo Poncius de actione, ac de concursu, & ideò nõ est mirum, si aberret à Magistro, & ferè à communi sententia vtriusq. Scholæ. Hic esset quærẽdum, an Deus, suo concursu determinet concursum causæ secundæ, vel è cõuersò; at quia huiusmodi tractatio exigit altiorem indaginem, cũ extendatur potissimum ad causas secundas liberas, ideò consultò omittitur, remittendo ipsam ad materiam de scientia Dei: Theologica enim à Theologis discutienda veniunt, non autem à Philosophis, vt non benè faciunt quidam ex nostris, mittentes falcem in messem alienam.

Vtrum substantia sit per se, & immediatè effectiua alterius substantiæ, vel accidentis?

QVÆSTIO IV.

Circa vtramque partem quæstionis, quam tangit, & soluit Doctor in 4. d. 12. q. 3. extat duplex opposita sententia, quarum prima est Thomistarum asserentium, substantiam nullam habere per se, & immediatam actionem, in substantiæ, vel accidentium generationem, sed hanc prouenire ab accidentibus, ab ea realiter distinctis, agentibus tamen in virtute substantiæ. Ita Caietanus, Bañez, Zumel secuti D. Thomam in 1. p. q. 54. art. 3. & q. 77. art. 1. & 3. p. q. 77. art. 3. & in 4. sent. d. 12. q. 1. quibus addi possunt Ferrariens. lib. 4. contra Gentes cap. 66. Sotus in 4. dist. 10. q. 2. art. 3. Cursus Complut. disput. 10. q. 4. §. 2. Ruuius in 2. Physicorum tract. 4. q. 4. 5. & 6. cum pluribus alijs ab ipso relatis.

Secunda sententia est Scotistarum, qui pariter secuti Magistrum loco citato, & insuper in 4. d. 6. q. 5. sub D. Et 9. Metaphysic. q. 7. duo docent, alterum, quod substantia sit per se, & immediatè effectiua alterius substantiæ, supposita tamen debita dispositione accidentali; alterum verò, quod accidens, quamuis inhærens substantiæ, sit causa totalis per se, & immediata alterius accidentis in alieno subiecto, contra Fonsecam lib. 5. Metaphysic. cap. 2. quæst. 6. sect. 6. & Conimbric. 2. Physic. cap. 7. q. 8. art. 3. Ita Mayronius, & Bassolius in 4. dist. 12. Bargius in 1. d. 37. ad litteram Doctoris subtilis, Antonius Andreas 3. Metaphysic. quæst. 11. Tromb. 12. Met. q. 6. Faber Theor. 34. ac alij plures, non solum ex nostris, verùm etiam ex alienis, quos referunt, & sequuntur Mastrius in 2. Physicorum disp. 7. q. 6. art. 1. & 2. Poncius disp. 9. q. 3. & Merinero disp. 4. q. 6. ac Villauerdius cap. 4. q. 2.

Pro intelligentia totius controuersiæ, ac fundamento opinionis Scoti primò notandum est, vt colligitur ab eodem in præcitatis locis, substantiam ad tria posse comparari in ratione causæ effectiuæ, nempè ad accidentia communia producibilia in alieno subiecto; ad propria in seipsa effectibilia, seu ad proprias emanationes, in quibus conseruatur forma substantialis; & ad productionem seu

seu generationem alterius substantiæ. Si primo modo comparetur, certum est, virtutem actiuam, per quam vna substantia, vt puta ignis dicitur producere calorem in manu, dum calefit, non esse aliquid substantiæ, sed accidens, nimirum calorem ignis, virtute cuius dicitur calefacere manum; non enim forma ignis est principium quo producendi calorem in alieno subiecto, ex se, sed solum ignis hoc agit mediante calore in quo eius forma conseruatur. Si verò secundo modo comparetur, certum est etiam huiusmodi accidentia, seu emanationes oriri immediatè à forma substantiali, & non ab alijs accidentibus, alioquin daretur processus in infinitum in ordine essentiali accidentium; siquidem, vt inquit Aristoteles 7. Met. t. 32. vt substantia fiat, necesse est præexistere semper aliam substantiam actu existentem, quæ facit, vt puta animal, si animal fit; quale verò, aut quantum, non est necesse, nisi potentia solum .i. vt semper præcedet aliud quantum, vel quale actu, quod faciat, cum sufficiat ipsum præexistere potentialiter in subiecto. Si tandem tertio spectetur modo, dissidium est inter Doctores primæ, ac secundæ sententiæ; quandoquidem illi volunt, substantiam generari ab accidentibus, in virtute substantiæ, tamquam eiusdem instrumenta agentibus: isti verò docent generati immediatè immediatione virtutis, ac suppositi à substantia effectiuè, & accidentia solum dispositiuè concurrere, alterando materiam, & remouendo impedimenta generationis, vt melius declarabitur in sequenti.

Secundò notandum est ex eodem in citatis locis, accidens posse producere, aut generare substantiam, posse dupliciter intelligi: Vno modo effectiuè, ita vt virtute propria attingat productionem formæ substantialis; alio modo dispositiuè, disponendo nimirum materiam, vel remouendo impedimenta, quibus retardatur introductio formæ substantialis in materiam, virtute agentis principalis; Primo modo non potest dici accidens generare, seu producere substantiam; siquidem productio, si vniuoca fit, exigit saltem æqualem virtutem in producente, ac producto, cum sint eiusdem speciei; cæterùm accidens est deterioris virtutis à toto genere, quã sit substantia, cum differant, nedum specie, sed etiam genere: sin verò sit æquiuoca, requirit in producente saltem totali, maiorem perfectionem, & virtutem, quàm sit in producto, quapropter Deus potest vtique producere æquiuocè animam rationalem, vt probat Scotus in 4. d. 43. q. 2. non autem Sol, quia sicut ille continet in sua virtute, ob eius infinitam perfectionem, essentiam animæ, ita iste deficit in perfectione respectu illius, vt proinde non possit habere tantam virtutem illam producendi. Secundo autem modo benè dicitur, quòd accidens possit generare substantiam; siquidem calor in igne existens producit calorem in ligno, quo eius materia disponitur ipsam calefaciendo, & ab ea remouendo frigiditatem, vt possit recipere formam substantialem ignis. Ex quo infertur, quod productio, seu generatio effectiua substantiæ fit à sola substantia, cum sit, vel maioris, vel saltem æqualis virtutis cum substantia producibili, non autem ab accidente, cum sit imperfectius substantia à toto genere: productio autem dispositiua substantiæ fit à solis accidentibus, non autem à substantia, quia solius accidentis est disponere subiectum, & præparare materiam, vt sit apta ad receptionem formæ substantialis, ex quibus postea sequitur productio, vel generatio totius substantiæ.

Tertiò notandum ex eodem in 4. d. 6. q. 5. D, & d. 12. q. 3. B. C. Instrumentũ accipi posse multipliciter, vt supradictũ est; in proposito autem, cum dicitur accidens esse instrumentum substantiæ ad productionem alterius substantiæ, accipitur instrumentum pro eo quod agit per propriam virtutem, licet per illam non attingat effectiuè, sed tantum dispositiuè terminum principalis agentis; siquidem calor in igne est eius instrumentum producendi alium ignem, quia per propriam virtutem calefacit lignum, & expellit ab eo frigiditatem, qua expulsa ignis valeat introducere propriam for-

maui

nam in eiusdem materiam, corrumpendo in ea formam ligni præexistentē: Neque hæc agit accidens in virtute substantiæ, sed propria, tum quia substantia non habet vim dispositiuam, cùm hæc sit peculiaris accidentium, vt docet Aristoteles in Prædicam. cap. de quali, sed dũtaxat effectiuam; per quam si accidens attingeret productionem alterius substantiæ, vel accidentis, non diceretur accidens producere, sed substantia, cùm in aliquo priori naturæ habeat suum terminum, quàm accidens, vt optimè ostēdit Scotus in 4. d. 12. q. 3. §. Hic est opinio &c. Tum quia illa virtus substantiæ, cùm non esset accidens, sed substantia, non posset esse principium quo agēdi accidenti ad productionem alterius substantiæ, quin accidens amitteret rationem instrumenti, & euaderet principale agens; siquidem principium quo, & quod, debent esse eiusdem generis, cum tamen sit falsum in accidente, quia secundum totum genus extraneatur à toto genere substantiæ. Superest ergo, vt dicamus, accidens fore solum instrumentum dispositiuum, non autem effectiuum generandi substantiam, sicque intelligi auctoritatem Aristotelis 2. de Anima t. 50. dum dixit calorem naturalem esse instrumentum animæ ad producendam substantiam, quia nimirum, vt exponit Doctor in 4. d. 12. q. 3. C. digerit, & alterat nutrimentum, vt in termino illius alterationis, possit ex ipsa generari substantia.

Quartò notandum ex eodem ibidem O, P, Q, & R. Corruptionem substantiæ posse fieri dupliciter vno modo dispositiuè, alio modo effectiuè. Primo modo fit à qualitatibus contrarijs adinuicē pugnantibus; siquidem calor, cum expellat frigiditatem à forma ligni, disponit materiam ad receptionem formæ ignis, quæ tamen cum induci non possit, nisi expellatur forma ligni, sequitur expulsio huius, & corruptio totius substantiæ ligni à calore ignis dispositiuè. Secundo modo fit ab incompossibili; vndè cum duæ formæ substantiales sint incompossibiles simul in eadem numero materia, sequitur, quod vna agat ad corruptionē alterius, & consequenter moliatur destructionem totius substantiæ. Ex quibus infertur, quod substantia, sicut effectiuè fit à substantia, & ab accidente dispositiuè duntaxat, sic eiusdem corruptio à substantia fit effectiuè, & ab accidentibus dispositiuè.

Ex his fit prima conclusio. Accidens secundum propriam virtutem est productiuum alterius accidentis. Est Scoti in 4. d. 12. q. 3. § Dico ergo ad quæstionem &c. Probatur, quia qualitates, saltem primæ, sunt actiuæ, sed non sunt actiuæ respectu substantiæ, vt probabimus in sequenti; ergo respectu accidentis. Secundò: Accidentia separata, qualia sunt in Sacramento Eucharistiæ, causant caliditatem in palato; similiter sapor, tum accidentium panis, tum vini, causat alium saporem in gustu communicantis, at ibi nulla est substantia, virtute cuius possint causare huiusmodi accidentia, vt fides docet, cùm sint à subiecto seiuncta; ergo habent huiusmodi actiones ex se, & secundum propriam virtutem.

Secunda conclusio. Nullum accidēs, siuè secundum se, siuè in virtute substantiæ, potest effectiuè producere, seu generare substantiam. Est Scoti ibidem §. Hic est opinio &c. Probatur prima pars, quia omne agens æquiuocum totale debet esse perfectius suo effectu; sed accidens, si secundum se produceret substantiam, esset agens æquiuocum totale, imperfectius tamen ipsa substantia à toto genere, cum ab ipsa dependeat in esse ex Aristotele 7. Met. t. c. 2. ergo accidēs secundum se, & in virtute propria nequit producere substantiam. Minor patet ex dictis in 2. not. Minor similiter, quia accidens, nedum est alterius speciei, verùm etiam alterius generis, à substantia; ergo respectu illius diceretur agens æquiuocum. Confirmatur, quia causalitas in actu primo fundamentaliter sumpta, est entitas causæ, saltem realiter; sed accidens est imperfectius substantia in entitate; ergo etiam in causalitate, ac proindè nō poterit ab eo causari. Secunda pars probatur, quia illa virtus substantiæ, secundum quam acci-

dens

dens ponitur causare instrumentaliter, vel esset substantia, vel accidens; sed neutrum dici potest ab opinantibus; ergo &c. Maior patet, quia omne ens sufficienter diuiditur per substantiam, & accidens; sed illa virtus substantiæ esset ens; ergo vel substantia, aut accidens. Minor probatur: Non potest dici, quod sit substantia, quia cum ista sit prior natura quolibet accidente in entitate ex Aristotele 7. Met. t. 4. esset etiam prior in causalitate, ac proindè substantia non esset ab accidente, sed ab illa substantia causata, quod negatur ab illis. Nec potest dici, huiusmodi virtutem esse accidens, quia cũ accidens sit imperfectius substantia, non posset per illã virtutẽ substantia produci, vt probatum est; ergo accidens nequit in virtute substãtiæ instrumẽtaliter producere substantiã. Cõfirmatur, quia principium quo productiuum substantiæ debet esse vnum per se; siquidem ex D. Thoma 1. p. q. 2. art. 5. principium quo est illud, in quo generans, & genitum assimilantur, quod nequit esse ens per accidens; sed ex illa virtute substantiæ, & accidente, non fieret vnum per se; quandoquidem sunt diuersorum generum disparatarũ; ergo ex illis nequit constitui vnum per se principium quo productiuum substantiæ.

Tertia conclusio. Accidens tamen est productiuum, seu generatiuum substantiæ dispositiuè. Est Scoti ibidem sub C. Probatur, quia producere dispositiuè substantiam est producere qualitates quasdam, disponentes materiam ad receptionem formæ substantialis, & alias remouere, quibus remoratur inductio eiusdem in materiam; sed accidens in generatione substantiæ exercet vtrunq. munus erga materiam; ergo accidens est productiuum substantiæ dispositiuè. Maior patet ex not. 2. Minor probatur, quia calor ignis causat caliditatem in ligno, qua expellitur frigiditas, & siccitas; Pariter causat siccitatem in eodem, quo expellitur ab eo humiditas, quæ impediebant introductionem formæ eiusdem ignis: atqui calor, & siccitas sunt accidentia; ergo accidens in generatione producit qualitatem disponentem, & impedientem remouet, vt possit produci substantia totalis, ac proindè dicitur producere dispositiuè substantiam.

Quarta conclusio. Substantia est immediatè, & per se productiua accidentium, seu emanationum accidentalium, in quibus conseruatur forma substantialis eiusdem. Est Scoti ibidem sub E. Probatur primò auctoritate Aristotelis 7. Met. cap. 9. t. c. 32. dicentis, ad generationem substantiæ, necesse est præexistere actu aliam substantiam; ad fieri autem quanti, vel qualis, non est opus quãtum, vel quale aliud actu præexistere, sed tantum potentia, idest, quod habeat esse potentialiter in substantia; ergo ab ipsa habent esse, & existere immediatè, & non mediante aliquo alio accidente. Secundò probatur à Doctore ratione, quia in productione accidentium, in quibus non est ordo essentialis, non est dandus processus in infinitum, sed standum est in aliqua causa creata, à qua essentialiter dependeat totus ordo accidẽtium; sed talis nequit esse, nisi substantia; ergo aliqua accidentia dependent in esse immediatè ab ipsa. Maior declaratur, quia calor productus in ligno depẽdet à calore ignis, calor autem ignis non dependet ab alio calore, alioquin procederetur in infinitũ; ergo cùm non sit status in aliquo accidenti incausato, dicendum est, ipsum habere terminum in forma ignis, à qua immediatè ponatur in esse.

Quinta conclusio Substantia creata est per se, & immediatè productiua alterius substantiæ. Est Scoti ibidem sub D. Probatur, quia secundum Aristotelem 7. Met. cap. 9. t. 32. vna substantia præsupponit aliam actu existentem à qua fiat, vt animal, si animal fiat; ergo secũdum Philosophum, substantia est causatiua alterius substantiæ; sed non sic est causatiua mediantibus accidentibus; ergo immediatè per se. Assumptum probatur, tum quia principium quo, nequit esse diuersum à principio quod, cùm in ipso generans, & genitum assimilentur, vt docet D. Thom. 1. p. q. 2. art. 5. atqui generans, & genitum non assimilantur

necessariò in accidentibus, sed in forma substantiali; ergo principiū quo substantiæ causatiuæ nequit esse accidens: Tum etiā quia principium quo non debet saltem esse imperfectius genito, seu producto; sed quodlibet accidens est imperfectius substantia genita, seu producta; ergo &c. Maior patet, quia omne agens, vel est vniuocum, vel æquiuocum; si æquiuocum debet esse perfectius termino producto; si vniuocum æquè perfectum cum illo; ergo principium quo, nō debet esse imperfectius termino producto. Nec valet distinguere cū Peterio de substantia, & accidente in ratione entis, & in ratione productiui, concedendo vtique substantiam esse perfectiorem in ratione entis, non tamen in ratione principij productiui, quia sic excellitur ab accidente; non valet inquam, quia si substantia est perfectior accidente in ratione entis, erit etiam sic perfectior in ratione principij productiui, quia causalitas in actu primo fundamentaliter sumpta, non est nisi entitas causæ, vt probatum est suprà de Causa in communi q.2. ergo &c. Confirmatur, quia substantia creata producitur, vt quotidiana experientia compertum est, sed non producitur ab accidente, vel vt à causa principali, vel vt ab instrumentali, vt satis ostensum fuit cōclusione secunda huius quæstionis; ergo debet produci per se, & immediatè à substantia. Confirmatur secundò, quia si substātijs denegari posset immediata operatio, seu productio, aut hoc proueniret ex maxima eius perfectione, aut imperfectione; sed neutrum est dicendum, ergo &c. Maior patet, quia nequit excogitari alia ratio exclusiua substantiæ ab operatione. Minor probatur: Non potest primum dici, quia Deus est substantia perfectissima, & infinita, & tamen conceditur esse per se actiua: nec secundum, quia accidentia sunt imperfectiora substantijs, & tamen sunt per se actiua; ergo ex capite imperfectionis nequit eis denegari per se, & immediata actiuitas.

Sexta conclusio Substantia non est per se causa effectiua suarum passionū, sed tantum pullulatiua, seu emanatiua. Colligitur ex Scoto pluribus in locis suæ doctrinæ, vbi asserit, passiones esse identificatas realiter suis subiectis, esseque in eodem prædicamento, in quo collocantur subiecta. Probatur, quia inter causam efficientem, & eius effectum est distinctio realis; sed inter subiectum substantiale, & eius passiones non est distinctio realis; ergo subiectum substantiale non est per se causa effectiua suarum passionum. Maior patet, quia nihil reale est effectiuum sui realiter; sed causa efficiens est causatiua alicuius realiter; ergo inter causam efficientem, & eius effectum debet esse distinctio realis. Minor fuit probata sufficienter in Logica.

Obijcitur primò contra primam conclusionem ex Fonseca, & Conimbricensibus citatis in secunda sententia, quia accidens, cùm sit virtus substantiæ, operatur in virtute illius, & non vt causa principalis; sed quod operatur in virtute alterius est instrumentum illius; ergo accidens respectu alterius accidentis est causa instrumentalis, & non principalis. Maior patet, quia accidens habet suum esse à substantia; ergo etiam suam virtutem operandi ab ea. Minor similiter est nota, cum instrumentum sit illud, quod non habet ex se vim operandi, sed motionem illam recipit à causa principali.

Resp. Accidens esse virtutem substantiæ, & operari in ordine causandi aliud accidens in virtute eius, potest dupliciter intelligi, vno modo, quod virtus, per quam operatur accidens, sit originatiuè à substantia, dum educitur de eius potentia, & sic est verum, quod accidens sit virtus substātiæ, & causet aliud accidens in virtute eius, sed tunc negatur minor, quod vt sic sit instrumentū substātiæ, quia in hoc sensu omnes causæ secundæ sicut virtutes causæ primæ, & in eius virtute operantur, & tamen nō sunt eius instrumenta, sed sunt causæ principales; alio modo, quod in actuali operatione recipiant accidentia à substantia virtutem, per quam agant causando aliud accidens, & sic maior est falsa; siquidem agunt per propriam virtutem,

licèt dependenter à substantia, à qua habent esse: vndè fit, non esse causas instrumentales, sed principales, & totales in suo ordine, & causalitate aliorum accidentium sibi similium.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem: Tum quia Aristot. lib. de Sensu, & Sensato cap. de Sapore, inquit: Ignem non agere, vt ignis est, sed vt calidum: Tum etiam quia in lib. de Gener. dicit, simile non agere in simile, sed contrarium in contrarium; ergo secundum Philosophum accidentibus conuenit actio in substantias, non in virtute propria; ergo in virtute substantiæ à qua habent vt possint operari.

Resp. Priorem auctoritatem esse verā respectu caloris, non respectu alterius ignis generādi, quia sic ignis agit vt ignis, nō vt calidus est. Ad secundū dico, ibi accipi contrariū lato modo, vt se extēdit ad incompossibile, & sic cōtrarietas reperitur etiam in substantijs, & non solum in accidentibus, vt diximus not. 4.

Vel dicendū est, quod consequens sit verum dispositiuè, non tamen effectiuè, quia sic substantia fit à substantia, & non ab accidentibus.

Obijcitur tertiò: Calor naturalis est quo anima agit ex Philosopho 2. de Anima t. 50. sed calor naturalis est accidens, & anima agit ad productionem substantiæ; ergo est productiua substantiæ mediantibus accidentibus.

Resp. ex Doct. subt. in 4. d. 12. q. 3. C. Maiorē esse veram dispositiuè, pro quāto calor naturalis est digestiuus, & alteratiuus nutrimenti, ex quo gignitur in fine illius alterationis aliqua substantia, non tamen effectiuè, quia sic forma carnis est ab anima, vt à principio quo, & non à calore: sūt igitur ibi duæ actiones, quarū altera est alteratiua, & huius principium quo est calor; altera verò productiua substantiæ, & huius principium quo est anima dumtaxat, & non calor.

Obijcitur quartò: Si calor non esset principium quo effectiuū substātiæ, hoc esset maximè, quia nullum imperfectius potest in perfectius; sed hæc ratio nulla est, ergo calor poterit esse principium quo effectiuum substantiæ. Sequela maioris est Scoti in 4. d. 12. q. 3. Minor probatur, quia imperfectius potest corrumpere perfectius, patet de aqua corrūpente ignē, & de igne corrumpente viuens; ergo etiā imperfectius poterit producere perfectius. Cōsequentia patet, quia corruptio vnius est generatio alterius; ergo si imperfectius potest corrumpere perfectius, poterit etiam producere perfectius.

Resp. Sequelam maioris non esse vniuersaliter intelligendam de quocūq; imperfectiori, sed solum de imperfectiori à toto genere; ex eo enim quod accidens à toto genere est imperfectius substantia, ideò asserit Doctor, non posse per ipsum produci substantiam. Ad probationem minoris, quatenus militat contra conclusionem, nego consequentiā; nam ex eo quod imperfectior substantia possit corrumpere perfectiorem substātiam in genere causæ formalis, ob incōpatibilitatem vnius formæ cum alia forma, nequit tamen illam destruere in genere causæ efficientis, vt indè inferatur posse imperfectius accidens corrumpere effectiuè substantiam; quandoquidē accidens nequit agere in substantiam, siuè corrumpendo, siuè producendo, effectiuè, verùm dumtaxat dispositiuè.

Vel dicitur secundò negando minorem, ad probationem negatur consequentia, quia plus requiritur ad producendum, quam ad destruendum; potens enim in processum resolutiuum, non necessariò potest in compositiuum, vt probat Doctor in 4. d. 43. q. 3. sub R. & in 3. d. 16. q. 2. G. non enim sequitur, si possum diuidere lignum in frusta, vt possim illa denuò vnire sicut prius. Nec est par ratio de duabus substantijs, quarum vna sit perfectior, & alia imperfectior; ac de accidente, & de substantia, quia cum in primis sit repugnātia formalis, benè poterit etiam imperfectior corrumpere perfectiorem formaliter, licet non efficienter; at in secundis cùm sit tantùm repugnantia virtualis, quæ dicit incompossibilitatem prioris cum opposito posterioris, non poterit accidens corrumpere substantiam, nisi eius virtus superet in perfectione virtutem substantiæ;

quod.

quod est impossibile.

Obijcitur quintò contra quintam conclusionem, quia vbi nõ est actio realis, & physica, ibi nequit esse effectiua productio; sed inter substantiam, & eius accidentia connaturalia nulla datur actio realis, & physica; ergo nec effectiua productio. Maior patet, quia productio sequitur ad alterationem, & actio ad ipsam terminatur; ergo vbi prior deficit, & posteriorem deesse necesse erit. Minor probatur, quia nihil agit realiter in seipsum; siquidem actio, & passio distinguuntur realiter, quia agens, & patiens sunt diuersa realiter; sed si substantia ageret ad productionem accidentiũ, deberet agere in se, cum non assignetur aliud passum; ergo &c.

Resp. negando minorem; ad probationem dico, maiorem esse veram de actione vniuoca; falsam verò de equiuoca, vt suo loco ostensuri sumus cum Scoto in 1. d. 3 q. 7. R, & in 2. d. 2. q. 10. & est manifesta instantia de intellectu, & voluntate; intelligente, ac volente se; modò actio substantiæ immediatè productiua suorum accidentium esset æquiuoca, & non vniuoca, atque adeò nõ inconuenit, vt posset agere in se ad eorum productionem.

Vel dicendum secundò: Maiorem, & eius probationem habere veritatem de productione transeunte, quæ fit in alieno subiecto, non tamen de immanente, quia hæc, cum fiat in agente, sicut non supponit passum distinctum realiter, sic nec præexigit actionem, quæ sit media inter causam productiuam, & eius effectum productum: modò accidentia connaturalia fiunt à substantia immediatè immanenter in se, & ideò nõ egent actione media inter se, & eorum causam effectricem.

Obijcitur sextò contra quintam conclusionem: Nullius substantiæ esse est sua actio; ergo nulla substantia est per suam essentiam actiua. Consequentia probatur, quia diuersitas actuum arguit diuersitatem potentiarum; sibi correspondentium; sed actio, & esse sunt diuersi actus, quorum potentiæ sunt substantia, & eius vis operatiua; ergo substantia, & eius vis actiua erunt diuersæ, ac proindè nulla substantia per suam essentiam erit potentia actiua.

Resp. negando antecedens, sumendo actionem in actu primo fundamentali, & concedendo illud in actu secundo: nã sicut actio priori modo sumpta, non distinguitur, saltem realiter, ab essentia substantiæ, ita posteriori modo, cum sit effectus in fieri, est alia realiter ab ipsa; ex quo sequitur falsitas illius consequentiæ, quod nulla substantia sit per suam essentiam actiua. Et cũ probatur, quod actio, & esse sunt actus diuersi, atque adeò exigentes potentias diuersas; falsum assumitur, sumendo actionem in actu primo fundamentali, quia sic non distinguitur ab esse substantiæ, sicut nec substantia, & eius vis operatiua sunt diuersæ potentiæ, cum sint idem saltem realiter, vt alibi dictum est.

Obijcitur septimò: Prius est esse, quã operari; ergo prius est esse, quam operari posse; ergo virtus, seu potentia operatiua distinguitur realiter ab esse substantiali, ac per consequens substantia per se, & immediatè non erit operatiua, seu effectiua, sed medijs accidentibus superadditis ab ea realiter distinctis.

Resp. Antecedens esse verum de prioritate naturæ, non durationis, quia in eodem instanti temporis est esse corporis luminosi, & illuminatio; vndè non rectè infertur distinctio realis inter esse, & operari posse, ac inter substantiam, & eius vim operatiuam, quia non omnis prioritas naturæ infert distinctionem realem, sed tantum illa, quæ est inter causam, & causatum; modò esse, & operari posse non se habent, vt causa, & causatum, sed tantum vt prius, & posterius, à quo non valet subsistendi consequentia, in quibus nõ datur distinctio realis, alioquin prædicata quiditatiua superiora distinguerentur realiter ab inferioribus, cũ inter ea sit huiusmodi prioritas, quod tamen nec Aduersarij concedunt.

Obijcitur octauò contra sextam conclusionem: Si substantia non esset causa efficiens suarum passionum, sequeretur esse tantum causa materialis, cum sit illarum subiectum; hæc enim prædicatio

est vera, homo est risibilis, quia homo est subiectum receptiuum risibilitatis; sed hoc esse falsum probat Scotus in 1. d. 3. q. 7. S. & in 2. d. 25. q. vn. C, ex eo quod huiusmodi prædicatio non esset per se secundo modo, & necessaria, sed contingens; siquidem secundum Aristotelem 9. Met. t. 17. Materia est potentia contradictionis, & hæc est, qua res potest esse, & non esse, quod est omninò falsũ, & secundum Scotum, & etiam secundum Aristotelem 1. Poster. cap. 4. ergo dicendum est, substantiam esse causam efficientem suarum passionum.

Resp. Causam efficientem esse in duplici differentia; alia enim agit per motum, & mutationem physicam; alia verò per emanationem, pullulationem, & resultantiam; prior est causa efficiens physica; posterior appellatur metaphysica, quia abstrahit à materia ex qua, & consequenter à motu, & mutatione: Ad propositum, substantia est causa efficiens metaphysica suarum passionum, quia pullulant ab ipsa per emanationem quamdam, & resultantiam; non est tamen causa efficiens physica, quia non ponit illas in esse per motum, & mutationem physicam, alioquin distinguerentur realiter ab ea, quod est omninò falsum, cum necessariò sibi inhæreant.

Dices: Materia, & efficiens non coincidunt, vt cum Aristotele probabimus in sequenti disputatione; sed substantia, cum sit subiectum suarum passionum, est causa materialis; ergo nequit esse vllo modo causa efficiens, si igitur non est causa efficiens physica, nec metaphysica erit.

Resp. Maiorem esse veram de materia prima, non verò de secunda, hoc est de subiecto cõposito ex materia, & forma, quia tale nedum est receptiuum suorum accidentium, sed etiam productiuum earumdem, vel physicè, vel metaphysicè, modò substantia est causa materialis suarum passionum secunda, quæ secum patitur etiam causam efficientem, si non physicè, saltem metaphysicè.

De Causa Finali, seu de Fine.

DISP. VI.

CAusam Finalem esse vltimam inter omnes causas quoad assecutionẽ, & primam in intentione, aliàs monuimus; siquidem cum omne agens per se agat propter aliquem finem, necesse est, priusquam aliquod opus aggrediatur, vt intendat propter quid illud facere velit, aliter non prudenter, sed insipienter ageret, illud autem sic intentum esse finem, docet Aristoteles 2. Physicorum t. 23. 29. & 31. Finis autem dupliciter accipitur, vno modo pro termino, seu vltimo vniuscuiusque rei, sicut dicimus punctum esse finem lineæ, & mortem vitæ: alio modo sumitur finis pro bono, quod agens intendit in exercitio suarum actionum, & diffinitur ab eodem ibidẽ, quod sit, cuius gratia aliquid fit, de quo tantum est sermo in proposito, cum in eo solùm sita sit ratio causæ finalis, de qua quæruntur, & soluentur sequentes difficultates.

Vtrum finis verè, & propriè habeat rationem principij, & causæ?

QVÆSTIO I.

FInis, communiter diuiditur iuxta tradita ab Arist. in hoc 2. Phys. t. 29. 31. Et in 2. de Anima t. 37. in finẽ cuius, seu qui, & cui. Deindè in finem vltimũ, & non vltimum, siuè intermediũ; vndè fit, vt non sit vna, & eadem omniũ Doctorum sententia, an in omnibus, vel tamen in aliquo, & in quo sit constituenda ratio formalis finis, vt est causa finalis; quandoquidem Nominales cum Biele in 2. d. 1. q. 5. art. 1. putant causam finalem collocandam esse dumtaxat in fine cui; & ex opposito Vasquez p. 2. disp. 2. cum Salas ibidem sect. 1. asserit, causam finalem etiam esse solum in fine cuius, seu qui.

Cæterùm Doctor subtilis in 2. d. 6. q. 1. §. ad secundum argum. sub F. cùm asserat vtramque rationem qui, & cui, includere

cludere in se obiectũ voluntatis, videtur dicere hos fines abinuicem non separari, atq. si in vno consistit ratio causæ finalis, & in altero collocari debere.

Circa secundam diuisionem etiam est controuersia: Vasquez enim in 1. p. D. Thomæ disp. 82. c. 2. & in 1.2. disp. 4. excludit à ratione finis finẽ non vltimũ, & consequenter à ratione causæ finalis.

D. Thomas autem 3. contra Gentes c. 2. & Scotus in 3. d. 32. q. vn. sub H. docẽt, finem, non solum vltimum, ac irreferibilem, sed etiam non vltimum, & ad alium ordinabilem, habere rationem finis, ac proindè in vtroque rationem causæ finalis collocari posse. Hanc opinionem expressè docuit etiam Arist. 1. Ethicorum c. 7. dũ inquit: *Plures esse fines videtur, & horum quosdam ob aliud expetimus*, vt diuitias, tibias, instrumenta denique omnia; cui & nos subscribere debemus.

Pro resolutione igitur vtriusq. partis controuersiæ, ac earũ intelligẽtia, primò notandũ est: Finem multipliciter diuidi posse, & primo in finem cuius, siuè *qui*, & *cui*. Finis cuius, seu qui, est ille cuius gratia agens operatur, vt sanitas est finis cuius, seu qui Medici, qua eius gratia præbet medicamina ægroto. Finis verò cui est ille, cui aliquid acquiritur, & sic infirmus est finis medicinæ, ac sanitatis, quia medicus sibi illam procurat. De horum finium natura agit Scotus in 2. d. 6. q. 2. A, dum velle terminatum ad finẽ cui vocat amorem amicitiæ, terminatum autem ad finem cuius, seu qui, appellat amorem concupiscentiæ, hoc est, volitum propter aliud, & nõ propter se.

Secundò. Diuiditur in finem formalem, & obiectiuum, seu quo, & qui. Prior est operatio, per quam acquiritur finis obiectiuus, vt visio, seu fruitio beatifica, per quam acquiritur obiectum beatificum. Posterior verò est ipsum obiectum per operationẽ acquisibile, vt Deus benedictus per beatitudinem attingibilis.

Tertiò. Diuiditur in finem operis, & operantis, seu intrinsecum, & extrinsecum. Finis operis, seu intrinsecus est ad quem operatio ex natura sua ordinatur, vt sanitas respectu medicinæ, quia hæc ad illam ex se, & intrinsecè ordinatur. Finis verò operantis est, quem sibi operans ex arbitrio præscribit, vt studere vt sibi nomen acquirat, vel eleemosynam facere ob vanam gloriam.

Quartò. Diuiditur in finẽ generationis, & rei genitæ. Finis generationis est, propter quem fit generatio, seu qui per generationem acquiritur, & sic forma, & compositum, quæ per generationem acquiruntur, dicuntur fines generationis, illa vt quo, & istud vt quod. Finis autem rei genitæ est vsus rei per generationem habitæ, vt habitatio domus est finis eius; siquidem, vt habitaretur fuit completa.

Quintò. Diuiditur in finẽ vltimum, seu irreferibilem; & nõ vltimũ, seu ad alium finem referibilem. Primus est qui habet bonitatem omninò irreferibilem ad aliã, vt est Deus, qui ad nullum alium ordinatur. Secundus est, qui habet bonitatem ad aliam ordinabilem, vt homo, cuius bonitas est referibilis ad diuinam.

Sextò. Diuiditur in finem verũ, & apparentem, seu præfixum. Finis verus est qui habet bonitatem honestatis. Finis apparens, est qui habet bonitatem præfixã, vel apparentem, cuiusmodi est bonitas delectabilis, & vtilis. Harum duarum diuisionum meminit Doctor in 1. d. 1. q. 1. omninò videndus, pro earum perfecta intelligentia.

Septimò. Tãdem diuiditur in finẽ per operationem attingibilem, & in finem, qui est causa finalis. Prior ratio finis cõuenit Deo, cum sit attingibilis à creatura rationali per visionem, & fruitionem beatificam. Posterior, est qui allicit oẽs ad operãdum, licèt ipse per operationem non attingatur, & sic Deus est causa finalis omnium creaturarum, cum propter semetipsum operatus sit omnia. Et quamuis per suam beatitudinem attingat seipsum, nequit tamen dici finis sui ipsius, vt non benè putauit noster Trõbeta 5. Metaph. à q. 1. vsque ad 4. quia, vt docet Scotus in 1. d. 1. q. 5. §. Ad argumenta primæ quæstionis &c. nullius est causa finalis aliqua, nisi respectu cuius est causa efficiens, quia causalitas causæ finalis est mouere efficiens ad agendum, atqui Deus, cum sit in-

effectibilis, eius non erit causa finalis, & licèt dicatur agere propter finem, non erit propter finem sui, sed effectus. Ad propositum quæritur: An omnes isti fines admittant rationem causæ finalis, vel aliqui dumtaxat, & quinam sint.

Secundò notandum est: Finem præseferre in se rationem aliquam boni; siquidem cum habeat mouere voluntatem agentis ad operandum, non posset hoc facere, nisi in se contineret aliquam bonitatem, quæ est obiectum voluntatis. Bonum autem est triplex, scilicet Honestum, quod nimirum est propter se appetibile, siuè referribiliter, vt est virtus, siuè irreferribiliter, & absolutè, vt est Deus; Delectabile, quod causat delectationem, & gaudium in operante, siuè in se sit bonum, vel malũ moraliter vt epulari, luxuriari, & his similia; Et vtile, quod præstat ad conseruationem, aut acquisitionem alicuius rei, siuè in se sit bonum, vel malum, vt sanitas, pecunia, & huiusmodi.

Tertiò notandum est, quòd ad rationẽ causæ exigitur aliquod esse, siuè reale, siuè obiectiuum; siquidem quod non est, nequit dare esse alteri, quod est proprium causæ, vt ab ipsa essentialiter dependeat effectus; cùm igitur finis ab agente præconceptus, ipsum moueat ad sui acquisitionem, quæ nequit fieri nisi per actiones agentis, consequenter dicendum est, ab ipso fine essentialiter dependere operationem efficientis, & agẽtis, ac propterea ipsum habere veram rationem principij, & causæ.

Quartò notandum est: Causam finalem dupliciter comparari posse ad alias causas, vel in entitate, vel in causalitate, seu ordine causandi: priori modo est imperfectior cæteris, quia cum aliæ habeãt esse reale, hæc verò habet esse tantum obiectiuum, & intentionale; at posteriori modo excellit longè alijs, quia est prima in ordine causandi, & sine ipsa aliæ causare non possent.

Ex his fit prima conclusio. Finis, dum mouet agens, seu efficiens ad operandũ, induit veram rationem principij, & causæ. Est Aristotelis in 2. Physicorum t. 29. & 31. Ac 5. Met. t. 2. Et Scoti in 1. d. 1. q. 5. & d. 2. q. 2. sub L. Probatur: Sicut se habet principium in speculabilibus, ita finis in agibilibus, ex Aristotele 2 Physicorũ t. 89. sed principium in speculabilibus est verè, & per se causa, ex eodem ibidem; ergo etiam finis in agibilibus erit propriè, & per se causa. Secundò probatur: Omne agens, in cuius actione potest error accidere, habet finem; siquidem error accidit cum per actionem non attingitur verus finis; sed in actionibus hominum sæpè contingit error; ergo dum agunt habent finem, ipsos mouentem ad actiones. Tertiò probatur, quia id, à quo essentialiter aliquid dependet, est verè, & propriè principium, & causa, vt diximus superiùs in diffinitione causæ vt sic; sed à fine essentialiter depẽdet efficientis operatio, quia omne agens per se agit propter finem, vt probat Aristoteles 2. Physic. t. 49. 61. & 75. ergo à fine essentialiter aliquid depẽdet, ac proindè est verè, & propriè causa.

Secunda conclusio. Finis, siuè vltimus, siuè non vltimus; siuè *qui*, siuè *cui*, induit veram rationem causæ finalis. Est Scoti in præcitatis locis contra Doctores relatos in prima, & secunda sententia, & in 4. d. 14. q. 2. H, & R, vbi docet, quod voluntas imperat actum vnius virtutis ex motiuo alterius virtutis, & omnes ex motiuo vltimi finis. Probatur, quia finis, participans veram diffinitionem causæ finalis, est vera, & propria causa finalis; sed quicumque ex recensitis finibus est huiusmodi; ergo quilibet erit vera, & propria causa finalis. Maior patet, quia diffinitio debet conuenire cuilibet contento sub suo diffinito. Minor probatur, quia causa finalis diffinitur ab Aristotele sub t. 29. per id, cuius gratia aliquid fit, sed quilibet ex recensitis finibus est huiusmodi; ergo &c. Minor probatur, quia medicus gratia sanitatis, quæ est finis *qui*, ordinat medicamina, & gratia hominis infirmi, qui est finis *cui*, vult ipsi sanitatem, ergo tàm finis *qui*, quàm *cui*, mouet medicum ad operandum, vt infirmitatem expellat, & sanitatem infirmo conciliet. Similiter cum aliquis sumit medicinam, vt morbum depellat, vires reasumat, & sibi sanitatem conciliet,

vt

vt melius & commodius possit Deo seruire, hæc non agit tantum in gratiam diuini seruitij vt finis vltimi; verùm etiã gratia sanitatis, quæ sibi est valdè bona, & vtilis; ergo illa diffinitio causæ finalis verificatur de quocumque fine ex prædictis. Secundò probatur conclusio specialiter de fine non vltimo, quia Aristoteles 1. Ethicorum cap. 7. inquit: Dati plures fines, quorum quosdam expetimus ob aliud; sed verum est ibi non loqui de finibus vltimis, quia hi non sunt plures, nec vnus expetibilis propter alium, alioquin non essent vltimi, sed proximi; ergo loquitur de intermedijs, seu non vltimis. Confirmatur: Vbicumq. reperitur ratio bonitatis honestatis, vel delectabilitatis in obiecto, ibi est inueniri ratio finis; sed in fine non vltimo reperitur vtraque bonitas; ergo finis non vltimus habet rationem finis, & causæ finalis. Maior patet, quia ex eo quod obiectum habet bonitatem honestatis, est diligibile propter se, quia verò habet bonitatem delectabilitatis, est diligibile alteri; sed in priori reperitur ratio finis *qui*, & in posteriori ratio finis *cui*; ergo obiectum in quo reperitur bonitas honesta, vel delectabilis, habet rationem finis, & non medij. Maior, & minor innotescunt ex dictis not. 1. & 2. Minor primi syllogismi probatur, quia si quis præbeat eleemosynam pauperi ex desiderio placendi Deo, ibi est bonitas honesta, nimirum subleuatio pauperis: si verò alter sumat potionem calidam ad recuperandam sanitatem ex desiderio, & intentione conficiendi iter Romam versus, ibi recuperatio sanitatis est bonum delectabile; atqui isti sunt fines non vltimi, vt patet, quia sunt ordinati ad vlteriores fines; ergo in fine non vltimo habet reperiri secundum se aut bonitas honestatis, aut delectabilitatis, atque ratio finis, seu causæ finalis.

Tertia conclusio. Finis verus, & apparens induunt quidem rationem causæ finalis, non autem præfixus, seu præstitutus. Colligitur ex Scoto varijs in locis, sed præsertim in 1. d. 1. q. 1. E, & in 2. d. 43. q. 2. §. Aliter arguitur &c. Probatur prima pars, quia de ratione causæ finalis est, quod moueat efficiens ad operandum per modum amati, & desiderati; sed in fine vero, & apparenti apprehenditur sufficiens bonitas, mouens voluntatem ad eorum dilectionem, & desiderium; ergo tàm finis verus, quàm apparens potest habere rationem causæ finalis. Maior patet ex dictis, & magis innotescet ex dicendis in sequenti quæstione. Minor probatur, quia in vtroque fine reperitur aliqua bonitas, vel vera, vel apparens, antecedenter ad actum voluntatis; ergo sicut potest apprehendi ab intellectu, vt per se diligibilis, ita et sic, poterit mouere voluntatem ad sui consecutionem, ac proindè vterque finis habet sufficientem bonitatem, vt possit mouere voluntatem ad perquirenda media ad eorum consecutionem. Secunda pars, quæ etiam sustinetur à Poncio disp. 10. q. 4. conclus. 3. n. 30. contra Mastrium disp. 7. q. 8. conclus. 2. n 170. probatur hac ratione, deducta ex Doctore subtili locis citatis in principio cõclusionis: quia finis, qui est causa finalis, exigit necessariò bonitatem antecedenter ad actum voluntatis efficientis; siquidem per ipsam habet mouere efficiens ad operandum pro eius consecutione; sed finis præfixus, non habet huiusmodi bonitatem, antecedenter ad actum voluntatis, cum per actum eiusdem præfigatur vt bonus, qui prius erat malus; ergo &c. Minor est apertè in litera Doctoris in citatis locis; nam in 1. dicit sub E. sed in fruitione finis præfixi, ratio finis sequitur actum, quia vel dicit modum actus, vel modum obiecti, vt talis finis præfixus actus terminat ipsum actum, quia voluntas appetendo illud propter se, tribuit sibi rationem finis. Et in 2. Si voluntas potest illud velle, idest odium Dei, patet propositum, quia nulla est bonitas in isto actu prior ipso actu volendi: si enim assignatur aliqua bonitas propter actum volendi, hoc non est in obiecto, vt præcedit actum, sed est in ipso, vt sequitur actum volendi; ergo de mente Scoti finis præfixus non habet aliquam bonitatem antecedenter ad actum voluntatis, & consequenter nequit habere rationem causæ finalis. Nec valet

dicere cum Mastrio, dari finem præfixũ secundum Doctorem in 1.d.1.q.1.§. De tertio articulo &c. quia estò hoc sit verum, & admittatur gratis, negatur tamen huiusmodi finem, posse habere rationem causæ finalis; siquidem, vt dictũ est, illa debet præcedere actum efficientis, vt possit illud mouere ad eumdem eliciendum; at finis præfixus non antecedit, sed sequitur, vt dicit Doctor, actum voluntatis, qua de causa necessariò excluditur à ratione causæ finalis: superest igitur, vt dicamus de mente Doctoris, quod finis præfixus nequeat subire rationem causæ finalis.

Quarta cõclusio. Causa finalis est nobilissima omnium causarum, non in entitate, sed quoad ordinem, & eius causalitatem. Probatur prima pars contra Pôciũ disp. 10. q. 3. n. 16. quia esse obiectiuũ est ignobilius, quam esse reale; sed causa finalis est causa tantum in esse obiectiuo, vt probabimus in sequenti; cæteræ verò causæ habent esse, & causare realiter, vt visum fuit suprà; ergo &c. Secunda pars probatur, tum quia Auicennas 6. Metaphysicæ cap. 5. & Commentator 5. Met. com. 3. dicunt, si causarum omniũ daretur propria scientia, quæ esset de fine, foret nobilissima; sed scientia desumit nobilitatẽ ab obiecto; ergo finis, seu causa finalis est nobilissima omnium: Tum etiam, quia causa independentior in causando, est nobilior causis dependẽtibus; dependentia enim ab alio, dicit imperfectionem, quia indigentiam ab illo, quapropter Deus est omnium nobilissimum ens in entitate, & causalitate, quia est independens ab omnibus in essendo, & causando; sed causa finalis est independentior cæteris in causando; ergo erit omnium nobilissima. Minor patet, quia si finis non moueret agens, seu efficiens, nec agens ageret in materiam ad eductionem formæ, nec materia illam reciperet, & consequenter nec forma vnita materiæ cõstitueret compositum; ergo si finis non causaret, nulla causaret; est ergo cæteris independentior in causando.

Obijcitur primò contra primam conclusionẽ, quia de ratione causæ, & principij est esse primum, ex Philosopho 5 Met. c. 1. t. 1. sed de ratione finis est esse vltimum, ex eodem ibidem t. 21. Finis vltimorum quippiam est; ergo finis nequit esse causa, & principium.

Respõdetur maiorem, quæ est auctoritas Aristotelis, habere veritatem, vt ibi se explicat, de primitate aut secundum esse, aut in fieri, aut in cognosci; minorem verò esse veram de vltimitate secũdum esse reale, & perfectũ, non tamen secundum esse cognitum, & obiectiuũ, quia sic finis est prior cæteris causis.

Vel dicendum secundò: Minorem esse veram de fine in executione, non tamen in intentione, quia sic non est vltimus, sed primus, & vt sic tantum est causa.

Obijcitur secundò: Causa, dum dat esse, est in actu, sed finis, dum mouet, nõ est in actu; ergo finis non est causa. Maior patet, quia causa, & effectus simul sunt, & non sunt, ex Aristotele 2. Physic. t. 37. Minor etiã probatur, quia si finis, dum mouet, esset in actu, cessaret omnis actio agentis, quia, secundum Aristotelem lib. 1. de Gener. t. 55. habito fine, cessat actio; sed hoc est falsum, quia agens numquam ageret propter finem; ergo finis, dum mouet, non est in actu, & consequenter non est causa.

Respondetur negando minorem; ad probationẽ dico, maiorem, & eius probationem fore veram, si finis esset in actu secundum esse reale, non tamen si sic esset secundum esse obiectiuum; modò finis, cum mouet efficiens, est in actu tantum in esse obiectiuo, quomodo dũtaxat dicitur causare.

Obijcitur tertiò: Quod impropriè causat, nõ est propriè causa; sed finis est huiusmodi, ergo finis non est propriè causa. Maior patet. Minor probatur, tum quia Arist. 1. de Gener. t. 55. vocat motionem finis actionem translatitiam; Tum etiam, quia Scotus in 1. d. 2. q. 2. sub L. dicit, causam finalem non causare nisi quia metaphoricè mouet efficiens ad operandum; sed verũ est quod actio translatitia, & metaphorica non est propriè causalitas; ergo finis non propriè causat.

Re-

Respondetur negando minorem; ad probationem dico, causalitatem finis vocari ab Aristotele, & Scoto metaphoricam, & translatitiam, non simpliciter, & absolutè, sed tantum comparatiuè ad causalitatem efficientis; siquidem finis non ponit in efficiente, quod mouet, aliquam formam realem, informantem ipsum, sicut facit efficiens in materia, sed tantum illud allicit, vt in sui gratiam aliquid operetur; cùm hoc tamen stat, vt eius causalitas sit vera, & propria in suo genere, quia sine illa agens nihil ageret, vel non saltem prudenter.

Obijcitur quartò contra secundam conclusionem de fine non vltimo; Tum quia Aristoteles 2. Metaphysic. text. 8. inquit: *Item ipsum cuius causa finis: tale autem est, quod non est alterius gratia, sed eius causa cætera*, vt optimè exemplificat in 2. Physicorum t. 29. de sanitate, ac de omnibus, quæ eius gratia fieri solent; Tum etiam, quia de ratione finis est vt sit appetibilis propter se, & non propter alterum; siquidem per hoc distinguitur à medijs, quæ sunt appetibilia propter finem; sed finis non vltimus est ordinabilis ad finem vltimum; ergo non habet rationem finis, sed medij, ac proindè nequit esse causa finalis.

Respondetur Aristotelem in 2. Metaphysic. t. 8. non insinuasse finis naturam, vt sic, sed tantum vt vltimus est, & ideò addidit illam particulam, quod non est alterius gratia, quæ solum fini vltimo congruere potest, cæterùm loquendo de fine in communi, de quo egit ex professò 2. Physicorum tex. 29. & 31. Ac 5. Metaphysic. cap. 2. de Causa, abstinuit ab illa particula, quod non est alterius gratia, & solum posuit, cuius gratia aliquid fit, vt comprehenderet sub se omnes fines, & non tantum vltimum. Ad secundum dico, maiorem esse veram, si ly appetibile propter se, & non propter alterum, specificet propriã bonitatem, & excludat bonitatem alterius; siquidem finis non vltimus nõ appetitur propter bonitatem finis vltimi, sed ratione suæ bonitatis propriæ, quæ illum cõstituit in ratione finis, licèt dependenter à bonitate finis vltimi; sicut enim causa efficiens secunda non deperdit rationem causæ, licèt agat per formam, & virtutem subordinatam primæ; sic nec finis intermedius amittere debet veram rationem finis, quamuis eius bonitas mouens efficiens, causet cum subordinatione ad bonitatem vltimi finis; falsam autem esse illam maiorem, si ly propter se, & non propter alterum, affirmet propriam bonitatem, & excludat ab ea subordinationem ad alterum finem priorem, ob rationem desumptam à simili de causa efficiente, quæ cùm habeat in se, vt sit tantum virtus actiua, benè potest competere causæ secundæ, quamuis in causando subordinetur primæ. Et cum probatur, quod tunc ratio finis non distingueretur à mediorum natura, cuius est appeti propter alterum, assumitur falsum, vel saltem æquiuocum; quandoquidem media carent bonitate honesta, vel delectabili, quæ faciunt, vt obiecta sint appetibilia propter se, & non propter alterum, & solum gaudent bonitate vtili, per quam fiunt ordinabilia ad finem, & ideò solum propter ipsum sunt appetibilia; sic autem non se habet finis non vltimus, cum habeat propriam bonitatem honestam, vel delectabilem, qua redditur appetibilis propter se, quamuis in relatione ad finem vltimum.

Obijcitur quintò contra tertiam conclusionem: Vbi non est bonitas in obiecto, ibi deficit ratio causæ finalis; sed in fine apparenti nulla est bonitas, saltem à parte rei; ergo &c. Maior patet, quia bonitas obiecti est ratio constitutiua eius in esse causæ finalis. Minor probatur, quod apparet esse bonum, non est bonum; siquidem, quod apparet, non est; sed finis apparens, tantum apparet esse bonus, quia nimirum sic ostenditur à ratione errante; ergo cum in rei veritate non sit bonus, consequenter nequit esse causa finalis.

Respondetur negando minorem; ad probationem dico, tantum concludere, quod finis apparens non habeat in se bonitatem honestam, seu veram, non tamé

quod

quod non habeat bonitatem delectabilem, sic apprehensam ab intellectu errante; & hæc est sufficiens ratio constitutiua eius in genere causæ finalis, cum possit mouere voluntatem, vt inquirat media necessaria ad illius consecutioné.

Obijcitur sextò contra secundam partem eiusdem conclusionis, quia finis pręfixus habet bonitatem antecedenter ad actum voluntatis, quo imperat media ad eius consecutionem; ergo & ipse potest inducere rationem causæ finalis. Consequentia patet, quia ad hoc vt finis sit causa finalis, sufficit, vt eius bonitas sit prior actu efficiétis: ex communi Doctorum sententia. Antecedens probatur, quia bonitas præfixa per actum voluntatis, e.g. auari, præstituentis sibi pecuniam pro vltimo fine, & veluti obiectum diligibile propter se, quamuis non antecedat ipsum actum secundum suum esse positum, tamen ipsum potest præcedere secundum esse ponendum, quatenus nimirum sic ostenditur possibilis per actum voluntatis, sic præfigentis; sed hæc sufficit ad constituendum finem præfixum in ratione causæ finalis; ergo &c. Maior patet, quia intellectus auari, antequam sibi præstituat pecuniam pro idolo, cognôscit illam bonitatem non repugnare pecuniæ, sed esse possibilem stante libertate suæ voluntatis; ergo huiusmodi bonitas potest antecedere actú voluntatis in intentione auari. Minor probatur, quia finis secundum esse reale positum, licet non sit prior, sed posterior actu voluntatis, attamen secundum esse reale ponendum est ipso prior, saltem in intentione efficientis, & hæc prioritas sufficit ad hoc vt finis dicatur causare realiter secundum communem opinionem; ergo à simili, cum bonitas præfixa in esse ponenda possit antecedere actum voluntatis in intentione auari, poterit vtique constituere finem præfixum in ratione causæ finalis.

Respondetur negando antecedens; ad probationem nego maiorem, siquidem cum huiusmodi bonitas non sit ex natura rei, sed tantum dependens ab actu voluntatis, sic præfigentis illam, nequit cognosci vt antecedens, sed solum vt ipsum consequens: Et cùm probatur, quod intellectus auari cognoscit illam bonitatem non repugnare, sed esse possibilem in pecunia, dico verum esse dependenter, & consequenter ad actum voluntatis, nó tamen antecedenter ad ipsum: ac proindè non poterit ostédi, vt mouens ipsam voluntatem ad sui consecutioné, sicque non poterit esse causa finalis.

Obijcitur septimò contra quartam conclusionem: Si finis esset causa nobilissima, sequeretur, quod conueniret nobilissimis entibus; sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia nobilissimum debet reponi in nobilissimo, sicut perfectissimum in perfectissimo. Minor probatur ex Aristotele 3. Met. t.3. vbi dicit, rationem finis, vt causa finalis est, non posse conuenire entibus immobilibus, quæ tamen secundum ipsum entia sunt nobilissima.

Respondetur negando minorem; ad probationem dico, Aristotelem excludere ab entibus immobilibus causam finalem in ordine ad se, non tamen respectu aliorum; quandoquidem, vt ait Doctor subtilis in 1.d.1.q.5. ad argumentum primæ quæstiunculæ, licèt Deus nequeat dici causa finalis respectu sui, cum sit ineffectibilis, dicitur tamen finis respectu suorum effectuum, quia propter semetipsum operatus est Deus.

Obijcitur octauò: Causalitas consequitur entitatem, cum sit eius ratio formalis; sed causalitas efficientis, & formalis est nobilior causalitate finis; ergo causa finalis non est omnium causarum nobilissima. Minor probatur, quia causalitas efficientis, & formalis est realis; finis verò metaphorica, seu intentionalis; sed esse reale est nobilius intentionali; ergo &c.

Respondetur negando minorem; ad probationem dico, minorem esse verã, si per ly intentionale intelligatur ens fabricatum per opus intellectus; falsam verò si sonet ens rapræsentatum per intellectum; quandoquidem istud, cum sit semper immateriale, & multa entia realia sint materialia, tunc esse intentionale erit nobilius illis entibus realibus.

Vel

Vel dicendum secũdò: Causam finalem formaliter, & reduplicatiuè sumptam, esse vtique ignobiliorem secundũ sui entitatem, quæ non est realis, sed obiectiua, causa efficienti, & formali reduplicatiuè sumptis, quarum causalitates sunt reales; non tamen quoad ordinem causandi, quia sic, cum illarum causalitates dependeant à causalitate finis, vt a prima causa, consequenter erũt ignobiliores causalitate finis, ac proindè finis quoad ordinem, & independentiam erit cæteris nobilior.

Vtrum causa finalis sit realis, nedum in entitate, sed etiam in causalitate, seu modo causandi?

QVÆSTIO II.

Finem esse quid reale, prout reale idem est, ac esse verum à ficto distinctum, non est quis ambigere possit: similiter esse quid reale, vt reale contradistinguitur ab ente rationis, quod nimirum habet esse dependenter ab opere intellectus, vel voluntatis, non est qui rationabiliter ignoret, cum habeat esse extra animam, vt patet de sanitate, quã infirmus amat, ac desiderat. Cæterùm si loquamur de esse reali, vt sit idem, ac physicum, contradistinctum à metaphorico, & morali, non eodem modo respondent ad propositam quæstionem; nàm

Aliqui putant, finem, seu causam finalem esse realem, ac physicam, cùm ad effectus physicos sit ordinata simul cum alijs tribus causis realibus, efficiente s. formali, ac materiali. Ita ex nostris Antonius Andreas 5. Met. q. 3. Antonius Trombeta ibid. q. 2. Canonicus 2. Physicorum q. 3. & Poncius disp. 10. q. 3. ex alienis autem sequitur Suarius in Metaph. disput. 23. sect. 1. Conimbric. 2. Physic. cap. 7. q. 20. & Ruuius tract. de Fine q. 1.

Alij verò ex opposito, secuti modum loquendi Aristo. eius lib. 1. de Gener. tex. 55. vbi causalitatem causæ finalis appellat translatitiam, & metaphoricam, sustinent finem, seu causam finalem non posse dici physicam, sed tantum moralem. Sic ex nostris Lychetus in Prol. gum sent. Scoti q. 4. & in 1. d. 1. q. 4. ad 2. argum. princip. Tatar. 2 Physicorum de Causis dub. 2. Cauillus in supplem. ad quæstiones de Anima Scoti sect. 19. disp. 1. sub n. 4. & Mastrius cũ alijs multis, tum Recentioribus, tum Antiquis ab eodem relatis disp. 7. q 8. art. 5. n. 197.

Circa secundam partem quæstionis etiam dissident inter se Doctores; nam Auicennas 6. suæ Metaph. cap. 5. Soncinas 5. Met. q. 3. Capreolus in 2. d. 25 q. 3. art. 3. & Medina in 1. 2. q. 1. art. 1. cùm agnoscant necessitatem cõceptionis bonitatis finis per intellectum apprehensæ, ad hoc vt causa finalis possit exercere suam causalitatem in efficientem, docent ipsam finalizare secundum esse obiectiuum, quod habet in intellectu, & non secundum esse reale, cum illud sit habitura dumtaxat per actum efficientis. Hanc eamdem opinionem videtur docuisse ex nostris Antonius Trombeta 5. Met. q. 3. art. 2. conclus. 3. quamuis postea respondendo ad argumenta contra eamdem conclusionem oppositum sustinere videatur.

Ex opposito autem, quod causa finalis causet formaliter secundum suum esse reale, apprehensum tamen ab intellectu, & quod huiusmodi apprehensio requiratur solùm vt conditio sine qua non, fuit constans opinio D. Thomæ lib. 1. contra Gentes cap. 75. quem posteà secuti sunt Vasq. in 1. 2. disp. 2, cap. 2. Lorca ibidem, & ex Nomin. Ochamus noster in 2. d. 3. art. 2. Gabriel d. 1. q. 1. art. 3. Recentioresq. communiter.

Quid autem senserit Scotus circa vtramq. difficultatem, nõ est adeò clarũ, vt apertè possimus dicere, fuisse potius huius, quàm illius opinionis; attamen quia in 1. d. 1. q. 4. ad argumenta princip. ad 2. & d. 2. q. 2. sub lit. L. docet, finem non causare propriè, sicut efficiens, sed tantum metaphoricè, siuè moueat efficiens naturale, siuè liberum: Similiter circa secundam, cum in 1. d. 1. q. 4. dicat, finem appeti à voluntate propter eã perfectionem, quam habet in rerum natura, eo quia in eo nulla inuenitur ra-

tio

tio mali, sed omnis ratio boni. Et in 2. d. 6. cùm subiungat, electionem efficacem non esse impossibilium, quia dictat de medijs necessarijs ad consecutionem finis. Et in 2. d. 25. q. vn. Q. cum approbet dictum Auer. in Metaph. com. 36. dicentis, balneum extra in re mouere vires sensitiuas effectiuè, sed balneum in anima, mouere voluntatem, inquiens, si sustineatur, obiectum mouere potentiam, potest quoque sustineri, balneum intra mouere, vt efficiens, & tamquam possibile, extra vt finem, consequenter habet dicere, quod finis non moueat voluntatem efficientis secundum illud esse apprehensum dumtaxat, verùm etiam secundum esse reale possibile, per quod respicit media ab efficiente eligenda. Denique cum afferat in 4. d. 49. q. 5. E. esse cognitum obiecti prærequiri necessariò ad hoc, vt voluntas operetur, vel se sola cum præsentia tamen obiecti, vel simul cum illo, tamquam cum causa partiali, vt innuit in 2. d. 25. q. vn. debet etiam dicere, quod esse cognitum finis, qui est obiectum mouens voluntatem, requiratur vtique necessariò, vt cōditio, sine qua finis nō posset mouere efficiens, non tamen vt ratio formalis causatiua, quia sic mouere debet efficiens secundū suam entitatem realem possibilem, quāuis apprehensam ab intellectu agentis. Hanc igitur opinionem, sic meliori modo, quo potui, veluti è tenebris erutam, sequi debemus & nos, ne videamur discedere à communi Scotistarum consensu, sic interpretantium Magistrum; quamuis non improbabile putemus & oppositum sustineri posse, etiam in via eiusdem Doctoris subtilis.

Pro resolutione totius controuersiæ primò notandum est: Causam realē esse triplicem, scilicet physicam, metaphoricam, & moralem. Causa physica est, quę influit in effectum per motum, & mutationem, producendo formam in subiecto, per quam verè dicatur mutatum de non esse ad esse eiusdem, & sic causa efficiens, vt puta ignis dicitur causa physica, causando calorem in aqua, quia per ipsum dicitur mutari de frigiditate in caliditatem, mediante forma caloris in se recepta. Causa metaphorica, non dicitur talis, quasi sit ficta, & non realis, sed quia eius causalitas non est per motum, & mutationem, sicut efficiens, verùm per attractionem intentionalem alterius ad se, & sic finis est causa realis, quia in quantum cognitus, amatus, & desideratus attrahit ad se efficiens, vt quærat media necessaria pro eius consecutione; & quia finis, vt docet Scotus in 1. d. 1. q. 4. ad 2. argum. princip. aliter mouet agens naturale, quia necessariò; & aliter agens liberum, quia contingenter, hinc infertur, causam metaphoricè mouentem esse duplicem, scilicet necessariam, seu naturalem, & contingentem, siuè liberam. Exemplū prioris, vt centrum respectu grauis; exēplum posterioris, vt beatitudo in ordine ad creaturam rationalē. Causa autem moralis est illa, quæ realiter non influit in effectum, ita tamen se gerit quoad mores, ac si influeret, cùm non minus imputetur ei ad culpam, vel ad meritum, ac si actum produxisset. Tales se habent consulentes, præcipientes, suadentes, consentientes, non impediētes, non obstantes, non manifestantes, &c. quando ad id tenentur ex aliqua lege, vel naturali, vel positiua; & huiusmodi causa moralis, cum in genere naturæ non sit causa per se, sed tantum per accidens, non spectat ad hos libros physicorum, sed ad Philosophiam, & Theologiam moralem.

Secundò notandum est: Causam finalem posse dici physicam, & realem, vel tantum metaphoricam dupliciter; vno modo principiatiuè, alio modo terminatiuè. Si primo modo spectetur, certum est causam finalem non esse physicam, & realem, sed tantum metaphoricam, quia eius principiatio non est per motū, & mutationem physicam, sed tantum per metaphoricam; quandoquidē nullam formam physicam influit in efficiēs, per quam dicatur efficere, & operari circa media in ordine ad finem, sed tantum vt amatus, & desideratus allicit, & quodammodo attrahit ipsum, vt quicquam in gratiam sui operetur: si verò secundo modo consideretur, finis habet dici vera causa physica, cùm in esse po-

situs

situs sit forma realis, & physica ipsum efficiens realiter, & modo physico afficiens, vt patet de sanitate, &c.

Tertiò notandum est, quod sicut in quauis actione tria necessariò concurrunt, scilicet ratio formalis agendi; res, quæ dicitur agere; & conditio sine qua actio non fieret, vt patet in actione combustiua, in qua forma ignis est ratio formalis comburendi; ignis est, qui comburit; & approximatio ignis ad lignum est conditio, sine qua ignis non combureret; ita etiam in finalizatione, ratio formalis causatiua est entitas finis, idest sanitas in esse producibilis; res, quæ finalizat est ipse finis in esse possibili, & conditio sine qua non, est esse cognitum, amatum, & desideratum ipsius finis, existens in intellectu, & voluntate agentis, quia sine illis, nec sanitas amaretur, aut appeteretur à voluntate, cùm nihil sit volitum, quin præcognitum; nec amata, aut desiderata moueret volútatem ad sui consecutionem; siquidem in tantum mouet, in quantum actu amatur, & appetitur ab ea.

Quartò notandum est, quod sicut in qualibet causa, causalitas est duplex, scilicet fundamentalis, & formalis, & vtraque dupliciter consideratur, scilicet in actu primo, & in actu secundo; ita philosophandum est in causa finali: causalitas enim eius fundamentalis in actu primo est entitas realis ipsius finis in esse ponendi, apprehensa tamen ab intellectu agentis, vt eius motiua ad operandum circa media; in actu verò secundo fundamentali est ipsa motio metaphorica .i. amor causatus in agente circa media, in ordine ad consecutionem finis. Causalitas verò formalis in actu primo est relatio, vel respectus causæ finalis ad talem motionem, & in actu secundo est respectus talis motionis, vel amoris ad entitatem finalis causæ in esse intentionali rappresentatæ: exemplum patet de sanitate; sanitas enim in intentione medici est causa finalis in actu primo: motio illa causata à tali sanitate in medico, vt sic amata, ac desiderata est causalitas in actu secundo fundamentali; Respectus talis sanitatis ad talem motionem est causalitas eius formalis in actu primo, & respectus motionis huiusmodi ad sanitatem, est eiusdem causalitas formalis in actu secundo.

Quintò notandum est: Motionem esse duplicem, scilicet physicam, & metaphoricam. Prior est illa, secundum quam aliquid physicè, & realiter causatur, idest per motum, & mutationem, vt generatio ignis ab alio igne. Posterior verò, secundum quam aliquid allicitur, aut trahitur ab aliquo amato, & desiderato ad aliquid faciendum, vt sanitas desiderata ab infirmo mouet ipsum ad recipiendam potionem calidam, sectionē venæ, & ad cætera, quibus possit conciliari sanitas.

Sextò notandum est ex nostro Sulmonensi, De ratione causandi, vel causalitate finis, & colligitur ex Scoto in 1. d 8. q. 5. §. Contra istam opinionem &c. & in 2.d.25.q.vn. Q. ad primum argumentum principale: Rem, quæ dicitur finis, posse dupliciter cōparari ad efficiens, vel in ratione obiecti intelligibilis, & volibilis; Vel quatenus actu amata, & desiderata, mouet ipsā voluntatem ad imperādum potentijs inferioribus vt laborent pro eius assecutione; si priori modo cōparetur finis, non habet rationem finis, sed efficientis, quia concurrit partialiter cum intellectu ad sui cognitionem, & cum voluntate ad sui volitionem, & amorem, non metaphoricè, sed physicè eo modo quo intellectus, & voluntas effectiuè producunt suas operationes. Si verò secundo modo spectetur, quatenus nimirum res, quæ vocatur finis, vt actu amata, & desiderata, mouet, ac allicit voluntatem efficientis, vt medijs potentijs inferioribus laboret pro eius acquisitione, tunc se gerit vt finis, & efficiens dicitur agere propter finem, idest gratia, ac amore eius allectus, & metaphoricè attractus, operari ad acquisitionem, & possessionem finis. Ex quibus potest assignari talis ordo, vt meliùs percipiatur in quo sit vis, & ratio causæ finalis. Primo enim res, quæ dicitur finis, nempè sanitas, concipitur per speciem intelligibilem, & concurrit cum intelle-

intellectu ad sui cognitionem, & tunc dicitur habere esse cognitum, & apprehensum ab intellectu. Secundò representatur, siuè ostenditur per intellectum voluntati, vt habet in se bonitatem delectabilitatis, & iucunditatis, & tunc amatur, & desideratur ab ipsa inefficaciter. Tertiò sanitas sic amata, & desiderata mouet metaphoricè ipsam voluntatem .i. ipsam allicit, ac quodammodo ad se trahit, vt operetur in gratiam, & amorem sui, imperando potentijs inferioribus, vt quærant media pro eius consecutione. Quartò tandem voluntas sic allecta, & attracta imperat effectiuè potentijs, vt quærant media, quæ ab intellectu sunt necessaria, vel saltem vtilia, cognita, pro eiusdem sanitatis assecutione; siquidem, vt inquit Scotus in 2. d. 25. q. vn. ad primum princip. sicut appetibile mouet appetitum metaphoricè, ita appetitus sic motus mouet effectiuè membra ad exequendum, vt acquiratur illud appetibile. In primo, & secundo ordine, sanitas non habet rationem finis, sed obiecti intellectus, & voluntatis, quia tunc non mouet metaphoricè, & physicè: in tertio verò, & quarto sanitas se gerit vt finis, siuè vt causa finalis, quia non mouet voluntatem physicè, sed metaphoricè, quatenus amata, & desiderata, & sic agens dicitur agere propter finem, idest in gratiam, & amorem finis, vt ipsum assequi possit.

Septimò notandum est, pro solutione argumumentorum partis aduersæ, hanc propositionem; Finis, seu causa finalis causat, siue finalizat secundum esse cognitum, & amatum (cùm sit exponibilis) posse habere duplicem sensum, secundũ quod illud signum reduplicatiuum, secundum esse cognitum, potest sumi, & specificatiuè, & reduplicatiuè. Si ly secundum sumatur specificatiuè, facit hũc sensum, quod finis non potest finalizare .i. mouere metaphoricè efficiens, sicut declaratum est in præcedenti, nisi sit cognitus, & ostensus voluntati, vt ametur ab ipsa, atque sic amatus alliciat efficiens ad operandum pro eius assecutione, & hic sensus est verus, quia finis, vt obiectum intellectus, & voluntatis, necessariò debet præcedere seipsum, vt causa finalis eiusdem; quandoquidem sicut nihil est volitum, quin præcognitum, ita voluntas nequit allici ad consecutionem finis, nisi prius ametur ab ea. Si autem ly secundum accipiatur reduplicatiuè, hoc potest intelligi dupliciter, vel vt reduplicat rationem formalem causandi in causa finali, vel tantum conditionem sine qua non; primo modo sensus est falsus, quia esse cognitum, seu cognitio passiua finis, & esse amatũ, siuè amor eiusdem passiuus, cum sint entia rationis absoluta, non possunt esse rationes formales causandi finem ad extra, alioqui effectus realis dependeret à causa non reali; quod esset valdè absurdum, cum causa, si non sit semper perfectior, saltem non debet esse imperfectior effectu: at secundo modo sensus est verus, quia esse cognitum, & amatum finis est conditio ita necessaria, vt absque ipsa finis nequeat finalizare pro esse reali, tamquàm per rationem formalem.

Ex his fit prima conclusio. Finis, siuè causa finalis, secundum suam entitatem, est realis, non physicè, sed metaphoricè. Est Aristotelis 1. de Gener. t. 55. & Scoti in citatis locis. Probatur prima pars, tum quia finis in esse positus est effectus realis causæ finalis; sed effectus realis essentialiter dependet à causa reali; ergo causa finalis est realis. Maior patet, quia efficiens non laboraret pro acquisitione, & possessione finis ad extra, nisi ad hoc moueretur à fine in intentione agentis, siuè efficientis; sed in intentione agentis est causa finalis; ergo finis ad extra est effectus essentialiter dependens à causa finali. Minor etiam patet, quia effectus, si est vniuocus, debet esse eiusdem rationis cum sua causa, si verò æquiuocus nõ potest esse perfectior, verum habet esse imperfectior sua causa; ergo effectus realis nequit dependere essentialiter à causa non reali, igitur à reali; Tum secundo, quia quæstio propter quid quærit causam, vel realem, vel rationis, ex Aristotele 2. Poster cap. 1. sed ad quæstionem propter quid de fine, respondetur per causam finalem secundum esse reale; ergo causa finalis est realis. Minor pro-

probatur, quia si quæratur, propter quid laborat infirmus in sumenda potione amara, in emissione sanguinis, & cæteris medijs ordinatis à medico? Respondetur conuenienter, vt sanus fiat, seu sibi conciliet sanitatem; sed huiusmodi sanitas, quam sibi conciliare intendit, non est intentionalis; ergo realis. Secunda pars probatur simul cum tertia, quia causa physica causat per motum, & mutationem, influendo formam realem in subiecto; metaphorica verò solum per allectionem, & attractionem alterius ad se; sed finis non causat priori, verùm dumtaxat posteriori modo; ergo causa finalis non est causa physica, sed metaphorica. Maior patet ex 1. not. Minor similiter est nota ex dictis ibidem, & not. 6. Confirmatur, quia finis, in tantum est causa finalis, in quantum vt amatus, & desideratus ab agente, mouet ipsum vt operetur in gratiam sui; sed in tali motione nihil est physicum, verùm tantum metaphoricum; ergo finis non est causa physica, sed metaphorica. Maior patet. Minor probatur, quia esse physicum, vel habetur per communicationem causæ suo effectui, sicut accidit in causa materiali, & formali, quæ causant dum se communicant toti composito, vel per verum influxum, producendo aliquam formam, vel substantialem in materia, vel accidentalem in subiecto, vt facit efficiens, sed causa finalis neutro modo causat, quin potius, vt amata, & desiderata attrahit ad se, allicitque efficiens, vt quicquam operetur in gratiam sui, quod est esse intentionale, ac animale; ergo causa finalis, cum nihil sapiat physicum, sed totum metaphoricum, non erit causa physica, sed tantum metaphorica.

Secunda conclusio. Potest tamen aliquo modo dici causa physica, nempè terminatiuè, si non principiatiuè. Probatur, quia illa appellari potest causa physica terminatiuè, quæ aut proximè, aut remotè terminatur ad esse physicũ, patet ex dictis not. 2. sed causa finalis est huiusmodi, quia finis in intentione terminatur tandem ad seipsum in esse positum, & finis in esse positus est formalis, & physica, vt patet de fine qui, & cui; de sanitate, & sano; ergo causa finalis terminatur ad esse physicũ, & sic quodam modo poterit vocari causa physica.

Tertia conclusio. Causa finalis, propriè loquendo, nequit dici moralis. Est contra Mastrium citatum disput. 7. q. 8. art. 5. Probatur, quia moralis propriè dicta est, quæ causat præcipiendo, consulendo, suadendo, obstando, non manifestando, &c. obligando se ad meritum, aut demeritum, stante lege opposita; vel quæ non ex natura sua, sed ex ordinatione alicuius causæ extrinsecæ operatur, vt accidit in Sacramentis in ordine ad causandam gratiam; sed causa finalis neutro horum modorum se habet in causãdo; ergo non est propriè causa moralis. Maior patet, tum ex dictis not. 1. tum ex conditionibus requisitis ad dignoscẽdam causam moralem, diuersam à physica, vt communiter tradunt Doctores in materia de Sacramentis. Minor probatur, quia finis, quicquid causat ergà efficiens, totum habet ex natura sua, & non ex ordinatione alterius causæ extrinsecæ, vt patet de sanitate mouente voluntatem ægroti, ac medici, & quãuis allicere, & attrahere ad se efficiens non sit quid physicum; non propterea licet inferre quod sit morale, vt videtur facere Mastrius, cum detur metaphoricum, quod est medium inter vtrumque, ni velit iste Doctor confundere morale cum metaphorico, quod tamen non erit conforme doctrinæ Scoti, vt patet consideranti textum in citatis locis. Cõcludendum est igitur quod in rigore sermonis causa finalis non sit nec moralis, nec physica, sed tantum metaphorica.

Quarta cõclusio. Causalitas finis fundamentalis in actu primo, non est bonitas, sed est entitas realis finis, vt habet esse in intentione agentis: In actu autem secundo, est illa motio, qua allicitur agẽs ad acquisitionem eiusdem finis in esse reali extra. Est Scoti in Prolog. sent. q. 3. sub V. §. Ad aliud dico quod ratio finis &c. & in 3. d. 15. q. vn. sub B. in fine contra Mastrium in disp 7. q. 8. art. 2. & 3. ac Poncium disput. 10. q. 4. conclus. 2.

nisi

nisi loquatur de bonitate fundamentali, quæ non distinguitur ab entitate finis. Probatur prima pars, quia causalitas finis, cum sit virtus allicitiua efficientis, debet esse prior suo effectu; sed bonitas finis, formaliter sumpta, non est prior motione efficientis, ergo nequit esse eius causalitas in actu primo. Maior patet, quia causa secundum totum id, quod requiritur ad causandum effectum, debet præcedere ipsum effectum, cum ab ipsa essentialiter dependeat; siquidem dependentia essentialis, non est ad posterius, sed ad prius: sed causalitas in actu primo spectat ad virtutem causæ, cum sit eius ratio formalis; ergo debet esse prior effectu. Minor probatur, quia bonitas formalis ex Scoto in citatis locis, & in quol. 18. est relatio conuenientiæ illius, quod inclinatur ad bonum; sed relatio non est prior entitate absoluta effectus, quia prius est absolutum in causa, deindè absolutum in effectu; posteà relatio in effectu, & relatio in causa, vt docet Scotus in 2. d. 1. q. 2. ad 1. argum. princip. sub E. ergo bonitas formalis nequit esse prior effectu finis, & consequenter neque causalitas eius in actu primo. Secunda pars probatur, quia causalitas fundamentalis in actu secundo, in quacumque causa, est eius effectus in fieri, vt probauimus superiùs de Causa in communi, & etiam de Causis in particulari, ac præsertim de Causa efficienti; sed effectus in fieri causæ finalis est motio, seu allectio efficientis ad operandum circa media pro assecutione finis in esse reali extra; ergo causalitas in actu secundo fundamentalis causæ finalis est motio efficientis, ad hoc, vt eligat media, quibus assequatur finé. Nec valet dicere cum Mastrio art. 3. n. 179. motionem, qua finis actu mouet efficiens, non esse quid distinctum reale ab actione agentis, & consequenter non esse causalitatem finis in actu secundo, super qua possit fundari relatio effectus ad suam causam; Tum quia hæc actualis motio, siuè allectio est prior natura electione mediorum; valet enim dicere; ideò voluntas influit in electionem mediorum, quia allicitur, & attrahitur à fine; Tum etiam, quia actualis operatio agentis circa media est quid physicum vt docet Doctor subtilis in 2. d. 25. q. vn. ad 1. princip. motio verò illa est quid metaphoricum, ex eodem ibidem, inquit enim sustinendo, quod appetibile mouet appetitum tantum metaphoricè, tunc debet intelligi, quod sicut appetibile mouet appetitum metaphoricè, ita appetitus sic motus mouet effectiuè membra ad exequendum, vt acquiratur illud appetibile, quid clarius dici potuit? ergo de mente Doctoris, motio, seu allectio efficientis ad operandum in gratiam, & amorem finis non est actio agentis, quæ est quid physicum, & posterior allectione finis, quæ est quid metaphoricum, sed est effectus in fieri ipsius finis, & consequenter causalitas eius in actu secundo.

Quinta cōclusio. Causalitas verò formalis in actu primo ipsius finis, est relatio entitatis finis, apprehensæ per intellectum, vt conuenientis ad excitandum efficiens, seu agens, vt eligat media pro sui consecutione; in actu verò secundo, est relatio allectionis ad ipsam entitatem allicientem, & excitantem agens, vt operetur in gratiam sui. Probatur, quia causalitas formalis, est qua causa denominatur formaliter, & actualiter causatiua, & effectus formaliter, ac actualiter causatus; sed talis est relatio causæ ad effectú, & è cōuersò effectus ad causam, vt probatum est suprà de Causalitate in communi; ergo &c Confirmatur, quia posita bonitate formali, seu formali conuenientia entitatis finis ad motionem agétis pro sui consecutione, ponitur causalitas formalis ipsius finis, & amota remouetur; ergo causalitas formalis finis in actu primo consistit in tali bonitate, seu conuenientia eius ad allectionem efficientis: similiter posita allectione formali, & actuali finis in agente in gratiam finis, necessario ponitur causalitas formalis in actu secundo, idest relatio agentis allecti ad finem allicientem; ergo in his posita est causalitas formalis finis.

Sexta conclusio. Finis finalizat, siuè causat secundum esse reale, si ly secundum reduplicet rationem formalem causandi; secundum verò esse obiectiuum, si ly secundum dicat tantum conditio.

ditionē sine qua non. Colligitur ex Doctore subt. in præcitatis locis in explicatione suæ opinionis. Probatur pars prior, quia secundum illud esse finis formaliter causat, secūdum quod formaliter terminat, quia de ratione finis est secundū eādē ratione mouere, & terminare formaliter, vt patet; sed terminat secundum esse reale, & non secundum esse obiectiuū, siquidem ægroto non acquiritur sanitas in mente, sed vt habet esse extra realiter existens; ergo finis terminat secundū esse reale, ac proindè secundum illud idē esse debet causare. Secūdò sic, secundum esse reale, finis satiat appetitū; ergo secundū esse reale causat. Antecedens patet, nam sanitas in mente infirmi non solum non satiat, quin potius excitat eius appetitū, vt ipsam procuret in re. Consequentia probatur, quia finis, qui est primus in intentione est vltimus in executione; sed finis in executione satiat; ergo in intentione debet mouere, & causare. Tertiò sic: Secundum illud esse finis causat, secundū quod mouet agens ad sui amorē, & desiderium; siquidē causat vt amatus, & desideratus ab agente; sed finis, vt in cognitione reduplicatiuè, nō mouet voluntatem agentis ad sui amorem, & desiderium, verùm dūtaxat quia habet bonitatem entitatiuam, per quam illam excitat ad sui consecutionem, quæ est quid reale in esse possibile; ergo causat formaliter secundum esse reale, & nō secundū esse cognitū. Secunda pars probatur, quia agens, præsertim liberum, non vult opus, nisi illud præcognoscat, quia nihil est volitum, quin præcognitum; ergo non operatur propter finem acquirendum, nisi illum cognoscat; sed talis cognitio nō est ratio formalis causandi in fine, vt probatum est in præcedenti; ergo erit conditio sine qua non, ac proindè esse obiectiuum finis erit conditio necessaria, sine qua agens non ageret saltem prudenter, & propter finem.

Obijcitur primò contra primam conclusionem, quia finis dum causat nō habet esse reale; ergo dum causat non est causa realis. Consequentia patet, quia finis non est causa, nisi dum causat; ergo si dum causat non habet esse reale, sequitur, quod non sit causa realis. Antecedens probatur, quia finis non causat, nisi cum est obiectiuè in mente agentis; sed esse obiectiuum non est esse reale, sed rationis, alioquin creaturæ in mente diuina, in qua habent esse obiectiuum, haberent esse reale ab æterno, quod est cōtra Doctorem subtilem in 1. d. 36.

Resp. Antecedens, & eius probationē habere veritatē de esse reali posito, quod est esse actualis existentiæ, non tamen de esse reali ponendo, quia sic finis habet esse reale in cognitione agentis, secundū quod, tamquam per rationem formalem, dicitur causare; & cū dicitur, quod esse obiectiuum non est reale, verum est de esse obiectiuo formaliter, quia sic tātum dicit cognitionem passiuam obiecti, non tamen de esse obiectiuo fundamentaliter, quia sic est reale, & non ens rationis, vt dictum est. Neque hoc est cōtra Scotum citatum, quia ibi loquitur de esse reali actuali, cum illud negat à creaturis in esse obiectiuo intellectus diuini, non tamen de esse reali possibili in esse, quia sic etiam creaturæ ab æterno erant entia realia, & non rationis, prout distinguitur ab ente reali.

Vel dicendum secundò: Antecedens esse verum, prout ly reale conuertitur cum physico, non tamen, vt in tota sua latitudine distinguit ab ente rationis, & ab ente ficto, quia sic finis cū causet metaphoricè, & esse metaphoricum non sit fictum, & apparens, neque ens rationis, habebit esse verum reale.

Obijcitur secundò contra secundam partem, probando esse causam physicā: Quod est causa effect⁹ physici, debet habere esse physicū, sed finis est causa, causalitatis agentis, & etiā sui ipsius in esse positi, quæ sunt entia physica; ergo causa finalis, nedum est realis, sed etiā physica. Maior patet, quia effectus depēdet essentialiter à sua causa; ergo si effectus est physicus, & causa debet esse physica. Minor similiter, quia agens nō causaret, nisi moueretur à fine; siquidē causa finalis est prior omnibus in causalitate; ergo finis debet esse causa causalitatis agentis.

Resp. Minorē esse veram de causa metaphorica, in quantum attrahit, & allicit agens

agens ad operandum pro assecutione finis ad extra; & cum probatur, quod causalitas agentis est quid physicum, sicut etiam finis ab extra: concedo, sed nego illa esse effectus immediatos causæ finalis; siquidem effectus immediatus finis est tantũ motio metaphorica, vt ad agens terminata; & causalitas agentis, ac finis in esse ab extra immediatè progrediuntur ab agente, & mediatè solum à fine, vt habet esse in intentione eiusdem.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram de causa immediata, falsam de mediata: modò finis est tantũ causa mediata causalitatis agentis, quatenus nimirum, prius natura mouet, & allicit agens ad agendum pro assecutione finis.

Obijcitur tertiò contra tertiã conclusionem probãdo finem esse causam moralẽ, ex Mastrio: Causalitas finis est actio agentis propter finẽ, vt imputata fini; sed causa, quæ causat, vt effectus imputetur sibi, est vera causa moralis; ergo finis est causa moralis. Minor patet ex diffinitione causæ moralis. Maior, in qua est tota vis argumenti, probatur ab ipso, quia finis, antequam agens agat, non mouet in actu secũdo; ergo eius motio in actu secundo, erit ipsa actio agentis, vt dependens, & imputata fini. Antecedens probatur, tum quia Doctor subtilis in 1. d. 2. q. 2. S. ità clarè sentit, dum ait: Finem mouere efficiens, esse idem quod efficiens amare finem: ex quo infertur quod motio finis non præcedit tempore causationem agentis, & quod nec etiam natura antecedat, docet idem Doctor in 2. d. 37. q. vn. sub V. vbi asserit, oẽs causas simul causare effectũ: non .n. potest esse aliquod materiatum, & non effectũ. Tũ secũdò, quia antequam agens agat, nihil de nouo intelligitur causatũ in quocũq. genere causæ; siquidẽ omne ens creatum debet esse efficienter causatum, cum non sit à se; ergo finis non causat prius quam agens agat. Tum tertiò, quia finis dicitur causa, quia agens agit propter finem; ergo non præcedit eius actionem. Tum tãdem, quia ante actionẽ agentis, non præsupponitur finis, nisi vt cognitus, sic autem est tantum in actu primo, nõ in actu secundo; ergo finis in actu secundo non præcedit actionem agentis, ac proindè causalitas finis est actio agentis, vt ab ipso dependens, & sibi imputata.

Resp. Negãdo maiorem; ad probationem negatur antecedens, ad cuius primã probationem dico, Scotum esse potius in oppositum, quã in proposito illius, quod intendit Mastrius; siquidem in 1. sent. loco cit. habet hæc verba formalia: Causalitas, & causatio causæ finalis est simpliciter prima secundum Auic. 6. Met. c. vlt. ipsa .n. precedit, quantum ad causalitatẽ, causam efficientem, quia mouet eam ad agendum, & ideò causalitas, & causatio primi finis est penitus incausabilis secundum quãlibet causationẽ in quolibet genere causæ; hactenus Doctor: ex quo deduco rationem cõtra ipsum; si causalitas, & causatio finis est simpliciter prima, si precedit efficientem causam, quia mouet eum ad agendum; quomodo, quæso, inferri potest, quod motio finis nõ precedit saltem natura causationẽ agentis? Dices, inferri, quia finem mouere efficiens, non est aliud, secundum Scotum, quã efficiẽs amare finem; & etiã, quia omnes causæ simul causant effectum, & vna non est prius altera; sed nego consequentiã, & illationem; Tum quia Scotus in 1. loco, loquitur de primo fine, vt obiectũ voluntatis, non vt causa finalis est, quia hæc non mouet causã efficiẽtem ad actus elicitos erga finẽ, sed actus imperatus, ex amore tamen, & desiderio consequendi finem; Tũ etiam, quia ratio finis, vt finis nequit competere primo fini, cum sibi repugnet esse effectibile, ad quod ordinatur ratio finis, vt finis, vt habet idem Doct. in 1. d. 1. q. 4. ad argum. 1. quæstiunculæ, vbi habet, quod nulli⁹ est causa finalis, cuius nõ est causa efficiens; modo primus finis est ineffectibilis, vt probat idem Doctor in 1. d. 2. q. 2. sub L. & S. ergo ex eo quod efficiens amare finem, & finem mouere efficiens sit idẽ in primo fine, & primo efficiente, nequit deduci quod motio causæ finalis terminata ad efficiens, sit idem, quod actio agentis, vt infert iste Doctor. Neq. etiam hoc haberi potest ex alio loco Doctoris cit. in 2. d. 37. V. cum ibi loquatur de causis physicè se habentibus simul

ad

ad causandum eumdem effectum communem, in quibus verissimum est non dari prioritatem naturę in quo, sed tantũ perfectionis, vt ibi exemplicatur; fallit tamen regula de causa metaphoricè se habente, non in ordine ad effectum cõmunem, saltem immediatè, sed ad causam efficiẽtem ab ipsa metaphoricè motam, vt efficiat in gratiam sui effectum communem, quia impossibile est, huiusmodi motionem non præcedere saltem natura, causalitatem agentis; Tum quia motio finis est metaphorica, agentis verò physica; ista elicit, sed non terminat motum, illa autem elicit, & terminat, quia mouet efficiens ad causandum aliquid propter ipsum finem dilectum, & illud idem, quod fit, propter finem fit. Ad secundam probationem dico veram esse physicè, falsam tamen metaphoricè, quia huiusmodi causatio præcedit causalitatem efficientis, vt dictum est. Ad tertiam dico, verum esse consequens de actione elicita in finem, non tamen de imperata erga media, ordinata tamen ad acquisitionem finis, quia sic causalitas præcedit. Ad quartam dico, ante actionem agentis elicitam presupponi tantum finẽ cognitũ in actu primo in ratione obiecti; cæterũ ante imperatam præsupponitur finis, vt finis, nedum in actu primo, sed etiam in actu secundo, quia actu mouet agens ad agendum erga media, in ordine tamẽ ad finem ab ipso amatum, & desideratum.

Obijcitur quartò contra quartam cõclusionem: Si entitas finis, vt habet esse in intentione agentis, est causalitas fundamentalis causæ finalis, & non bonitas; ergo si apprehendatur vt mala, poterit esse ratio mouendi metaphoricè voluntatem ad consecutionem finis; sed consequens est falsum; ergo & id ex quo sequitur. Sequela maioris probatur, quia quandocũque aliquod commune cõuenit adæquatè alicui, & quolibet contentum sub eo, poterit sibi conuenire, ex Scoto in 1. d. 1. q. 1. art. 1. sed entitas absoluta finis est cõmunis ad bonum, & malum; ergo si apprehensa vt sic est ratio mouendi voluntatem ad sui consecutionẽ, si apprehendatur etiam vt bona, vel mala, poterit esse sic ratio mouendi. Minor similiter est Scoti in varijs locis suæ doctrinæ, dicentis, voluntatem non posse velle malum sub ratione mali.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem dico pro nunc, minorẽ esse verã in ratione obiecti, non tamen in ratione finis, quia sic nequit esse ratio formalis, nisi apprehendatur, vt bona; siquidem finis causat per allectionẽ, & attractionem agentis ad se; modò malum, vt malũ non habet rationem attrahendi, vel alliciendi voluntatem agentis in se, quin potius, facit ipsam ab eo refugere, & hoc est, quod dicit Scotus in Prologo q. 3. sub V. quamuis bonitas non sit propria ratio finis, tamen per aliquam appropriationem est eius fundamentum; hoc est dictu, bonitas est conditio, sine qua entitas finis non potest esse ratio fundamentalis causatiua finis.

Obijcitur quintò contra quintam, & sextam conclusionem, quia eo modo finis causat, quomodo præcedit effectum; sed non præcedit effectum secundũ esse reale formaliter, sed tantum secundũ esse obiectiuũ, ergo non causat secundũ esse reale, sed solũ secundum esse obiectiuũ.

Resp. Minorem esse veram de esse reali finis in esse posito, quia tale cum sit effectus terminatiuus actionis agentis, non potest præcedere ipsum agens à fine motum; falsam tamen de esse reali finis ponendo in esse, quia sic præcedit saltem in intentione agentis, & sic finis habet ratione m causæ metaphoricæ.

Obijcitur sextò: Finis habet rationem causæ, quomodo concurrit cũ efficiente ad operandũ pro sui acquisitione, quam amat, & desiderat; sed vt sic cõcurrit tãtum secundũ esse intentionale; siquidem finis, si nõ esset præcognitus, & amatus, non concurreret cũ efficiente; ergo &c.

Resp. Minorem, & probationem esse veram, si ly secundũ dicat conditionem sine qua non, non tamen si dicat rationẽ formalem, quia sic cõcurrit secundũ esse reale, non positũ; sed ponendum in esse.

Contrà, quia illud esse ponendum non est reale, sed tantũ cognitũ, sed esse cognitũ nõ est causa effectus realis, cuiusmodi est illa motio, & finis in esse positus ad extra; ergo finis non est causa neq. secundũ

esse reale, neq; secundum esse cognitum.

Resp. Maiorem esse veram, si ly reale dicat esse actuale extra animam, falsam autem si contradistinguitur ab ente rationis formaliter, quia sic esse cognitum duo dicit, & esse reale ponendum, vt fundamentum, & cognitionem passiuam, qua formaliter denominatur cognitum, & hæc est ens rationis, neque secundum hanc formaliter causat, licèt requiratur vt conditio necessaria, sed solum per esse reale finis fundamentaliter sumpti, vt cognitioni passiuæ substat.

Vtrum omnia agentia naturalia agant propter finem, vel materiam?

QVÆSTIO III.

ANtiqui Philosophi, vt refert Aristoteles in hoc 2. Physicorum à t. 75. putabant, naturam non agere propter finem, quia non omnia agentia naturalia cognoscunt suos fines, vt patet de inanimatis, & si aliqua cognoscant finē, non tamen vt motiuum ad sui acquisitionem, quod est notissimum in agentibus sensitiuis, omnia tamen feruntur in suos fines ex necessitate materiæ, ideò concludebant, agentia naturalia esse talia propter materiā, & non propter finē.

Cæterùm est sententia Aristotelis in t. 77. & sequentibus vsque ad 80. quam postea secuti sunt omnes Philosophi, asserentis naturam, & agentia naturalia agere propter finem, & propter materiam minimè, quamuis in natura accidant monstra, & peccata naturalia.

Pro cuius tamen intelligentia, ac resolutione primò notandum est, vt colligitur ex Doctore subtili in 1. d. 1. q. 5. & in 4. d. 45. q. 3. & d. 49. q. 8. quod agentia naturalia, & naturalis ordinis (de quibus tantum agere intendimus) sunt in duplici differentia, quædam enim sunt agentia libera, & quædam naturalia. Agentia libera propter finem, sunt illa, quæ præsupposita cognitione, & amore finis, in ratione finis, liberè eligunt media pro illius consecutione, vt sunt homines, & Angeli; siquidem homo ægrotus, præsupposita cognitione, & amore sanitatis, mouetur ad electionem medicinæ, sectionis venæ, & aliorum, quibus possit sibi conciliare sanitatem; liberè tamen, quia posset non eligere huiusmodi media, sicut etiam posset non amare sanitatem. Agentia naturalia adhuc subdiuiduntur in animata, & in inanimata: Animata autem in sensitiua, & vegetatiua. Agentia propter finem, animata, sensitiua, sunt, quæ, præsupposita cognitione sensitiua finis, & eius appetitu naturali, non in ratione finis, sed vt obiectum conueniens, & bonum, ducuntur in ipsum per instinctum naturalem à Deo receptum, vt in bonum conueniens eorum proprijs naturis, sic boues, canes, & feles lingunt vulnera, vt sanitatem acquirant; alia colligunt herbas, vermes procurant; & alia aliter se gerunt, vt sanentur, quæ facere non possent nisi per instinctum naturalem sic in finem dirigerentem. Agentia vegetatiua sic agunt propter finem, dum per finem aliena cognitione cognitū, ac naturaliter amatum, mouentur in ipsum; hoc pacto herbæ, & arbores flores, & fructus parturiunt, vt proprias conseruent species. Agentia tādem inanimata, dicuntur agere propter finem, cùm in eumdem à Deo præcognitum, & amatum, inclinantur, ac tendunt naturaliter; sic namque ignis ascendit sursum, terra, & aqua deorsum, lapis affectat centrum terræ, vt ibidem quiescere valeant. Ex his infertur, quod cum agere propter finem, non sit aliud, quam eligere in media, ipsaque ordinari pro consecutione, ac possessione finis, in ratione finis præcogniti, & ab agente præamati, ac desiderati, agentia libera, & rationalia dumtaxat possunt propriè agere propter finem; irrationalia minus propriè, vegetatiua adhuc impropriè, & inanimata impropriissimè; siquidem nec præcognoscūt, nec amant finem vt habet proportionem cum medijs, nec media eligunt, vel ordinant, vt proportionantur cum fine, illa nihilominus dicuntur agere aliquo pacto propter finem, quia non temerè, nec à casu, sed saltem ex alieno consilio, nempè Dei, vt auctoris naturæ, in suos diriguntur fines.

Secundò notandum est ex eodem in primo loco citato, quod agentia naturalia, quæ agunt propter finem, quædam ab extrinseco duntaxat in suum finem diriguntur, vt sagitta à sagittante in scopum; quædam verò ab extrinseco, & intrinseco simul; & hæc sunt triplicia; siquidem alia ab extrinseco per diuinam prouidẽtiam, & ab intrinseco per liberũ arbitrium ordinantur, vt sunt homines, & huiusmodi cognoscere habent finem in ratione finis, idest quatenus mouet voluntatem agentis ad eligenda media proportionata pro eius assecutione: Alia verò, quamuis cognoscant, & appetant finem, vt bonum ipsis conueniens necessariò, non tamen per media ab eis præcognita illum procurant, vt sunt bruta; Alia denique, licèt appetant, non tamen finem cognoscunt, cuiusmodi sunt omnia insensibilia, vt plantæ, & inanimata, nempè lapides, metalla, & elementa: appetunt quidem, nõ tamen cognoscunt terminos, & loca ad quæ inclinantur.

Tertiò notandum est: Finem agentiũ naturaliũ, vt à liberis distinguuntur, esse triplicem, scilicet particularem, medium, & vniuersalem. Primus mouet ad conseruationem propriæ speciei, sic boues generant; aues nidificant; & plantæ florent, ac fructificant. Secundus mouet ad benificandum hominem; siquidem propter ipsum Deus omnia condidit, ac creauit. Tertius tandem mouet ad bonum commune vniuersi, & ad obsequiũ Dei; nam propter semetipsum Deus operatus est omnia, & illa in bonum vniuersi ordinauit.

Ex his igitur sit prima conclusio. Omnia agentia creata naturalis ordinis, tàm libera, quàm naturalia; tàm animata, quàm inanimata; tàm sensibilia, quàm insensibilia, agunt propter finem. Probatur: Quæcumq. agunt propter aliquod præcognitum, amatum, & desideratum, agunt propter finem; sed omnia agentia creata, superiùs recẽsita sunt huiusmodi; ergo omnia agunt propter finem. Maior patet ex diffinitione agentis propter finẽ. Minor probatur de omnibus singilatim; siquidem villicus arat, & fodit terrã propter messem, Miles, & seruus propter mercedem, & honores, quæ cognoscunt, amãt, ac desiderant operãtur, & sic de ceteris hominibus. Similiter boues generãt: Aues fouent oua, ac nidificãt ad conseruationẽ suarũ specierum: Araneæ telas ordiuntur ad capiendas muscas: Et alia animalia operantur alia propter aliqua præcognita, & concupita: pariter elementa, & mixta inanimata, vt lapides, metalla, ignis, aqua, aer, & terra vel ascendunt, vel descendunt, vt inibi quiescant; plantæ etiam florent, & fructificant, tum ob conseruationem suarum specierum, tum ob hominum seruitium, quæ licèt ab ipsis non sint cognita, & volita, sunt tamen cognita, ac sic amata, & directa ab Auctore naturæ; ergo omnia agentia creata, cuiuscumque sint generis, vel ordinis, agunt propter aliquod cognitum, volitum, ac desideratum, & sic propter finem.

Secunda conclusio Propriè tamen loquendo, sola agẽtia libera agunt propter finem. Probatur, quia agere propter finem propriè loquendo, est eligere, vel imperare electionem mediorum, illa ordinando ad assecutionem finis precogniti, amati, ac desiderati in ratione finis; sed sola agentia libera cognoscunt, & amant finem, vt finem; ac eligunt media proportionata pro eius consecutione, vt patet ex 1. not. ergo sola agentia libera, & non alia agunt propter finem.

Obijcitur primo contra primam conclusionem. Quæ fiunt propter finem, ordinata sunt ad bonum, quia finis habet rationem boni, ex Philosopho 2 Physic. sed multa agentia ordinantur ad malũ; ergo talia saltem non agunt propter finẽ. Minor probatur, quia multa animalia; nonnullæ plantæ, & quædam mixta inanimata sunt homini nociua, vt patet de serpentibus, napellis, & arsinico, mercurio, & alijs; ergo multa agentia sunt ordinata ad malum.

Respondetur: Maior est vera, vel de bono particulari, vel de bono vniuersi, quædam enim ordinantur ad vnum, quædam ad aliud, quia vtrumque habet rationem finis vel particularis, vel vniuersalis; ad minorem dico, quod quamuis huiusmodi sint mala in ordine

ad bonum hominis, sunt tamen bona in ordine ad bonum vniuersi, propter cuius finem dicuntur agere.

Vel dicendum secundò, quod huiusmodi agentia agunt propter finem particularem, quia tendunt ad conseruationem propriarum specierum, quamuis aberrent à fine medio, cui sunt nociua.

Obijcitur secundò: Si agentia inanimata agerent propter finem, aut ex se dirigerentur in ipsum, aut à Deo; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Maior patet. Minor probatur: Non ex se, quia non cognoscunt finem: Neque à Deo, quia etiamsi Deus non coageret eis, adhuc tenderent in suum finem.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, quod ex se dirigerentur aptitudinaliter, à Deo verò actualiter; & cum probatur, quod tenderent in suos fines, Deo non dirigente, dico, esse falsum; siquidem nulla causa secunda operari potest, non operante prima, vt superiùs ostensum fuit contra Durandum.

Obijcitur tertiò contra secundam conclusionem: Illa agentia proprius agunt propter finem, quæ ab ipso aberrare non possunt, quam quæ vt plurimùm à fine deficiunt; sed agentia inanimata, & animata sensitiua minus aberrant à fine, quam libera; ergo hæc proprius, quā illa agunt propter finem. Maior patet, quia ideò agentia dicuntur agere propter finem, vt consequantur finem, in cuius gratiam agunt; sed quæ aberrare non possunt à fine, crebriùs illum consequūtur, quam quæ possunt deficere; ergo &c. Minor probatur, quia bruta, & inanimata necessariò tendunt in proprios fines, nec illis vnquam frustrantur, nisi cum eis vis, aut violentia infertur, quod de rarò accidit; ergo bruta, & agentia inanimata minus videntur deficere à cōsecutione suorum finium, quam rationalia, & libera, quæ sæpissimè suis frustrantur finibus.

Resp. Negando maiorem absolutè; siquidem agens non dicitur agere propter finem à consecutione finis, sed quia mouentur in finem ab illius præcognitione, & amore, ac desiderio illum possidendi, aliter qui rarò, aut nunquam consequerentur finem intentum, nō agerent propter finem, quod est contra omnium Doctorum consensum: Ad probationē dico, maiorem esse veram consecutiuè, non verò antecedenter, quia ad sic agendum non mouentur à possessione finis, sed ab amore, & desiderio illum possidendi, quod necessariò prærequirit cognitionem finis, cum nihil sit volitum, quin præcognitum.

Vel dicendum secundò: Maiorem esse veram, si huiusmodi potentiam non aberrandi à fine haberent ex se, & ab intrinseco, non tamen si tantum ab extrinseco, nimirum à Deo dirigente, quia sicut hoc innuit maiorem indigentiam, consequenter arguit maiorem imperfectionem in agendo in ordine ad finem consequendum.

De collatione causarum per se adinuicem, & cum suis effectibus, ac è contrà.

DISPVT. VII.

PErsolutis in superioribus disputationibus his, quæ ad naturam, & essentiam causarum, tum in communi, tum in particulari per se spectare poterant, in præsenti inuestiganda sunt, quæ sibi conuenire valent, vt conferuntur ad se inuicem, & cum suis effectibus, siquidem ad perfectam earumdem cognitionem, non modo ducunt prædicata absoluta, & essentialia, verùm etiam valdè iuuant relatiua, ac accidentalia ex Aristotele lib. 1. Posteriorum: accidentia enim magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est. Ea igitur, quæ disputationi tradi solent à Doctoribus in comparatione causarum ad seinuicem, & ad suos effectus, sunt quatuor. Primum, an causæ in causando coincidere possint. Secundum, an causæ se mutuò causent. Tertium, an causæ simul sint, & non sint cum suis effectibus. Quartum, an idem numero effectus dependere possit simul, ac diuisim à pluribus causis totalibus, & adæquatis.

Vtrum

Vtrum causa in causando coincidere valeant?

QVÆSTIO I.

CIrca hanc quæstionem in se consideratam, cum nulla reperiatur cõtrouersia; quibusdã, ijsq. paucis adnotatis, respondebimus propositæ difficultati.

Primò igitur notandum est, coincidentiam, vt ad præsens spectat, non esse aliud, quàm conuenientiam aliquorum in vnum esse. Hæc autem conuenientia potest esse vel in vno formali, vel materiali. Conuenientia in vno formali est participatio eiusdem rationis formalis in causando, & hæc potest esse duplex, scilicet generica, & specifica: in priori coincidunt omnes causæ; quandoquidem vnaquæque causarum est id, à quo aliquid essentialiter dependet: in posteriori autem non coincidunt, quin potiùs disconueniunt; siquidem singulæ habent proprias rationes formales, à seinuicem specificè distinctas; nam ratio formalis causandi materiæ est per modum receptionis, formæ per modum informationis, seu actuationis: Efficientis per modum productionis: Et finis per modum motionis metaphoricæ, quæ sunt rationes omninò disparatæ. Conuenientia verò in vno materiali, est participatio subiectiua diuersarum causalitatum vnius, & eiusdem rei materialis, itaut vna, & eadem res valeat exercere causalitates diuersas; Et hæc potest dupliciter attẽdi, vel in ordine ad effectus diuersos, quatenus propter talẽ operatur generationẽ, vel ad vnũ, & eundem effectum. Si attendatur primo modo, possunt omnes causæ coincidere in vna, & eadem re materiali, quæ possit fundare proprias causalitates; siquidem eadẽ forma ignis respectu generationis, qua producitur, habet rationem finis, formæ, quatenus informat aliquam materiam, efficientis, vt est principium quo productiuum alterius ignis in alia materia, & materiæ, prout est receptiua caloris, & siccitatis, in quibus consistuat ir eius natura. Si verò attendatur secundo modo, nequeunt sic vniuersaliter conuenire, licet aliquæ possint coincidere, vt declarabimus in conclusionibus infra ponendis.

Secundò notandum est, conuenientiam causarum adhuc considerari posse, vel ratione dignitatis, & perfectionis, ita vt omnes in causando sint æquè perfectæ, vel imperfectæ, vel vna sit perfectior alia. Vel ratione ordinis, ita quod in causando omnes simul causent, nedũ simultate temporis, sed etiam naturæ, vel potiùs, quod vna sit prior aut tempore, aut natura altera; si de priori coincidentia, seu conuenientia sit sermo, certum est causas extrinsecas esse perfectiores intrinsecis, quia causæ intrinsecæ, cum causent per modum partis, & pars sit imperfectior toto, necessariò inuoluunt imperfectionem, quàm non necessariò contrahunt extrinsecæ; quare Deus, qui est ens perfectissimum, benè potest supplere exercendo causalitates efficientis, & finis, non tamen materiæ, & formæ: similiter causa finalis est nobilior, & perfectior in causando, quam sit efficiens; hæc enim admittit in sua actione motum, & mutationem, quæ dicunt imperfectionem potentialitatis, illa verò abstrahit ab vtroque, cum moueat efficiens tantum metaphoricè, & intentionaliter: intrinsecæ pariter non seruant eamdem perfectionis conuenientiam, quia forma, cum causet per modum actus; materia verò per modũ potentiæ, Illa est perfectior in causando, quam sit materia; actus enim est perfectior potentia. Si verò de posteriori coincidentia, seu conuenientia loquamur; sicut certum est, omnes coincidere in simultate temporis; quandoquidem omnes quatuor causæ in eodem instanti temporis causant communem effectum .i. compositum physicum; nec enim materia prius materiat, aut forma prius informat, quam efficiens efficiat illud idẽ compositum, ita incertum est, ac dubium de simultate naturæ; & quamuis hoc videatur certum apud Doctorem subt. in 2.d 37. sub V. vt putat Mastrius, nihilominus dicendum est, de mente Scoti ibi, & alibi, non seruari ab omnibus eamdem simultatem naturæ, quan-

doquidem finalis prius natura mouet efficiens, quam hoc efficiat; similiter efficiens in aliquo priori naturæ educit formam de potentia materiæ, antequam materia causet illam in se recipiendo; vndè hæ causales sunt veræ: Quia finis finalizat, ideò efficiens causat; & ideò materia, & forma actualiter causant, quia efficiens actualiter efficit, educendo formam de potentia materiæ.

Tertiò notandum est, vt colligitur ex Scoto in 2.d.1.q.2. A.&d.3. q.1 E. F. & q.6. per tot. eumdem ordinem seruandum fore in compositione physica à Philosopho, quem seruat Metaphysicus in metaphysica compositione; quandoquidem, sicut in homine, quia constat ex animali, & rationali, reperiuntur in illo omnia prædicata quiditatiua, scilicet corpus animatum, corpus, substantia, & ens, non confusè, sed ordine quodam, vt homo prius natura, saltem à quo, intelligatur dependere in esse ab ente, quam à substantia, ab hac prius natura, quam à corpore, & sic descendendo vsque ad vltima prædicata, scilicet ad animal, & rationale, in quibus etiam datur talis ordo, vt prius intelligatur animal, quam rationale; siquidem valet dicere homo est rationalis; ergo est animal, & non è conuersò; deindè, est animal ergo corpus animatum, & non è contra; similiter est corpus animatum; ergo corpus, & ita ascendendo vsque ad primum prædicatum entis: ita etiam philosophādum venit in compositio physico, ex eo enim quod causatur intrinsecè ex materia, & forma, sequitur ipsum essentialiter dependere quoad suum esse etiam ab efficiente, & fine, sine quarum influxu, nec materia potuisset recipere in se formam, nec ambæ dare esse intrinsecum composito, non confuso modo, sed ordine naturæ, vt prius intelligatur dependere à fine, quam ab efficiente, ab efficiente prius, quam à materia, & forma, & à materia etiam prius natura, quam à forma; valet enim dicere, ideò forma causat informando, quia est educta de materia; deindè ideò ambæ actu componunt totum essentiale materializando, & informando, quia efficiens produxit formam de materia, & in materia; & denique ideò efficiens sic eduxit, & vniuit, quia ad hoc motum fuit à fine; ex quo licet inferre, quod finis prius natura à quo causat, quam efficiens, & hoc prius natura, quam materia, & forma, & denique materia prius natura, quam forma.

Ex his igitur sit prima conclusio. Causæ per se, quamuis coincidant in vna ratione formali causandi generica, disconueniunt tamen in specifica. Probatur prima pars, quia ab vnaquaque causa aliquid essentialiter dependet, vt patet ex dictis superiùs de Causis in particulari, sed huiusmodi ratio formalis est diffinitio causæ in communi, quæ est genus ad omnes causas, vt probatum est de Causa in communi; ergo in illa omnes causæ formaliter coincidunt. Secunda pars probatur, quælibet causa habet propriam diffinitionem, per quam constituitur in suo esse, & distinguitur specie, à quacumque non est ipsa, vt est notum ex dictis superiùs in vnaquaque Causa; ergo disconueniunt in ratione formali causandi specifica. Confirmatur, quia causa materialis causat per modum receptionis; Formalis per modum actuationis; Efficiens per modum productionis; Et finalis per modum motionis metaphoricæ; sed omnes istæ causalitates sunt diuersæ speciei, vt patet; ergo omnes causæ disconueniunt in ratione formali causandi specifica.

Secunda conclusio. Causæ per se conueniunt materialiter in ordine ad diuersos effectus, non tamen omnes, sed tantum aliquæ coincidunt respectu vnius, & eiusdem effectus. Probatur prima pars: Coincidentia, seu conuenientia materialis causarum, tunc accidit, cum vna, & eadem res potest fundare causalitates diuersarum causarum; sed vna, eademque res potest exercere causalitates omnium causarum; ergo omnes causæ materialiter coincidunt respectu effectuum diuersorum. Maior, & minor remanent probatæ ex dictis not. 1. Secunda pars probatur, quia quamuis vna, & eadem res possit fundare plures, & etiam oppositas relationes respectu diuersorū termi-

terminorum, nequit tamen hoc facere respectu eiusdem termini, vt probat Doctor in 3.d.8.q.vn. & nos cum illo ostendimus in lib. Prædicament. cap. de Ad aliquid disput. de Relationibus, & ratio est, quia diuersitas, & multiplicitas relationum dependet à diuersitate, & multiplicitate terminorum, à quibus potissimum habent esse; sed effectus causarum sunt termini causalitatum, quæ pro formali dicunt relationes causæ ad effectũ; ergo respectu vnius, & eiusdem effectus nequeunt esse plures causalitates, & præsertim si fuerint diuersarum rationum, vt est in proposito. Secunda pars probatur, quia causa efficiens, & finalis, si sit finis cui, possunt coincidere respectu eiusdem effectus, infirmus enim potest operari, vt sibi acquirat sanitatem: similiter materialis, & finalis cui, coincidunt, quia idem subiectum accidentium est causa materialis eorum, & finis cui, vt patet de homine, qui est subiectum sanitatis, & finis cui dirigitur eadem sanitas. Rursus materia, & efficiens coincidunt respectu eiusdem effectus, quia idem potest esse agens, & patiens, vt patet de intellectu, & voluntate respectu intellectionis, & volitionis sui ipsius, vt probat Doctor subt. in 2. d. 25. q. vn. sub D. & E. igitur concludendum est, quod quamuis omnes causæ nequeant coincidere materialiter respectu vnius, & eiusdem effectus, hoc tamen non est denegandum aliquibus, vt probatum est.

Tertia conclusio. Causæ nequeunt coincidere, quoad dignitatem, & perfectionem in causando. Probatur, quia causæ extrinsecæ, vt sunt efficiens, & finalis potiuntur nobiliori modo causandi, quam intrinsecæ; ergo extrinsecæ cum intrinsecis quoad ordinem dignitatis, & perfectionis in causando nequeunt coincidere. Consequentia patet. Antecedens probatur: Causa, quæ causat per modum totius habet nobiliorem, & perfectiorem modum causandi, quam quæ causat in ratione partis; siquidem totum excellit parti in dignitate, & perfectione; totum enim & perfectum idẽ sunt, sicut pars, & imperfectum, ex Aristotele 1. Physic. t. 17. Et 5. Met. t. 21. 30. & 31. sed causæ extrinsecæ causant per modum totius, & intrinsecæ, vt sunt materia, & forma per modum partis, ex eodem Aristotele 2. Physicorum t. 28. & 29. Et 5. Metaph. cap. de Causa; ergo illæ habent perfectiorem modum causandi. Confirmatur, quia causæ intrinsecæ in suo causandi modo dicunt mutabilitatem; materia enim est in potentia ad recipiendam formam, causæ verò extrinsecæ, non necessariò dicunt mutabilitatem, ideò earum causalitas attribuitur Deo, qui est ens perfectissimum, non sic autem extrinsecæ, alioquin Deus esset mutabilis de potentia ad actum, quod est absurdum; ergo causæ extrinsecæ sunt perfectiores in causando, quam intrinsecæ. Deindè finis habet perfectiorem causandi modum, quam efficiens, quia ab hoc sumitur principium motus, & mutationis, non sic à fine, qui mouet tãtum metaphoricè, vt patet ex dictis. Similiter forma causat per modum actus, & materia per modum potentiæ, vt est notum; sed actus, est nobilior, & perfectior potentia ex Aristot. 2. Physic. t. 12. Et 9. Met. t. 18. & 19. ergo forma habet perfectiorem, & præstatiorem causandi modum, quam materia.

Quarta conclusio. Causæ non coincidunt quoad ordinem causandi; siquidem intercedit inter illas prioritas, & posterioritas naturæ, saltem à quo, licet non durationis, & temporis. Probatur pars prior, quia illæ causales sunt veræ, ideò efficiens efficit, quia finis metaphoricè mouet; & in tantum materia, & forma constituunt compositum, in quantum efficiens educit, & vnit formam cum materia, ergo in aliquo priori finis causat, quam efficiens; & efficiens, quam materia, & forma, non temporis, vt probabimus in secunda parte huius conclusionis; ergo naturæ. Confirmatur, quia sicut se habent gradus metaphysici in constitutione totius metaphysici, ita causæ in constitutione totius physici; siquidem nulla potest assignari disparitas, nisi quia illi abstrahũt à motu, & mutatione, hæ causant cum motu, & mutatione; sed grad⁹ metaphysici in totius cõstitutione seruant ordinem naturæ prioritatis, & poste-

posterioritatis à quo; ergo eúdem ordiné seruare debent, & causæ in constitutione totius physici. Minor patet ex dictis in 3. not. Secunda pars, seu posterior sic probatur, quia si in aliquo priori temporis vna causa causaret ad ponendum in esse communem effectum; ergo in aliquo instanti priusquam alia in eumdem influeret, præhaberet esse, & sic vel cæteræ nihil causarent, vel idem pluries causaretur, quod vtrumque esset maximum inconueniens; vel prima non sufficienter causaret in suo genere, & sic derogaretur eius virtuti. Dices, non fore ponendum in esse ab vna, vel altera solùm, ob necessariam connexionem, quam omnes habent in causando eumdem effectum communem: Et hoc gratis concessum, conuincit, quod in causando seruetur ordo prioritatis, & posterioritatis naturæ tantú, & non temporis, alioquin generatio non fieret in instanti temporis, sed in tempore, quod est cótra Aristotelem, & communem omniú Philosophorum sententiam.

Quinta conclusio. Inter materiam, & formam, in actualiter causando compositum, non est inconueniens assignare ordinem prioritatis, & posterioritatis naturæ à quo, licèt non in quo. Est Scoti in 2. d. 1. q. 2. A, & 3. d. 3. q. 1. E, F, G, contra nostrum Merinerum in 2. Physic. disp. 7 q. 1. n. 27. Probatur prima pars, quia forma non causat compositum, nisi dependenter à materia, à qua habet esse; sed dependentia in Schola nostra est semper ad prius saltem natura; ergo materia in causando compositum est prior natura forma. Maior patet, quia forma eo modo causat, quo modo habet esse; sed habet esse dependenter à materia, cum educatur de eius potentia; ergo etiam causat dependenter à materia. Confirmatur, quia in constitutione hominis animal habet rationem materiæ; & rationale formæ metaphysicæ; sed homo in aliquo priori naturæ dicitur prius dependere ab animali, quam à rationali; ergo idem dicendum de composito ex materia, & forma physica. Maior patet, quia animal habet rationem potentiæ, & rationale actus, alioquin homo non esset totum vnum per se, quia non constaret ex per se actu, & per se potentia; sed potentia est proprietas materiæ, & actus formæ; ergo animal habet rationem materiæ, & rationale formæ. Secunda pars probatur, quia prioritas naturæ in quo est quando prius non habet repugnantiam, vt sine posteriori existat; sed in causando compositum repugnat, materiam esse sine forma; ergo materia in causando compositum, non est prior forma prioritate naturæ in quo. Maior est Aristotelis 5. Met. cap. 11. t. 16. & 7. Met. t. 4. vbi ait: Quæcumque verò secundum naturam, & substantiam, quæcumque contingunt absque alijs esse, ista verò sine illis minimè; ergo prioritas naturæ est inter illa, quorum prius non habet repugnantiam, vt possit esse sine posteriori. Minor patet, quia compositum nequit esse sine māteria, & forma; Tum quia sunt principia intrinseca eius; Tum etiam quia compositum est quoddam totum essentiale, & repugnat toti, vt sit sine suis partibus simul sumptis; ergo repugnat materiæ in causando compositum vt sine forma causet.

Obijcitur primò contra primam conclusionem: Causæ omnes in causando dependent à causalitate finis; sed causalitas finis non est ratio generica, sed specifica; ergo omnes causæ coincidunt in vna ratione formali causandi, non solum generica, verum etiam specifica. Maior est Scoti in 5. Met. q. 1. in corpore quæst. vbi habet hæc verba: Si finis intentus est, tunc finis est causa, vt agat, & principium motuum agenti, efficiens iā factus in actu causa, vel motus à fine, producit formam in materia, & hæc est causalitas formæ informare, causalitas materiæ substare formæ, causalitas ergo omnium est à fine; ergo omnes causæ in causando dependent à fine, ac proindè oēs conuenire debent in eius causalitate.

Resp. Concedendo maiorem, & eius probationem desumptam à Doctore subt. sed, nego vltimam consequentiam; quia alia est dependentia omnium causarum à causalitate finis, & alia est coincidentia earumdem in ratione formali causandi ipsius finis; siquidem prior dicit

est necessitatem finis, adhoc vt aliæ causæ possint causare, qua ratione dicitur prior in causando, quod vtique concedimus; posterior verò faceret sensum, quod omnis causalitas esset causalitas finis, & hoc negamus, quia ex illa dependentia non infertur coincidentia causarum in fine; siquidem dependentia supponit diuersitatem, coincidentia verò vnitatem rerum in aliquo.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem: Causalitas in actu primo cõsistit in entitate causæ, sed omnes causæ secundum entitatem sunt diuersæ, ac disparatæ; ergo nulla erit vna res, quæ possit fundare causalitates omnium causarum. Maior, & minor sunt manifestæ ex sæpissimè dictis superiùs de Causis in communi, & in particulari. Consequentia probatur, quia quælibet relatio ad sui esse nedum exposcit fundamentum, & terminum, sed etiam rationem fundandi, vt latè demonstrat Scotus in 3.d.8.q.vn. & quol. 12. sed omnes rationes fundandi, quæ supponuntur in vnaquaque causa, nequeunt coalescere in vna tantum; ergo nulla dabitur entitas causæ, quæ possit fundare causalitates omnium causarum.

Resp. Negando consequentiam; ad probationem nego minorem respectu diuersorum terminorum, & effectuum; concedo verò in ordine ad eundem effectum, saltem vniuersaliter loquendo; & est manifesta instantia de forma ignis, vt ostendimus in 1. not.

Obijcitur tertiò contra tertiam partem eiusdem conclusionis: Materia, & efficiens non coincidunt secundum Aristotelem 2.Physic. tex. 70. ergo malè conclusa fuit coincidentia causæ materialis, cum efficiente.

Resp. ex Scoto in 1.d.3.q.7. S. dictum Philosophi habere veritatem de materia prima, quæ est pura potentia subiectiua, excludens omnem actum formalem, non autem de materia secunda, qualis est subiectum accidentium, quia talis habet necessitatem vt sit quandoque materia, & interdum efficiens; quod apparet, quia aliàs passio non prædicaretur per se secundo modo de suo subiecto; ex eo enim quod prædicatur de subiecto, sequitur ipsam recipi in eo, vt in sua materia; quia autem huiusmodi prædicatio est per se secundo modo, ac necessaria, infertur, subiectum debere esse causam effectricem; siquidem materia non tribuit necessitatem, immò contingentiam, cum sit potentia contradictionis, vt subtiliter deducit Scotus ex Aristot. 9. Met. t. 17. nedum in citato loco, sed etiam in 2.d.25. q.vn. sub C.

Obijcitur quartò contra tertiam conclusionem probando, causam efficientẽ in causando esse cęteris perfectiorem, quia causa, quæ causat per verum influxum, est perfectior, quam illa, quæ non causat per verum, & realem influxum; sed causa efficiens est huiusmodi, non sic autem finalis, formalis, & materialis; ergo causa efficiens est in causando cæteris perfectior. Maior patet, quia sicut causa dicitur talis ab influendo, & causando; ergo quæ veriùs influit, & causat erit veriùs, ac perfectiùs causa. Minor probatur: quia causa finalis causat tantum metaphoricè: Materialis, & Formalis per sui communicationem cõposito, qui modi causandi non sunt veri influxus; cæterùm causa efficiens per propriam virtutem dat esse effectui realiter; ergo sola causa efficiens causat per verum, & realem influxum.

Resp. Maiorem esse veram, si non aliunde admittat imperfectionem, sicut euenit causæ efficienti, quæ non solum redditur imperfectior finali, eo quod indiget ab ea moueri, & ipsa à nullo mouetur, vt optimè ostendit Scotus in 2. d. 25.q.vn. sub B. verùm etiam, quia ipsa influit in effectum per motum, & mutationem, non sic autem finis, quare concludendum est, efficientem, quãuis possit dici perfectior in causando, materia, & forma, non posse tamen sortiri huiusmodi principatum supra finem, vt docet Aristoteles lib. 1. de partibus Animalium cap. 1. dicens, Principatum sanè illa obtinere videtur, quam sub hoc verbo, cuius gratia, significamus, ac Scotus 5 Metaph. q. 1. in illis verbis relatis in prima obiectione.

Obijcitur quintò contra quartam cõclu-

clusionem, Scotus in 2. d. 37. sub V. vbi habet sequentia verba formalia: Loquẽdo de diuersis generibus causatum, non prius natura materia materiat, quam efficiens efficiat, quasi sine contradictione possit esse materiatum, & non effectum, vel è conuersò; sed tantum prius natura, hoc est perfectiùs, vna causat, quam alia; ergo secundum Scotum, omnes causæ simul natura causant, itaut alia non sit prior vna, nisi quoad perfectionem in agendo, aut causando.

Resp. Negãdo consequentiam; siquidem Scotus loquitur ibi de prioritate naturæ in quo, seu essendi, non tamen de prioritate naturæ à quo non conuertitur subsistendi consequentia, de qua tantum nos loquimur in conclusione; quod haud obscurè deducitur, ex verbis antecedentibus, dum inquit: Dico, quod prioritas, quæ includit ea posse esse sine seinuicem absque contradictione, non est ordo in causis, vt causant effectum communem, sed simul causant: cæterùm quis non videat huiusmodi prioritatem naturæ esse in quo, sicut docuit Aristoteles 5. Met. cap. 11. non autem à quo, de qua locutus est in Postprædicamentis cap. de Priori, cum dicat, esse inter illa, quæ absque contradictione possunt esse sine seinuicem, de qua nos non loquimur, vt potè qui asserimus connexionem necessariam causarum secundarum in causando vnũ, & eundem effectum communem.

Obijcitur sextò contra quintam conclusionem ex Merinero loco citato, quia prioritas, vel simultas naturæ, quæ reperiri potest inter materiam, & formam in actualiter causando compositum, desumenda est ex vnione, vel vnionibus, quæ vniunt, & nectunt illas, vt valeant causare; sed inter has vniones nulla est prioritas, & posterioritas naturæ, quin potius omnimoda simultas; ergo nec inter materiam, & formam in actuali causatione compositi, poterit esse prioritas, & posterioritas naturæ. Maior patet, quia huiusmodi vniones sunt conditiones requisitæ, sine quibus resultare non possent relationes causæ actu causantis in vnaquaque. Minor probatur, quia inter relationes oppositas nõ datur prioritas, & posterioritas naturæ; sed huiusmodi vniones sunt relationes oppositæ, quia vnio materiæ ad formam est de prædicamento Passionis; vnio verò formæ ad materiam est de prædicamento Actionis, quæ sunt relationes oppositæ; ergo inter illas nequit dari prioritas, & posterioritas naturæ; siquidem relatiua sunt simul natura. Confirmatur, quia à materia ad formam, & è conuersò, valet subsistendi consequentia, quia valet dicere, materia est vnita formæ; ergo forma est vnita materiæ, & è conuersò; ergo inter huiusmodi vniones est simultas naturæ, ac proindè materia, & forma, quæ sunt fundamenta harum vnionum in causando, erunt simul natura.

Resp. Negando maiorem; siquidem materia, & forma non causant, vt conueniunt in vnum per illam vnionem, sed in quantum materia est per se potentia, & forma per se actus, vt docet Aristoteles 8. Met. t. c. 15. & per consequens non prout est vna causalitas, verùm vt sunt duæ causalitates disparatæ, quarum vna dependet ab alia; cum igitur forma dependeat in esse à materia, & entitas vtriusque sit causalitas eius in actu primo; consequenter dicendum est causalitatem formæ dependere à causalitate materiæ, & hanc esse illa priorem natura, quamuis, vt vnitæ consideratur; non enim vnio tollit ab illis rationem formalem causandi, sed tantum facit vt compositum non pendeat ab illis diuisim, verùm dumtaxat coniunctim, seruata nihilominus dependentia, etiam in causando vnius ab alia, & consequenter prioritate, & posterioritate naturæ.

Vel dicendum secundò negando minorem; siquidem vniones illæ, cum sint relationes dependentiæ, vt potè fundatæ super fundamentis, quorum vnum dependet ab alio, consequenter debet esse inter illas prioritas, & posterioritas naturæ, non tantum à quo, sed etiam causæ, & effectus; & cùm probatur primò, quod relatiua sunt simul natura, dico, verum esse quoad cognosci, non tamen quoad esse, maximè quando est dependentia vnius fundamenti ab alio, vt est in proposito. Et cum probatur secundò, quod

quod

quod valet consequentia, materia est vnita formæ; ergo forma est vnita materiæ, & è conuersò, ac per consequens inter illas est simultas naturæ, dico, esse falsū, quia forma non dicitur esse vnita materiæ per vnionem materiæ ad ipsam, sed per propriam vnionem, quam dicitur vniri materiæ, & cum ista dicat dependentiam ad vnionem materiæ ad formam, sicut forma dependet à materia, consequenter dicendum est, inter illas intercedere prioritatem, & posterioritatem naturæ, & multò magis inter materiam, & formam in causando compositum.

Vel dicendum tertiò negando minorem; ad probationem dico, maiorem esse veram de relationibus intrinsecus; non extrinsecus aduenientibus, vt sunt vniones materiæ, & formæ, quia in his datur ordo naturæ, vt prius alterum extremum vnibile insit alicui tertio, vt patet de animali, & rationali in homine, de substantia, & accidente in composito per accidens, & de materia, & forma respectu compositi per se, quæ, secundum Doctorem subt. in 2. d. 1. q. 2. A. licèt intelligantur adinuicem vnita, tamen in aliquo priori naturæ, animal intelligitur homini inesse, quàm rationale; substātia prius accidente in cōposito per accidens, & materia priusquam forma in composito per se; cùm igitur materia, & forma causent compositum, communicando proprias entitates illi, sequitur de mente Doctoris, materiam causare compositū prius natura, quàm forma. Omnes hæ responsiones sunt bonæ, sed ista est melior cæteris duabus, quippèque sit fundamentum nostræ conclusionis.

Vtrum omnes causæ sint sibi inuicem causæ?

QVÆSTIO II.

ISta quæstio mouetur occasione textus 30. 2. Physicorum, & cap 2. t. 2. 5. Metaphysicorum Aristotelis, vbi dicit: Sunt autem quædam & adinuicem causæ, vt laborare causa est bonæ habitudinis, & hæc laborandi, sed non eodem modo, sed hoc quidem vt finis, illud autem vt principium motus .i. efficiens: Cæterū quia hæc auctoritas Philosophi, quamuis, vt aduertit noster Lychetus in 2. d. 12. q. 2. intelligenda videatur tantum de causis efficiente, & finali, cum de eis dumtaxat exemplificet Aristoteles, nihilominus à quibusdam ampliatur ad alias causas, & præsertim ad materialem, & formalem, propterea consultò in titulo quæstionis posui illud signum vniuersale omnes, vt sit sensus; An nimirum omnes causæ sint sibi inuicem causæ, vel tantum aliquæ?

Circa quam difficultatem sic expositam, aliqui, quos sine nomine recensent Mastrius disp. 8. q. 1. art. 1. & Merinero disp. 7. q. 1. asserunt omnes causas esse posse sibi inuicem causas, non in eodem, sed in diuersis generibus causarum.

Alij verò ex opposito hoc negant, etiā loquēdo in diuersis generibus causarum, quia implicat idem esse prius, & posterius seipso, præsupponi, & sequi ad se; siquidem, vt causa debet esse prius, & præsupponi ad effectum; vt effectus verò debet sequi, & esse posterius sua causa.

Alij autem, quasi media incedentes via, distinguunt, & dicūt propositionem Aristotelis posse intelligi vel secundum eādem rationē, ita quod secundum illam rationem, secundum quam vna causa est alterius causa, sit etiam eiusdem effectus vel secundum rationes diuersas, itaut secundum vnam sit causa, & secūdum aliam sit alterius effectus; si intelligatur propositio in priori sensu, dicunt esse falsam, & inuoluere illas implicantias, quas adducunt Auctores secundæ opinionis; si verò in posteriori sumatur sensu, putant verificari posse propositionem in diuersis generibus causarum.

Quid autem sit nobis dicendum, aliquibus notatis pro declaratione propositionis Philosophi, in conclusionibus nostram aperiemus mentem.

Primò ergo notādum est, propositionem illam. Causæ sunt sibi inuicem causæ, posse dupliciter intelligi, vel vniuersaliter, itaut sit sensus, quod omnes causæ causent, & causentur, & hic sensus est falsus, quia Deus est causa efficiens, & finis

finalis, & tamen in neutro genere est causabilis, vt latè demonstrat Scotus in 1. d.2.q.2. vel particulariter, & indefinitè, ita quod aliquæ causæ sint causæ, & alijs causatæ, & hic sensus potest esse verus; etenim materia est causa formæ, cùm de eius potentia, in genere causæ materialis, & materia est effectus formæ in suo genere causæ formalis, cum ab ea recipiat esse formale, & completum, quo absque forma carebat.

Secundò notandum est: Causas esse sibi inuicem causas, adhuc posse dupliciter intelligi: Vno modo in eodem genere efficientis, aut formalis, aut materialis, vel finalis; alio modo in diuerso genere, itaut in genere causæ finalis sit causa efficientis, & posteà efficiens in proprio genere sit causa finalis. Primo modo intelligendo propositionem, sensus est falsus, alioquin eadem omninò res, esset simul causa, & effectus, vt ignis generans in genere causæ efficientis alium ignem, esset simul generans, & genitus, quod implicat, quia nihil gignit se. Secundo modo sensus est verus, quia forma ignis est causa formalis materiæ ignis, & materia ignis est causa materialis eiusdem formæ, cùm ab illius potentia sit educta: similiter sanitas est causa finalis deambulationis, & hæc est causa efficiens sanitatis, vt exemplificat etiam Aristoteles in t. 30. citato in explicatione tituli.

Tertiò notandum est: Causas posse seinuicem causare, adhuc potest dupliciter intelligi: Vno modo in numero, ita quod eadem causa numero sit causa alterius causæ numero, vt hæc materia numero sit causa huius formæ numero, & è conuersò, quod eadem forma numero causet illam eamdem materiam numero; alio modo in specie, idest quod vna sit causa efficiens alicuius effectus, & sit etiam causata ab alia causa efficiente eiusdem speciei cum seipsa sic causata effectiuè, vt patet de igne producente alium ignem numero distinctum, qui tamen producens sit productus igne eiusdem speciei cum seipso.

Ex his sit prima conclusio. Eadem materia, & forma numero sunt sibi inuicem causæ. Probatur, quia eadem forma numero, quæ educitur de potentia huius materiæ, illam pariter informat, & actuat; sed dum educitur de potentia materiæ, causatur ab illa in genere causæ materialis, & dum illam format, materia causatur ab ea in genere causæ formalis; ergo materia, & forma eædem numero sunt sibi inuicem causæ in diuerso genere causæ.

Secunda conclusio. Idem numero Finis, & Efficiens sibi inuicem sunt causæ. Probatur primò auctoritate Aristotelis in t. 30. dicentis, laborem esse causam efficientem bonæ habitudinis .i. sanitatis, & sanitatem esse causam finalem eiusdem laboris. Secundò probatur, quia finis mouet metaphoricè efficiēs, vt agat in gratiam sui; siquidem omne agēs agit propter finem, & similiter ipsum efficiēs ponit in esse reali ad extra ipsum finem in suo genere causæ efficientis; ergo idē efficiens, & finis numero sunt sibi inuicem causæ.

Tertia conclusio. Materia, & efficiens numero, & similiter forma, & efficiens numero nequeunt esse sibi inuicem causæ. Probatur, quia materia, & forma insunt intrinsecè suis effectibus; sunt enim de illorum essentia, & quiditate; sed non insunt intrinsecè suo efficienti; ergo nequeunt causare efficiens. Minor probatur, quia si hic ignis numero gigneret in materia ligni formam propriam alterius ignis, talis materia, & forma numero nō esset in igne generante, verum ingenito; sed ignis generans est efficiens respectu talis materiæ, & formæ; ergo materia, & forma non insunt suo efficienti.

Quarta conclusio. Eædem causæ numero, in eodem genere, nequeunt esse sibi inuicem causæ, licèt hoc verificari possit in causis eiusdem speciei. Probatur prima pars, quia idem numero nequit esse priùs, & posteriùs natura; generans, & genitum; sed dato supposito, sequerentur huiusmodi inconuenientia; ergo eædem causæ numero in eodem genere nequeunt esse sibi inuicem causæ. Maior patet, quia inter priùs, & posteriùs, inter generans, & genitum est dependentia essentialis; sed dependentia, cum sit relatio realis requirit extrema realia realiter

terdistincta; ergo idem numero nequit esse prius, & posterius, generans, & genitum. Minor probatur, quia quod est causa causæ, est causa causati; sed si eædem causæ numero in eodem genere, e. g. efficientis, possent seinuicem causare, tunc ignis genitus ab igne generante esset causa ignis generantis, & in quantum esset genitus esset posterior generante, & quatenus generans esset genitus ab eo, tunc ignis genitus esset prior; ergo idem ignis genitus, vel generans, esset prior, & posterior, generans, & genitum, quod implicat. Secunda pars probatur, quia ignis generans generat alium ignem à se numero distinctum, eiusdem tamen speciei; sed ignis generans fuit pariter genitus ab alio igne generante eiusdem speciei cum seipso; ergo in eodem genere, eædem causæ speciæ possunt esse sibi inuicem causæ.

Quinta conclusio. Propositio Aristotelis, non est vniuersaliter vera de omnibus causis, sed tantum in aliquibus. Probatur, quia materia, & forma nequeunt causare efficiens, vt probatum est conclusione tertia; materia tamen, & forma; similiter efficiens, & finis possunt seinuicem causare, vt fuit ostensum conclusione prima, & secūda; ergo propositio Aristotelis non est vera de omnibus, sed tantum de aliquibus causis.

Obijcitur tamen multipliciter contra prædictas conclusiones, & primò contra primam, quia ex D. August. lib. 12. Confess. cap. 30. Materia est causata per creationem; sed forma nequit creare; ergo materia, & forma nequeunt esse sibi inuicem causæ.

Resp. Consequens esse verum secundum existentiam, non tamen secundum esse formale; modo materia, licèt sit causata à Deo per creationem in esse existētiæ, & non forma, est tamen causata ab ea in esse formali, & hoc sufficit, vt materia dicatur causata à forma.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem. Idem nequit esse prius, & posterius; sed data veritate conclusionis secundæ, idem esset prius, & posterius; ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quia finis, in quantum est causa efficientis esset prior, prout verò est effectus efficientis, esset posterior; ergo idem finis esset prior, & posterior seipso.

Resp. Maiorem esse veram secundum eamdem rationem, falsam secundum diuersam; modò finis, vt habet esse in mente efficientis, est prior seipso in esse reali ad extra considerato, quæ sunt diuersæ rationes; nec hoc est inconueniēs, quinimò valdè necessarium, vt patet etiā de idea, quæ existens in mente artificis est causa sui ipsius ad extra.

Obijcitur tertiò contra quartam conclusionem, quia habitus generatur ex actibus, & actus pariter generantur ab habitu in eodem genere causæ efficientis; ergo eædem causæ numero possunt in eodem genere esse sibi inuicem causæ.

Resp. Antecedens esse verum de causis eisdem specie, non numero, de quibus loquimur; siquidem actus geniti ab habitu, licèt sint eiusdem speciei cum actibus, quibus fuit genitus habitus, non sunt tamen idem numero, vndè non sequitur, easdem causas efficientes numero posse seinuicem causare.

Obijcitur quartò: quia eadem numero operatio .i. intellectio, est finis potentiæ .i. intellectus; siquidem potentia est propter operari; sed etiam potentia est finis operationis; ergo in eodem genere, eædem causæ possunt esse sibi inuicem causæ.

Resp. Maiorem esse veram de fine qui, minorem verò de fine cui acquiritur operatio, modò cum non sit eadem ratio finis numero, non potest dici, quod eædem causæ numero sint sibi inuicem causæ.

Obijcitur quintò contra quintam. Si aliquæ causæ possent esse sibi inuicem causæ, vel essent tales, vt sunt relatiuæ, vel vt res, vel secundum vtramque rationem; sed nullum horum est dicendū; ergo &c. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur: Non est dicendū primum, quia causa debet esse prior natura suo effectu, sed vt sunt relatiuæ, essēt simul natura; ergo &c. Nec secundū, quia sanitas non est causa medici, si sumantur fundamentaliter; Nec tertium, quia

quia inuoluit vtramque causalitatem, sed secundum neutram diuisim, nõ possunt causæ esse sibi inuicem causæ; ergo nec secundum illas coniunctim.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, causare se inuicem fundamentaliter, vt res sunt; ad probationem in oppositum, dico, sanitatem, vt res in medici mente existens, causare ipsum medicum metaphoricè, hoc est ipsum allicere, & attrahere, vt agat in gratiam sanitatis infirmo acquirendæ, ratione cuius postea erit causa efficiens sanitatis, & sic causa efficiens, & finalis erunt sibi inuicem causæ in diuerso genere, & secundum aliam, & aliam rationem.

Contrà, quia tunc posset fieri demonstratio circularis, probando vnam causam per aliam; sed huiusmodi demonstratio reprobatur ab Aristotele 1. Poster. cap. 3. ergo causæ non possunt esse sibi inuicem causæ. Sequela maioris probatur, quia per quodlibet genus causæ potest fieri demonstratio, si ergo per efficientem habeatur finis, tamquam effectus per suam causam, & per finem habeatur causa efficiens in actu efficiendi, tunc in ambobus generibus erit demonstratio circularis.

Resp. Negando sequelam maioris; ad cuius probationem, nego tunc fieri circulum, quia non esset in eodem, sed in diuerso genere causæ, vnde non esset circulus, sed regressus admissus à Philosopho, vt ostendimus in lib. 1. Poster. in propria quæstione.

Vtrum causa, & effectus simul sint, & non sint?

QVÆSTIO III.

Philosophus in hoc 2. Physicorum t. 37. Et 5. Metaph. t. 3. ponens differentiam inter causas in actu, & causas in potentia, inquit, has ab illis dignosci, quod causæ in actu semper debent simul existere cum suis effectibus, non sic autem causæ in potentia; siquidem corrumpitur non simul domus, & ædificator, quapropter in Summulis tract. 3. sect. 4. de syllogismo Dialectico cap. 13. docuimus argumenta, quæ desumi possunt ex locis à causa, & effectu, non tenere affirmatiuè, nisi fiat ampliatio temporis de præsenti ad futurum, arguendo à causa ad effectum, vt domificator est; ergo domus est, aut erit; vel de præsenti ad præteritum, arguendo ab effectu ad suam causam, vt domus est; ergo domificator est, vel fuit: Cæterùm, quia axioma Aristotelicum, etiam loquendo de causis in actu, videtur pati nonnullas instantias, vt patet in actu domificante, & nihilominus, dum etiam actu ædificat, non est domus in facto esse, sed tantum in fieri, idcircò in præsenti iure meritò quæritur, quonam pacto illud possit sẽper habere veritatem, vt indè tutò inferre possimus, has, & non illas, esse causas in actu, illas autem, & non has esse causas in potentia.

Pro cuius igitur declaratione, ac intelligentia primò notandum est, quod quãuis Aristoteles exemplificauerit in textu de causa efficiente, & eius effectu, nihilominus idem dubium posse moueri etiã de cæteris causis, ac proindè de omnibus quærendum est, an dum actu causant, debeant esse simul cum suis effectibus; vel causæ possint in aliquo priori temporis, vel naturæ, existere, & non existant effectus.

Secundò notandum est ex dictis superiùs: Causam quamlibet dupliciter posse accipi, vel fundamentaliter, vel formaliter. Causa quæcumque primo modo sumpta dicit entitatem rei, quæ dicitur causa, quatenus præcedit, saltem natura, entitatem effectus, ita docet Scotus in 2. d. 1. q. 2. ad 1. & 2. argum. principale. Causa verò secundo modo accepta est relatio fundata in entitate causæ, & terminata ad entitatem effectus, secundum quam res, quæ dicitur causare, denominatur actu causans. Similiter etiam effectus dupliciter sumi potest; & fundamentaliter, & sic est entitas posita in esse ab influxu causæ, vt posterior saltem natura entitate influente causæ; & formaliter, & sic dicit relationem causati ad causam, fundatam in entitate causata, à qua denominatur formaliter effectus. Ex quo infertur, quod si intel-

ligatur

ligatur quæstio de causa, & effectu fundamentaliter sumptis, non est verũ, quod semper sint simul omni simultate; quandoquidem in aliquo priori naturę est entitas causæ, & non est entitas effectus, cùm causa vt sic necessariò præcedat natura effectum: si verò sit sermo de causa, & effectu formaliter acceptis, cum sint relatiua, & relatiua sint talis naturæ, quod posita se ponunt, & perempta se perimunt, concludendum est, semper esse simul quauis simultate, ac proindè de his solùm verificari posse axioma prolatum ab Aristotele, nempè, quòd causa, & effectus simul sint, & non sint.

Tertiò notandum est: Causam, & effectum fundamentaliter sumpta posse comparari ad prius, & posterius secundum tempus, An nimirum causa sit prior tempore, vel simul tempore cum illo, & in hoc distinguendum est de causa, actu, vel potentia causante: si loquamur primo modo, dicendũ est, causam, actu causantē, non præcedere, sed esse necessariò simul tempore cum suo effectu, & è cõuersò, quia sicut fieri nequit, vt detur causa actu causans, quin sit causatum actu terminans eius influxum, ita impossibile est, dari effectum, qui actu terminet causalitatem, & non sit causa actu influens in ipsum: similiter sicut implicat causam actu desinere influere in effectum, quin sit simul effectus actu desinens terminare huiusmodi influxum, ita è conuersò inuoluit repugnantiam, quod effectus desinat terminare, & causa non desinat influere; si verò sit sermo de causa, & effectu in potentia, certum est, non esse simul nec etiam tempore; siquidem potest esse domificator, quin sit domus, & è conuersò domus, non existente domificatore, & hoc est, quod dicit Arist. in textu, corrumpi non simul domum, & ædificatorem; esse autē simul ædificatorem, & id quod ædificatur, quia sicut in prioribus innuitur causa in potentia tantum, in posterioribus verò ostenditur causa in actu, idest dum actu causat, & influit in effectum.

Ex his fit prima conclusio. Causa in actu, fundamentaliter sumpta, est necessariò simul tempore, non natura, cum suo effectu pariter accepto: Causa verò in potentia, nec natura, nec tempore est simul cum suo effectu. Est Aristotelis in citatis locis .s. 2. Physic. t. 37. Et 5. Met. t. 3 est etiam nostri Merinero in 2. Phys. disp. 7. q. 3. n. 12. Probatur prima pars, quia impossibile est causã actu causare, quin causatum actu terminet eius causalitatem; & similiter fieri non potest quod causa actu desinat causare, quin effectus desinat terminare; sed dum causa actu causat, & effectus actu terminat sunt simul; cùm verò causa desinit actu causare, & effectus actu terminare desinunt simul esse, ergo causa, & effectus in actu fundamētaliter sumpta, simul sunt, & non sunt; non simultate naturæ, vt mox probabimus; ergo simultate temporis. Maior patet, quia causa, cum actu causat, aut aliquid causat, aut nihil; non est dicendum nihil, quia mutatur de potentia ad actum per illud, quod causatur; sed per nihil non potest sic mutari, quia mutari est rem aliter se habere nunc, quam prius, ex Aristotele 6. Physicorum t. c. 32. ergo causa, dum actu causat, aliquid causat; sed illud quod causatur terminat eius causalitatem; igitur impossibile est causam actu causare, quin effectus actu terminet huiusmodi causalitatem: similiter, cum effectus actu terminat, aut aliquid, aut nihil terminat; non potest dici quod nihil terminet, quia & ipse dum terminat actu, mutatur realiter de potentia ad actum; ergo aliquid terminat, & non nisi influxum, seu causalitatem causæ; ergo impossibile est effectum actu terminare, quin causa actu causet: Eodem modo probatur, esse impossibile causam actu desinere influere, & effectum non desinere terminare, & è conuersò; ergo impossibile est causam actu causare, vel non causare, quin effectus actu terminet, vel desinat terminare huiusmodi causalitatem. Minor patet ex opposito, quia si non essent simul, aut simul non desinerent esse, tunc esset possibile causam actu causare, vel non causare, & effectum non actu terminare, aut non desinere sic terminare, quod est op-

positum, iam probatum in maiori. Secũda pars probatur, quia causa vt causet, debet præsupponi effectui, alioquin non daret, sed reciperet esse ab effectu, sed nõ debet præsupponi, præsuppositione temporis, aliàs non esset causa in actu, sed in potentia; ergo præsuppositione naturæ, atque adeò, vt non sint simul naturæ, sed tempore dumtaxat. Tertia pars patet per experientiam; & etiam sic suadetur, quia causa in potentia est, quæ habet potentiam, & virtutem causandi, verum non causat; sed dum actu non causat, non est effectus ab ea dependens; ergo causa in potentia non est simul cum suo effectu.

Secunda conclusio. Causa, & effectus in actu formaliter sumpti, necessariò simul sunt, & non sunt, non tantum tempore, sed etiam natura. Probatur, quia relatiua in eodem signo naturæ, quo ad inuicem referuntur, posita se ponunt, & perempta se perimunt, ex Aristotele in Prædicam.cap.de Ad aliquid; sed causa, & effectus, formaliter sumpti, sunt relatiua; ergo posita se ponunt, & perempta se perimunt, ac proindè simul sunt, & non sunt. Minor patet ex notab. 2. Confirmatur, quia totus ordo naturæ consumatur in eodem instanti temporis, sicut ordo originis in eodem instanti naturæ, vt docent Formalizantes; sed causa, & effectus, formaliter sumpti, sunt simul in eodem instanti naturæ; ergo multò magis erunt simul in eodem instanti temporis; atqui in eodem instanti naturæ simul sunt, & non sunt; ergo etiam sic erunt, & non erunt in eodem instanti temporis.

Tertia conclusio. Axioma Aristotelicum verificatur de omnibus causis, & effectibus actu, & pro formali sumptis, comparatis ad quodcumque signum, siuè temporis, siuè naturæ; pro fundamento autem, tantum in ordine ad instans, seu signum temporis. Probatur prima pars, quia quælibet causa, formaliter sumpta, refertur ad suum effectum, quia per huiusmodi relationem, vnaqueque denominatur formaliter causa actu, & effectus actu formaliter causatus; sed relatiua simul natura sunt, & non sunt; ergo huiusmodi axioma verificatur de omnibus causis, & earum effectibus pro formali sumptis. Secunda pars probatur, quia causa, & eius effectus pro fundamento sunt, & non sunt in eodem instanti temporis, licèt non naturæ, vt probatum est in præcedenti conclusione; ergo illud axioma verificatur de omnibus causis in ordine ad instans, seu signum temporis. Hæc secunda pars videtur esse contra meum Magistrum, cum in 2.Physic.q.3.art.10. conclus. 1. asserat, Causam, & effectum fundamentaliter non esse necessariò simul, ex eo quod potest esse Pater, defuncto filio, & è conuersò; sed meo videri fallitur, quia talia exempla non sunt de causis, & effectibus in actu, sed in potentia, vt patet; sunt enim similia illis, quæ de causa, & effectu in potentia tradit Philosophus, dum dicit, corrumpitur non simul domus, & ædificator, quod idem est dicere, quod potest esse domus defuncto ædificatore, & potest esse superstes ædificator, destructa domo; ergo absque sufficienti fundamento asserit, causam, & effectum in actu, pro fundamento sumpta, non esse saltem simul tempore, licèt non simul natura.

Obijcitur tamen contra prædictas cõclusiones, si causa, & effectus possēt esse simul aliquo modo, & alio modo non esse simul, sequeretur, quod in principio motus cessaret motus; sed hoc est cõtra experientiam; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia habitibus præsentibus .i. effectibus (qui sunt termini motus ad quos) præsentibus cessat motus, ex Arist. 7.de Gener. t.c.55. sed causa, per nos, est simul cum effectu, & in principio motus est causa; ergo in principio motus, cessat motus, quod est omninò falsum.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem dicó, illam auctoritatem Aristotelis esse veram de habitibus .i. effectibus in facto esse, non in fieri; modò in principio motus, quamuis sit causa, & effectus in fieri, non tamen in facto esse, quia sicut pro illo tunc causa solum incepit causare, influendo in effectum, sic, & effectus cepit terminare, & non actu termi-

terminat influxum, qui acquiritur per motum.

Obijcitur secundò, quia Deus est causa semper in actu; sed eius effectus non sunt semper in actu simul cum ipso, quia ab æterno non erant causæ secundæ, quæ sunt effectus tantū in tempore; ergo &c. Maior patet, quia si Deus non esset causa semper in actu, tūc mutaretur aliquādo, transeundo de potentia ad actum; sed Deum mutari est contra eius infinitam perfectionem; ergo &c.

Resp. Negando maiorem; ad eius probationem dico, Deum mutari quidem, si aliquid intrinsecè reciperet, quod prius non haberet; cæterùm cum actu causat, nihil de nouo in se recipit, sed tantum effectum, qui prius non erat, in esse reali ponit.

Obijcitur tertiò: Illa non sunt simul, quorum vnum potest esse sine alio; sed causa in actu potest esse sine suo effectu in actu; ergo causa, & effectus in actu nō sunt semper simul. Maior patet. Minor probatur, quia ignis, dum calefacit lignum, vt generet alium ignem, potest impediri, ne generet; sed tunc ignis est causa in actu; ergo causa in actu potest esse sine suo effectu.

Resp. Negando minorem; ad probationem iterum nego minorem; siquidem ignis, dum calefacit lignum, nō est causa, sed tantum agens; non enim fundat relationem producentis ad productū, quę est propria causæ efficientis, sed agentis ad passum; Tū etiam quia ignis, dum calefacit, agit in tempore, dum verò generat, & causat alium ignem, agit in instanti temporis.

Obijcitur quartò: Si illud axioma Aristotelicū esset verum, sequeretur, Philosophum non adæquatè posuisse differentiam inter causas in actu, & in potentia; sed hoc non est dicendum; ergo potius dicendum, illud non esse adæquatum verum. Sequela maioris probatur, nā sicut causa, & effectus in actu sunt simul, & non sunt simul pro formali, ita pariter causa, & effectus in potentia pro formali sunt simul, quia vtrobique referuntur ad inuicem, illa in actu, & illa in potentia.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem nego causam, & effectum in potentia, etiam pro formali, esse simul; quandoquidem relatio actualis requirit vtrumque extremum in actu, modò causa in potentia non habet effectū in actu, sed tantum in potentia, vndè sequitur solum, quod possint esse, non autem quod sint, simul actu.

Obijcitur quintò: Si axioma prædictū verificaretur tàm de causa, & effectu pro fundamento, quàm pro formali, sequeretur, nullam fore differentiam inter illa, quo ad esse, & non esse simul, ac proindè nullum discrimen esset inter relatiua pro fundamento, & pro formali; sed hoc non est dicendum, quin vana esset iudicanda differentia inter illa, posita in 2. notab. ergo potius concludendum, non verificari de vtrisque, sed tantum de alterutris.

Resp. Negādo sequelam maioris; immò lata est differentia, quia causæ, & effectus simultas, aut prioritas, vel posterioritas pro fundamento consideratur in ordine ad durationem temporis; pro formali verò in ordine ad durationem naturæ, & ex hoc patet discrimen inter causas, & effectus vtroque modo consideratos, & quonam pacto non fuerit futilis; quin potius valdè vtilis illa duplex acceptio causæ, effectusque pro fundamento, ac pro formali.

Vtrum idem numero effectus possit dependere à duabus causis totalibus, & adæquatis eiusdem generis, & ordinis simul, vel diuisim applicatis ad causandum?

QVÆSTIO IV.

IN hac quæstione tangitur duplex difficultas, & vtraque valdè ardua ad varios Doctorum dicendi modos; An nimirum idem numero effectus possit dependere à duabus causis eiusdem rationis, diuisim applicandis; Et an idem effectus possit sic dependere à duabus causis si simul applicentur totaliter, & adæquatè?

Circa primam difficultatem, quæ restringitur tantum ad causas efficientes, cum de cæteris vel non sit, vel non possit esse difficultas, & controuersia; est duplex opposita sententia, quarum prima est Auerrois 7. Met. com. 31. Marsilij lib. 1. de Gener. q. 8. D. Thomæ quol. 5. art. 8. quos postea secuti sunt communiter Thomistæ, & nonnulli ex Patribus Soc. Iesu, relati à P. Merinero lib. 2 Physic. disp. 7. q. 3. asserentes, effectum singularem ita determinare sibi certam causam efficientem, vt non possit ab alia causa eiusdem rationis, numero distincta, dependere, ac prodire.

Secunda sententia, huic omninò opposita, est Doct. subt. in 2. d. 20. q. 2. sub B. & C. docentis, eumdem numero effectum, productum ab vna causa, potuisse ab alia eiusdē rationis, numero distincta, prodire, si in eodem instanti fuisset sibi applicata. Scotum secuti sunt, præter eius discipulos, Suarez in Met. disp. 26. sect. 5. Ruuius lib. 2. Physic. tract. 8. q. 2. n. 96. & seqq. ac alij ex Patribus Soc. Iesu, quos citat Mastrius disp. 8. q. 3. art. 1. n. 49.

Circa secundam non minor est controuersia inter Doctores; nam Ochamus noster in 3. d. 2. q. 2. Et quol. 4. q. 12. Gabriel in 3. d. 1. q. 1. art. 2. dub. 3. cum suis Nomin. & multi alij, quos retulit Mastrius cit. art. 2. n 60. sustinent, eumdem numero effectum posse dependere simul à pluribus causis totalibus, & adæquatis, etiam eiusdem generis, & ordinis, nedum supernaturaliter, vt docent etiam Suarez cit. sect. 4. Fonseca 5. Met. cap 2. q. 15. & Ruuius cit. q. 1 sed etiam naturaliter id contingere posse. Cæterùm Doctor subt. in 1. d. 2. q. 3. B. & in 2. d. 20. q. 2. & in 3. d. 1. q. 2. A. & in 4. d. 6. q. 2. B. & d. 10. q. 2. sub P. quem sequuntur, nedum omnes eius Discipuli; verùm etiam nonnulli ex Thomistis, & Iesuitis, quos referunt, & sequuntur Mastrius cit. ac Merinero q. 4. n. 7. docet implicare non solū naturaliter, sed etiam supernaturaliter, eūdem numero effectū dependere posse à pluribus causis totalibus, & adæquatis, eiusdem generis, & ordinis, cui & nos in vtraque controuersia libenter subscribimus.

Pro declaratione igitur, & fundamentum vtriusque difficultatis primò notandum est: Causarum per se, alias esse eiusdem generis, vel efficientis, vel finalis, vel formalis, vel finalis; alias alterius generis, vt materialis, & formalis, vel efficientis, & finalis simul. Rursùs, causarum eiusdem generis, alias esse intrinsecas composito, vt sunt materialis, & formalis; alias verò extrinsecas, vt sunt efficiens, & finalis. In priori difficultate non est sermo de causis intrinsecis, nec de finali, quia sicut certum est eumdem effectum non posse ab illis prodire diuisim, ita non est dubium quin idem numero possit fieri ob duos fines diuisim; deambulatio enim, quæ fit propter sanitatem, eadem numero potest fieri ob inuisendum amicum: restringitur ergo tantum ad causam efficientem, quæ attendi potest in duplici ordine, nempè eodem, & diuerso. Illæ causæ efficientes sunt eiusdem ordinis, quæ sunt eiusdem rationis in causando .i. quæ sunt æquè particulares, vt duo ignes, duo homines, vel æquè vniuersales, vt duo Soles. Illæ verò sunt diuersi ordinis, quæ sunt alterius rationis in causando, huiusmodi sunt Deus, Sol, & Homo; siquidem Deus est causa omnium vniuersalissima; Sol minus vniuersalis, quā sit Deus; magis autem vniuersalis, quā sit homo, qui postea dicitur causa particularis, cum sit determinatus tantum ad procreandos homines, Sol verò, & Deus sunt indifferentes ad omnes effectus horum sublunarium, siuè sint viuentes, siuè non: Similiter Deus perfectiori modo concurrit ad effectus causarum secundarū, quam ipsæ causæ secundæ, siuè sint vniuersales, siuè particulares. Hic agimus de causis eiusdem rationis, seu eiusdem ordinis, non autem alterius ordinis, quia certum est ab his simul, vel diuisim posse dependere eumdem numero effectum, siquidem Deus, Sol, & ignis generant ignem simul, & diuisim etiam, quia Deus se solo potest, nedum ignem, sed etiam omnes effectus causarum secundarum producere.

Secundò notandum est: Causarū siuè eiusdem, siuè alterius ordinis, alias dici tota-

totales, alias verò partiales. Causæ totales dicuntur, quæ secundum sui naturam, circumscriptis quibuscumque alijs eiusdem rationis, possunt ponere in esse suos effectus, & sic Deus, Sol, & homo, in suo ordine dicuntur causæ totales, quia Deus, circumscripto alio Deo; Sol, alio Sole circumscripto, & homo, absque auxilio alterius hominis, generant vnum, & eumdem hominem. Causæ verò partiales sunt illæ, quę absque concursu aliarum causarum eiusdem ordinis, nequeunt causare effectus ab eis dependentes, sic duo trahentes nauim, vel portantes idem pondus cuilibet diuisim improportionatum, dicuntur causæ partiales, cum neuter per se sufficiat aut nauim trahere, aut pondus illud portare. *Hic* quæritur de causis totalibus eiusdem ordinis; quandoquidem certissimum est à pluribus causis totalibus, & adæquatis alterius ordinis posse eumdem numero effectum dependere, sicut de facto idem ignis genitus depēdet in suo esse ab igne, & Deo illum generantibus, tanquam causis totalibus alterius ordinis.

Tertiò notandum est: Causarū adhuc, alias esse essentialiter, & alias accidentaliter subordinatas. Causæ essentialiter subordinatæ dicuntur illæ, quarum vna ab alia essentialiter dependet in esse, & in operari, vel saltem in operari, ita quod vna nequeat operari alia non operante, & sic Deus, Sol, & homo in generatione hominis dicuntur subordinari, quia sicut homo nequit esse sine Deo, & Sole, sic eisdem non agentibus, non potest alium generare hominem. Causæ verò accidentaliter subordinatæ sunt, quarum vna non dependet ab alia in operari, vel simul non requiruntur, vel sunt eiusdem rationis in causando, vt sunt pater, auus, & abauus respectu filij; siquidem pater sufficit, reliquis defunctis, vel absentibus.

Quartò notandum est: Causam esse duplicem, scilicet vniuocam, quæ nimirum est eiusdem rationis cum suo effectu, vt ignis respectu alterius ignis; & æquiuocam, quæ est alterius rationis cum effectu ab ipsa producto, vt Sol respectu hominis, & substantia respectu accidentis; Et vtraque est duplex, scilicet physica, quæ realiter causat, & influit in effectum, vt ignis generans ignem genitum; Et moralis, quæ nimirum non influit, sed causat per modum suadentis, merentis, vel deprecantis, effectum suum, & sic Concionator dicitur causare contritionem in animo auditorum, & Confessarius administrans Sacramentum pœnitentiæ gratiam in anima peccatoris pœnitentis.

Quintò notandum est, ex dictis in Logica de Principio Indiuiduationis, quod res, à quo habet entitatem intrinsecam, ab illo pariter habere debet & vnitatem, cum hæc sequatur entitatem, sicut passio suum subiectum. & quamuis natura materialis, nō sit de se indiuidua, & singularis, vt ibidem cum Scoto probauimus, tamen à nemine assignatur pro indiuiduationis principio aliquod extrinsecum, sed vel materia, vel forma, vel existentia, vel hæceitas, vel quantitas, quæ omnia, secundum varias Doctorum opiniones, sunt principia intrinseca substantiæ materialis, vel secundum esse specificum, vel secundum esse indiuiduale consideratæ; cùm igitur causa efficiens sit principium extrinsecum eiusdem, ab ea non poterit sumere vnitatem indiuidualem, ac determinatam, ita quod producta in esse ab vna, sibi repugnet ab alia eiusdem rationis causa efficiente produci, quinimò sic indifferenter dicitur ab vna produci, vt simul sit in potentia passiua ad produci ab alia eiusdem rationis, si in eodem instanti fuisset ad causandum applicata: tota enim ratio suæ vnitatis numericæ desumenda est à principio indiuiduationis, quod est intrinsecum naturæ indiuiduatæ, & non à causa efficiente, quæ est semper sibi extrinseca.

Sextò notandum est, quod adhoc vt aliquis effectus ponatur in esse ab aliqua causa, duo tantū essentialiter requirūtur, vnum, quod non habeat repugnantiā ad esse in rerum natura, defectu cuius, chimera per nullam potentiā potest poni in esse, cum repugnet ex parte rei, & ab intrinseco: Alterū verò quod cōtineatur in virtute causæ, à qua est ponendus in esse, defectu cuius substantia nequit produci

ab accidente effectiuè, quia cum sit eo perfectior à toto genere accidente, nequit contineri in eius virtute; cùm igitur idem numero effectus, in esse productus ab vna causa, non repugnet à parte rei, vt contineatur in virtute cuiuscumque causæ æqualis virtutis cum causa, à qua fuit productus, alioquin non essent causæ eiusdem ordinis, & rationis, vt supponitur; sequitur quod in eodem instanti, in quo fuit ab vna productus, si altera fuisset sibi applicata, idem omninò numericè processisset etiam ab ea, sicut ab illa fuit iam productus.

Ex his igitur fit prima conclusio. Non repugnat eumdem numero effectum dependere diuisim à duabus causis totalibus eiusdem generis, & ordinis. Est Scoti in 2. d.20. q. 2. vbi habet, eumdem numero filium ab vno parente genitum, potuisse ab alio gigni, Vt qui fuit filius Adæ, non repugnat, vt idem numero quo ad animam, & corpus, fuerit filius Abrahæ: Similiter, quod ignis A, si ex tali materia ignem talem generaret, ignis B. eiusdem virtutis, si pro eodem instanti in istam materiam ageret, eumdem numero ignem produceret, non obstante, quod generans esset aliud, & aliud numero. Probatur, quia si repugnaret, eumdem numero effectum diuisim dependere posse à duabus causis totalibus, eiusdem generis, & ordinis, aut hoc esset ex parte effectus vt sic, aut ex parte vnitatis numericæ eiusdem, aut ex parte causarum eiusdem rationis; sed ex nullo horum potest repugnare; ergo &c. Maior patet, quia non potest excogitari alia causa huiusmodi repugnantiæ, sicut de facto nulla alia adducitur ab Aduersarijs. Minor probatur: Non ex parte effectus vt sic, quia cum de facto supponitur ab vna causa productus, infertur non habere repugnantiam, vt possit esse à parte rei: nec ex parte vnitatis indiuidualis eiusdem, quia hæc non pendet à causa extrinseca, sed solum à differentia indiuiduali sibi intrinseca; igitur poterit indifferenter produci in esse indiuiduali à quacumque causa, in cuius virtute continetur, & non magis ab A, quam à B. si diuisim pro eodem tempore, vel instanti applicata fuerit. Nec ex parte causæ, quia cum omnes sint æqualis virtutis, sicut potest ab vna produci, ita poterit ab alia, si pro eodem instanti diuisim fuerit applicata ad causandu[m]; ergo cum ex nullo capite repugnet, sequitur, eumdem numero effectum posse diuisim dependere à duabus causis totalibus, & adæquatis eiusdem generis, & ordinis.

Secunda conclusio. Repugnat tamen, nedum naturaliter, sed etiam supernaturaliter, eumdem numero effectum simul dependere à duabus causis totalibus, & adæquatis eiusdem generis, & ordinis. Est Scoti in citatis locis supra in expositione suæ sententiæ. Probatur sic ab eodem efficacissima ratione: Implicat eumdem numero effectum depédere, & non dependere simul ab vna, & eadem causa totali, & adæquata eiusdem generis, & ordinis; sed positis duabus causis totalibus, & adæquatis eiusdem generis, & ordinis circa eumdem numero effectum, sequitur ipsum ab vnaquaque illorum simul dependere, & non dependere; ergo implicat eumdem numero effectum simul dependere à duabus causis totalibus, & adæquatis eiusdem generis, & ordinis. Maior patet, quia implicat contradictoria verificari de eodem respectu eiusdem simul, & semel, vt docet Aristoteles in lib. Elenchorum cap. de syllogismo Elenchi, & 1. Posteriorum cap. 2. sed dependere, & non dependere sunt contradictoria circa eamdem numero causam; ergo implicat eumdem effectum &c. Minor probatur, quia positis duabus causis, e. g. A, & B dependeret quidem ab vnaquaque illarum per suppositum, & quia omnis effectus dependet essentialiter à sua causa, à qua habet esse; non dependeret autem ab illis, quod probo, quia ab illa causa effectus essentialiter non dependet, qua non existente, vel circumscripta, adhuc habet esse; sed non existente causa A, adhuc effectus haberet esse à causa B; & nó existente causa B, effectus haberet esse ab A; ergo à neutra essentialiter dependeret; & sic dependeret, & non dependeret respectu eiusdem, quod est contradictio. Maior patet, quia dependentia

est

est relatio realis actualis, quæ requirit extrema realia actu existentia; sed non existente altera causa, per suppositum, deficeret alterum extremum dependentiæ respectu illius causæ, & sic ab ea non dependeret, quamuis effectus haberet esse per aliam. Minor probatur, quia alioquin neutra esset causa totalis; siquidem causa totalis, & adæquata est, quæ se sola, quauis altera causa circumscripta, ponit totaliter effectum in esse; ergo circumscripta A, effectus haberet esse à B; & non existente B, haberet esse per A; aliter neutra esset causa totalis, quod esset contra suppositum. Secundò probatur, quia dependentia est propter indigentiam, vndè, quia Deus nullius indiget, vt habeat esse, sequitur in suo esse à nullo pariter dependere; sed vnus effectus numero vnius tantum causæ totalis, & adæquatæ indiget ad suum esse; ergo tantum ab vna causa totali, & adæquata habet dependere, & non à pluribus. Maior patet ex natura dependentiæ; siquidem semper supponit indigentiam in eo quod dependet. Minor similiter, quia causa dicitur totalis, & adæquata, ex eo quod absque alterius auxilio, est sufficiens ponere suum effectum in esse; ergo effectus vnus numero tantum exigit ad suum esse vnam numero causam totalem, & adæquatam, itaut superfluum sit ipsum ab alia dependere in esse.

Tertia conclusio. Non implicat tamé eiusdé effectus esse plures causas totales, & adæquatas, alterius generis; & ét eiusdé generis, sed alterius ordinis. Probatur prima pars, quia ad idé compositú physicum in esse ponendum requirútur quatuor genera causarum, scilicet materialis, formalis, efficiens, & finalis; sed quælibet istarum in suo genere est causa totalis, & adæquata; ergo eiusdem effectus possunt esse plures causæ totales alterius generis. Secunda pars probatur, quia Deus, Sol, & Homo generant vnú, & eumdem numero hominem; sed quilibet est causa totalis eiusdem generis efficientis, sed alterius ordinis, cum non sint eiusdem rationis in causando; siquidem causalitas diuina est perfectior, quam Solis, & hominis; & Solis adhuc perfectior, quam hominis, cum sint independentiores, & vniuersaliores; ergo eiusdem effectus numero sunt plures causæ totales, eiusdem generis, & alterius ordinis.

Obijcitur primò contra primam conclusionem: Si effectus, qui hic, & nunc fit ab vna causa, posset ab alia eiusdem rationis fieri, vel hoc esset per eamdem, vel per aliam actionem; sed neutrum est dicendú; ergo &c. Maior patet, quia inter idem & diuersum non datur medium. Minor probatur: Non per eamdem, quia cum actio dicat ordinem ad agens, si multiplicantur agentia, & actiones multiplicari debent; ergo non per eamdem. Nec per aliam actionem, quia actio, & terminus sunt eadem numero res, ex Aristotele 3. Physic. t. 4. sed terminus est tantum vnus numero, quia effectus est vnus numero; ergo & actio debet esse vna, & non alia numero.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico cum Doctore in 4. d. 13. q. 1. H. actionem dupliciter sumi posse, scilicet formaliter, & sic dicit respectum producentis ad productum; & materialiter, & sic importat effectum, seu rem actam prout est in fieri: si sumatur actio formaliter, dico, effectum non produci ab alia causa per eamdem actionem, sed per aliam; siquidem multiplicatis causis, seu agentibus, multiplicantur etiá relationes producentis ad productum; nec hoc esset contra Philosophum citatum, quia ibi loquitur de actione materialiter, non formaliter sumpta: si verò actio sumatur materialiter, dicendum est, fieri per eamdem actionem ab vtraque causa, quia sic actio non distinguitur, sed est idem quod effectus in fieri, vt dictum est de concursu diuino in actu secundo considerato, qui non distinguitur à concursu causæ secundæ; neque ista actio dicit ordinem ad agens, vt supponit probatio, sed tantum actio pro formali, quæ multiplicatur ad multiplicationem agentium, seu causarum.

Obijcitur secundò: Si effectus idem numero non determinaret sibi certam, ac determinatam causam efficientem,

sequerentur duo absurda, alterum quod nulla esset causa efficiens per se sui effectus; alterum quod quælibet causa efficiens posset producere omnes effectus singulares, qui sub ipsa continentur; sed neutrum admitti debet; ergo dicendum est, vnum, & eumdem numero effectum exigere certam, ac determinatam causam, vt ab alia prodire non possit. Sequela maioris prima probatur, quia eo ipso, quod idem effectus ab vna causa productus posset fieri ab alia, per accidens est, vt fiat ab ista, & non ab illa. Secunda sequela etiam probatur, quia non esset maior ratio cur posset istos, & non illos producere.

Resp. Primum consequens esse verũ de perseitate effectus, non tamen de perseitate causæ, quia sicut ad perseitatem causæ sufficit quod per propriam formã possit influere in effectum, quicumq. sit ille, ita ad perseitatem effectus exigitur, vt ab intrinseco petat influxum talis causæ, vt sine illo esse non possit; & cũ probatur, quod esset per accidens in effectu vt fieret potiùs ab ista, quam ab illa, si alteram non respiceret determinatè, concedo; immò hoc est nostrũ fundamentũ, quod effectus non respiciat determinatè hanc, vel illam causam, verùm tantum vnam causam in cuius virtute contineatur, quæcumque sit illa. Ad secundum nego illud sequi, quia ad producendum effectum singularem, nõ sufficit vt causa habeat sufficientem virtutem, sed requiruntur, vt dicit Doctor in 1. d. 7. q. vn. F. & L aliquæ conditiones, quæ nequeunt conuenire cuilibet causæ respectu omnium effectuum, qui sub sua specie continentur.

Contrà, quia quando aliquod indiuiduum producitur ab aliqua causa, debet assignari ratio, cur illud potius, quam aliud producatur; sed hoc esset falsum, nisi causa ex natura sua peteret illud potius, quam aliud producere, & nisi tale indiuiduum ex natura sua exigeret produci ab illa; ergo &c.

Resp. Negando minorem, quia determinatio illa numerica non fit à causa secunda, sed ab ipso Deo ita disponente de quibuscumq. effectibus causarum secundarum, alioquin nec esset omnipotens, nec omnisciẽs, sicut dictum est supra, loquendo de eius concursu cum causis secundis.

Obijcitur tertiò contra conclusionem secundam: Duo accidentia eiusdem rationis possunt esse in eodem subiecto secundum Doctorem in 3. d. 8. q. vn. sed plures dependentiæ eiusdem effectus ad plures causas totales sunt accidentia eiusdem rationis, quia sunt relationes causati ad causas; ergo &c.

Resp. ex Doct. subt in 3. d. 1. q. 2. ante B. maiorem esse veram de accidentibus compossibilibus, siuè talia sint absoluta, siuè relatiua, vt dicit Doctor in 3. d. 8. q. vn. falsam de incompossibilibus, cuiusmodi sunt dependentiæ essentiales terminatæ ad terminos totales, quia tales nequeunt multiplicari in eodem ob rationem allatam pro conclusione.

Obijcitur quartò: Duo ignes æqualiter approximati eidem ligno comburunt illud, sed quilibet est vna causa totalis; ergo duæ causæ totales possunt in vnum numero effectum.

Resp. ex eodem Scoto in 4. d. 10. q. 2. minorem esse veram si seorsim sumantur, non tamen si coniunctim, quia sic, vel neuter combureret, vel se haberent vt duæ causæ partiales, integrantes vnã totalem, quod vel maximè dignosceretur ex igne genito, quippè qui foret maior si ambo coniunctim agerent, quam si ab altero solum combureretur lignum.

Obijcitur quintò: Duo corpora posũt esse in eodem loco, ex Doctore subtili in 4. d. 49. q. 16. ergo duæ causæ totales possunt producere vnum, & eumdem numero effectum. Cõsequentia patet, quia illud vbi esset vnicus effectus illorum duorum corporum.

Resp. Negando consequentiam; ad probationem dico, ibi esse tantum vnum locum materialiter, qui tamen non est effectus illorum corporum; duo verò formaliter, quæ licèt sint effectus eorũ, cum sint relationes actiuæ, ad duo loca passiua, non sequitur duas causas producere vnum effectum, sed duos.

Obijcitur sextò: Aliquis Sacerdos celebrat propter Deum, & propter stipendium,

diũ, vt propter duos fines: similiter alius deambulat propter sanitatem, & ob inuisendam amasiam; sed huiusmodi fines sunt causæ totales, quia vnus tantum sufficit ad mouendum agens, vt operetur, vel celebrando, vel deambulando; ergo idem numero effectus potest prodire à duabus causis totalibus eiusdem generis, & ordinis.

Resp. Minorem esse veram si seorsim sumantur, non tamen si coniunctim in huiusmodi actionibus, quia sic sunt causæ partiales, & non totales; siquidem maiori cũ deliberatione aggreditur Sacerdos celebrationẽ sacri propter Deũ, & stipendium simul, quam si celebraret tãtum propter alterum: similiter deambulaturus propter sanitatem, & propter amasiam, maiori cum cordis alacritate mouetur, quam si ob alterum tantum finem eligeret, ex quo inferri debet, huiusmodi fines non fore in talibus casibus causas totales, & adæquatas, sed partiales, & inadæquatas.

De causis per accidens, siuè de casu, & fortuna.

DISPVT. VIII.

Causam per accidens dupliciter dici talem non est ignorandum; siquidem vno modo dicitur causa per accidens, quatenus ly per accidens se tenet ex parte causæ, vt cùm dicimus Medicũ album mederi infirmo, ly albus coniunctus cum medico per accidens se habet ad sanitatem infirmi; alio modo, vt ly per accidens se tenet ex parte effectus, vt cum dicimus fodientem terram, vt aquã educat, inuenisse thesaurum, quandoquidem inuentio thesauri est effectus accidentaliter coniunctus cum fossione terræ, & nullo modo intentus à fodiente terram. Hic acturi sumus de causa per accidens secundo modo sumpta, quæ diuiditur in Casum, & Fortunam, de quibus pariter erit nobis sermo in præsenti disputatione. Et quia monstra sunt quodammodo effectus casus, & fortunæ, cum non intendantur à natura, quæ agit propter finem, etiam de monstris agendum nobis erit. Denique quia Fatum opposito modo se habeat ad casum, & fortunam, & oppositorum sit eadem disciplina; idcircò etiam quæstio de Fato ad hanc eamdem disputationem reducenda veniet, sicque finis erit disputationis octauæ, & secundi libri Physicorum.

An sint, & quid sint casus, & fortuna?

QVÆSTIO I.

Dari casum, & fortunam in rerum natura, fuit constans sententia Aristotelis, contra quosdam ex antiquis Philosophis, vt testatur Doctor subt. in quol. 21. & manifestè apparet in textibus à 39. vsque ad 52. inclusiuè: Nec eos versari circa æternitatem, vel generationem Mundi, vt voluit Democritus: Nec esse quædam Numina, à quibus pronenie-bant euentus fortuiti, & casuales: Neque fortunam esse causam ad vtrumlibet, vt placuit Auicennæ, sed esse causas accidentales illorum euentuum, qui de rarò accidunt, nec intenduntur à natura. Aristotelem secuti sunt omnes Philosophi Christiani, ac Theologi, vt testantur D. August. lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 18. Lactant. Firmianus lib. 3. cap. 28. & 29. & D. Thom. 1. p. q. 116. art. 1.

Pro explicatione sententiæ Aristotelis primò notãdum est, vt colligitur ex Aristotele à t. 52 & seqq. vsque ad 68. & ex Doct. subt. in quol. vlt. Casum, & fortunam dupliciter accipi posse .f. largè, & strictè. Casus, & fortuna largè sũpti sunt agentia, quibus eueniunt aliqua præter intentum, extra semper, & frequenter .i. de rarò, siuè talia agant secundũ electionem, sinè sine illa .i. siuè liberè, siuè naturaliter, & sic casus, & fortuna non differunt, sed sunt prorsus idem; Casus verò strictè sumptus est agens per accidẽs, cui aliquid euenit preter intentum, extra semper, & frequenter, absque tamen proposito, & electione, vt æquus vadens ad fluuium vt bibat, si cadat in ipsum, & submer-

submergatur, dicitur submersus à casu, quia huiusmodi submersio euenit sibi rarò, & præter intentum, & sic casus reperitur dumtaxat in agentibus naturalibus, non autem in liberis: Fortuna verò hoc eodem modo accepta est agens à proposito .i. liberum, cui aliquid euenit præter intentum, extra semper, & frequenter .i. rarò, vt rusticus fodiens terram, vt spargat semina, & bladum colligat, inueniat thesaurum, dicitur inuenisse à fortuna; siquidem cum sit agẽs liberum, & terram fodiat, vt bladum colligat, & inuentio thesauri non fuit ab ipso intenta, sed rarissimè sibi eueniat, dicitur esse facta à fortuna; & fortuna hoc modo sumpta distinguitur à casu, inuenitúrque tantum in agentibus liberis, & secundum electionem, non autem in naturalibus.

Secundò notandum est: Fortunam strictè sumptam diuidi in bonam, & malam. Fortuna bona est, cum effectus fortuitus est bonus agenti à proposito; mala verò cum euentus fortuitus est sibi malus, & nociuus, vt si quis vadat ad forũ, inuisurus amicum, inueniat debitorem, qui vltrò soluat sibi centum aureos præter expectationem suam, talis dicitur habuisse bonam fortunam, si verò offendat inimicos, à quibus occidatur, malam; siquidem bonus, vel malus exentus, non intentus, & de rarò eueniens alicui, facit illum benè, vel malè fortunatum.

Tertiò notandũ est, aliud esse, fieri aliquid de rarò, & aliud ad vtrumlibet, Illud dicitur fieri de rarò, quod fit in paucioribus, vt inuentio thesauri, quæ paucissimis accidit: Illud verò fit ad vtrumlibet, ad quod agens est ita indeterminatum, sicut ad oppositum eius, vt voluntas respectu suorum actuum; siquidem est indeterminata ad velle, & nolle; & ad velle, & non nolle. Illa autem, quæ fiunt de rarò aliquando intenduntur ab agente, & aliquando non: exemplum priorum, vt Generalatus, in Religione nostra, & Papatus, qui, etiam si fiant rarò, tamen à pluribus intenduntur; exemplũ posteriorum, vt inuentio thesauri, quæ non intenditur, & in paucissimis accidit. Illa tandem, quæ fiunt ad vtrumlibet, semper intenduntur ab agente libero; quandoquidem voluntas nequit aliquid velle, aut nolle nisi præostendatur sibi ab intellectu, & consequenter deliberet, an acceptet, vel respuat: Ex his infertur, quod in ijs, quæ fiunt ad vtrumlibet, & fiunt rarò, sed cum intentione, non potest inueniri casus, & fortuna, verùm dumtaxat in his, quæ fiunt rarò absque intentione, & proposito.

Quartò notandum est, quod ad hoc, vt aliquid dicitur agens à casu, aut fortuna, tres conditiones requiruntur; Prima, quod sit agens secundum electionem, si sit fortuna, vel absque electione, si fuerit casus: ex quo sequitur, quod fortuna strictè sumpta reperitur tantum in creaturis rationalibus; & casus in brutis solummodò. Secunda conditio, quod sibi aliquid eueniat præter intentum; defectu cuius in Deo non est casus, nec fortuna, cum omnia futura præcognoscat, & intendat, ac ipsum nihil lateat; quandoquidem inquit Apostolus: Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius. Tertiò, quod eueniat rarò, quare respectu combustionis domorum, non est casus, & fortuna, quia sæpissimè accidunt huiusmodi ruinæ.

Ex his igitur fit prima conclusio. Dãtur in rerum natura casus, & fortuna. Est conclusio Aristotelis 2. Physicorum à t. 52. vsque ad 68. & probatur à Scoto in quol. 21. A, quia dantur agentia à proposito, & sine illo, hoc est libera, & naturalia, quibus aliquid euenit præter intentũ, extra semper, & frequenter, idest rarò; sed priora dicuntur agere à fortuna, & posteriora à casu; ergo dantur in rerum natura casus, & fortuna. Maior, & minor patent ex not. 1. & 3.

Secunda conclusio. Datur bona, & mala fortuna, bonus, & malus casus. Est Aristotelis in loco cit. & in libello de Bona, & mala Fortuna: Ac Doct. subtilis loco citato. Probatur: Dãtur euentus nõ intenti, & rarò occurrentes, boni, & mali, nedum in agentibus liberis, verùm etiam in naturalibus, vt experientia constat; ergo dandæ sunt causæ, à quibus proueniant; sed respectu bonorum, nequit esse nisi bona fortuna, & bonus casus,

sus, respectu autem malorum, mala fortuna, & malus casus; ergo dantur bona, & mala fortuna, bonus, & malus casus. Consequentia patet, quia effectus non sunt sine causis; sed euentus boni, vel mali, non intenti à natura, & rarò occurrentes sunt effectus; ergo si dantur in rerum natura, dandæ sunt etiam causæ aliquæ, à quibus tales proueniant, alioquin non essent effecti, sed essent à se, quod implicat. Minor probatur, quia causæ huiusmodi euentuum sunt casus, & fortuna; sed respectu bonorum nequit esse causa mala, sicut nec respectu malorum causa bona; siquidem bonũ, & malum sunt opposita, & oppositum non est causa oppositi; ergo respectu bonorum debet esse bonus casus, & bona fortuna, & respectu malorum mala fortuna, & malus casus.

Tertia conclusio. Fortuna, & casus non dantur respectu Dei. Est Scoti ibidem. Probatur, quia casus, & fortuna dantur respectu causarum non intendẽtium, nec præcognoscentium effectus, vt patet ex eorum diffinitionibus; sed Deus omnia intendit, & præcognoscit; ergo casus, & fortuna non dantur respectu Dei. Minor probatur ex D. August. lib. 3. de Trinit. cap. 4. dicente: Nihil in ista totius creaturæ amplissima, immensaque republica est, quod non de interiori, atque in intelligibili aula summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur; sed quod iubetur, aut permittitur, debet prius cognosci, & intendi; ergo Deus omnia cognoscit, & intendit.

Quarta conclusio. Casus, & fortuna dantur respectu causarum secundarum particularium. Probatur, quia casus, & fortuna sunt causæ per accidens, non intendentes effectum eis de rarò occurrentem; sed causis secundis particularibus multoties occurrunt, licèt rarò, effectus non intenti, vt patet per experiẽtiam; ergo in eis dãtur casus, & fortuna.

Quinta conclusio. Casus, & fortuna non est respectu effectuum ad vtrumlibet. Est Scoti ibidem contra Auicennã. Probatur, quia effectus casualis, & fortuitus non est in potestate agentium à casu, & fortuna; sed effectus ad vtrumlibet est in potestate voluntatis, ergo casus, & fortuna non est respectu effectus ad vtrumlibet. Maior patet, quia non præcognoscitur, nec intenditur ab eis; at quod est in potestate alicuius debet præcognosci, & intendi, vt possit deliberare an expediat, ipsum elicere, vel non; ergo &c. Minor similiter, quia voluntas est libera respectu suorum actuum; ergo sunt in eius potestate.

Obijcitur tamen primò contra primã conclusionem, quia omnis effectus habet causam per se; casus, & fortuna non sunt causæ per se, vt patet; ergo casus, & fortuna nullum habent effectum fortuitum, & casualem. Maior patet, quia sicut omnis causa per accidens reducitur ad causam per se, ita omnis effectus per accidens habet reduci ad effectum per se.

Resp. ex Doct. subt. quol. 21. sub C. maiorem esse veram de causa vniuersalissima, cuiusmodi est causa prima, sub qua continentur omnes effectus; quamuis igitur respectu illius non ponantur casus, & fortuna, tamen respectu causarum particularium poni debent, cum ab ipsis interdum proueniant effectus non intenti.

Obijcitur secundò: Quorum non est diffinitio, illorum nequit dari essentia in rebus; sed casus, & fortunæ non est diffinitio; ergo nec essentia. Maior patet, quia diffinitio est explicatiua essentiæ. Minor probatur, quia entium per accidens non est diffinitio, ex Aristotele 7. Met. t. 43. sed casus, & fortuna sunt causæ per accidens, ac proindè entia per accidens; ergo carent diffinitione, & essentia.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, casum, & fortunam esse entia, & causas per accidens, prout ly per accidens se tenet ex parte effectus, non tamen, vt se tenet ex parte causæ, quia sic sunt entia, & causæ per se, sicque diffiniuntur ab Aristotele in textu.

Obijcitur tertiò: Ab eadem causa possunt prouenire boni, & mali effectus per se intenti, & non intenti, vt patet nedum in moralibus, vbi ab eadem voluntate proueniunt bona, & mala moralia;

ralia; sed etiam in naturalibus, in quibus videmus ab ijsdem parentibus gigni homines & perfectos, & monstruosos; ergo etiam ab eadem causa prouenire poterunt effectus fortuiti, & casuales, boni, & mali, ac proindè superfluit dari fortunam bonam, & malam; casum bonum, & malum.

Resp. Bonam, & malam fortunam; bonum, & malum casum dupliciter accipi posse, vno modo materialiter, seu fundamentaliter, & sic important agentia, vel secundum electionem, vel sine electione, quibus accidunt effectus non intenti, boni, vel mali; alio modo formaliter, & sic fortuna bona, vel casus bonus dicit relationem conuenientis agentis à proposito, vel sine illo ad effectus fortuitos, vel casuales bonos, aut non disconuenientes; similiter casus, & fortuna mala dicunt relationem disconuenientiæ ad effectus fortuitos, vel casuales malos. Primo modo casus, & fortuna boni, & mali non distinguuntur, sed sunt duo agentia, quorum singulum fundare potest relationes conuenientiæ, & disconuenientiæ ad effectus non intentos, & de rarò occurrentes; at secundo modo distinguuntur, cum sint relationes disparatæ conuenientiæ, & disconuenientiæ.

Formaliter ad argumentum dico, vltimum consequens esse verum de casu, & fortuna bona, & mala materialiter sumptis, non tamen formaliter, quia sic non superfluit, immò est necessaria distinctio in bonam, & malam, cùm vnum, & idē agens non possit per vnam, & eamdem relationem, aut conuenientiæ, aut disconuenientiæ referri ad effectus diuersos, ac disparatos.

Obijcitur quartò cōtra conclusionem tertiam: Vbicumq dantur effectus fortuiti, aut casuales, ibi est dari casum, & fortunam; sed in Deo reperiuntur effectus fortuiti, & casuales; ergo & casus, & fortuna in eo habent reperiri. Maior patet, quia causa, & effectus simul sunt, & non sunt, ex Aristotele 2. Physicorum t.37. Minor probatur, quia effectus non intenti ab aliquo agente, potente illos intendere, sunt fortuiti, vel casuales; sed multoties fiunt peccata, ad quæ concurrit Deus, nec tamen ab ipso intenduntur, alioquin esset causa peccati, quod est impium in fide; ergo sub Deo reperiuntur effectus fortuiti, & casuales.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, maiorem esse insufficientem, quia ad effectus fortuitos, aut casuales exigitur, vt fiant rarò, & non præcognoscantur ab agente, modò quamuis peccata fiant Deo permittente, tamen sunt ab ipso præcognita, & non fiunt de rarò, quinimò sæpissimè; vndè sicut illa nequeunt subire rationem effectuum fortuitorum, vel casualium, sic nec Deus casus, vel fortunæ.

Obijcitur quintò contra conclusionē quartam: Casus, & fortuna nequeunt reperiri in causa prima in ordine ad suos effectus, ergo nec etiam in causis secundis respectu suorum effectuum. Antecedens patet. Consequentia probatur; Tum quia effectus causarum secundarū sunt secūdum numerum etiam effectus ipsius Dei; siquidem concursus Dei, & causæ secundæ in actu secundo est prorsus idem; Tum etiam, quia effectus causarum secundarum meliùs diriguntur à Deo, quam à Cœlo regantur effectus sublunares; sed in his, ex eo quod diriguntur à Cœlo, nihil potest esse fortuitum, & casuale; ergo multò minus in illis, quæ diriguntur à Deo. Maior patet. Minor probatur, quia motus Cœlorum fiunt consimiliter, & non extra semper, & frequenter, sunt enim perpetuò continui; sed effectus sublunares diriguntur per huiusmodi motus à Cœlis; ergo & consimiles erunt effectus sublunares, & non extra semper, ac frequenter, & consequenter, nec fortuiti, nec casuales.

Resp. Negando consequentiam, ad primam probationem dico, verum esse in ordine ad causam primam non esse effectus per accidens, sed per se, cum omnes præcognoscantur, & intendantur ab ea, falsum verò in respectu ad causam secundam, quia aliquando eueniunt ei præter eius intentionem, qua ratione dicuntur fortuiti, vel casuales. Ad secūdam probationem nego minorem, ad cuius probationem dico pariter, verum esse

esse totum discursum de effectibus sublunaribus, comparatis ad causas vniuersales secundarias, à quibus semper intenduntur, & ideò in ordine ad illas nequeunt dici fortuiti, vel casuales; falsum tamen si respiciant causas particulares, quibus cum aliqui interdum occurrant præter earum intentionem, quamuis regantur ab influxibus cœlorum, non officit tamen quin dicantur fortuiti, & casuales.

Obijcitur sextò contra quintam conclusionem, quia effectus fortuiti sunt ita in potestate voluntatis agentis à proposito, sicut effectus ad vtrumlibet; ergo sunt omninò idem fortuna, & agens ad vtrumlibet. Consequentia patet, quia si habent distingui aliquo pacto, hoc nequit esse, nisi per effectus vtriusque, si ergo effectus non sunt distincti, nec agentia erunt distincta. Antecedens probatur, quia omnes procedunt ab eadem voluntate libera; Preterquamquod Scotus quol. 21. sub E. dicit, effectus fortuitos esse in potestate nostra, saltem per accidens, & per hoc habent distingui casus, & fortuna, quia effectus casuales nullo modo sunt in potestate agentis à casu; ergo non distinguuntur effectus fortuiti ab effectibus ad vtrumlibet.

Resp. Negando antecedens; ad primam probationem dico, veram esse materialiter, non formaliter, hoc est dictu, effectus fortuiti procedunt à voluntate, quatenus potentia est, non verò vt libera est, quia non sunt præcogniti ab intellectu, nec intenti, modò præcognitio est necessaria ad hoc vt voluntas liberè se habeat erga suos actus; cæterùm effectus ad vtrumlibet exeunt ab ea, vt præcogniti, & intenti, hoc est, formaliter, vt libera est, & ideò hi, & non illi dicuntur esse in eius potestate. Ad secundam probationem desumptam ex Doctore subtili, nego consequentiam, quia licèt effectus fortuiti sint aliqualiter in potestate voluntatis, quatenus distinguuntur à casualibus, qui nullo modo sunt in potestate agentis à casu, non tamen simpliciter, vt non habeant distingui ab effectibus ad vtrumlibet, quia sic non sunt in eius potestate, cum nec sint præcogniti, nec intenti sicut illi; ex quibus infertur, quod sicut effectus fortuiti, & ad vtrumlibet non sunt idem formaliter, sed tantum materialiter, sic nec agens ad vtrumlibet, & fortuna erunt idem plusquam materialiter; nec Doctor citatus aliud intendit, aut intendere potest, cum sufficiat per hoc ostendisse differentiam inter agentia, quæ dicuntur fortuna, & casus ex ordine effectuum, qui vtrisque euenire possunt extra, semper, & frequenter, ex eo quod aliqui sunt in potestate agentis à fortuna, saltem per accidens, alij verò nec per se, nec per accidens in potestate agentis à casu.

Vtrum monstra sint effectus casuales, vel fortuiti?

QVÆSTIO II.

Circa hanc quæstionem varia sunt Doctorum placita, vt referunt Ruuius lib. 2. Phys. cap. 9. q. vn. & Mastrius disp. 7. q. 9. art. 2. n. 220. nam aliqui dicunt, monstra materialiter esse intentos effectus à natura, non verò formaliter, sicque tantum posse dici effectus casuales. Ita Thæmistius in 2. Physic. cap. 8. Alij asserunt esse effectus casuales in ordine ad causam intendentem generationem, cuiusmodi est virtus formatiua fœtus, non autem in ordine ad causam impedientem. Sic Toletus hic q. 13. Alij negant esse effectus casuales, si respiciant vtramque causam simul, quia sic intenduntur ab eis, saltem secundariò. Ita Conimbric. cap. 9. q. 6. art. 1. Alij, esse effectus casuales respectu causarum particularium, non verò respectu vniuersalium. Ita Suarez in Metaph. tom. 1. q. 19. sect. 12. n. 4. quem sequitur Masius hic q. vltima sect. 1. disp. vltima. Ruuius denique loco citato sustinet, monstra intendi saltem secundariò etiam à causis particularibus, seorsim sumptis, sicque nullo modo esse effectus casuales, aut fortuitos.

Quid autem nobis sentiendum sit in tanta opinionum varietate, quibusdam

de more notatis, in conclusionibus nostram aperiemus sententiam.

Primò igitur notandum est, ex Aristotele 2. Physicorum t 82. Monstra esse peccata illius, quod propter aliquid agit .i. monstra sunt errores naturæ, seu agẽtis naturalis propter finem, siquidem natura in generatione intendit opus perfectum iuxta exigentiam suæ speciei, cũ autem accidit, vt deficiat à consecutione finis intenti ob aliquod impedimentum, tunc dicitur fieri monstrum in natura. Hoc autem euenire potest, vel ex parte substantiæ materialis, ex qua fieri debet generatio, vel ex parte primarum qualitatum consequentium, vel disponentium ad generationẽ fetus: Si accidat ex parte substantiæ materialis, hoc potest dupliciter contingere, aut per excessum, aut per defectum eiusdem: Si occurrat per excessum, aut hoc erit, quia materia est nimis superabundans in omnibus membris, & sic gignitur animal proceræ staturæ, vt est gigas; aut tantum in aliquo membro, & sic nascuntur animalia vel cum duobus capitibus, vel cum sex digitis in manibus, & pedibus, & sic de alijs. Si autem contingat error propter defectum materiæ substantialis, identidem philosophandum est, quia vel defectus erit proportionaliter in omnibus membris, & sic nascetur animal exiguæ quãtatis, vt est nanus, vel pigmæus, vel tantum erit defectus in aliqua parte, & sic nascetur animal cum altero brachio, pede, vel manu, vel oculo dumtaxat; Si autem excessus, vel defectus erit in qualitatibus, tunc nascuntur animalia aut nimis pilosa contra consuetum naturæ, aut sine pilis, vt sunt mulieres barbatæ, & viri imberbes; siquidem in illis superabundat caliditas, in his verò frigiditas; aut erunt curua ex nimia siccitate; aut gibbosa, & tardi gressus ob nimiam humiditatem; aut tandem recta, & nimis longa ob defectum humiditatis, & excessum siccitatis: Alij addunt fieri monstra in ventre matris, aut ob nimiam restrictionẽ, aut tractionem secũdinæ in qua generatur fetus, Vel extra ventrẽ, ratione malæ educationis, sed hoc est nimis extendere causam impedientem generationem, & causam eamdem intendentem; siquidem illa nequit agere propter finem generationis, cum sit eius instrumentum dumtaxat, hæc verò exit generationis limites, & tamen monstra sunt peccata in generatione commissa ab eo, quod debet agere propter finem eiusdem generationis.

Secundò notandum est: Monstra posse accipi dupliciter .s. materialiter, & formaliter. Primo modo important illã substantiam materialem cum illo errore imperfectionis. Secundo modo dicit carentiam perfectionis, seu pulchritudinis, debitæ speciei. Monstra autem vtroque modo considerata, possunt comparari vel ad causam primam, vel ad causas secundas tàm vniuersales, quàm particulares. Si comparentur ad primam causam, nequeunt dici effectus casuales, cũ ab ipsa sint aliquo modo intenta per se ad pulchritudinem, seu perfectionem vniuersi, quæ in varietate, nedum specifica, sed etiam numerica consistit; Tum etiam, quia cũ omnia possibilia sint Deo præsentia, & nullum possit eius cognitionem latere, nequeunt fieri, quin ab ipso præcognoscantur, & intendantur: Si autem comparentur ad causas secundas vniuersales, quamuis possint esse ab eis aliquo modo intenta, cum & ipsæ intendant perfectionem vniuersi, tamen comparata ad causas particulares, quæ solum intendunt perfectionem speciei, sunt effectus casuales, ab eis minimè intenti; quandoquidem nequeunt intendere peccata, & imperfectiones propriæ speciei nec primariò, nec secundariò, vt ait Ruuius, alioquin nulli darentur effectus casuales in agentibus propter finem, cũ omnes possent dici interpretatiuè intenti, ne viderentur incassum laborasse, aut cogerentur à causa impediente, desistere ab incepta generatione, quod est valdè absurdum. Nec valet effugium de casu lapidis, & de per eum occisione, aut percussione hominis, quæ nullo modo potest intendi, quia dicerem ego posse intendi secundariò à remouente prohibẽs, ne casus lapidis factus ad occisionem serpentis, subtus recumbentis, in totum frustraretur suo fine; superest igitur vt di-

dicimus, monstra comparata ad causas particulares, esse effectus merè casuales, cum præter intentionem,& rarò eis eueniant.

Tertiò notandum est: Causas particulares intendere, vel non intendere monstra, posse dupliciter intelligi: Vno modo absolutè, alio modo comparatiuè ad nihil; vel positiuè, aut negatiuè. Primo modo causæ particulares, nequeunt intendere monstra, alioquin possent intendere deformitatem, & imperfectionem propriæ speciei, quod repugnat naturæ, cuius esse est affectare perfectionem, & ab opposito eius pro viribus declinare: Secundo modo autem possunt intendere etiam monstra, ne earum actio in nihilum tendat, quia melius est esse cum aliqua imperfectione, quam simpliciter non esse.

Ex his ergo fit prima conclusio. Monstra in comparatione ad primam causam vniuersalem non sunt effectus fortuiti, aut casuales. Est communis apud omnes Doctores. Probatur, quia effectus fortuiti, & casuales non intenduntur ab agentibus; sed monstra intenduntur à Deo, qui est prima causa vniuersalissima; ergo respectus eius non possunt dici effectus fortuiti, vel casuales. Maior patet ex dictis in præcedenti quæstione. Minor probatur; Tum quia monstra præcognoscuntur à prima causa, antequam concurrat ad illorum generationem cum causis secundis; ergo ab ea intenduntur; Tum etiam, quia monstra spectant ad pulchritudinem, & perfectionem vniuersi, quæ in varietate, tum specifica, tum indiuiduali consistit; sed Deus intendit pulchritudinem, & perfectionem vniuersi: Vidit enim cuncta, quæ fecerat, & erant bona; ergo etiam intendit monstra, quæ spectant ad huiusmodi perfectionem, & pulchritudinem.

Secunda conclusio. Monstra comparata ad causas secundas particulares, sunt illarum effectus casuales, siuè formaliter, siuè materialiter considerentur. Est Suarij, & Masij cit. quibus adiunguntur P. Catharensis 2. Physic. q. vlt. art. 4. ac Mastrius citatus, contra Auctores relatos in cæteris opinionibus. Probatur primò, quia monstra sunt effectus per accidens, & rarò contingentes, ac peccata naturalia, siuè errores eorum, quæ agunt propter aliquid .i. propter finem, ex Aristotele 2. Physic. à t. 82. vsque ad 86. sed huiusmodi effectus in ordine ad suas causas sunt casuales; ergo monstra, siuè formaliter, siuè materialiter considerata sunt causarum particularium effectus casuales. Minor patet per diffinitionem agentis à casu, & eiusdem effectus à casu, traditã in præcedenti. Secundò probatur: Quæcumque adueniunt alicui agenti propter finem, & absque proposito, extra semper, & frequenter, ac præter eius intentionem, sunt illius effectus casuales, ex Aristotele 2. Physicorum à t. 52. vsque ad 61. inclusiuè; sed monstra comparata ad causas secundas particulares sunt huiusmodi; ergo vt sic sunt illarum effectus casuales. Minor probatur, quia causæ particulares, cum sint naturæ, quarum est tendere ad perfectionem, saltem in sua specie, intendunt efficere res perfectas, & pulchras, & declinare à qualibet imperfectione, & labefactatione suarũ specierum; sed monstra sunt entia imperfecta, & deformia in suis speciebus; sunt enim peccata, & errores illarum rerum, quæ agunt propter finem, vt dicit Philosophus in textu 82. ergo &c. Confirmatur, & simul impugnantur aliæ opiniones; Quia si monstra aliquo pacto intenderentur, aut hoc esset primaria, aut secundaria intentione; sed neutrum dici potest; ergo &c. Maior patet à sufficienti diuisione, qua vtuntur Aduersarij. Minor probatur: Non primum, quia iam non essent mõstra, sed effectus perfecti, in quos causæ agentes propter finem directè tenderent. Nec secundum, quia sic nulli darentur effectus fortuiti, aut casuales, cũ omnes possent dici secundariò intenti, vt potè per accidens coniuncti cum effectibus primariò intentis; sicque inuentio thesauri in fodiente terram, non esset effectus fortuitus, nec percussio lapidis de tecto casu descendentis, esset effectus casualis; siquidem possemus dicere esse effectus ab illis agentibus secunda-

riò intentos, ne in totum viderentur frustrari in operationibus per se intentis, vndè periret tota doctrina Aristotelis de causis per accidens, & suis effectibus.

Dices cum Runio, non valere consequentiam; siquidem inuentio thesauri, & percussio lapidis sunt effectus purè per accidens, cùm nullam habeant connexionem cum causa intendente, & ideò nec secundariò possunt dici intenti; cæterùm, monstra cum habeant aliqualem connexionem cum causa aut impedita, aut impediente, nequeunt dici effectus merè contingentes, & consequenter poterunt, saltem secundariò, intendi à generante, cùm in generatione non intendat in totum frustrari suo fine, qui est generare aliquid.

Contrà, quia non minorem connexionem habent inuentio thesauri cum fodiente terram, & percussio lapidis cũ remouente prohibens ipsius motum, ac cum homine percusso, quam monstrum cum generante; ergo si intuitu huius cônexionis monstrum potest secundariò intendi, vt non dicatur effectus casualis, & per accidens, idem poterit dici de inuentione thesauri, & de percussione lapidis, & sic perit doctrina de causis, & effectibus per accidens. Antecedens probatur, quia connexio monstri cum generante, seu cum intendente generationem, nequit esse aliud, quam coniunctio per accidens cum effectu per se intento à generante (non enim potest immediatè coniungi cum generante, alioquin absolutè esset ab eo intentum) sed hanc eãdem connexionem habent etiam inuentio thesauri cum fossione terræ, & percussio lapidis cum motu eiusdem, & cũ remotione prohibentis eius descensum, ac cum itinere hominis percussi, quæ sunt effectus per se intenti, alioquin nullo modo dicerentur effectus per accidens, cùm non essent coniuncta per accidens cum suis causis; ergo non minorem connexionem habent inuentio thesauri cum fodiente terram, & percussio lapidis cum remouente prohibens, ac cũ homine percusso, quam habeant monstra cum generante, & proindè si hæc, ratione huius connexionis, exeunt à limitibus effectuum purè per accidens, & illæ exire debent, sicque nulli erunt effectus per accidens, & nulla erit doctrina Aristotelis de causis per accidens, quod quam sit absurdum, viderint Runius, & qui illum sequuntur.

Obijcitur nihilominus contra hanc conclusionem multipliciter, & primò sic: Natura agit propter finem intentum; sed monstra aliquo pacto continentur sub eius fine; ergo sunt aliquo pacto intenta; non primariò, igitur secundariò. Maior est Aristotelis. Minor probatur, quia in generatione fetus, natura, quamuis impedita, aut ex parte materiæ, aut qualitatum disponentium ad generationem, non sistit, sed progreditur vsque ad terminum generationis, eo modo quo potest, generando etiam monstra; ergo signum est ipsa aliquo modo contineri sub fine generationis, & sic ab ea aliqualiter intendi.

Resp. Negando minorem; ad probationem nego consequentiam: Nam ex eo quod in generatione natura, aliqualiter impedita, non sistat, sed progrediatur etiam generando monstra, non sequitur quod illa aliquo modo intendat, quia nequit intendere dissimilitudinem in sua specie, sed solum habetur quod natura non sit agens liberum, sed naturale, in cuius potestate non est se continere in suis operationibus, nisi totaliter impediatur.

Contrà, quia monstra sunt eiusdem speciei cum alijs indiuiduis per se intentis; ergo si natura hæc per se intendit, ac primariò, illa debet saltem intendere per accidens, & secundariò.

Resp. Antecedens esse verum quo ad totius essentialis, supposito, quod sint animata in illa specie, falsum quo ad esse totius integralis, quia hoc, cùm sit in integritate, & perfectione omnium partium integralium, secundum vsum consuetum talis speciei, quibus carent monstra, debemus dicere esse alterius speciei ab indiuiduis perfectis, vndè non sequitur quod si hæc fuerint à natura intenta, & illa debeant esse intenta.

Obijcitur secundò: Natura non intendit suam frustrationem; sed si non intenderet

deret aliquo pacto monstra, frustraretur, quia nihil generaret; ergo &c.

Resp. Negando minorem, immò si non generaret monstrum, produceret indiuiduum perfectum: non enim desisteret à generatione, vt supponit argumentum, sed ageret in quantum posset, si rem perfectam, cum intentione; si verò imperfectam, absque intentione, & sic à casu, vel à fortuna.

Obijcitur tertiò: Quodlibet ens naturale, cum generatur, intenditur à natura, quæ agit propter finem; sed monstrū, cum producitur, est ens naturale, quia constat ex materia, & forma; ergo cum producitur, intenditur à natura, non primariò; ergo secundariò.

Resp. Maiorem esse verā de ente naturali, quod fit à causa per se, & frequenter, non autem de eo, quod fit per accidens, & rarò; modo monstrum est ens naturale secundo, non primo modo, sicque non intenditur, sed fit à casu, vel à fortuna.

Obijcitur quartò: Quod monstrū, saltem secundum substantiam, non fit effectus casualis, sed intenditur à natura. Monstrum secundum substantiam nō est malum, sed bonum; sed quod est bonum intenditur à natura; ergo monstrum secundum substantiam intenditur à natura. Maior probatur, quia ex D. Dionysio de Diuinis Nomin. c. 4. nemo intendens ad malum operatur; sed natura agit ad substantiam monstri, ipsum generando; ergo vt sic non est malum, sed bonum. Minor probatur, quia finis intenditur à natura; sed quod est bonum habet rationem finis, cum bonitas sit ratio constitutiua finis, saltem formaliter, vt dictū est superiùs de causa finali; ergo monstrum secundum substantiam, intenditur à natura.

Resp. primò negando maiorem; siquidem monstrum, etiam secundum substantiam fundamentaliter dicit disconuenientiam ad propriam speciem, & cōsequenter est malum materialiter. Ad probationem dico, minorem esse veram, de operatione absque intentione; siquidem si natura intenderet ad monstrum, & ipsum cognosceret malum, non equidem ageret ad eius generationem, cum eius inclinatio sit dumtaxat ad rem perfectam producendam, secundum exigentiam propriæ speciei.

Vel dicendum secundò: Monstrum esse bonum vt distinguitur à nihilo, non verò vt dicit comparationem ad esse perfectum, quia sic est malum; modo bonum primo modo nequit habere rationis finis, & consequenter nequit intendi à natura vllo pacto, nec primariò, nec secundariò.

Vel dicendum tertiò: Minorem esse verā, si fiat frequenter, & à causa per se; nō autem si fiat rarò, & à causa per accidens, quia sic, quamuis sit aliqualiter bonum, non potest habere rationem finis, & consequenter nequit esse intentum à natura agente propter finem: monstrum igitur est bonum, quod fit rarò, & consequenter non intentum, sed per accidens eueniens ipsi generanti.

Obijcitur quintò: Pulchritudo vniuersi est per se intenta, per D. Aug. 16. de Ciuit. Dei cap. 8. sed monstra sunt de pulchritudine vniuersi, vt superiùs & nos notauimus; ergo monstra sunt per se intenta, & per consequens non sunt effectus casuales, aut fortuiti.

Resp. Maiorem esse veram de causa vniuersali, quæ dicitur natura naturans, non tamen de causis particularibus, quæ appellantur naturæ naturatæ; quandoquidem, vt illa respicit per suam prouidentiam totum vniuersum, intendens eius pulchritudinem, sic istæ intendunt solum pulchritudinem propriarum specierum, ad quam nōn spectant monstra, quamuis ordinentur ad decorem vniuersi.

Obijcitur sextò: Si monstra non intēderentur à natura, sed essent effectus casuales, sequeretur, quod postquā essent producta, negligerentur ab ea; atqui hoc est falsum, cum ita nutriantur, ac conseruentur, sicut indiuidua perfecta; ergo signum est, illa fuisse a natura aliqualiter intenta. Sequela maioris probatur, quia nullus curam habet illarum rerum, quæ ad se non pertinent, quin potius, vt non sua illas negligit.

Resp. Negando minorem, de natura parti-

particulari, ad cuius probationem dico, nutritionem, & conseruationem monstrorum, effectiuè fieri à natura vniuersali, instrumentaliter tamen à particulari; vndè ab illa solùm dicuntur intendi, non autem à particulari.

Contrà, quia monstra fiunt per determinata media, per determinatum principium, & ad determinatum finem, sicut indiuidua perfecta; ergo sicut hæc intenduntur primariò, illa saltem secundariò habent intendi. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia fiunt ex semine, vt ex determinato principio; & illud transit per determinata media, quia primo liquescit, secundo per calorem densatur in sanguinem, & tertio consolidatur in carnem, neruos, & ossa; quæ omnia denique ordinantur ad finem operationum, quas exercent etiam indiuidua perfecta, vt experientia patet; ergo fiunt sicut illa propter finem, ac propterea intenduntur à natura.

Resp. Negando antecedens, loquendo de causa per se, & particulari; ad cuius probationem dico, fieri monstra à natura, seu causa vniuersali, & particulari, sed diuersimodè: nam à causa vniuersali fiunt per se, à particulari per accidens; ab vniuersali cum intentione, à particulari absque intentione; ab vniuersali effectiuè, à particulari instrumentaliter, & raro; hinc fit, quod in ordine ad causam vniuersalem primam, sint effectus per se intenti; in ordine verò ad particularem sint effectus per accidens, casuales, aut fortuiti, vt potè nullo modo intenti.

An sit Fatum, quid sit, & an sit ponendum in rerum natura?

QVÆSTIO III.

FAtum dari in rerum natura negarũt nonnulli ex Antiquis, asserentes esse potiùs quæstionem de nomine, quam de re, hac potissimum ratione, quia Fatum aufert libertatem, & contingentiam à rebus, imponendo causis omnibus necessitatem agendi. Ita Cicero lib. de Natura Deorum, Auicennas, & Chrisippus, quos refert Gellius lib. 6. cap. 7.

Alij considerantes Fatum esse indeclinabilem rerum ordinem, & necessariam omniũ consequentiam, admittebant quidem illud, in tãtum vt dicerent, fato omnia euenire de necessitate, ac proindè isti nedum tollebant ab hominibus libertatem, sed etiam cõtingentiam à quauis causa, siuè prima, siuè secunda, Deumq; faciebant agens necessarium ad extra. Ita Stoici, vt refert Cicero lib. 1. de Diuinitate, quos postea secuti sũt Priscilianistæ, & nonnulli alij Hæretici, quorum meminit noster Alphonsus de Castro lib. 7. & Verb. Fatum, & Verb. Libertas.

Alij denique concedebant, Fatum esse rerum omnium necessitatem, nedum ex connexione ineuitabili causarum secundarum adinuicem, & cum causa prima in operando, vt dicebant Auctores præcedentis erroris, verùm hanc infallibilẽ necessitatem refundebant in diuinam voluntatem, adeò vt blasphemando dicerent, illam esse omnium rerum necessitatem. Sic Lutherus in Assertationibus art. 36. & Caluinus lib. 3. Instit. cap. 28. §. 8.

Cæterùm his omnibus posthabitis, tãquam erroribus, ac blasphemijs intolerabilibus, dicendum est cum veritate catholica, dari vtique Fatum in rerum natura, quo tamen nec inferatur vis humanæ libertati, nec auferatur contingentia à causis secundis, & earum effectibus, nec grauetur diuina voluntas agendi necessitate, sed vel quod sit diuina Prouidentia in regendis omnibus, vel dispositio causarum secundarum in executione suarum operationum iuxta exigentiam vniuscuiusque naturæ.

Pro cuius maiori, ac clariori intelligẽtia primò notandũ est: Fatum sic describi à Boetio lib. 4. de Consol. Philosophiæ prosa 4. Fatum est immobilis dispositio inhærens rebus mobilibus, per quam diuina Prouidentia suis quæq; nectit ordinibus: Quę tamen potest sumi vel actiuè, vel passiuè; si priori modo sumatur ly dispositio, significat actum diuinæ voluntatis, quo omnia regit, & gubernat, & sic non distinguitur à diuina prouidentia, quæ est ratio ordinis rerum in mente diuina existens: Si verò spectetur poste-

rioti

riori modo, importat ordinationem passiuam, in causis secundis existentem, qua vnaquæque dirigitur in executione suarum operationum, vt in Sole ad illuminandum, & influendum super terram; in igne ad calefaciendum, & comburendum; in aqua ad humectandam terram, & conseruandos pisces, & sic de cæteris, & sic huiusmodi dispositio, siuè ordinatio, appellatur à Catholicis Fatum.

Secundò notandum est: Fatum dupliciter considerari posse, & pro formali, & pro connotato. Primo modo dicit ordinem causarum secundarum ad suas operationes: secundo modo importat præuisionem, & præordinationem Dei, secundum quam fiunt, & gubernantur omnia, quæ in creatis continentur. Ex his infertur, quod Fatum opposito modo se habet ad casum, & fortunam; siquidem Fatum intendit effectum infallibiliter secuturum à sua causa per se; casus autem, & fortuna tantum per accidens respiciunt suos effectus; deindè Fatum connotat præuisionem, & præordinationem effectuum, antequam ponantur actualiter in esse, non sic casus, & fortuna, quia ab his pendent effectus absque vlla aduertentia.

Tertiò notandum est: Quod quamuis Fatum dicatur immobilis dispositio, seu ordinatio causarum secundarum ad suos effectus, non propterea inferendum est, ipsum dicere necessitatem agendi in omnibus causis; quandoquidem huiusmodi dispositio, cum connotet præuisionem, & præordinationem, non tantum effectuum infallibiliter euenientium à suis causis, verùm etiam modi causandi vniuscuiusque causæ, nō est vna, & eadem in omnibus, sicut neque concursus diuinus, sed alia est ordinatio in causis liberis, vt nimirum liberè, & non naturaliter se gerant erga suas operationes, & alia in causis naturalibus, per quam determinatè exeant, & non cum indifferentia, sicut causæ liberæ, in suos effectus; quem ordinem miro modo expressit D. August. lib. 7. de Ciuit. Dei cap. 30. dum dixit: Deus res, quas condidit, ita administrat, vt proprios motus agere sinat; Ex quo inferendum est, immobilitatem positam in diffinitione Fati à Boetio, non dicere necessarium, sed tantum infallibilem ordinem causarum secundarum cum suis effectibus, qui tamen non tollit, sed stat cum libertate humana, vt optimè probant Theologi in materia de scientia Dei, & Doct. in 1. dist. 39. §. Viso ergo &c.

Ex his fit prima conclusio: Certum est dari in rerum natura Fatum descriptum à Boetio lib. 4. de Consol. Philosoph. prosa 4. Probatur, quia certum est dari ordinem causarum, secundum quem vnaquæque operatur iuxta exigentiam suæ naturæ; sed talis ordo, vt sic à Deo præuisus, & præordinatus, dicitur Fatum; ergo certum est dari Fatum in rerum natura. Maior patet per experientiam; siquidem videmus Solem illuminare diem; Lunam noctu splendere; ignem comburere, & calefacere; aquam humectare, seu irrigare terram, & conseruare pisces; aerem volatilia, & anhelitum animantibus præbere; animalia marem, & fœminam generare; & cæteras causas in quieto cursu suos complere motus; ergo certū est dari in rerum natura talem ordinem, secundum quem vnaquæque causa operatur iuxta exigentiam suæ naturæ. Minor similiter est nota ex dictis in notabilibus.

Secunda conclusio. Fatum huiusmodi non imponit rebus necessitatem, auferendo libertatem, & contingentiam ab illis, vt dixerunt Antiqui Philosophi, ac etiam moderni Hæretici. Probatur, quia ordo, quem importat Fatum, eo modo est in rebus, quomodo est à Deo præuisus, ac præordinatus; sed à Deo est præuisus, ac præordinatus contingenter; ergo non imponit rebus necessitatem. Maior patet, quia huiusmodi ordo, cum subdatur diuinæ Prouidentiæ, connotat præuisionem, & præordinationem Dei; ergo eodem modo debet esse in rebus, quomodo est à Deo præuisus, & præordinatus. Minor probatur, quia eo modo res à Deo præuidentur, ac præordinantur, quo modo ab eo administrantur; non enim nouit aliter

Deus facta, quam fienda, vt dicit Diuus Augustinus, sed res administrantur contingenter, & vnaquæque secundum exigentiam suæ naturæ, Tum quia dicit idem D. Aug. lib. 7. de Ciuit. Dei cap. 30. Ita res administrat, vt proprios motus agere sinat; Tum etiam, quia videmus rerum operationes, ac motus esse contingentes, cum possint fieri, & non fieri ab ipso Deo, nec consequenter à causis secundis, quæ nequeunt operari, non operante prima; ergo huiusmodi res à Deo præuidentur, ac præordinantur contingenter, & non necessariò, ac proindè talis ordo, importatus per Fatū, non imponit rebus necessitatem.

Obijcitur primò contra primam conclusionem: Quia Fatum à Deo præuisum est immutabile, vt patet ex eius diffinitione; sed ordo causarum mobilium non est immutabilis, alioquin tolleret contingentiam ab eis; ergo Fatum non est ordo immobilis causarum mobilium &c.

Resp. Maiorem esse veram de Fato actiuè considerato, prout nimirum dicit diuinam Prouidentiam, in mente Diuina enitentem, non tamen passiuè, quatenus terminatur ad causas secundas, & ad earum effectus, quia sic, cum ipsæ sint mutabiles, etiam Fatum vt sic erit mutabile.

Vel dicendum secundò: Minorem esse veram de ordine causarum pro formali, non tamen pro connotato, quia sic est immutabilis, non prout immutabile dicit necessitatem operandi, quæ tollit contingentiam, sed prout præsefert tantum infallibilitatem, quæ stat cum contingentia, & libertate.

Obijcitur secundò: Diuus Augustinus tract. 37. in Ioannem, & D. Gregorius Papa Homil. 10. in Euangelia, negant dari Fatum; ergo non debemus illud asserere contra sententiam tantorum Doctorum.

Resp. Sanctos illos Doctores negare, abominarique Fatum assertum ab Antiquis Ethnicis, qui putabant illud esse Numen necessariò agens, imponensque necessitatem rebus omnibus; Et aliud assertum pariter ab Hæreticis Priscilianistis, sub quo miserè nascebantur homines, eiusque legibus vi Astrorum adstricti, cogebantur moliri, quæ alias erant molituri, vel volituri; quæ pariter, & nos execramus; non autem Fatum secundum sensum Catholicorum expositum, quia tale alacriter receperunt, vt apparet in citatis locis, vbi præsertim D. Gregorius inquit: *Sed à fidelium cordibus absit, vt aliquid esse Fatum dicant* (supple vt ponebant Priscilianistæ) *Vitam quippè hominum solus hic conditor, qui creauit, administrat*: en abominatio Fati ab Hæreticis asserti in verbis præcedentibus, & approbatio eiusdem Fati, secundum Catholicorum sensum in sequentibus.

Obijcitur tertiò contra secundam conclusionem, quia Seneca lib. 2. Natural. quæst. cap. 35. & 36. & lib. 4. de Beneficijs cap. 7. inquit: Fata ius suum peragunt, nec vlla commouentur prece, nec misericordia flectuntur, nec gratia, sed cursum seruant irreuocabilem. Et Poeta de Paride loquens subiungit: Te tua fata trahunt, ne vmquam relinquere possis; Non retrahas animum, te tua fata trahunt; ergo fatum imponit necessitatem, tollitque contingentiam, ac libertatem.

Resp. Vtrumque loquutum fuisse de Fatis secundum sensum Ethnicorum, quæ nos abominamur, non autem de Fatis Catholicorum, quæ non imponunt necessitatem, sed tantum infallibilitatem euentuum, quæ tamen consistit cum libertate, & contingentia. Imaginabantur enim Antiqui, vt refert D. Augustinus de lib 5. de Ciuitate Dei, & meminit Seneca in præcitatis locis, Fata in suis operationibus dependere à diuina voluntate, quæ sicut est continuò immutabilis, ita immutabilem influxum infundebat in illis, vt nullo modo aliter operari valerent, quam erat illis à diuina voluntate immutabiliter impensum; vndè inferebant, nullis nostris precibus vel ad misericordiam, aut compassionem, vel ad iustitiam, aut seueritatem moueri, flectique posse:

Cæte-

Cæterùm, quia nos non facimus Deum agens necessarium, sed liberum, & dicimus ad extra agere liberè, ac contingentèr, consequentèr etiam asserimus, Fata operari liberè, & contingentèr: Nam causæ, quæ motæ mouent, eo modo mouent, quomodo mouentur; cùm igitur Fata moueantur liberè, vt possint non moueri, etiam ipsa liberè operantur, vt in suis operationibus contingentiam seruent. Et hæc de Quæstione, & Disputatione hac, necnon de secundo Physicorum libro dicta sufficiat. *Explicit lib. 2. Physicorum.*

De Physico auditu Aristotelis.

LIBER TERTIVS.

DEmonstrata in duobus præcedentibus libris, per principia, tùm intrinseca, tùm extrinseca, natura, & essentia corporis naturalis, aggreditur Aristoteles eamdem ostendere, veluti à posteriori, per eiusdem passiones, ac proprietates: At quoniam istæ recensentur in duplici discrimine: Sunt namque aliæ intrinsecæ, vt sunt motus, & infinitum, aliæ verò extrinsecæ, scilicet locus, vacuum, & tempus, in hoc 3. lib. proponit se velle pertractare de intrinsecis, acturus postea de extrinsecis in sequenti libro 4. Cæterùm quia motus, est præcipua passio corporis naturalis, vt potè immediatè pullulans à materia, & forma, quæ sunt eius natura, infinitum autem eidem conuenit tantum ratione continuitatis, idcircò de Motu prius, quā de Infinito agere intendit. Diuiditur autem iste liber tertius in tres Summas, in quarum prima proponit causam, cur debeat agere de Motu, & de Infinito: In secunda agit de Motu secundum aliorum, & propriam sententiam: In tertia eodem modo tractat etiam de Infinito.

De modo procedendi in hoc tertio Physicorum libro, ac de causis ad id mouentibus Aristotelis animum.

SVMMÆ I. Cap. Vnicum.

IN hoc primo capite, quod est quasi procemium ad totum librū, ostendit causas, quibus fuit motus eius animus ad tractandum de motu, & de infinito, & ponit tres cōclusiones, quarū prima est. (T.1.) Ad Physicū pertinet determinare de motu; Et probat, quia ad Physicum pertinet determinare de natura: sed natura nequit cognosci sine motu; ergo ad Physicum pertinet determinare de motu. Maior fuit probata in præcedenti libro. Minor probatur, quia ignorato motu, necesse est ignorare naturam; siquidem diffinitum non cognoscitur sine diffinitione, cum diffinitio explicet esse rei; sed natura diffinitur per motū; ergo de primo ad vltimum natura nequit cognosci sine motu. Quod autē natura diffiniatur per motū patet 2. Physic. t. 3. vbi dicit: Natura est principium motus, & quietis eius, in quo est per se, & non secundum accidens; ergo natura diffinitur per motum.

In eodem textu collocat etiam secundam conclusionem dicens: Ad Physicū pertinet differere de infinito; Et probat, quia motus est de numero continuorum; sed continuum sæpè diffinitur per infinitum, ergo ad Physicum spectat differere de infinito. Maior patet, quia id, quod est diuisibile in partes, est continuum: sed motus est huiusmodi, siquidem motus vnius horæ diuiditur in duas medietates, & vnaquæque in alias &c. ergo motus est de numero continuorum. Minor probatur, quia continuum diffinitur dupliciter, vno modo, vt constat ex partibus, nempè, Continuum est illud, cuius partes copulantur ad terminum communem: alio modo, vt constat ex partibus eiusdem proportionis, nimirum, Continuum est illud, quod est diuisibile in infinitum;

ergo continuum sæpè diffinitur per infinitum.

In tex.2. ponit tertiam conclusionem: Ad Physicum spectat cognoscere de loco, vacuo, & tempore, probat, quia ad Physicum attinet determinare de motu; sed motus nequit haberi sine loco, vacuo, & tempore; ergo ad Physicum spectat cognoscere de loco, vacuo, & tempore. Minor probatur, quia motus debet fieri in tempore, cum sit eius mensura: debet esse in loco, quia omnia, quę mouentur, sunt necessario in loco; & debet esse in vacuo secundum opinionē Antiquorum; ergo sine loco, vacuo, & tempore non potest haberi motus. Secundò probat eamdem conclusionem, quia ad Physicum pertinet determinare de his, quæ sunt omnibus communia, saltem naturalibus; sed locus, vacuum, & tempus sunt huiusmodi; siquidem omnia naturalia entia sunt in loco, & tempore, ac etiam in vacuo secundum Antiquos; ergo ad Physicum spectat determinare de loco, vacuo, & tempore.

De notificatione motus.

SVMMA II.

HÆc Summa distribuitur in sex capitula, in quorum primo præmittit tres diuisiones necessarias ad venandam diffinitionem motus: In secundo tradit diffinitionem motus ex rebus proprijs: In tertio ipsum diffinit ex communibus: In quarto declarat quomodo vna, & eadem res possit esse in actu, & in potentia: In quinto impugnat diffinitionem motus ab Antiquis traditam, & soluit quamdam difficultatem militantem contra propriam: Et in sexto differit, an motus sit potius in mouente, quam in mobili.

Quo ad primum in t.3. ponit tres diuisiones entium. Prima diuisio: Entium, quædam sunt in actu, vt aqua actualiter calida; quædam in potentia, vt aqua quæ potest calefieri. Secunda diuisio: Entiū, quædā sunt substantiæ, vt homo, equus; quædam quantitates, vt linea, superficies, corpus; quædam, qualitates, vt albedo, nigredo; quædam ad aliquid, vt duplum, dimidium. Tertia diuisio. Entiū, quæ sunt ad aliquid, quædam referuntur secundum excessum, vel defectum, vt duplum ad dimidium, & è conuersò, dimidium ad duplum; quædam secundum agere, & pati, vt calefaciens ad calefactum, & è contrà, calefactum ad calefaciens; quædam denique secundum mouere, & moueri, vt mouens ad mobile, & è conuersò, mobile ad mouens.

Ex his deducit duas conclusiones, & vnum corollarium. Prima conclusio in t.4. Motus nihil est præter substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi; & probat: Motus non est distinctus à rebus, ad quas est motus; sed motus non est nisi ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi, vt probabitur in lib. 5. Physicorum, ergo motus nihil est præter substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi.

Secunda conclusio in t.5. In vnoquoq. Prædicamento sunt duo opposita, probat inductiuè, nam in substantia sunt forma, & priuatio; In quantitatē, magnum, & paruum, perfectum, & imperfectum; In qualitate album, & nigrum; Et in vbi, sursum, & deorsum.

Ex hoc infert corollarium, tot esse nimirum species motus, quot sunt entitates per motum acquisibiles, & deperdibiles; sed entitates per motum acquisibiles, aut deperdibiles sunt quatuor, nempè substantia, quæ acquiritur per generationem, & deperditur per corruptionem; quantitas, quæ acquiritur per augmentationem, & deperditur per diminutionem; qualitas, quæ acquiritur, & deperditur per alterationem; & vbi, quod acquiritur, & deperditur per locimutationem; ergo species motus sunt numero sex. s. generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & secundum locum mutatio.

Quo ad secūdum in t.6. tradit ex proprijs diffinitionem motus dicens, Motus est actus entis in potentia, prout in potentia; vt alteratio, per quam aqua transit de frigiditate in caliditatem est motus, quia est actus ipsius aquæ, quatenus prius erat in potentia ad recipiendam cali-

caliditatem, & probat hanc diffinitionẽ inductiuè in omni motu; nam generatio est actus generabilis in quantum generabile: Corruptio est actus corruptibilis in quantum corruptibile: Augmentatio est actus augmentabilis prout augmentabile: Alteratio est actus alterabilis in quantum alterabile est, & sic de alijs.

Deindè probat hanc diffinitionem per singulas particulas, & primò in t. 7. ostẽdit, motum esse actum, quia id est actus, per quod res est in actu; sed per motum res est in actu; siquidem ædificabile per ædificationem actu ædificatur, sanabile per sanationem sanatur actu, & sic de cæteris; ergo motus est actus.

Secundò in t. 8 declarat, motum esse actum entis in potentia prout in potentia, quia omnis actus est eius in quo reperitur; sed motus reperitur in ente in potentia; ergo &c. Maior liquet, albedo enim est actus parietis, quia in ipso reperitur. Minorem probat supponendo entia hæc inferiora, eadem esse in actu, & in potentia, non simul, & secundum idem, vt aqua frigida est actu frigida, & potentia calida; siquidem omne mouens physicum mouet, & mouetur, mouet vt est in actu; mouetur, vt est in potentia; sed aqua est mouens physicum, & est in potentia calida; ergo mouetur ad caliditatem, ac proindè motus inest rei in potentia prout est in potentia.

Tertiò in t. 9. probat hanc particulam, in quantum in potentia, quia, vt dictum est, quod mouetur est in actu, & in potentia, vt æs est in actu æs, & in potentia statua; quæro, aut æs mouetur ad statuam secundum quod est in actu, vel secundum quod est in potentia; non secũdum quod est in actu, quia tunc statua moueretur ad statuam, quod est falsum, quia habitibus præsentibus, cessat motus; ergo æs mouetur ad statuam secundum quod est in potentia. Probat hanc consequentiam, quia æs mouetur prout est actu æs; sed in statua est actu æs, ergo quando esset statua, moueretur ad statuam; atqui hoc est impossibile: igitur dicendum est moueri ad ipsam prout est in potentia.

Ex hoc infertur in t. 10. actum, & potentiam eiusdem subiecti non esse idem, quia si ponatur casus, quod aliquod ens in actu sit in potentia sanum, & ægrum, si potentia ad sanum, & potentia ad ægrum sunt idem; ergo sanum in actu, & ægrum in actu sunt idẽ; sed hoc est omninò falsum, quia contraria immediata essent simul in eodem; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia si potentiæ sunt eædem, & actus sunt idẽ; ergo non sunt idem potentiæ contrariæ, nec actus, & potentia ad contrarium, ac proindè benè ponitur illa particula, prout in potentia.

Quartò. In t. 11. probat totam diffinitionem motus, quia ædificatio est actus ædificabilis in quantum ædificabile est, & non prius, neque posterius; sed ædificatio est motus; ergo motus est actus mobilis, vt in potentia est. Maiorem probat, quia omne, quod est in potentia, aliquando est in actu; sed ædificabile est in potentia; ergo aliquando debet ædificari in actu; sed domus non est actus ædificabilis, vt ædificabile est, alioquin esset in potentia ad seipsam, quod est falsum; ergo domificatio, quæ est motus.

Quintò. A tex. 12. vsque ad 14. probat conuenientiam suæ diffinitionis ex impugnatione facta contra diffinitiones, quas Antiqui tradiderunt de motu, sed eam consultò omittimus, & accedimus ad t. 15. in quo declarat, quinam sit actus positus in sua diffinitione motus.

Vndè in t. 15. dicit, actum, positum in diffinitione motus, non esse perfectum, quia secundum se totum nequit haberi simul, vt albedo, nigredo; sed imperfectum, quia secundum omnes suas partes successiuè acquiritur, vt calefactio, quæ paulatim acquiritur, & ordinatur ad vlteriorem actum, scilicet ad caliditatem causandam.

Rursus in t. 16. diffinit motum, diffinitione tamen, quæ sequitur ex prima, dum inquit: Motus est actus mobilis, quatenus mobile est, vt calefactio est motus, quia est actus aquæ calefactibilis, prout calefactibilis est.

Declarat, & simul probat hanc diffinitionem in t. 17. quia mouens per accidens mouetur vt mouens, per se autem,

vt mobile est; sed motus non inest per se rei, vt mouens est, quia sic est in actu, & prout est in actu nō mouetur; ergo inest sibi vt mobile, & vt in potentia est ad motum, ac consequenter motus non est actus mouentis, vt mouens est, sed mobilis, vt mobile est.

Quo ad sextum capituli, mouet Philosophus tria dubia, quorum primum ponitur in tex. 18. An motus sit in mouente, vel in mobili? Resp. esse subiectiuè in mobili, quia actus est subiectiuè in illo, cuius est actus; sed motus non est actus mouentis, sed mobilis, vt patet ex diffinitione secunda motus; ergo &c.

Secundum dubium. An idem actus sit mouentis, & mobilis? Resp esse eumdem actum, qui est motus, in mouente, & in mobili, sed diuersimodè; est quidem actus mouentis actiuè, vt nimirum procedit ab eo; est verò actus mobilis passiuè, quatenus subiectatur in ipso.

Tertium dubium mouetur in tex. 19. An actio, & passio sint idem motus? Antequam soluat dubium, arguit ad vtramque partem, & primò, quod sint idem motus, quia si essent diuersi motus, aut ambo essent in agente, aut ambo in patiente, aut actio in agente, & passio in patiente, aut è contrà actio in patiente, & passio in agente; sed nullum dici potest; ergo actio, & passio non sunt diuersi motus. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur: Non possunt dici duo prima, quia sequeretur omne agens esse patiens, & è conuersò, & quod omne patiens moueretur motibus contrarijs simul ad duas formas oppositas. Nec tertium, quia actio est quidam motus; sed motus est in mobili, & non in mouente; ergo & actio erit in patiente, & non in agente. Nec quartum, quia actio, & passio sunt idem motus; sed agens media actione agit; ergo & patiens media passione patitur, & sic omne motum moueret, & moueretur simul. Nec demum quintum dici potest, quia tunc agens ageret passione, & patiens pateretur actione, quod implicat, sicut implicat calidum calefacere frigiditate, & frigidum caliditate frigefacere.

Secundò arguit, quod actio, & passio non sint idem motus; Tum quia agens, & passum sunt diuersa specie, vt ignis, & aqua; sed idem actus nequit esse diuersorum specie; ergo actio, & passio non sunt idem actu; Tum etiam, quia tunc doctrina, & disciplina essent idem; siquidem doctrina dicit actionem, & disciplina passionē; sed consequens est falsum, quia doctrina est in magistro, & disciplina in discipulo; ergo &c. Tum tamdem, quia idem esset docere, & discere; agere, & pati, & omnē agentem necesse esset pati, & patientem agere; & docentem discere, & discentem docere; quandoquidem actio est in agente, & passio in patiente; ergo si actio, & passio sunt idē motus, passio esset in agente, & denominaret illum, & actio esset in patiente, & illum pariter denominaret, quæ omnia essent absurda; ergo dicendum est, actionem, & passionem non esse eumdem motum.

His tamen non obstantibus in t. 20. & 21. respondet ad dubium affirmatiuè, quod actio, & passio, sunt idē motus: Et in responsione ad argumentum in contrarium, aduertit quod eumdem motum esse in agente, & patiente potest dupliciter intelligi, vno modo quod sit in vtroque subiectiuè, & sic idem motus nequit esse in vtrisque; alio modo in vno subiectiuè, & principiatiuè in alio, & sic idem motus potest esse in ambobus .s. principiatiuè, seu elicitiuè in agente, & subiectiuè in patiente: Vndè in t. 21.

Ad primum dicit, minorem esse veram subiectiuè, nō tamen vnius, vt principij, & alterius vt subiecti, quia sic idem actus potest esse vtriusque, quamuis sint diuersa specie.

Ad secundum, & tertium simul, negat consequentiam, tantúmodò enim sequeretur, motum, cui insunt actio, & passio, doctrina, & disciplina, esse eumdem in magistro, & discipulo, in mouente, seu agente, & passo; verùm diuersimodè, esset enim magistri, & agentis, vt principij, discipuli verò, & patientis, vt subiecti

biecti, & sic nulla esset implicantia, quia esset respectu diuersarum consideratio num.

Quamuis autem concedat motum eũdem in vtrisque .s. agente, & passo, nihilominus in t. 22. dicit, actionem, & passionem, quæ insunt eidem motui, non esse eamdem, quandoquidem actio est motus, vt ab hoc .i. connotat motum, vt procedit ab agente; & passio est motus in hoc, hoc est, connotat motum, prout recipitur in passo.

Tamdem in t. 23. recapitulat quæ superiùs dixit de motu, & addit, quod potentia posita in diffinitione motus compræhendit actiuam, & passiuam, adeò vt motus sit in potẽtia actiua, vt in principio, & in passiua, vt in subiecto. Et hæc sufficiant de textu huius cap. 6. & Summæ secundæ.

De natura motus physici.

DISP. I.

Vtrum diffinitio motus tradita ab Aristotele in textu 6. sit bona, & an conueniat omni motui, tam instantaneo, quàm successiuo?

QVÆSTIO I.

CIrca primam partẽ quæstionis nulla est controuersia; quandoquidem omnes recipiunt prædictam diffinitionem, tamquam bonam, & conuenienter expressiuam quiditatis motus: cæterùm circa secundam non conueniunt Doctores; siquidem aliqui censent per illam diffiniri tantum motum continuũ, & successiuum, non verò instantaneum. Ita Scotus lib. 3. Physic. q. 1. Conimbric. lib. 1. Phys. cap. 1. q. 1. art. 2. Pererius lib. 13. Philosophię naturalis cap. 5. & ex nostris Sulmonensis 3. Phys. tract. de Motu q. 1. ac Catharensis Magister meus q. 1. art. 1 Alij verò rem subtilius indagantes, docent, per hanc diffinitionem voluisse Philosophum explicare naturã motus in communi, quatenus amplectitur omnes species motus, & consequenter per eam æquè benè diffiniri motus instantaneos, ac successiuos, indiuisibiles, ac diuisibiles. Sic D. Thomas 3. Phys. lect. 7. Scotus in 2. d. 12. q. 1. K. vbi dicit, quòd Philosophus à 3. libro Physicorum vsque ad 5. locutus fuit de motu, vt compræhendit sub se etiam mutationes instantaneas, igitur cum diffinierit motum in 3. Physicorum, cõcludendum est secundum Doct. subt. ibi diffiniuisse motum in communi, & non solum continuum, & successiuũ. Hanc ex nostris defendunt Mastrius in Physica disp. 15. q. 5. Poncius disp. 13. q. 1. concl. 2. & Villuerdius de Motu cap. 1. q. 2. ex alienis verò Ruuius 3. Physic. tract. 1. de Motu q. 2. & 3 vbi citat Simplicium, & Themistium com. 2. & alij relati à Mastrio, & Poncio citatis, quam & nos probabiliorem, & Aristoteli magis consentaneam putamus, ideòq. eidem subscribendum duximus.

Pro cuius declaratione, ac solutione totius quæstionis primò notandum est, vt colligitur ex Aristotele in t. 6. & 5. Phys. t. 7. & 8. Motum dupliciter accipi posse, & materialiter, & formaliter; motus materialiter est entitas acquisibilis per motum prout est in fieri, & talis vocatur etiam forma fluens, vt caliditas acquisibilis per calefactionẽ; & motus hoc modo sumptus non distinguitur à termino motus, vt videbimus in sequenti quæstione, & etiam in vltima huius disputationis. Motus autem formaliter est fluxus formæ acquisibilis, seu via ad terminum motus, vt calefactio in alteratione, & hic distinguitur à termino ad quẽ, vt probabimus inferiùs. Hic est sermo de motu hoc modo accepto, qui diuiditur tamquam genus per duas differentias constitutiuas duarum specierum .i. per instãtaneum, & successiuum; seu per diuisibile, & indiuisibile; siquidem instantaneum, & indiuisibile, constituit vnam speciem motus, mensurabilẽ per instans temporis, cuiusmodi sunt motus generationis, & corruptionis, qui fiunt in instanti; Diuisibile verò, & successiuum constituit aliam speciem motus, mensurabilem tempore, sub qua comprehenduntur augmentatio, diminutio, alte-

alteratio, & secundum locum mutatio: Ex quo infertur, quod cum Aristoteles, diffiniendo motum, exemplificauerit tàm de motu successiuo, & diuisibili, quàm de instantaneo, & indiuisibili, eum non diffiniuisse alterutrum tantum, vt dicit prima opinio, sed communem ad vtrumque, vt à vera ratione motus neutrum excluderet, vt tenent Auctores secundæ opinionis, quibus adiungi possunt ex Scotistis Ioannes de Colonia in suo Quæstionario, V. Motus q. 1. & Antonius Roccus lib. 3. Physic. q. 3. & 4.

Secundò notandum est: Motum sic formaliter, & in communi sumptum, duplici diffinitione ab Aristotele fuisse notificatum, altera posita in t. 6. dum dixit: Motus est eius, quod potentia existit actus, quatenus huiusmodi; seu, vt communiter vertitur: Motus est actus entis in potentia, prout in potentia: Altera relata in t. 16. his verbis: Motus est actus mobilis, quatenus mobile existit: Quæ, cum secundum substantiam idem sonent, non sunt ambæ explicandæ, verùm dumtaxat prima, vtpotè, quæ sit magis in vsu apud Doctores. In hac igitur diffinitione ponitur Actus loco generis, non quidem perfectus, qui simul haberi possit, & non sit ordinabilis ad vlteriorem formam, vel actum, vt est anima respectu generationis animalium; sed imperfectus, qui vel simul totus haberi non potest, cum sit successiuus, & acquisibilis diuisibiliter, vel est ordinabilis ad vlteriorem actum, licèt totus simul acquiratur in instanti, vt est calefactio aquæ, vel generatio hominis. Additur ly Entis in potentia, non obiectiua, sed subiectiua, siuè pura, vt est materia prima, siuè non pura, cuiusmodi est materia secunda, seu compositum, ad differentiam entium in actu, quæ, vt talia, non mouentur, sed solum, vt sunt in potentia ad motum, & eius terminum; siquidē nihil dicitur moueri ad id, quod actu habet, sed solum ad id quod non habet, & potest illud habere. Subiungitur etiā, ly Prout in potentia, non vt sonet rationem formalem inhærentiæ motus cum mobili, alioquin sequeretur, quod omne ens in potentia esset subiectum motus, quod tamen est falsum, quia etiam fundamentum est in potentia ad relationē, & tamen ad relationem non est motus, vt probat Aristoteles hic, & 5. Physicorum, verùm dumtaxat, vt dicat compossibilitatem motus cum mobili, vt sit sensus, si ens in potentia non esset tale, sed solùm sub actu, non esset subiectum motus, nec moueretur ad terminum eiusdem motus. Est igitur sensus diffinitionis, motus est actus imperfectus entis in potentia subiectiua, siuè pura, siuè non pura, prout in potentia est, & non vt est in actu, ad motum, & ad eius terminū. Ex his infertur bonitas, & conuenientia huius diffinitionis; siquidem explicat naturam, & quiditatem motus vt sic, per aliquod potentiale, quod gerit vicem generis, quamuis genus non sit, sed transcendens .s. per actum imperfectum; & per aliqua, quæ similiter gerunt vices differentiarum contrahentium illum ad motum, & eumdem distinguentium à quocumque actu, qui non sit motus, quæ sufficiunt ad hoc, vt diffinitio formalis, vel per æquiualentiam data sit bona, vt docet Aristoteles 7. Metaphysicorum t. c. 43. & 44.

Tertiò notandum est ex Aristotele 5. Met. t. c. 17. & 9. Met. t. c. 2. & 10. potentiam esse duplicem .s. actiuam, & passiuam. Potentia actiua est principium, supple actiuum, transmutandi aliud in quantum aliud: Potentia verò passiua est principium, supple passiuum, transmutandi ab alio, vt ab alio, vt in igne calefaciente aquam est potentia actiua, quia ipsam transmutat de frigida in calidam; in aqua verò est potentia passiua, vt ab igne transmutetur de frigiditate ad caliditatem: Hic est sermo de vtraque potentia, cum dicitur, motus est actus entis in potentia; siquidem est in potentia agentis, vt inquit Philosophus tex. 22. vt principij; in potentia verò passi, vt subiecti.

Ex his sit prima conclusio. Diffinitio motus data ab Aristotele in t. 6. .s. motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia, est bona, & conuenienter assignata. Probatur primò auctoritate, & ratio-

rationibus eiusdem positis à t.6. vsque ad t. 12. Deindè ratione generali desumpta ex eodem in 7. Met. 43. Diffinitio, quæ explicat naturam, & essentiam diffiniti per genus, & differentiam, formaliter, vel æquiualenter, est bona, & conueniēter assignata; sed diffinitio motus est huiusmodi, vt probatum est in 2. not. ergo est bona, & conuenienter assignata. Maior declaratur; siquidem diffinitio formalis datur per genus, & differentiā formaliter, & hæc reperitur tantum in entibus limitatis, quæ collocantur in aliquo decem Prædicamentorū; at diffinitio per æquiualentiam data, constat ex aliquo potentiali, quod tenet locum generis, & ex aliquo actuali, quod gerit vicem differentiæ, & talis dicitur conceptus quiditatiuus, per quem expenditur natura, & quiditas transcendentium, alioquin de illis non esset scientia, cum carerent diffinitione, quæ est medium generandi scientiam, quod nemo sanæ mentis dixerit, cum de ente reali, vt sic detur scientia Metaphysica, quæ est nobilissima, ac perfectissima omniū scientiarum; ergo diffinitio, quæ formaliter, vel æquiualenter expendit naturam rei diffinitæ per genus, & differentiam aut formaliter, aut æquiualenter, est bona, & conuenienter assignata.

Secunda conclusio. Diffinitio huiusmodi motus conuenit vniuocè cuilibet motui physico, siuè successiuo, siuè instantaneo. Colligitur ex Scoto in 2. d. 12. q. 1. & defenditur ab Auctoribus citatis pro secunda sententia. Probatur, quia diffinitio huiusmodi competit cuilibet motui, qui fit actus imperfectus entis in potentia, prout in potentia ad actū perfectum, patet per explicationem factam eiusdem diffinitionis in 2. not. atqui motus quicumque tàm successiuus, quā instantaneus est actus imperfectus entis in potentia, prout in potentia, ordinati ad actum perfectum recipiendum; ergo omnes isti motus participant huiusmodi diffinitionem. Minor probatur, quia actus imperfectus dicitur talis in comparatione ad actum perfectum, vel quia non potest haberi totus simul, & est ordinabilis ad vlteriorem actum; vel si acquiratur totus simul, tamen nō est actus vltimus, sed est ordinabilis ad vltimum, vt dictum est 2. not. sed motus instantaneus, cuiusmodi est generatio, participat de illo actu imperfecto, qui licèt acquiratur totus simul, tamen est ordinabilis ad actum perfectissimum, vt potè ad animam; & successiuus participat de eodem actu imperfecto vtroque modo imperfectionis; ergo quicumque motus siuè instantaneus, siuè successiuus, est actus imperfectus entis in potentia, prout in potentia, ordinabilis ad actum perfectum.

Dices: Maiorem intelligendam esse de actu imperfecto dumtaxat, qui non possit haberi totus simul, quia talis propriè, & adæquatè dicitur imperfectus, non tamen de illo, qui potest haberi totus simul, cuiusmodi est ille, qui reperitur in motu instantaneo, cum talis inadæquatè tantum dicatur imperfectus.

Contrà, tum quia huiusmodi expositio est contra textum Aristotelis, vbi, post diffinitionem motus, exemplificat, applicando eiusdem partes omnes, & singulas ad quemcumque motum siuè successiuum, siuè instantaneum, vt intuenti patere potest in t. 6. ergo, cum in t. 15. dixerit, motum esse actum imperfectum entis in potentia, nec declarauerit de qua imperfectione intelligi debeat, restat vt dicamus locutum fuisse de actu imperfecto, vt comprehendit vtramque imperfectionem: Tum etiam, quia dicta expositio est gratis facta, ac voluntaria, cum non probetur, nec probari possit sine petitione principij: non enim illa particula, In potētia, prout in potentia, ordinat mobile ad acquisitionem motus secundum partem, & partem, vt perperam intelligunt Aduersarij, sed tātum ad acquisitionem termini motus siuè id fiat successiuè, siuè in instanti, vel ad non esse præcedens, quod per actuationem motus deperdit quodammodo mobile, vt notauit Mastrius ex Doct. subt. 2 d. 1. q. 5. sub T. disp. 15. q. 4. sub n. 31 siquidem huiusmodi respectus ordinis reperitur etiam in motibus instantaneis; ergo non benè limitant actum

imper-

imperfectum motus, tantum ad motus successiuos.

Secundò probatur cõclusio ex Ruuio cit. sub n. 19. quia eumdem motum hic diffiniuit Aristoteles, quem posuit in diffinitione naturæ 2. Physic. t. 3. sed ille motus comprehendit non tantum motus successiuos, sed etiam instantaneos; ergo &c. Maior patet ex primo textu, vbi ostendit ad Physicum pertinere pertractare de motu, quia ad ipsum spectat determinare de natura, quę est eius principium. Minor similiter, quia motus, cuius natura est principiũ, deriuatur à materia, & forma, de quibus dicitur natura; sed materia est principium passiuum generationis, & corruptionis, quæ sunt motus instantanei, ex eodem Philosopho 1. Physic. t. 81. & forma est principium passiuum aliorum motuum successiuorum, vt patet ex his, quæ disputauimus suprà in 2. Physicorum disp. 1. q. 2. ergo motus, qui est corelatiuum naturæ, & hic diffinitur, comprehendit nedum motus successiuos, verùm etiam instantaneos.

Tertiò probatur. Datur motus communis ad motum successiuum, & instãtaneum; ergo debet habere diffinitioné communem, quæ comprehendat vtrũque; sed nulla alia assignari potest, quæ ab Aristotele sit tradita, de motu sic cõmuniter sumpto, præter hanc relatam ab ipso in præcitato tex. 6. ergo hæc cõprehendit vtrumque motum, tàm successiuum, quàm instantaneum. Maior probatur, quia instantaneum, & successiuum sunt duæ differentiæ constitutiuæ duarum specierum motuum, essentialiter distinctorum; ergo debet dari etiam motus communis per eas diuisibilis, & in quo motus per eas constituti essentialiter conueniant; hæc enim est conditio rerum differentium, vt eo modo, quo differunt, in aliquo etiam tali modo cõueniant, ex Aristotele 5. Met. cap. 9 t. 16. Antecedens probatur, quia motus diuisibilis, & indiuisibilis ab intrinseco differunt essentialiter ratione terminorum; siquidem iste petit terminum acquisibilem indiuisibiliter, & non alio modo, ille verò diuisibiliter, secundum partem post partem, vt etiam docet Scotus in 2. d. 2. q. 12. sub F. & G. & in 3. d. 3. q. 1. sub B. sed huiusmodi differentiam habent isti motus ab instantaneitate constituente motum in ratione indiuisibilis, & à successione, qua alius constituitur in ratione diuisibilis; ergo instantaneum, & successiuum in motu sunt duæ differentiæ essentiales constitutiuæ diuersorum motuum, specie distinctorum, ac proindè conuenire habent in motu eis communi, qui diffiniatur per diffinitionem ab vtrisque vniuocè participatam.

Obijcitur primò contra cõclusionem primam: Nihil est in actu, & in potentia simul; sed mobile dum mouetur est in actu; ergo nõ est in potentia; ergo motus nequit esse actus entis in potentia. Maior patet, quia opposita nequeunt eidem simul inesse; sed actus, & potentia sunt opposita; ergo nequeunt eidem inesse simul. Minor patet similiter, Tum quia motus est actus; Tum etiam quia mobile est compositum, quod est in actu.

Resp. Maiorem esse veram respectu eiusdem, non tamen respectu diuersorum, modo mobile, cum mouetur, est quidem in actu respectu formæ substantialis, & respectu motus, à quibus informatur, non tamen respectu formæ acquirendæ, quia respectu huius dicitur esse ens in potentia; & quoniam motus existens in mobili, est via ipsam acquirendi, ideò dicitur esse actus entis in potentia.

Obijcitur secundò: Quod non est in aliquo genere determinato, eius nequit esse diffinitio; siquidem diffinitio constat ex genere, & differentia, si est quiditatiua; vel ex genere, & proprio, si est descriptiua, ex Aristotele 7. Met. t. 43. sed motus non est in aliquo determinato genere ex eodem Philosopho in hoc tertio Physicorum t. 4. quia omne, quod mutatur, aut mutatur secundum substantiam, aut quantitatem, aut qualitatem, aut vbi; ergo &c.

Resp. Maiorem esse veram de diffinitione formali, quæ constat ex genere, & differentia formaliter, falsam de diffinitione per æquiualentiam, cuiusmodi est conce-

conceptus quidditatiuus; siquidem talis est transcendentium, cuiusmodi est etiā motus, vt est communis ad motus successiuos, & instantaneos: Et cum probatur, motum esse in quatuor prædicamentis, verùm est de motu pro materiali, non pro formali, quia sic ab omnibus abstrahit, cum sit quid commune transcendens, & solum est in illis, prout ratione termini contrahitur per instantaneum, vel successiuum.

Obijcitur tertiò. Diffinitio motus cōpetit animæ; ergo non est bona; siquidem anima non est motus, nec sub eo continetur. Antecedens probatur, quia anima est actus corporis organici physici in potentia vitam habentis, & motus est actus entis physici in potentia, vt in potentia ad terminum, ergo est eadem si rectè vtraque expendatur.

Resp. Negando antecedens; ad probationem, concedo equidem animam esse actum, sicut motus, sed diuersimodè, quia anima est actus substantialis perfectus, motus verò accidentalis, & imperfectus, & in hoc discriminantur, vt non sit eadem diffinitio motus, ac animæ.

Obijcitur quartò contra secundam conclusionem: Motus diffinitus ab Aristotele debet esse actus ita imperfectus, vt constituat subiectum partim in actu, & partim relinquat ipsum in potentia ad partes, vel gradus termini perfectiores suscipiendos; sed per mutationes instantaneas, simul acquiritur totus terminus, & non per partes, vel gradus, cum sit forma indiuisibilis; ergo cum tales mutationes non constituant subiectum mobile, partim in actu, & partim in potentia, sequitur, non esse motum hic diffinitum. Maior patet, quia debet esse actus entis in potentia, secundum quod in potentia; sed ex eo quod dicitur, actus entis, cōstituit ipsū in actu; & in eo quod subiungitur, secundum quod in potentia, relinquitur in potentia ad actum perfectiorem; ergo motus hic diffinitus debet esse talis naturæ, vt constituat subiectum partim in actu, & partim relinquat ipsum in potentia ad terminum perfectiorem.

Resp. Maiorem esse veram, si ly partim, & partim dicat prius, & posterius natura, vt sit sensus, quod in aliquo priori naturæ subiectum intelligatur actuatum motu, actu imperfecto, & cum hoc sit in potentia simul ad actum perfectū suscipiendum in posteriori signo naturæ; falsam verò, si ly partim, & partim dicant successionem in partibus motus, & diuisibilitatem in gradibus formæ acquirendæ, quia hoc non est de ratione motus, vt sic hic diffiniti, sed tantum cōpetit motui, vt continuus, & successiuus est, sicut prima ratio competit motui in communi: quarè postea negatur minor, quod diffinitio sic intellecta non conueniat mutationibus instantaneis; quandoquidem mobile in instanti temporis, in aliquo priori naturæ est sub mutatione, quæ est actus imperfectus; & in potentia ad actum perfectum suscipiendum in posteriori signo naturæ.

Contrà, quia motus essentialiter exigit in suis partibus diuisibilitatem temporis, & non sufficit illa naturæ; ergo expositio iam facta ad illam maiorem, quæ continet diffinitionem motus, est voluntaria, & absque vllo fundamento. Antecedens probatur, quia motus est de numero continuorum, vt dicit Aristoteles hic in tex. 1. non permanentium, quia eius partes non possunt haberi omnes simul; ergo successiuorum; sed continuū successiuum essentialiter est diuisibile in partes, quæ mensurantur tempore; ergo motus essentialiter exigit in suis partibus diuisibilitatem temporis, & non sufficit illa, quæ est naturæ.

Resp. Negando antecedens; ad probationem dico, veram esse de motu successiuo, quæ est vna species motus distincta essentialiter ab instantaneo, non autem de motu vt sic, quatenus abstrahit ab vtroque, quia cum talis sit quid transcendens, nequit esse de numero continuorum, nisi potentialiter, & vt contractus per successionem, vel ratione termini ad prædicamentum quantitatis.

Vtrum

Vtrum motus sit forma fluens, vel fluxus ipsius formæ?

QVÆSTIO II.

NOnnulli Doctores putant, motum esse formam fluentem, idest non sub esse acquisito, & perfecto, quatenus nimirum informat subiectum, quod dicitur esse mutatum; sed sub esse imperfecto, & in fieri, dum nimirum secundum partem, & partem successiuè informat ipsum mobile, prout est in potentia ad ipsam secundum esse perfectum. Ita Auerroes 5. Physicorum com. 9. Albertus Magnus, & Simplicius, quorum, sine citatione loci, meminit Catharensis Magister meus in 3. Physic. q. 1. art. 2.

Alij verò diligentius indagantes motus naturam, docent esse fluxum quemdam, seu viam, per quam successiuè acquiritur forma, quatenus imperfecto modo successiuè informat ipsum mobile, & illud ordinat ad acquisitionem actus, seu formæ secundum esse perfectum. Sic Alensis lib. 5 Metaph. ad t. 18. Scotus in 1. d. 2. q. 7. T. sed clariùs in 2. d. 2. q. 4. sub B. quem postea secuti sunt, ex nostris Sulmonensis 3. Physic. tract. de Motu q. 2. & Catharensis loco citato, ex alienis verò Conimbricenses 5. Physic. q. 2. art. 2.

Cæterùm quidnam sit huiusmodi fluxus, quam motum appellant, & in quo consistat, an in absoluto, vel in respectiuo, non est ita facilè determinare, cùm varia sint etiam in hoc Doctorum placita; quandoquidem aliqui dicunt, esse entitatem absolutam continuam, & successiuam de genere quantitatis. Ita Tataretus noster in Prædicam. cap. de quant. & in 4. sent. d. 12. q. 4. Ant. Andreas 5. Met. q. 10. Fuentes 3. Physic. q. 1. diffic. 3 art. 3. Sulmonensis, & Catharensis citati, Hic q. 1 art. 3. Ille verò q. 3. 4. 5. & 6.

Alij censent esse modum quemdam absolutum, ab ipsa forma ex natura rei distinctum, priorem tamen natura ipsa forma, quem nomine actus imperfecti, seu viæ ad eamdem appellant. Sic Suarius disp. 49. sect. 1. Metaph. Conimbric. 5. Physic. q. 2. art. 2. Ruuius à q. 1. vsque ad 4. & alij Recentiores.

Alij putant motum consistere in respectu; & isti pariter sunt diuisi; siquidē Faber in sua Philosophia natur. theor. 45. cap. 1. & 2. & Cauellus in Commentarijs ad Quæst. de Anima Doct. subt. q. 7. not. 2. dicūt huiusmodi fluxum consistere in illa continuata dependentia, qua forma dependet in esse ab agente, & hāc esse relationem intrinsecus aduenientem de Prædicamento ad aliquid. Canonicus verò 3. Physic. q. 1. art. 2. docet esse relationem, extrinsecus aduenientem, mobilis ad motorem, neque à passione distingui, immò esse passionem ipsam, qua mobile dicitur pati à mouente in eductione formæ de eius potentia.

Quid autem nobis dicendum sit in tanta sententiarum varietate, secundum mentem Doctoris subtilis, quibusdam de more notatis, in conclusionibus nostram aperiemus opinionem.

Primò igitur notandum est pro intelligentia prioris partis quæstionis, quod in quacumque transmutatione, multa concurrunt, nempè Mouens, Mobile, Terminus à quo, Acquisitio termini ad quem, quæ fluxus appellatur, Forma fluens, quæ terminus ad quem dicitur Relatio mouētis ad mobile, quę actio solet nominari, & Relatio mobilis ad Mouens, quæ & passio dicitur, vt in transmutatione aquæ de frigiditate in caliditatem, mouens est ignis introducens calorem; Aqua est mobile, quia illum recipit; Frigiditas aquæ est terminus, à quo incipit alterari, Acquisitio termini ad quem, est calefactio, seu acquisitio caloris, quæ motus, seu fluxus acquisitiuus, dicitur, Calor, qui successiuè acquiritur, est forma fluens, quia est in fluxu continuo suæ acquisitionis, Calor ipse, iam totaliter acquisitus, est terminus ad quē terminatur fluxus calefactionis: relatio ignis agentis in aquam, quæ est actio, qua ignis denominatur agens; & relatio, qua aqua dicitur pati ab igne, recipiendo calorem, dicitur passio. Ad propositum, acquisitio successiua caloris, dicitur fluxus, qui est motus; calor verò successiuè

tè, & gradualiter acquisitus in qua, appellatur forma fluens in fluxu suæ acquisitionis.

Secundò notandum est: Fluxum, & formam fluentem non se habere concomitanter, sicut solent oleum, & aqua exire ex vase, aut ferum, & sanguis ex incisione venæ, sed causaliter, vt quo, siquidem fluxus est prior forma fluente, sicut via termino partialiter, & totaliter; vt e. g. cum aqua calefit, calefactio secundum partem est prior caliditate secundum partem, & ita successiuè vsque ad vltimum gradum, seu partem caliditatis, atque adeò vt dicamus, totum fluxum esse priorem tota forma fluente, vt viam suo termino: vt autem meliùs percipiatur hic ordo prioritatis, & posterioritatis inter fluxum formæ, & ipsam formam fluentem, hoc est inter motum, & eius terminum.

Tertiò notandum est: Triplicem esse ordinem prioritatis, & posterioritatis .s. temporis, naturæ, & originis: Illa seruant ordinem prioritatis temporis, quæ habent esse in diuersis temporibus, vt pater, & filius. Illa verò sunt prius natura, vel quæ non se consequuntur, vt animal, & rationale in homine, valet enim consequentia, est rationale; ergo animal, sed non è conuersò, est animal; ergo rationale, cum illud in plus se habeat; vel quorum vnum potest esse sine alio, vt substantia, & accidens; siquidem substantia est prior natura accidente, quia non repugnat sibi esse sine omni accidente. Illa autem sunt prius origine, quæ se habent vt producens, & productum, vt Pater, & Filius in diuinis: ex his infertur, quod cum forma fluens trahat originem à fluxu formæ, saltem vt à principio quo, & forma fluent possit esse sine fluxu, licet non è conuersò, dicēdum est inter fluxum formæ, & formam fluentem esse prioritatem originis, & posterioritatem naturæ, atque adeò vt non sint idem, sed realiter distinguantur.

Quartò notandum est pro declaratione secundæ partis huius quæstionis, quod de motu possumus loqui dupliciter, vel de materiali, vel de formali; & de formali adhuc dupliciter, vel in esse generico, seu communi, vel in esse specifico, siuè in particulari. Si de materiali sit sermo, certum est non dicere aliam entitatem, præter entitatem aut substantiæ ad quā est motus generationis, & corruptionis, aut quantitatis, quæ terminat motum augmentationis, & diminutionis, aut qualitatis, ad quam terminatur motus alterationis, aut denique loci, seu vbi, quod terminat motum localem, siuè lationis; sic enim docuit Aristoteles in hoc 3. Physic. t. 4. dum dixit: Non est autem motus præter res, ad quas est motus. Si verò agatur de motu formali, communiter, siuè genericè sumpto, nō est aliud, quam transitus, seu via, qua mobile transit de termino à quo ad terminum ad quem, siuè huiusmodi transitus sit diuisibilis, & successiuus, siuè indiuisibilis, & instantaneus, siuè termini sint ambo positiui, siuè vnus positiuus, & alter priuatiuus, aut negatiuus, & sic comprehendit omnes motus, quorum meminit Aristoteles 5. Physicorum t. 7. neque formaliter est in aliquo genere, adeò vt dici essentialiter possit aut substantia, aut quantitas, aut qualitas, aut vbi, seu aut absolutus, aut respectiuus; siquidem, vt sic abstrahit ab omni termino in particulari per ipsum acquisibili, estque dumtaxat in omnibus potentialiter, sicut genus in speciebus, vel commune in suis particularibus, & formaliter solùm imputat entitatem actus imperfecti, contrahibilem tamen ad absolutum, & respectiuum per terminos, à quibus accipit suum esse specificum, aut particulare. Si tandem loquamur de motu formali specificè, vel particulariter accepto, dico sumere suum esse, vel absolutum, vel respectiuum concomitanter à termino, sicut ab eodem pariter accipit esse diuisibile, vel indiuisibile, successiuum, vel instantaneum, vt colligitur ex Scoto in 2. d. 2. q. 4. sub D. & F. ac in 3. d. 3. q. 1. sub B. quandoquidem si terminus est absolutus, vel respectiuus, talis pariter erit motus absolutus, vel respectiuus, similiter si terminus petat acquiri indiuisibiliter, & in instanti, vt est substantia; & motus erit indiuisibilis, ac instantaneus: Si autem exigat acquiri diuisibiliter, & parti-

partibiliter, sicut sunt quantitates, qualitates, & vbi, & motus, seu fluxus, quibus acquiruntur tales formæ, erunt diuisibiles, & successiui. Ex quibus infertur, continuitatem, successionem, vel instantaneitatem, non esse de essentia motus vt sic communiter, seu genericè sumpti, sed solùm diuersorum motuum particulariter, & specificè sumptorum, cum ab ipsis in tali esse constituantur essentialiter, & specificè.

Quintò notandum est: Motum in particulari sumptum adhuc tripliciter accipi posse .s. formaliter, materialiter, & concomitanter. Motus formaliter est acquisitio termini ad quem. Motus materialiter est ipse terminus ad quem per motum acquisitus; motus verò concomitanter est omne id, quod concomitatur, vel subsequitur acquisitionem, seu motum formaliter, sicque forma fluens, quæ concomitatur motum, actio, quæ est relatio agentis ad passum, passio, quæ est relatio passi ad agens, & eductio, quæ importat relationem agentis educentis formam de potentia mobilis ad ipsam formam eductam, quæ omnia subsequuntur ipsum motum, & appellari possunt motus concomitanter, non verò formaliter. Ex his infertur, quod motus formales, cùm non sint omnes diuisibiles, & successiui, sed aliqui sint indiuisibiles, & instantanei, non omnes, sed tantum diuisibiles, & successiui erunt de prædicamento quantitatis, reliqui verò collocandi venient saltem reductiuè, in illis prædicamentis, in quibus sunt eorum termini.

Ex his fit prima conclusio. Motus distinguitur realiter à forma fluente, si formaliter accipiatur, non tamen si materialiter sumatur. Prima pars est Scoti in 1. d. 2. q. 7. sub T. & in 2. d. 2. q. 4. sub B. Secunda verò est Aristotelis in hoc 3. Physicorum tex. 4. Probatur prima pars, quia quandocumque sunt duo, quorum vnum manet, altero non manente, talia distinguuntur realiter, sed motus, & forma fluens sunt huiusmodi; ergo motus, & forma fluens distinguuntur realiter. Maior patet, quia separabilitas vnius ab alio est causa distinctionis realis inter illa. Minor probatur, quia Aristoteles lib. 1 de Generat. & Corrupt. tex. 55. dicit, quod habitibus præsentibus cessat motus; sed nomine habitus intelligit formā generabilem, & corruptibilem; ergo forma manet non manente motu. Secundò probatur, quia idem non est productiuum sui ipsius, vt patet ex D. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 1. sed motus est productiuus, saltem vt quo, formæ fluentis; nā per calefactionem producitur calor; sed calefactio, cum sit quædam alteratio, est motus, & calor, cum sit eius terminus, est forma fluens; ergo motus est productiuus, saltem, vt quo, formæ fluentis. Tertiò probatur, quia successiuum distinguitur realiter à permanenti; sed motus, vt plurimùm, est successiuus, & forma fluens in esse quieto, est permanens; ergo &c. Maior patet, quia constituunt diuersas species quantitatis. Minor patet similiter, quia partes motus non sunt totæ simul, sicut nec partes temporis, quibus illæ mensurantur; at formæ fluētis partes sunt omnes simul in esse quieto; ergo motus est successiuus, & forma fluens est permanens. Secunda pars probatur, quia motus materialiter sumptus, non est aliud præter res, ad quas terminatur ex Aristotele hîc t. 4 sed res terminantes motum sunt formæ fluentes ex eodem lib. 1. de Gener. & Corrupt. t. 55. ergo motus, materialiter sumptus, non distinguitur realiter à forma fluente.

Secunda conclusio. Motus formaliter, & quiditatiuè non est aliud, quam fluxus formæ fluentis. Est Scoti ibidem. Probatur, quia motus formaliter, & quiditatiuè est acquisitio termini ad quem, & deperditio termini à quo; sed acquisitio, & deperditio terminorum motus, est fluxus formæ deperditiuus, vel acquisitiuus eiusdem; ergo motus formaliter, & quiditatiuè est fluxus formæ fluentis. Maior probatur, quia in mutatione, cùm mobile mouetur, transit de termino à quo, ad terminum ad quem; sed in huiusmodi transitu, vnum deperdit, & alium terminum acquirit; ergo motus, quo mobile mouetur, quiditatiuè, & formaliter est deperditio termini à quo, & acquisitio termini ad quem. Minor pro-

probatur, quia tunc forma dicitur fluere, cùm vi agentis, successiuè, vel in instanti educitur de potentia mobilis, & in eo acquiritur; sed forma nequit sic fluere, & acquiri in potentia passiua mobilis sine fluxu; siquidem fluere est effectus fluxus; ergo huiusmodi acquisitio, aut deperditio termini est fluxus acquisitiuus, vel deperditiuus formæ fluentis. Secundò probatur, quia in omni transmutatione concurrunt mouens, mobile, terminus à quo, terminus ad quem, deperditio termini à quo, acquisitio termini ad quem, & relationes mouentis ad mobile, & è conuersò, mobilis ad mouens; sed motus non est mouens, aut mobile, quia hæc sunt substantiæ, ille verò accidens; nec terminus à quo, quia motus est actus entis in potentia, idest mobilis, vt mobile est, terminus verò à quo est actus eiusdem, vt est in actu; nec terminus ad quem, quia cum sit forma fluens, distinguuntur realiter; nec relationes agentis ad mobile, vel mobilis ad agens, quia hæ subsequuntur motum, vt probabimus inferius, & in sequenti disputatione; ergo à sufficienti diuisione, & enumeratione omnium, quæ concurrunt in motus, sequitur, motum formaliter, & quiditatiuè esse fluxum acquisitiuum, vel deperditiuum formæ fluentis.

Tertia conclusio. Motus vt sic genericè, & in communi sumptus, est actus imperfectus mobilis, vt mobile est, nec formaliter absolutus, nec formaliter respectiuus, sed transcendens, & abstrahens ab vtroque, & hoc loquendo de motu physico, prout diffinitur ab Aristotele in t. 6. & 16. cæterùm si agatur de motu metaphysico, dicimus cum Doctore subtili in 2. d. 2. q. 4. F. & in 4. dist. 12. q. 4. sub D. & L. eum abstrahere etiam à mobili, & inuoluere in sui essentia dumtaxat esse fluxum formæ post negationem eius, seu actualitatem quamdam potentialem ad actum perfectum ordinatam. Probatur prima pars auctoritate Aristotelis in t. 15. vbi inquit: Motus actus quidem aliquis esse videtur, imperfectus tamen: causa autem est, quoniam imperfectum est possibile, cuius est actus, motus: Deindè confirmatur ratione, quia ille actus dicitur imperfectus, qui ordinatur ad vlteriorem actum perfectum, & ideò forma corporeitatis dicitur actus imperfectus, quia ordinatur ad animam, quæ est actus perfectus; sed motus ordinatur ad formam acquirendam in mobili, quæ est eius actus perfectus, cum sub illa quiescat, vt dicit Aristoteles lib. 1. de Generat. & Corrupt. tex. 55. ergo motus, cum sit actus mobilis, erit eius actus imperfectus. Secunda pars probatur: Quod non est determinatè, sed tantum potentialiter, in aliquo decem generum, est transcendens, & abstrahit ab absoluto, & respectiuo; sed actus, qui est motus, non est determinatè, verùm duntaxat potentialiter, in aliquo decem generum; ergo est transcendens, & formaliter ab actu absoluto, & respectiuo. Maior patet ex natura entiũ transcendentiũ, & limitatorum; siquidè ista sunt determinatè in aliquo decẽ generũ; transcendẽtia verò possunt in pluribus reperiri. Minor probatur, quia dãtur aliqui motus, qui terminantur tantũ ad substantiã, vt generatio, & corruptio; Aliqui tãtum ad quantitatẽ, vt augmentatio, & diminutio; Alij tantum ad qualitatem, vt intensio, & remissio: Alij verò tantum ad vbi, vt latio sursum, & deorsũ, à quibus saltem concomitanter sumunt suum esse specificum, ac determinatum; ergo motus, qui est communis omnibus istis, in nullo illorum generum erit determinatè, sed tantum potentialiter in omnibus. Consequentia patet à simili, quia substantiæ coarctantur tantum ad genus substantiæ; quantitates solum ad genus quantitatis, & sic de cæteris; sequitur ergo ens, quod est omnibus commune, in nullo illorum esse determinatè, sed tantum potentialiter in omnibus; ergo à simili, actus qui est motus, cum sit communis ad omnes motus specificos, quorum aliqui sunt absoluti, & aliqui respectiui, in nullo illorum erit determinatè, sed tantum potentialiter in omnibus. Tertia pars probatur: Dantur duo motus essentialiter distincti, quorum vnus dicit successionem termi-

ni ad quem post terminum à quo in subiecto, alter verò dicit successionē termini ad quem post terminum à quo extra subiectū; ergo ab istis potest abstrahi motus communis, qui dicat tantum successionem termini ad quem post terminum à quo, præscindendo ab esse in subiecto, & non esse in subiecto; sed huiusmodi motus haberet omnia essentialia motus; ergo motus secundum essentiam, & quiditatem sui non includit esse actum imperfectum mobilis in potentia, vt in potentia. Antecedens probatur ex Scoto in 2. d. 2. q. 4. F. & in 4. d. 11. q. 1. F. quia datur motus physicus, & naturalis, qui essentialiter est actus mobilis, dicens successionem termini ad quem post terminū à quo in subiecto, vt patet de calefactione: & datur motus supernaturalis, cuiusmodi est creatio, quæ dicit successionem, seu acquisitionem termini, ad quem, siuè formæ, post negationem eius ex nullo præsupposito subiecto; siquidem forma, quæ creatur, recipit esse post non esse sui, quod est mutari, quia aliter se habet, quam prius; sed isti motus distinguuntur essentialiter per non esse, & esse in subiecto; ergo dantur duo motus essentialiter distincti, quorum vnus dicit successionem, seu acquisitionem termini ad quem post terminum à quo in subiecto, & alter dicit eandem acquisitionē termini ad quem, post terminum à quo extra subiectū, vel nullo præsupposito subiecto. Consequētia patet, quia quæ essentialiter differunt, essentialiter conueniunt ex Aristotele 5. Metaph. cap. 9. tex. 16. ergo si dantur motus essentialiter differentes, debet etiam dari motus communis, in quo essentialiter conueniant. Minor subsumpta probatur à Doct. subt. in 4. d. 12. q. 4. sub L. non est de essentia motus quod sit talis, vel talis entis; sicut nec est de essentia albedinis, quod sit alicuius habentis albedinem; nec formæ in esse quieto, quod sit alicuius informabilis; siquidem, quod est substantia, vt est subiectum motus, & albedinis, nequit esse de illorum essentia, quæ sunt accidentia; ergo huiusmodi motus, quamuis præscinderet ab esse, vel non esse in subiecto, haberet omnia essentialia motus; quandoquidem esset successio, vel acquisitio formæ, seu termini ad quem post terminum à quo, quod sufficit ad esse quiditatiuum motus, vt sic.

Quarta conclusio. Motus in particulari, seu in esse specifico consideratus, est duplex, scilicet diuisibilis, siuè successiuus, & indiuisibilis, seu instantaneus. Probatur, quia esse specificum motus desumitur, saltem extrinsecè, & concomitanter, à termino; sed termini motus, alij petunt fieri diuisibiliter, & partibiliter, ac successiuè, vt quantitates, qualitates, & vbi; alij verò indiuisibiliter, & in instanti, ergo etiam motus per quos, saltem vt quo fiunt, & producuntur, debent esse alij diuisibiles, & successiui, vt augmentatio, diminutio, alteratio, & secundum locum mutatio; & alij indiuisibiles, vt generatio, & corruptio. Maior probatur, quia principium productiuum vt quo, cum dicat ordinem ad productum, debet ab eo specificari saltem extrinsecè; siquidem intrinsecè habet sumere vnitatem à sua differentia specifica, nobis ignota, quæ suppletur per terminum productum ad quem ordinatur; sed motus est productiuus, saltem vt quo, termini ad quem, cùm sit fluxus formæ fluentis; ergo ab eo, saltem extrinsecè, & concomitanter, debet specificari. Minor patet, quia quantitas est diuisibilis partibiliter, & successiuè; qualitas est diuisibilis gradualiter; & locus, vel spatium partibiliter diuisibilis, substantia verò indiuisibilis, & indiuisibiliter acquisibilis; ergo cùm per motum acquiruntur, hæc petit produci per motum instantaneum, & indiuisibilem, vt repugnet sibi diuisibiliter produci; illæ verò exigunt produci, ac per motum diuisibilem acquiri in subiecto, adeò vt illis repugnet, saltem naturaliter, fieri, ac produci per motum indiuisibilem, & instantaneum: ex quo infertur diuersitas specifica motus diuisibilis ab indiuisibili; & successiui ab instantaneo.

Quinta conclusio. Omnes motus diuisibiles; & successiui formaliter, & specificè sumpti spectant per se ad Prædicamen-

camentum Quantitatis; indiuisibilis verò tantum reductiuè. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti, & videtur esse contra Mastrium disp. 15. q. 1. art. 1. n. 10. vbi sustinet, omnes motus vel esse in Prædicamento Habitus, in quo, secundum ipsum, reponitur omnes informationes, receptiones, vniones, inhærentiæ, & habitiones; Vel reduci ad Prædicamenta suorum terminorum. Probatur prima pars, quia omne per se continuum, & successiuum per se spectat ad Prædicamentum Quantitatis; continuitas enim & successio vel constituunt species, vel sunt passiones specierum quantitatis; sed motus diuisibiles sunt huiusmodi, ex Philosopho 3. Physicorum t. 1. & Scoto in 2. d. 2. q. 9. ac probabitur fusius in sequenti quæstione; ergo motus diuisibiles, ac successiui, formaliter, ac specificè sumpti per se attinent ad Prædicamentum Quantitatis. Secunda pars sic probatur, quia indiuisibilia quantitatis, vt sunt mutata esse, & instantia continuatiua partium temporis, reducuntur ad Prædicamentum Quantitatis, in quo per se collocantur partes continuatæ, & earum tota; sed motus instantaneus, ac indiuisibilis, mensuratur instanti, & se habet vt vnum indiuisibile quantitatiuum; ergo saltem habet reduci ad illud Prædicamentum, in quo sunt eius partes continuatæ, & totus motus diuisibilis. Maior patet, quia per se, & directè in prædicamento quantitatis non ponuntur, nisi species, & indiuidua; indirectè verò differentiæ; & reductiuè passiones, & cætera, quæ necessariò spectant ad esse completiuum quantitatis, vt sunt indiuisibilia quantitatiua, vt diximus in Logica maiori, disput. de Quantitate. Minor probatur, quia quamuis motus ab intrinseco non dicatur indiuisibilis, & instantaneus eo quia mensuretur instanti temporis, sed solum, quia acquisitio eius termini non petit fieri diuisibiliter, nec gradualiter, nec partibiliter, vt superius adnotauimus, tamen negari non potest quod saltem ab extrinseco ab illo sumatur eius esse specificum, vt distinguitur à motu diuisibili, qui necessariò mensuratur toto tempore; ergo motus indiuisibilis se habet vt quoddam indiuisibile quantitatis, ac proindè, sicut istud est tantum reductiuè in prædicamento quantitatis, ita motus instantaneus, & indiuisibilis erit reductiuè dumtaxat in eodem prædicamento.

Sexta conclusio. Motus formaliter, ac specificè sumptus, non est actio, nec passio, nec eductio, vel productio formæ formaliter, & quiditatiuè, sed est dumtaxat quilibet illorum respectuum concomitanter, ac proindè motus sic acceptus est tantum reductiuè in prædicamentis eorumdem respectuum. Est contra Canonicum, Fabrum, & Cauellum citatos, ac etiam Mastrium disput. 15. q. 1. Probatur conclusio, quoad omnes sui partes, & primò, quod non sit actio, & passio est expressa sententia Aristotelis in tex. 22. vbi ait: Omninò verò dicere est, quod neque doctio cum disciplina, neque actio cum passione idem propriè est, sed cui insunt hæc, motus, sed illa, quæ insunt alicui, non sunt formaliter illud, verùm solum concomitanter, alioquin accidens esset formaliter subiectum, cui inest; ergo actio, & passio, de mente Aristotelis, non sunt formaliter motus, sed solùm concomitantur illum. Confirmatur, quia motus diuisibilis est essentialiter continuus, ac successiuus, cum sit essentialiter quantitas continua, & successiua; sed actio, & passio non sunt huiusmodi, cum sint relationes extrinsecus aduenientes, vt probauimus in Logica, & videbimus etiam in sequenti disputatione; ergo actio, & passio non sunt formaliter motus. Secundò probatur quod non sit formaliter eductio, vel inductio formæ in passum, quia eductio, vel inductio sunt relationes intrinsecus aduenientes, secundum Scotum in 4. d. 13. q. 1. sub F. & G. sed istæ non sunt motus formaliter, verùm dumtaxat concomitanter; ergo &c. Minor probatur, quia secundum eumdem Doctorem subtilem in 1. d. 30. q. 2. sub B & C. & in 2. dist. 1. quæst. 2. E. relatio quælibet subse-

quitur terminum, & fundamentum secundum esse absolutum; sed motus est prior termino, cum sit productiuus eiusdem, vt quo; ergo relatio non est formaliter motus, sed duntaxat concomitatur motum, tamquam forma denominans mouens, vel mobile, aut terminum motus. Confirmatur, quia relatio, quam importat eductio, vel inductio, aut est agentis ad formam, aut formæ ad agens; sed neutra potest dici motus; ergo &c. Minor probatur, quia relatio agentis ad formam subiectatur in agente; relatio verò formæ ad agens subiectatur in illa; sed motus, nec subiectatur in agente, nec in forma, sed in mobili per Aristotelem 3. Physic. t. 6. & 16. ergo huiusmodi relationes nequeunt esse motus formaliter. Hæc ratio euertit opinionem Mastrij dicentis, motum esse relationem termini ad quem in subiecto ad terminum à quo immediatè præcedentem. Tertiò, quod sit in prædicamentis suorum respectuum probatur, quia actio est in prædicamento actionis; Passio in suo prædicamento; Et eductio, vel inductio, aut productio in prædicamento relationis, seu ad aliquid; sed huiusmodi respectus sunt motus concomitanter, vt diximus in 5. notab. ergo motus concomitanter est in illis prædicamentis, in quibus sunt huiusmodi respectus concomitantes motum.

Obijcitur primò contra primam, & secundam conclusionem: Si talis fluxus est motus, aut est prior ipsa forma fluente, aut simul natura cum ea; sed neutrum dici potest; ergo &c. Minor probatur: Nō potest dici, quod sit simul natura cum forma fluente, quia via non est simul cum suo termino; sed talis fluxus est via ad formam fluentem, vt ad terminum; ergo non potest dici quod sit simul natura cum ea: Neque dici potest quod sit prior, quia statim vt mobile incipit moueri, e. g. calefieri, illicò recipit caliditatem, quæ est forma fluens; ergo motus, seu fluxus non est prior forma fluente.

Resp. Negando minorem; immò dico huiusmodi fluxum esse priorem natura forma fluente; & cùm probatur quod statim ac mobile incipit calefieri, illicò recipit formam fluentem, idest caliditatem, dico verùm esse, si ly statim, & ly illicò dicant instans temporis, non tamen si sonet instans naturæ, qui in aliquo priori naturæ mobile est sub fluxu formæ, in quo non sub forma fluente; siquidem forma fluens originatur à fluxu; & quamuis valeat dicere, est forma fluens; ergo est fluxus, non tamen valet è conuersò, est fluxus; igitur est forma fluens, quia fluxus formæ est prior ipsa forma, vt via est prior suo termino.

Obijcitur secundò contra responsionem, quia si talis fluxus esset prior natura forma fluente, sequeretur quod posset esse sine illa; sed hoc est falsum; ergo & illud, ex quo sequitur. Sequela maioris probatur, quia omne absolutum prius potest esse sine posteriori, si ab illo non dependeat; sed, ex supposito, talis fluxus esset prior fluente forma, & ambo sunt absoluta; ergo &c. Minor probatur, quia implicat rem calefieri sine caliditate.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem dico, maiorem esse veram, si prius non connotat suum posterius, modò fluxus formæ, quamuis sit prior natura forma fluente, quia tamen ipsam necessario connotat, nequit esse sine illa.

Contrà, quia non sunt multiplicanda entia absque necessitate; siquidem natura abhorret à superfluis; sed nulla est necessitas ponendi talem fluxum, distinctum à forma fluente; ergo &c. Minor probatur, quia si ab aqua, e. g. remoueatur talis fluxus, & eadem applicatetur igni, nihil minus calefieret per formam fluentem .i. per caliditatem; ergo nulla est necessitas ponendi fluxum formæ ab ipsa distinctum.

Resp. Negando minorem; ad probationem nego, aquam posse calefieri caliditate sine calefactione, quæ est fluxus caliditatis; siquidem effectus caliditatis non est calefacere sine calefactione, alioquin esset producere absque

prin-

principio productiuo; non enim caliditas potest esse principium calefactionis, cum sit terminus eiusdem; si igitur remoueretur fluxus formæ ab ipsa vt fluente, mobile per ipsam non moueretur ad eius receptionem in esse quieto, alioquin idem esset principium productiuum, & productum, via, & terminus, quod implicat.

Obijcitur quartò contra primam partem tertiæ conclusionis: Quod in sui essentia inuoluit respectum, nequit abstrahere à respectu; sed motus in communi est huiusmodi; ergo &c. Maior patet, nih l.n. abstrahere potest ab eo, quod est de eius essentia. Minor probatur, quia ordo dicit respectū; sed motus per Scotū in 2.d.1.q.5. T. est materiæ ad formam ordo informationis; ergo &c. Deindè motus est essentialiter actus imperfectus, secundum Aristotelem in tex. 15. sed in quantum actus dicit respectū actuationis alicuius potentiæ, & prout imperfectus ordinatur ad perfectionē; ergo motus per Aristotelem, & Scotum dicit respectum: non igitur abstrahit à respectu.

Resp. Negando minorem; ad primam probationem desumptam ex Doctore subtili dico, motum esse ordinem materiæ ad formam consecutiuè, vel concomitanter, non verò formaliter, quia sic dicit tantum actum imperfectum, abstrahentem à quocumque respectu; siquidem, vt dicit idem Doctor in 4. dist. 12. q. 4. sub L. motus essentialiter est tantum actualitas quædam potentialis. Per idem fit satis etiam ad secundam probationem ex Aristotele deprompram, concedendo quidem motū dicere essentialiter actum imperfectum, quem consequitur respectus ad mobile, & ad formam, non tamen præseferre in sui quiditate vllum respectum.

Obijcitur quintò contra secundam partem eiusdem cōclusionis tertiæ. Illud est de essentia motus, quod ponitur in eius diffinitione; sed in eius diffinitione ponitur respectus ad subiectum; ergo est de eius essentia, ac proindè ab ipso abstrahere non potest. Minor patet, quia in tex. 6. dicitur, Motus est actus entis in potentia: & in tex. 16. subiungitur, Motus est actus mobilis; sed ens in potentia, & mobile innuunt subiectum; ergo motus importat essentialiter respectum ad subiectum.

Resp. Maior est vera de eo, quod ponitur in diffinitione quiditatiua motus, non tamen si ponatur tantum in diffinitione quietatiua; modò diffinitio motus data per ordinem ad ens in potentia, & ad mobile, est solùm quietatiua, sicut quælibet diffinitio accidentis in ordine ad subiectum, vt aduertit Scotus in 4. dist. 12. q. 1. conclusione tertia sub D. & E.

Obijcitur sextò contra quartam conclusionem, quia generatio, & corruptio, secundum Aristotelem 5. Physicorum tex. 9. non sunt motus, sed mutationes tantum; ergo malè diuiditur motus in esse specifico, in successiuum, & instantaneum.

Resp. Negando consequentiam; quandoquidem Aristoteles in citato loco, non distinguit mutationem à motu per essentialia, & intrinseca, sed tantum per accidentalia, & extrinseca motui, hoc est per habere terminos positiuos, & contrarios, & per habere terminos contradictorios, quorum alter sit positiuus, & alter vel negatiuus, vel priuatiuus, quæ omnia sunt extrinseca & motui, & mutationi, vt conueniunt in motu, cùm non diuidatur motus vt sic essentialiter per habere, vel non habere terminos positiuos, sed solum per diuisibilitatem, & indiuisibilitatem, seu per instantaneitatem, & successioneſu, quæ constituunt intrinsecè duas species motus, scilicet motum successiuum, & instantaneum, eo modo, quo declarauimus in probatione conclusionis, & in 4. not.

Obijcitur septimò contra quintam conclusionem: Scotus lib de Anima q. 3. dicit, motum, quatenus importat formā fluentem esse in prædicamento sui termini; quatenus fluxū formæ esse in prædicamento ad aliquid; ergo non in prædicamento quantitatis: Et confirmatur, quia si esset in prædicamento quātitatis, vel ibi esset per se, & directè; vel redu-

ctiuè, & per accidens, sed nullum istorum est dicendum; ergo &c. Minor probatur: Non per se, quia Philosophus 5. Met. cap. 13. t. 18. dicit, motum, & tempus esse quanta per accidens; ergo non per se. Neque per accidens, vel reductiuè, quia per Scotum in 2.d.2.q.9. motus includit quantitatem continuam quidditatiuè; ergo &c.

Resp. ad primum: veram esse auctoritatem Doctoris reductiuè, quatenus nimirum motus concomitanter dicit respectum ad mobile, & ad formam; non tamen per se, quia sic est tantum in prædicamento quantitatis, vt dictum est in probatione conclusionis.

Ad secundum, concedimus esse per se in prædicamento quantitatis; & cum probatur per Aristotelem, esse quanta per accidens, dico verum esse, vt ly per accidens contradistinguitur à primò, nō tamen, vt distinguitur contra per se, quia cum motus sit passio magnitudinis, & tempus sit passio motus mensuratiuè (vt aduertit Doctor in Met. in expositione illius textus; siquidem tanta est magnitudo, quantus est motus, qui fit super illa, & tantus est motus, quantum est tēpus illius mensuratiuum) & passiones sint per se in illo prædicamento, in quo ponuntur earum subiecta, sequitur motum, & tempus esse per se in prædicamento quantitatis.

Obijcitur octauò contra sextam conclusionem ex Canonico: Id quo patiens refertur ad agens, est passio; sed per motum patiens refertur ad agens; siquidem per moueri mobile refertur ad mouens; ergo motus est passio: Tum quia moueri est pati; ergo motus est passio; Tum etiam quia Arist. 5. Phys. t. 10 & 11. arguit sic: Ad motum non est motus; ergo ad actionem, & passionem non est motus; sed huiusmodi consequentia non valeret, nisi passio esset motus, & è conuersò; ergo passio est motus formaliter, & non tantum concomitanter.

Resp. Maiorem esse veram, si ly quo accipiatur reduplicatiuè .i. si dicat rationē formalem referendi patiens ad agens, non tamen si tantum specificatiuè; modò per moueri patiens refertur ad agens hoc secundo, non primo modo.

Ad secundum negatur consequentia, quia moueri, plura importat, quam motus; siquidem moueri dicit receptionem motus, qua ratione dicitur quodammodo pati à motu, & successionem ad formam, seu ad terminum, per quam non dicitur pati, motus autem dicit tantum successionem formaliter, ideò non sequitur, quod si mobile per moueri dicatur pati, quod sit ipsi passio formaliter, cùm sit tantum passio effectiuè, nempè, quia per receptionem sui ipsius causat passionem in mobili, vt subiectum eius est.

Ad tertium respondet Doctor q. 7 de Anima ad tertium argum. consequentiam Philosophi nō tenere per illud medium, ac si motus, actio, & passio forent idem; sed tenet per simile hoc modo: si ad motum non est motus; ergo à simili ad actionem non est actio, neque ad passionem passio; deindè si ad actionem non est actio, neque ad passionem passio; ergo ad actionem, vel passionem non est motus, alioquin daretur processus in infinitum in actionibus, & passionibus; nam si ad actionem, & passionem esset motus, cum motus causetur ab eis; ergo ante illam actionem, & passionem daretur alia actio, & passio, & sic infinitum.

Vtrum continuitas, & successio sint de essentia motus?

QVÆSTIO III.

Certum est, ex dictis in duabus præcedentibus quæstionibus, hic nos non loqui de motu metaphysico, qui abstrahit à subiecto mobili, nec de physico, prout est communis ad diuisibilem, & indiuisibilem; siquidem, cum motus vt sic abstrahat ab absoluto, & respectiuo, & præseferat dumtaxat transitum de termino à quo ad terminum ad quem, consequenter præscindit à continuitate, & successione, quæ sunt passiones, vel differentiæ quantitatis; quæritur ergo solùm de motu diuisibili in esse specifico considerato, prout secernitur ab indiuisibili,

sibili, & instantaneo, An in sui essentia (quatenus sibi competere potest) inuoluat continuitatem, & successionem, vel solùm eidem conueniant vt passiones.

Collegium Conimbricense hic q. 2. art. 3. putat continuitatem, & successionem non pertinere ad essentiam motus physici diuisibilis, sed esse dumtaxat illius passiones. Citant pro se Albertum Magnum tract. de Quantitate cap. 4. & 8. Auerroem lib. 4. Physicorum com. 119. Fonsecam 5. Met. q. 8. art. 3. quibus adiungi potest Mastrius disput. 15. q. 1. n. 4. dum asserit, motum physicum non dicere quantitatem successiuam de genere absoluti, sed præseferre relationem successionis termini ad quem post terminũ à quo: Successio quippè, inquit etiam q. 6. art. 1. n. 42. secundum Scotum in 2. d 2. q. 1. & 4. dicit ordinem partium secundum prius, & posterius; & ordo, in eius schola, est relatio, & non quantitas, ex quo inferri potest, secundum eius doctrinam, successionem continuam non esse de essentia motus; quamuis sub n. 46. videatur contrarium asserere, dum dicit, diuisionem motus in successiuum, & instantaneum esse essẽtialem, sit successio, & instantaneitas proueniant in motu ex rationibus ipsorum terminorum; sed facilè respondere potest in eius dictis sibi per optimè constare; quandoquidem nos supponimus motum esse de genere quantitatis, quod ipse negat, docens pertinere ad prædicamentum sui termini.

Cæterùm, cùm nos superiùs asseueranter concluserimus motum diuisibilem physicum esse per se in prædicamẽto quantitatis, esseque de numero continuorum, ac successiuorum, consequenter debemus dicere, includere in sui quiditate, ac essentia continuitatem, ac successionem, siuè continuitatem successiuam, vt ipsum secernamus à numero continuorum permanentium. Sic etiam docuerunt ex nostris Sulmonensis tract. de Motu q. 4. & 5. Catharensis hic q. 1. art. 4. & 5. Roccus q. 4. & Tataretus 6. Physic. q. 2. sciendum primò ex alienis verò Hurtado in Physic. disp. 11. sect. 10. & Meritanus disp. 7. q. 1. & 2. videturq. expressa sententia Doct. subt. in 2. d. 2. q. 9. vbi probat, motum esse de numero continuorum, quia est diuisibilis in infinitum; & de numero successiuorum, cùm eius partes non acquirantur totæ simul, sed vna post aliam continuè, ac successiuè; siquidem pars antecedens motus continuatur cum sequenti per mutatum esse, quod est quoddam indiuisibile continuatiuum partium in motu, sicut instans in tempore.

Pro cuius intelligentia, ac quæstionis resolutione primò notandum est, quantitatem continuam esse duplicem, nempè permanentem, & successiuam. Permanens est illa, cuius partes possunt haberi totæ simul in esse quieto, vt linea, superficies, & corpus. Successiua verò ex opposito est illa, cuius partes non possunt haberi omnes simul in esse quieto, sed sicut vna succedit, altera deperditur necessariò, vt motus, & tẽpus. Vtraq. tamen dicitur continua, quia eius partes copulantur aliquo termino indiuisibili; nam partes lineæ copulantur punctis, quæ duplici funguntur officio .s. terminare partem anteriorem, & principiare posteriorem, copulando eas adinuicem; similiter partes motus copulantur mutatis esse; & partes temporis instantibus, quæ pariter sunt terminatiua, & principiatiua, cum hac tamen differentia, quod sicut de ratione partium permanentium est, post continuationem esse omnes simul vnitas in esse quieto, & permanenti, ita de ratione partium successiuarum est, quod in ipso actu continuationis pars prior deperdatur, & posterior succedat immediatè indiuisibilia continuatiua vsque in infinitum.

Secundò notandum est ex Comment. 3. Physicorum com. 6. non eodem modo reperiri continuitatem in singulis motibus; quandoquidem in motu alterationis multoties interrumpitur ob impedientia contraria; ignis enim non semper calefacit lignum, sed interdum intermittit calefactionem ob resistentiam frigiditatis; similiter dicendum est de augmentatione, & diminuitione, quare ab eodem vocantur huiusmodi motus compositi ex pluribus motibus; similiter

in motu locali interdum corrumpitur continuitas partium propter impedimēta, quæ fiunt mobili in spatio; cæterùm in motu circulari cœlorum est perfecta continuitas, cùm semper moueantur, & numquam quiescant.

Tertiò notandum: Continuitatem, & successionem se habere adinuicem, sicut includens, & inclusum; non enim adæquatè conuertuntur; siquidem linea est continua, nō tamen successiua, quia eius partes manent omnes simul; similiter si caliditas vt octo ponatur à Deo in instāti in aliquo subiecto, ibi erit continuatio illorum graduū, absque successione; cæterùm successio includit continuationē: non enim fieri potest quod vna pars succedat alteri sine interruptione, & immediatè, si nō copulentur aliquo indiuisibili, eorumdem cōtinuatiuo. Ex quo infertur, continuationem includi in actione formali successiui, & non è cōuersò; cùm igitur motus sit essentialiter successiuus, (includit enim essentialiter quantitatem successiuam) sequitur esse etiam essentialiter continuus.

Quartò notandum est ex Scoto in 2. d. 2. q. 9. sub S quod cum motus, & quodlibet successiuum cōstet ex partibus diuisibilibus, quarū vna succedit alteri mediāte aliquo indiuisibili, & immediatè post indiuisibile, huiusmodi immediationem posse dupliciter intelligi, vno modo, quod secundum se totam sit immediata tali indiuisibili, ac ipsum immediatè tangat secundum se totā, & sic non est sibi immediata, quia cum illa pars habeat suam extensionem, nequit secundum se totam esse immediatam indiuisibili; alio modo, quod inter ipsam, & tale indiuisibile non sit aliquod medium, & sic benè pars motus est immediata suo indiuisibili mutato esse.

Quintò notandum est, ex Doct. subtili in citata quæstione, quod, recapitulando superiùs notata de successione, tria requiruntur essentialiter ad rationem successiuorum: Primò, quod acquisitio successiuorum sit partis post partē, quia per hoc distinguuntur à permanentibus. Secundò, quod in successiuis sola indiuisibilia existant secundum se tota; siquidē non habent partes. Tertiò, quod successiua nedum existunt secundum existentiam indiuisibilium, sed etiam secundum existentiam suarum partium, sibi inuicē succedentium, imò ab his principaliter; nam cum existētia, in via Doctoris, pullulet ab essentia; & essentia successiuorū pendeat nedum ab indiuisibilibus, verùm principaliùs à diuisibilibus, consequenter debent existere dependenter ab vtrisque: & quamuis ad existētiam partis posterioris deperdatur existentia prioris partis, non propterea deneganda est totalis existentia ab entibus successiuis; siquidem hæc non existunt in esse quieto, sicut permanentia, sed in continuo fluxu suarum partium, cum huiusmodi sit natura successiuorum, prout à permanentibus secernuntur.

Sextò notandum ex eodem Doctore subt. in 2. d. 2. q. 11. & 12. successionem motus ad duo comparari posse, nimirum ad agens naturale, & ad agens supernaturale; primò modo comparata, est essētialis motui, quia cùm agens naturale nequeat habere in virtute sua neque totam realitatem motus, nec realitatem termini totam simul, cùm ex natura sua, hic sit acquisibilis diuisibiliter, & illud non possit inducere in passum indiuisibiliter totam formam; sequitur necessariò vt illam inducat per motum diuisibiliter, prius secundum vnam partem, postea secundum aliam, & aliam, & sic successiuè. Secundò modo, si comparetur ad agens supernaturale, quod est virtutis infinitæ, dicendum est successionem non esse de essentia motus, saltem alterationis, & augmentationis (quicquid sit de motu locali, de quo Scotus videtur dubius) siquidem, cum tota realitas, saltem termini ad quem, alterationis, & augmentationis sit in potestate Dei, & non repugnet, vt sit tota simul secundum omnes sui partes, poterit vtique in eodem instanti induci in passum, ac proindè non successiuè, nec diuisibiliter, sed indiuisibiliter, ac instantaneè habebitur tota realitas motus, per quam forma debebat successiuè fluere comparata ad agens naturale. Ex quo infertur, quod cum nos asserimus, successionem esse

de essentia motus physici diuisibilis, loquimur de eadem in ordine ad agens naturale tantum, de qua locutus est Philosophus; non autẽ in respectu ad agens supernaturale, quod potest seipso quicquid operari valet cum causis secundis, dummodò non adsit repugnantia à parte rei, vt alibi diximus.

Ex his fit prima cõclusio. Continuitas in motu non est eius propria passio, sed pertinet ad eius rationem quiditatiuam. Probatur prima pars, tum quia passio debet esse adæquata subiecto, debet .n. conuenire soli, omni, & semper, ex Porphyrio cap. de Proprio; sed continuitas non est adæquata motui, cum conueniat etiam tempori, lineæ, superficiei, &c. quę sunt quantitates continuæ; ergo &c. Tũ etiam, quia passio est posterior natura subiecto: fluit enim ab eius essentia; atqui continuitas est prior motu, cum ingrediatur eius rationem quiditatiuam tamquã genus; ergo nequit esse eius passio. Secunda pars probatur, quia omnis quãtitas vel essentialiter est continua, vel discreta, vt patet ex his, quæ diximus in Prædicamento Quãtitatis; sed motus est quantitas, & non continetur sub discreta; ergo sub continua. Minor patet, quia motus enumeratur ab Aristotele inter species quantitatis continuæ; Tum etiã, quia in hoc 3. Physic. motus est de numero continuorum; ergo motus, cum sit species quantitatis continuæ, inuoluit in sui ratione quiditatiua continuitatem, genus enim est de ratione quiditatiua suarum specierum.

Secunda conclusio. Succesio cõtinua est de ratione formali, & quiditatiua motus diuisibilis physici. Probatur: quicquid acquiritur secundum partem post partem copulatas aliquo indiuisibili, inuoluit in sua ratione quiditatiua succesionem continuam; sed motus est huiusmodi; ergo &c. Maior patet, quia succesio continua formaliter dicit acquisitionem vnius partis post partem, cũm per hoc formaliter distinguantur continua succesiua à continuis permanentibus. Minor est nota per experientiam, in alteratione enim, quæ est essẽtialiter motus, non acquiritur forma tota simul, sed pars eius post partem, vsquequò habeat esse perfectum, & completum in alterabili; ergo &c. Secundò probatur: Id, quo aliquid intrinsecè, ac essentialiter ab alio secernitur, eo pariter intrinsecè, ac essentialiter constituitur; eadem enim sunt principia distinctiua, ac constitutiua; sed motus per succesionem continuam distinguitur à linea, & à mutatione instantanea, quarum prior acquiritur permanenter continuè, posterior verò est acquisitio indiuisibilis, habens esse tota simul; ergo motus per succesionem continuam essentialiter constituitur, ac proindè pertinet ad eiusdem essentiam, & quiditatem. Tertiò sic: Differentia constitutiua alicuius in esse essentiali spectat ad eius quiditatem; sed succesio in motu diuisibili est huiusmodi; siquidem per eam contrahitur quantitas continua ad motum diuisibilem; & tempus, tamquam genus potentiale ad suas species; ergo succesio continua spectat ad quiditatem specificam motus.

Tertia conclusio. Si succesio motus diuisibilis attendatur ex parte agentis creati, est ei essentialis; si verò spectetur per ordinem ad agens increatum est sibi accidentalis. Est Scoti in 2. d. 2. q. 9. & q. 11. ac 12. & in 3. d. 3. q. 1. sub B. loquendo tamen de motibus alterationis, & augmentationis, quia de motu locali videtur problematicus, quicquid in contrarium attentet Mastrius disput. 15. q. 6. art. 2. nu. 47. & art. 5. nu. 67. & 68. quandoquidem in 4. d. 43. q. 5 art. 2. sub C. concedit, Deum posse mouere corpus localiter in instanti; quod prius negauerat in 2. dist. 2. q. 9. Z. & q. 12. sub F. & in 3. dist. 4. q. vn. C. & quamuis iste Doctor nitatur soluere problema, dicendo, Scotum loqui in quarto loco cit. de motu locali includente tantum realitatem termini, & non totam realitatem motus; & in secundo de motu locali includente totam realitatem motus, quem posse fieri in instanti repugnat etiam diuinæ potentiæ, cui tamen subesse asserit motum localem includentem dumtaxat realitatem termini motus, nihilominus,

mus, meo videri, non soluit, quia ille transitus, qui includeret tantum realitatem termini, non esset motus, sed simplex mutatio, prout distinguitur à motu; ergo cum Scotus loquatur de motu, & concedat in vno loco posse fieri in instanti motum localem, & in alio neget, dicendum est, aut fuisse problematicum, aut sibi contradixisse. Probemus conclusionem certam de motu alterationis, & augmentationis, quia in tantum agens creatum, vt puta ignis, in alteratione inducit successiuè caliditatē, in passum .i. in aquam, in quantum nequit immediatè vincere resistentiam aquæ ob frigiditatem, quam possidet, sibi contrariam; ergo cum agens increatum nullam patiatur resistentiam, nec ex parte formæ oppositæ, nec ex parte passi, cum habeat omnia in sui potestate, sicut hoc poterit inducere totam realitatem formæ in instanti, ita illud cogitur inducere totam realitatem formæ successiuè, & diuisibiliter. Maior, seu antecedens patet, quia successio in motu alterationis prouenit ex resistentia ad motorem, cuius virtutem nequit immediatè vincere, vt docet Scotus in 2.d.2.q.9. sub V. ex Aristotele 6. Physicorum t.7. Minor est nota, quia agens increatum est virtutis infinitæ, cui nihil resistere potest. Eodem modo probari potest de motu augmentationis; siquidem tota quantitas, & tota realitas subiecti subest immediatè virtuti agentis increati, quod repugnat actiuitati agentis creati. Superest igitur vt concludamus, continuitatem, & successionem motus esse sibi essentialem tantum in ordine ad agens creatum, & stante ordine præfixo ab auctore naturæ; accidentalem autem in respectu ad agens increatum, & illimitatæ virtutis.

Obijcitur tamen contra primam conclusionem, quia motus formaliter est tātum acquisitio termini ad quem; sed acquisitio termini ad quem non est formaliter continuitas; ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quia acquisitio termini ad quem est quid incompletum; est enim actus imperfectus ex Aristotele in t.15. sed continuitas dicit esse completum, quia vnionem partium in toto; ergo acquisitio termini ad quem non est formaliter continuitas.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, minorem esse veram de continuitate permanenti, non de successiua, quia sic est imperfecta, sicut motus.

Obijcitur secundò: Continuitas, per Aristotelem pluribus in locis, accidit motui, ergo non est de eius essentia.

Resp. Continuitatem motus tripliciter potest attendi, vel ex parte temporis continuò mensurantis motum, vel ex parte mobilis à cuius extensione continua, etiam motus sicut cætera accidentia materialia, sumit suam extensionem; vel ab intrinseco, & ratione sui, quatenus nimirum successiuè informat mobile: Continuitas primo, & secundo modo considerata accidit motui, tertio modo est sibi essentialis.

Formaliter ad argumētum dico, Aristotelem locutum fuisse de continuitate primo, & secundo modo, quæ est extrinseca motui, non verò de tertia, quæ est sibi intrinseca.

Obijcitur tertiò contra secundam conclusionem: Negatio non potest esse de essentia alicuius; sed successio in motu dicit negationem simultaneæ existentiæ partium motus; ergo &c.

Resp. Minorem esse veram connotatiuè, non verò formaliter, quia sic successio dicit fluxum vnius partis post partem, qui est quid positiuum, ad quod postea sequitur negatio simultaneæ existētiæ earumdem partium.

Obijcitur quartò: Si successio esset de essentia motus, sequeretur fore de essentia sui ipsius; sed hoc est falsum; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia successio est alicuius rei successio, & nonnisi motus; ergo si successio spectat ad essentiam motus, successio esset de essentia sui ipsius.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem dico, successionem esse alicuius rei successionem potest dupliciter intelligi, vno constitutiuè, & formaliter, & sic est successio motus intrinseca, per quam in esse constituitur, tamquam

quam per differentiam formalem, vt superiùs explicatum est; alio modo subiectiuè, ac denominatiuè, & tunc est successio formæ fluentis, per quam denominatur successiuè acquiri vna pars post aliam partem, estque ei extrinseca, ac accidentalis.

Obijcitur quintò: Motus non est; ergo non est essentialiter successiuus. Cõsequentia patet. Antecedens probatur, quod fit non est, sed motus continuò fit; ergo non est.

Resp. Negando antecedens; ad probationem dico, maiorem esse veram in esse permanenti, & quieto, esse tamen in fieri, & in esse successiuo; modò motus cum fit est in esse successiuo; quinimò hæc est natura entis successiui, vt nõ sit secundum omnes sui partes simul, sed vna continuè succedat alteri.

Obijcitur sextò contra tertiam conclusionem: Si successio esset aliquo pacto accidentalis, ideò esset, quia motus secundum totam suam realitatem posset fieri indiuisibiliter, & in instanti; sed hoc repugnat cuicumque potentiæ; ergo successio est semper, & respectu cuiuscumque potentiæ, essentialis motui. Sequela maioris patet. Minor probatur, quia essentia motus importat acquisitionem vnius partis post aliam partẽ; sed si possent omnes esse in eodem instanti, destrueretur essentia motus, quia pars vna non succederet alteri, sed omnes essent simul; ergo si fieret in instanti, non esset motus, & sic non posset dici, successionem esse sibi accidentalem.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, maiorem esse veram in ordine ad agens creatum, & virtutis limitatæ, falsam tamen in comparatione ad agens increatum, & virtutis illimitatæ, quia sic motus non dicit habitionem partium sibi succedentium, sed coexistentiam earumdem ad formam, quæ per ipsas secundum partem, & partem debuisset fluere, nisi secundum totam suam realitatem fuisset indiuisibiliter acquisita in subiecto, virtute agentis increati.

Contrà, quia implicat prius, & posterius; præsens, & futurum esse simul per quamcumque potentiam; sed si motus secundum totam suam realitatem posset per aliquam virtutem fieri in instanti, prius, & posterius, præsens, & futurum essent simul; ergo &c. Maior patet, quia repugnat eorumdem formalitatibus; siquidem succedente posteriori, & futuro, deperditur prius, & præteritum. Minor patet, quia motus secundum omnes sui partes mensuratur prioritate, & posterioritate, præterito, & futuro; ergo si partes motus possent, vt mensuratæ, esse simul, quo ad fieri saltem, etiam illa, quæ sunt mensuræ possent coexistere simul, quod tamen repugnat, adeò vt coner fateri, esse argumentum validissimum.

Resp. Nihilominus distinguendo maiorem; siquidem habet veritatem, si formaliter sumantur; sic enim includunt repugnantiam ad esse simul; non autem si materialiter accipiantur, prout dicunt coexistentiam ad mensurata, quia sic possunt esse eo modo, quo sunt mensurata; cùm igitur tempus sit mensura motus, & hic mensuret formam fluentem, cui secundum omnes sui partes coexistunt, saltem in fieri, & hæc possit secundum totam suam realitatem induci indiuisibiliter ab agente increato in passum, consequenter etiam motus, qui secundum totam suam realitatem coexistit toti formæ fluenti, poterit simul cum illa indiuisibiliter, ac in instanti fieri.

Vtrum motus distinguatur realiter à mobili, & à termino ad quem?

QVÆSTIO IV.

Qvamuis hęc difficultas posset faciliter solui ex dictis suprà q. 2. huius disput. nihilominus ad vberiorem doctrinam, & quia Doctores non sunt totaliter concordes, lubet eamdem seorsim pertractare.

Circa hanc quæstionem igitur duę recensentur Doctorum opiniones, quarũ prima est Soncinatis 5. Met. q. 16. Buridani hic q. 2. Alberti de Saxonia q. 4. & 5. Soti q. 1. & 2. Toleti q. 3. Conimbric. 5. Physicorum cap. 2. q. 3. art. 2. Ocha-

mi

mi 2. sent. q. 9. & aliorum, asserentium motum tantum ratione distingui à termino ad quam, & à mobili, non autem ex natura rei.

Secunda opinio est Pauli Veneti 3. Physicorum cap. 3. Tatareti q. 1. Aureoli apud Capreolum in 2. dist. 1. q 2. art. 2. Argent. d. 19. q. 1. Ruuij tract. de Motu q. 4. & Rocci q. 5. docentium, motum distingui realiter à termino ad quem, & à mobili. Hanc videtur sequutus etiam Doctor subt. in 2. d. 1. q. 5. sub T. dum asseruit, formam, & subiectum posse manere cessante motu, ex quo inferenda est distinctio realis, quæ reperitur inter illa, quæ possunt abinuicem separari.

Pro cuius declaratione, ac fundamento, primò notandum est, distinctionem realem esse inter illa, vel quæ se habent vt causa, & causatum; vel vt producens, & productum; vel quæ possunt abinuicem separari; vel sunt in rebus realiter distinctis; Ratione primæ cōditionis totum essentiale physicum distinguitur à suis partibus simul sumptis realiter, vt superiùs vidimus in primo libro; Ratione secundæ, Pater, & Filius in diuinis distinguūtur realiter; Ratione tertię, paries, & albedo distinguuntur realiter; Et ratione quartæ, albedo Petri, & albedo Pauli abinuicem realiter secernuntur; cùm igitur mobile, & terminus ad quem possint esse sine motu formaliter sumpto, quia dicit Aristoteles lib. 1. de Generat. & Corrupt. t. 55. quod habitibus præsentibus .i. formis perfectè acquisitis in mobili, cessat motus, sequitur motum realiter distingui nedum à mobili, sed etiam à termino ad quem, qui est forma acquisita in esse perfecto, & completo.

Secundò notandum est ex dictis suprà q. 1. & 2. motum tripliciter sumi posse .s. materialiter, formaliter, & concomitanter. Motus formaliter est fluxus, seu acquisitio termini ad quem, vt calefactio per quam acquiritur caliditas in esse perfecto. Materialiter est ipsa forma in esse quieto, ad quam terminatur motus formaliter, vt caliditas, ad quam terminatur calefactio. Concomitanter autem est totum id, quod concomitatur motū, siuè antecedenter, siuè consequenter, & sic mobile, mouens, actiones, passiones, & cætera huiusmodi dicuntur motus cō comitanter. Ex his infertur, motum materialiter, & terminum ad quem; & motum concomitanter, ac mobile non distingui realiter inter se, cum sint omninò idem; motum autem formaliter secerni realiter nedum à mobili, verùm & à termino ad quem, cùm possint abinuicem separari.

Tertiò notandum est, quod quamuis terminus ad quem possit separari à motu, vt docet Aristoteles 1. de Generat. & Corrupt. t. 55. dum inquit: Quod habitibus præsentibus .i. formis, quę sunt termini ad quos, existentibus in esse completo, cessat motus, hoc est earumdem acquisitio, non tamen è conuersò motus potest seiungi à termino ad quem, prout per ipsum fluit, & hoc propter connotationem motus in terminum, ex qua oritur inseparabilitas ex parte motus; siquidem acquisitio nequit seiungi ab acquisibili per ipsam, dum est in continua acquisitione, & in continuo fieri, alioquin esset relatio sine termino; & productio sine principio productiuo, quæ omninò implicant.

Quartò notandum est, quod termini motus sunt in duplici differentia; alij .s. sunt continuatiui, & terminatiui partiū, à quibus motus accipit esse continuum, cuiusmodi sunt mutata esse, quibus copulantur partes motus, eo modo, quo instantibus copulantur partes temporis, & hi termini dicuntur intrinseci motui, quia sine illis nequit consistere eius essentia; alij verò sunt tantum terminati, & copulatiui, vt gradus, seu partes formæ fluentis, prout sunt in esse acquisibili successiuè, & isti dicuntur extrinseci motui, ab eoque separabiles; & quamuis actu non separentur, nisi dum sunt in esse quieto, tamen motus distinguitur realiter etiam ab eis, sicut à termino ad quem perfecto, quippè ab ipso nō distinguuntur nisi per fieri, & factum esse, sed in re sunt omninò idem cum eo.

Ex his fit prima conclusio: Motus distinguitur realiter à mobili, & à termino ad quem. Probatur: Tum quia illa, quorum

tum vnum potest esse sine alio ex natura rei, distinguuntur realiter; sed mobile, & terminus ad quem possunt esse sine motu; ergo distinguuntur realiter. Maior patet ex 1. not. & ex Aristotele 7. lib. Topicorum c. 1. loco 12. vbi inquit: Si alterum interimitur, alterum autem non, profectò nō idem sunt. Minor probatur, quia aqua manet sine actuali acquisitione caliditatis, & habita postea caliditate in esse perfecto, cessat eiusdē acquisitio ex Philosopho 1. de orto, & interitu t. 55. sed acquisitio est motus, & aqua est mobile, caliditas verò terminus ad quem; ergo mobile, & terminus ad quē possunt esse sine motu.

Secunda conclusio. Motus distinguitur realiter à terminis intermedijs intrinsecis eiusdem. Probatur, quia fluxus distinguitur realiter a forma fluente, nedū in facto esse, verùm etiā in fieri; sed fluxus formæ est motus, & termini intermedij extrinseci sunt formæ fluentes vt sunt in fieri; ergo si motus distinguitur realiter à forma in facto esse, prout ipsū totaliter terminat, etiam habebit distingui realiter, vt terminat ipsum in esse fluenti, & in fieri. Maior fuit probata supra q. 2. concl. 1 Minoris prima pars patet ex dictis ibidem; Secūda pars autem est nota ex 4. not. & etiam quia forma in fieri, & in facto esse sunt prorsus idem in re, & solummodò differunt quo ad fieri, & factum esse.

Tertia conclusio. Motus formaliter nō distinguitur realiter à terminis intermedijs intrinsecis. Probatur, quia motus est essentialiter quātitas continua, vt probatum est in præcedenti quæstione; sed quantitas continua essentialiter includit huiusmodi terminos, vt manifestè apparet ex eius diffinitione; ergo motus includit essentialiter terminos intrinsecos intermedios; At quæ se includunt essentialiter, non distinguuntur realiter, nisi sint causa, & effectus physicus; ergo motus non distinstinguitur realiter à terminis intermedijs intrinsecis. Confirmatur, quia ita se habent huiusmodi termini in motu, sicut instantia, seu nunc, in tēpore, sed tempus nequit intelligi sine instantibus, siue nunc, ex Aristotele 8. Physicorum t. 11. ergo neque motus sine huiusmodi terminis intermedijs. Maior est nota, quia tempus est passio motus, ex eodem Aristotele ibidem; ergo eadem ratio est de vtrisque.

Obijcitur tamen primò contra primā conclusionem probando motum non distingui realiter à mobili, quia nō sunt multiplicanda entia sine necessitate, ex Philosopho 1. Physic. t. 51. sed nulla necessitas cogit ponere motum distinctum realiter à mobili; ergo &c. Minor probatur, quia sufficienter intelligimus mobile moueri, ex eo quod aliter, & aliter se habeat in diuersis partibus spatij, absq. hoc, quod ponamus in ipso aliquam nouam formam, per quam dicatur moueri; ergo nulla necessitas vrget, vt ponamus motum realiter distinctum à mobili.

Resp. Negando minorē, & probationem eiusdem, & ratio est, quia sicut non possumus intelligere parietem albū, vel nigrum, nisi ponamus in ipso formā albedinis, & nigredinis, per quā denominetur albus, vel niger, ita non possumus intelligere mobile moueri, vel aliter se habere, si non ponatur in ipso motus, vel forma, per quam possit denominari moueri, vel aliter se habere.

Obijcitur secundò: Quod motus non distinguatur realiter à termino ad quē; si motus distingueretur realiter à termino ad quem, sequeretur motū posse esse sine ipso; sed consequens est falsum, ergo &c. Sequela maioris patet, quia illa distinguuntur realiter, quorum vnum potest esse sine alio. Minor probatur, quia tunc sequeretur aliquam formam acquiri, & non acquiri per motū: acquireretur quidem, quia in omni motu acquiritur aliqua forma, tāquam terminus ad quē: nō acquireretur verò, quia, ex hypothesi, separaretur à motu, sicq. acquireretur, & non acquireretur per motum.

Resp. Negando sequelam maioris; quandoquidem terminus benè potest non consistere absque motu, vt dictum est, non tamen motus sine termino ad quem, propter connotantiam, quam exercet motus erga terminum ad quem; est enim via ad ipsum, & principium productiuum vt quo eiusdem.

Obijci-

Obijcitur tertiò, quia motus, & terminus ad quem per eamdem actionem producuntur; ergo sunt idem realiter. Tenet consequentia, quia actio, sicut quælibet alia relatio, sumit suam vnitatem à termino; ergo vnius actionis est vnus terminus; ergo quæcumque per eamdem actionem producuntur erunt vnum, & idem, & non diuersa. Antecedens probatur: Quamlibet actionem concomitatur motus, si ergo motus fieret per actionem propriam, distinctam à termino ad quem; ergo motus fieret mediante alio motu, & ille alio, mediante, & sic in infinitum, quod non est dicendum.

Resp. Actionem duplici potiri termino, altero sibi intrinseco, ad quem immediatè terminatur, & talis est passum per ipsam transmutatum; siquidem est relatio agentis ad passum, & non producentis ad productum; altero verò extrinseco, ad quem tantum mediatè terminatur, vt est terminus ad quem, per motum ab agente productus; concomitaturque actionem agentis, pro quanto nequit produci in passo, nisi prius agens in ipsum agat: Ad propositum, ea, quæ per eamdem actionem immediatè producuntur, & intrinsecè eamdem terminant, sunt idem realiter, non tamen, si vnum immediatè, & alterum mediatè producantur, vel vnum intrinsecè, & alterum extrinsecè eamdem actionem terminant, vt sunt motus, & terminus ad quem.

Formaliter ad argumentum Resp. cõsequens esse verũ si ambo eodem modo producuntur immediatè, & eodem modo terminent, non tamen si vnum immediatè, & alterum mediatè tantum producantur, ac terminent, vt est in proposito de motu, & termino ad quem, quorum prior immediatè pendet ab actione agentis, posterior verò tantum mediatè.

Vel dicendum breuiter secundò, negando antecedens; siquidem motus per actionem transmutatiuam; & terminus ad quem per productiuam formaliter habent esse; ad probationem dico, antecedens esse verum de actione productiua, non tamen de transmutatiua, & sic non sequitur ante motum dari motum vsque in infinitum, quia motus non fit per actionem productiuam, sed tantum per transmutatiuam, quæ est de genere actionis, sicut productiua de genere relationis.

Obijcitur quartò: Quæ differunt solũ secundum esse perfectum, & imperfectum, non differunt realiter; sed motus, & terminus ad quem differunt tantum secundum esse perfectum, & imperfectum; siquidem motus est actus imperfectus, terminus ad quem actus perfectus; ergo non differunt realiter.

Resp. Negando minorem; quandoquidem differunt essentialiter, quia motus est de genere successiuorum, terminus ad quem de genere permanentium, quæ constituunt duas species quantitatis continuæ, ab inuicem nedum realiter, sed etiam essentialiter distinctas.

De actione, & passione simul.

DISP. II.

Vtrum actio, & passio sint formæ absolutæ, vel respectiuæ?

QVÆSTIO I.

De actione, & passione nonnihil disseruimus in lib. Prædicamentorũ, cùm egerimus de sex vltimis Prædicamentis, sed ita sobriè, vt sit necesse denuò de eisdem pertractare, maximè cum Aristoteles occasionem dederit, disputando, an actio, & passio sint motus: Et an sint in agente, vel in patiente. Et quia dilucidatio harum difficultatum, pendet ex cognitione essentiæ, & naturæ vtriusque, ideò iure quæritur primò, an sint formaliter formæ absolutæ, vel respectiuæ?

Circa quam duæ extant Doctorum opiniones, quarum prima est Thomistarum, & quorumdam Recentiorum, asserentium esse formas absolutas, aut quæ sint motus, aut quæ sint entitates agentis,

agentis, & passi, aut quid medium inter causam, & effectum. Ita Capreolus in 2. dist. 1. q. 2. art. 1. conclus. 2. Hæruens quol. 7. q. 14. Soncinas 5. Met. q. 4. Iauellus q. 3. & alij, quos refert Mastrius disp. 7. q. 3. art. 1.

Secunda opinio est Scotistarum, ex opposito sustinentium, actionem, & passionem formaliter esse formas respectiuas, & tantum materialiter absolutas. Sic Scotus in 4 d. 13. q. 1. Antonius Andreas lib. sex Principiorum quæst. 1. & 2. Trombeta 9. Metaph. q. 2. Tataretus in Prædicam. cap. de actione, & passione, Sulmona 3. Physic. tract. de Motu q. 7. Carharensis q. 2. art. 1. & Mastrius circum alijs ab eodem relatis.

Pro Scoticæ opinionis intelligentia, ac fundamento primò notādum ex eodem Doct. subtili in 4. d. 13. q. 1. sub H. actionem esse nomen æquiuocum, & sumi posse quintupliciter, Primò pro operatione vitali .s. pro intellectione, & volitione, quæ dicuntur actiones, Tum quia sunt in continua dependentia ad intellectum, & voluntatem à quibus fiunt; Tum quia terminantur in obiectum, veluti in passum. Secundò pro productione, & sic dicit respectum producentis ad compositum productum, vt e. g. ipsius ignis producētis ad ignem alium productū. Tertiò pro inductione, vel eductione formę de potētia subiecti, & dicit respectum inducentis, vel educentis, ad inductū, vel eductum, vt ignis inducentis calorem in aquam, ad calorem inductū, vel ignis educentis calorem ad eumdem eductum de potentia aquæ. Quartò pro re acta, seu pro forma per actionem cantata .i. pro calore per calefactionem ab igne producto in aquam. Quintò denique pro transmutatione, & sic importat respectum agentis ad passum, vel trāsmutantis ad transmutatum, vt ignis agentis, vel transmutantis aquam de frigiditate ad caliditatem. Ex his infertur, quod actio primo, & quarto modo sumpta importat formam absolutam de genere qualitatis, vel quantitatis: Secundo, & tertio modo præsefert relationes de genere ad aliquid: Et quinto modo importat formam respectiuam, per quam constituitur quintum prædicamentum Actionis, Passionis, & à cæteris distinguitur, & de hac solum est sermo in presenti quæstione.

Secundò notandum ex eodem Scoto in 4. d. 13. q. 1. sub I. L. & M. in qualibet actione tres respectus cōcurrere, vt e.g. in ignitione: Primus respectus est ignis producētis media ignitione, ad aliū ignē productum, & hic respectus habet pro termino totum compositum; Secundus est respectus inducentis, vel educentis formā ad eādem inductam in passo, vel eductam de passo, vt ignis inducentis, vel educentis calorem de potentia ligni, & isti respectus terminantur ad formam, & non ad totum compositum. Tertius est transmutantis ad transmutatum, vt ignis transmutantis materiam ligni de forma ligni ad formam ignis; & hic habet pro termino passum .i. materia transmutatam, & de hoc tantum agitur in proposito.

Tertiò notandum ex eodem loco, huiusmodi tres respectus abinuicem secerni ratione suorum terminorum, à quibus in esse dependent essentialiter, vt alibi diximus in Logica disput. de Relat. Primus enim terminatur ad totum compositum; Secundus ad formam; Tertius ad materiam, quæ sunt partes compositi: cū igitur ex supradictis in 1. Physicorum, compositum distinguatur realiter à suis partibus, & pariter materia, & forma ab seinuicem realiter discriminentur, sequitur etiam, quod huiusmodi tres respectus abinuicem realiter secernantur.

Ex his fit prima conclusio. Actio sūpta pro operatione, & pro re acta, est forma absoluta de genere qualitatis. Est Scoti in 4. d. 13. q. 1. H. & quol. 13. Probatur, quia actio, accepta pro operatione vitali est intellectio, & volitio; sumpta verò pro re acta est forma accidentalis per actionem alteratiuam producta; sed illæ sunt qualitates, vel spirituales, vt duæ primæ, vel corporales, vt omnes formæ per alterationem acquisitæ in subiecto, siquidem hæ ad tertiam speciem, illæ verò ad primam speciem de prædicamento qualitatis spectant; ergo actio sumpta pro operatione, & pro re

acta

acta sunt formæ absolutæ.

Secunda conclusio. Actio secundò, & tertiò modo est forma respectiua de prędicamento Relationis. Est Scoti ibidem. Probatur, quia respectus intrinsecus aduenientes sunt de prædicamento Relationis, vt probatum est in Logica disput. de Relationibus q. 1. sed actio secundò, & tertiò modo sunt respectus intrinsecus aduenientes; ergo &c. Minor probatur, quia actio secundò, & tertiò modo importat respectum producentis ad productum, vel inducentis, aut educentis ad inductum, aut eductum, vt dictum est not. 1. sed huiusmodi respectus sunt intrinsecus aduenientes; siquidem positis extremis in quacumq. distantia, necessario, & inimpedibiliter resultant; ergo sunt respectus intrinsecus aduenientes, ac proindè spectantes ad Genus Relationis.

Tertia conclusio. Actio quinto modo accepta non est forma absoluta, sed respectiua de Genere Actionis, sicut Passio ei opposita est forma respectiua de Genere Passionis. Est Scoti ibidem. Probatur primò, quia si actio, & passio essent formæ absolutæ, & non respectiuæ, sequeretur processus in infinitum in actionibus, & passionibus; sed hic non est admittendus, cum repugnet Philosopho lib. Post. cap. 24. & 25. ergo &c. Sequela maioris probatur, quia omnis forma absoluta fit mediante aliqua actione, vt conceditur communiter ab omnibus, tunc quæram de illa actione, an sit forma absoluta, vel respectiua; si respectiua, habetur intentum, cùm & prima erit respectiua; sunt enim eiusdem rationis: si verò dicatur absoluta; ergo fiet per aliā actionem, de qua quæram sicut prius, & sic erit processus in infinitum in actionibus, & passionibus oppositis, cum semper se comittentur, quod non est admittendum. Secundò sic probatur, quia omnis forma absoluta subiectatur in aliquo subiecto; sed, data hypotesi, actio, & passio in nullo subiectarentur subiecto; ergo non sunt formæ absolutæ. Maior patet, cùm sit accidentalis. Minor probatur, quia, vel actio subiectaretur in agente, & passio in passo, vel ambæ in agente, aut ambæ in passo; sed nullum horum est dicendum; ergo non sunt formæ absolutæ. Maior patet à sufficienti enumeratione subiectorum, in quibus possent subiectari. Minor probatur: Nō est dicendum primum, & secundum, quia agens mutaretur secundum illam formam absolutam, antequam passum mutaretur ab eo; & pateretur secundum illam formam priusquam agens in ipsum ageret; siquidem haberent formas absolutas, quas prius non habuissent; ergo mutarentur; mutari enim est rem aliter se habere nunc, quam prius, secundum Aristotelem 6. Physic. tex. 32. ergo &c. Nec tertium, aut quartum, quia agens simul ageret, & pateretur, & passum simul pateretur, & ageret, quæ repugnant naturæ agentis, & passi. Consequentia ista probatur, quia accidens denominat subiectum in quo est; ergo si actio esset in passo, & passio in agente, agens pateretur, & passum ageret, & si ambæ essent in alterutro, ambo pariter agerent simul, ac paterentur, sicque mouerentur motibus contrarijs, quod est contra Aristotelem 3. Physic. tex. 19. Nec potest dici quod non mutarentur ab illis, quia essent illis coæuæ; quia subinfert Doctor, quod tunc daretur actio sine passione, & è conuersò passio absque actione, quod esset contra Auctorem sex Principiorum, vbi docet, actionem exigere passum in quod agat, & passionem agens à quo patiatur. Sequela probatur, quia non vniformiter est actio, & passio, quando agens agit aliquid, & passum aliquid patitur; ac quando nihil; sed quando aliquid agitur, & patitur, verè est actio, & passio; ergo quando nihil, non est actio, & passio: cæterùm si essent coæuæ agenti, & patienti, esset actio, & passio quando nihil ageretur, aut pateretur, & sic foret actio absque passione, & passio sine actione, quod est contra earum diffinitiones datas à Gilberto Porrectano cap. de actione, & passione. Secunda pars probatur, quia omne ens, aut est absolutum, aut respectiuum; sed actio, & passio sunt entia realia, vt patet, & non sunt formæ absolutæ, vt hactenus probatum est; ergo sunt

sunt formæ respectiuæ.

Quarta conclusio. Actio, & passio quinto modo sumptæ sunt relationes extrinsecus aduenientes, agentis ad passũ, & passi ad agens; constituuntq. duo prædicamenta abinuicem realiter distincta. Est Scoti in 4. d. 13. q. 1. ab A. vsque ad G. fuitque sufficienter probata in Logica cap. de Actione, & Passione, disput. 8. de sex vltimis prædicamentis q. 1. quarè supersedendum censeo, ne fiat inutilis repetitio: Et ne tollatur occasio inuisendi præterita, quæ valdè iuuant ad perfectam cognitionem præsentium, ac ad solutionem argumentorum oppositorum calamum transfero.

Objicitur igitur primò contra conclusionem primam: Actio de genere actionis per Scotum in 4. sent. loco cit. & quolib. 13. non est forma absoluta; sed operationes vitales, vt sunt intellectio, & volitio, sunt actiones de genere actionis; ergo &c. Minor probatur, quia actio transmutatiua passi de forma ad formã est actio de genere actionis; sed per operationes vitales transmutantur obiecta de non esse ad esse, hoc est de non esse intellecto, vel volito, ad esse intellectum, vel volitum; ergo sunt actiones de genere actionis.

Resp. ex Doct. subt. quolib. 13. negando minorem; ad probationem negatur iterùm minor, quia tunc subiectum dicitur transmutari, cum exuit formam, quam prius habebat in se subiectiuè, & nouam induit, vt patet de transmutatione aquæ de frigiditate in caliditatem receptam ab igne transmutante; modò obiectum non dicitur intellectum, vel volitum per receptionem alicuius formæ nouæ, & per deperditionem antiquæ, sed solum per terminationem extrinsecam intellectionis, & volitionis, quæ appellatur relatio attingentiæ ab ipso Doctore sub D d. ideò sicut obiectum nequit dici transmutatum; nec operationes ad ipsum terminatæ poterunt appellari actiones transmutatiuæ.

Objicitur secundò contra tertiam conclusionem, probando, quod actio sit forma absoluta, quia nulla forma respectiua est prior natura suo termino, ex Physic. Doct. subt. in 1. sent. dist. 30. q. 2. Et in 2. dist. 1. q. 2. sed actio est prior suo termino, saltem natura; ergo actio non est forma respectiua, sed absoluta. Minor probatur, quia productum est posterius suo principio productiuo; sed per actionem producitur terminus ad quem; ergo actio est prior suo termino.

Resp. ex Doct. subt. in 4. dist. 13. q. 1. Actionem dupliciter sumi posse, scilicet fundamentaliter, & formaliter; actio fundamentaliter est potentia actiua agentis transmutantis passum de vna ad aliam formam, & huiusmodi potentia, cum non distinguatur ab entitate agentis, est forma absoluta; actio verò formaliter est relatio fundata super eadem potentia actiua agentis, à qua denominatur agere in passum, & talis est forma respectiua, de qua dumtaxat est sermo in præsenti quæstione.

Formaliter ad argumentum dico, minorem esse veram de actione sumpta pro fundamento, non tamen de actione formaliter accepta, quia hæc, cum sit relatio agentis ad passum, est posterior suo termino. Ad probationem dico, maiorem esse veram de principio productiuo fundamentali, non tamen formali, & denominatiuo; modo actio formaliter sumpta est principium productiuum termini tantum denominatiuè, non verò fundamentaliter.

Objicitur tertiò contra eamdem, quod nõ sit forma respectiua, quia super actionem fundatur relatio, ex Arist. 5. Met. t. 20 cap. de Ad aliquid; sed super relationem non fundatur relatio, alioquin daretur processus in infinitum in relationibus; ergo actio non est relatio, ac proindè nec forma respectiua.

Resp. ex Doct. subt quolib. 12. maiorem esse veram de actione pro fundamento, quæ non est nisi potentia actiua, super qua fundatur relatio producentis ad productum, falsam autem de actione formaliter accepta, quæ est relatio, quia super ipsa nulla fundatur relatio, saltem realis.

Objicitur quartò: Nulla forma respectiua est vltimus finis, & vltima perfectio potentiæ actiuæ; sed actio est huius-

moili per Philosophum 9. Met. t. 15. vbi inquit: Finis verò actus, & huius gratia potentia sumitur; non enim vt visum habeant animalia vident, sed vt videant, visum habent; ergo vltima perfectio potētiæ actiuæ est actio. Maior probatur à Doct. subt. quodl. 13. pluribus rationibus, & auctoritatibus, tum Sanctorum Patrum, tum Philosophi, quas ibidem quisq. videre poterit; ergo nulla forma respectiua est vltimus finis; & vltima perfectio potentiæ actiuæ.

Resp. Minorem esse veram de actione fundamentali, sumpta pro re acta, seu pro operatione potentiæ actiuæ, quæ saltem æquiuocè appellatur actio, vt dictū est in 2. not. ex Scoto 4. sent. d. 13. q. 1. nec aliud sonant verba Philosophi ex 9. Met. t. 15. si rectè inspiciantur: Siquidem ponens differentiam inter actum, & potentiam, ait, finem animalium non consistere in habere potentiam ad operandū, sed in ipsa operatione; inquit enim, non vt visum habeant, vident; sed vt videant, visum habent; hoc est potentia visiua in animalibus non est posita propter se, verum dumtaxat propter videre, quod est actus; & operatio animalium; modò operationes potentiarum sunt formæ absolutæ, non autem respectiuæ, saltem formaliter, quamuis connotent duplicem respectum .i. dependētiæ ad potentiam, & attingentiæ ad obiectum, vt obseruat, & ostendit Doctor subt. in sæpè citato quol. 13. sub D d.

Vtrum actio formaliter sumpta sit subiectiuè in agente, vel in passo simul cum passione sibi opposita?

QVÆSTIO II.

THæmistius, & Alexander Aphrodisæus præclari sectatores Aristotelis ad t. 19. 3. Physic. cum non distinguant actionem à motu, sicut etiā videtur innuere idem Philosophus in t. 22. tenent actionem, & passionem esse subiectiuè in passo, sicut motus in mobili. Hanc eādem sententiam secuti sunt communiter Thomistæ citati in præcedenti quæstione, cum Collegio Conimbric. quibus addi possunt Ferrar. 3. Physic. q. 4. & 2. contra Gent. cap. 1. Petrerius lib. 13. c. 7. & alij, quos refert, & sequitur Ruuius tract. de Motu q. 6. nec non alij relati à Mastrio disp. 7. q. 3. art. 2. sub n. 28.

Scotus autem in 1. d. 3. q. 6. & in 4. d. 13. q. 1. & d. 43. q. 5. H. & quol. 13. docet actionem esse subiectiuè in agente, passionē autem in passo. Doct. subt. sequuntur omnes eius Discipuli, ac ex Thomist. Caietanus 1. p. q. 25. art. 1. Nazarius, Ripa, & Zomel. ibidem, ac alij, quos retulit, & sequutus est Mastrius loc. cit. sub n. 29.

Primò igitur notandum ex Scoto in quol. 13. sub D d. & E e. Actionem esse duplicem .s. immanentem; & transeuntem. Actio immanens est, quæ manet in agente, & nō transit extra, vt intellectio, & volitio, quæ recipiuntur in intellectu, & voluntate, à quibus eliciuntur. Actio verò trāsiens est, qua aliquid producitur extra ipsum agens, vt ignitio, qua producitur alius ignis extra ignem producētem, nempè in lignum combustum .i. in eius materiam; & hæ actiones dupliciter considerantur, vno modo formaliter, alio modo pro connotato. Primo modo sunt relationes agentis ad passum, seu transmutantis ad transmutatum, vt calefactio est actio transiens, & intellificatio est immanens, quia sicut prior dicit relationem ignis calefacientis ad aquam calefactam, ita posterior importat relationem intellectus ad seipsum transmutatū per intellectionem in se receptam; & istæ actiones sic consideratæ, inquit Doctor, non sunt æquiuocæ, sed vniuocæ, ac eiusdem rationis; siquidem vtraque denominat agens, vti transmutatiuum passi. Secundò modo sunt inter se valdè differentes; nam transiens habet necessariò terminum extra agens, vt calefactio terminatur ad aquam calefactam extra ignem; Immanens verò habet terminum in ipso agente, vt intellificatio habet terminum ad intellectionem in intellectu ipsam producente receptam, sicque acceptæ huiusmodi actiones, non sunt vniuocæ, sed æquiuocæ, & alterius rationis; siquidem immanens connotat terminū in agente, transiens autem extra illud.

Secundò notandum est, quod agens

creatum

creatum respicit tria .s. compositum, formam, & subiectum, vt ignis respicit compositum alterius ignis, & tunc fundat respectum producentis ad productum; Secundò respicit formam ignis, vt inductam in passum, vel eductam de potentia .s. de materia ligni, & tunc ignis agens fundat duplicem respectum ad formam .s. inducentis ad inductum, & educentis ad eductum; Tertiò autem respicit subiectum, seu passum, idest materiam ligni, & ita fundat alium respectum, qui dicitur transmutantis ad transmutatum: Primus respectus dicitur actio productiua pro formali; Secundus vocatur actio inductiua; Et tertius actio eductiua pariter pro formali; & cum huiusmodi respectus sint intrinsecus aduenientes, spectant ad genus relationis, vt dictum est in præcedenti; vltimus respectus autem appellatur actio transmutatiua, & pertinet ad prædicamentum actionis; vocaturque communiter actio de genere actionis, de qua solum est sermo in præsenti, nō quatenus immanens, sed prout est transiens.

Tertiò notandum est, denominationem esse duplicem .s. intrinsecam, & extrinsecam. Prior est, quando forma denominans est in re denominata; vt dicendo paries est albus, est denominatio intrinseca, quia albedo, quæ est forma denominans, est subiectiuè in pariete. Posterior verò est cum forma denominans non est subiectiuè in denominato, sed tantum extrinsecè terminatur ad ipsum, vt ista, paries visus, est denominatio extrinseca, quandoquidem visio, quæ est forma denominans, non est subiectiuè in pariete, sed solum terminatiuè. Ex quo infertur, quod cum agens non possit denominari intrinsecè agere à passione, non est subiectiuè in agente; nec passionis intrinsecus effectus est agere, verùm pati dumtaxat, similiter patiens, cum denominari non possit intrinsecè ab actione, cuius effectus intrinsecus, ac formalis est agere; sequitur quod actio, secundū quā agens denominatur agere, sit subiectiuè in agente, & passio, qua patiens dicitur intrinsecè pati, sit subiectiuè in patiente.

Ex his sit prima conclusio. Actio pro connotato, siuè terminatiuè sumpta, nō est subiectiuè in agente, sed in patiente. Est Scoti in locis vbi supra citatis. Probatur prima pars, quia forma est in illo, quod transmutatur per eam; sed agens non transmutatur per formam à se productā, alioquin Deus, qui est agens perfectissimum, dum crearet; & ignis dum generaret alium ignē, transmutarentur, quod nemo concederet; ergo actio terminatiuè sumpta non est subiectiuè in agente. Maior patet, quia tunc aliquod subiectum dicitur transmutari, dū exuit vnam formam, & aliam induit, ex Arist. 6. Phys. t. 32. ergo forma est subiectiuè in eo quod transmutatur per illam. Secūda pars probatur, quia passum dicitur transmutari per receptionē nouæ formæ, per actionē productæ; ergo huiusmodi forma est subiectiuè in eo. Antecedens patet, quia aqua, dum deperdit frigiditatē, & acquirit caliditatē per actionem ignis agentis in ipsam, dicitur trāsmutari; quādoquidem aliter se habet sub caliditate, quam prius se habebat sub frigiditate; ergo &c. Consequentia patet, quia huiusmodi transmutatio est intrinseca per receptionem nouæ formæ, ergo recipitur in eo vt in subiecto. Consequentia similiter patet, quia forma est subiectiuè in eo quod intrinsecè denominat; cùm igitur dicatur transmutari per receptionē talis formæ necessariò sequitur, quod sit in illo subiectiuè, & nō tantum terminatiuè. Confirmatur, quia forma producta est accidens; ergo debet esse in aliquo, vt in subiecto; non in agente, vt probatum est, igitur in patiente.

Secunda conclusio. Actio transiens de genere actionis, pro formali sumpta, non est subiectiuè in patiente, sed in agente tantum. Est Scoti in locis præcitatis. Probatur, quia forma magis est in subiecto, quod intrinsecè denominat, quam in illo, quod non denominat, vel dumtaxat extrinsecè; sed actio denominat intrinsecè agens, & non denominat passum, saltem intrinsecè; ergo actio transiens pro formali sumpta, est subiectiuè in agente, & non in patiente. Maior patet ex differentia denomina-

tionis intrinsecæ ab extrinseca, quam dedimus in 3. notab. Minor probatur, quia tunc forma denominat aliquod subiectũ intrinsecè, cum communicat illi suum effectum formalem; sed actio transiens non communicat effectum formalem passo, sed tantum agenti; ergo actio transiens denominat agens tantum, vt suum subiectum, & non passum. Maior patet, quia causa formalis dat esse rei, intrinsecè se illi cõmunicando. Minor etiã est manifesta, quia effectus formalis actionis est agens agere, sicut passionis passum pati; ergo actio communicat suum effectum agenti, & non passo, ac proindè actio erit subiectiuè in agente, & non in passo. Confirmatur, quia relatio est subiectiuè in eo quod refertur per ipsam ad aliud, ideò paternitas est in patre, & non in filio, quia est ratio referendi patrem ad filium, & non filium ad patrem; sed actione refertur agens ad passum, & non passum ad agens, ergo actio debet esse subiectiuè in agente, & non in passo. Minor probatur ex dictis in præcedenti, quia actio de genere actionis, qualis est actio transiens, formaliter dicit relationem agentis ad passum; ergo per eam refertur agens ad passum.

Tertia conclusio. Passio, formaliter sumpta, est subiectiuè in passo, & tantum terminatiuè in agente. Est Scoti ibidem. Probatur: Tum quia passio denominat intrinsecè passum: Tum etiam, quia est relatio passi ad agens, seu subiecti transmutati ad trãsmutans, ergo est subiectiuè in eo, quod denominat, & fundamentaliter subiectiuè in illo, quod refert ad aliud. Secunda: Probatur, Id est in aliquo terminatiuè, quod ab eo dependet, tamquam à suo termino; sed passio dependet ab agente, vt à suo termino; ergo passio est in agente terminatiuè. Maior patet. Minor similiter, passio enim importat relationem passi ad agens, vt ostendimus in Prædicamentis in propria quæstione disput. 8. ergo passio dependet ab agente tamquam à suo termino, ac proindè est in illo terminatiuè.

Obijciunt tamen aduersarij multa cõtra secundam, & tertiam conclusionem, in quibus potissimum est cõtrouersia, & primò dicunt secundam conclusionẽ esse apertè contra Aristotelem; siquidem 3. Physic. t. 19. & 20. asserit, actionem, & passionem esse vnum motum; sed motus secundum ipsum t. 6. & 16. est subiectiuè in mobili, quod est passum; ergo &c. Deindè 9. Met. t. 16. diuidit actionem in immanentem, & transeuntẽ, & dicit illas differre abinuicem, quia immanens est in agente, & transiens in patiente. Rursus in eodem textu habet hæc verba: Quorumcumque itaque aliud quiddam præter vsum est id, quod fit, horum actus in eo, quod fit est, vt ædificatio in eo, quod ædificatur, & contextio in eo quod contexitur; quorum verò non est aliud quiddã opus præter actionẽ, in ipsismet actio est, vt visio in vidente, & speculatio in speculante; sed visio, & speculatio sunt actiones immanentes; & ædificatio, ac cõtextio sunt actiones transeuntes; ergo, secundum Aristotelem, actio transiens (de qua tantum est sermo) est subiectiuè in passo, sicut immanens in agente.

Resp. Negando cõsequentiam; siquidem prima auctoritas est vera concomitanter, non formaliter, quia sic actio, & passio distinguuntur realiter à motu, ac proindè non sequitur quod sint subiectiuè ambæ in passo, sicut motus: Quomodo autẽ actio, & passio sint vnus motus, explicabimus in sequenti quæstione.

Ad secundam, & tertiam auctoritatem, in quibus ponit differentiam inter actiones immanentes, & transeuntes, respondet Doctor subt. in expositione illius textus, & quolib. 13. art. 3. Huiusmodi actiones non distingui à seinuicem, eo quod vna sit subiectiuè in agente, & alia in passo, vt non benè interpretantur Aristotelem aduersarij; siquidem ambæ sunt subiectiuè in agente, vt probauimus, sed discriminantur ratione termini; nam immanens habet terminum in agente, & ideò, inquit Philosophus, visio est in vidente, & speculatio in speculante; transiens autem habet suum terminum extra agens, nempè in passo, qua ratione ait, ædificationem esse in ædificato, & contextionem in cõtexto, non quidem subiectiuè, verum dumtaxat terminatiuè.

Obijci-

Objicitur secundò rationibus, Tum quia si actio esset subiectiuè in agente, tūc agens mutaretur in receptione illius; quandoquidem reciperet formam realē de nouo post illius priuationem; hoc autē nequit fieri, quin ad actionē sit actio, & ad passionem passio, ac ad motum motus, contra Aristotelem 5. Physic. t. 10. & 11. Tum etiam, quia daretur processus in infinitū in actionibus, & passionibus; siquidem quilibet motus præsupponit actionem, per quam fiat; si igitur agens moueretur ad actionem illam in se recipiendo, moueretur ad illam per aliam actionem, de qua quæram sicut de prima, & sic erit processus in infinitum in actionibus, & consequenter in passionibus, cum non possit dari actio absque passione sibi opposita.

Resp. Motum esse in duplici differentia, nempè ad se, & ad alterum; ille motus dicitur ad se, qui acquiritur alio non acquisito, & hic est ad quantitatem, qualitatem, & vbi tantum; siquidem horum quilibet fit sine præuio motu: ille verò dicitur motus ad alterum, qui non acquiritur sine præuia acquisitione alterius, qualis est motus ad relationem; non enim acquiri potest sine præuio motu ad extrema.

Formaliter ad primum argumentum concedo agens mutari, seu moueri in receptione actionis in se, motu ad alterum, qui est ad relationem; non tamen motu ad se; & cum infertur hoc esse contra Aristotelem 5. Physic. t. 10. negatur illatio; quandoquidem loquutus fuit Philosophus ibidem de motu ad se, non verò de motu ad alterum, de quo nos loquimur.

Ad secundum neganda est sequela antecedentis; siquidē daretur status in prima actione, quæ non esset acquisita per aliam, sed seipsa resultaret ex positione extremorum, & ratio est, quia sicut datur aliquid, quod est ita Quod, vt non possit esse Quo, cuiusmodi est compositum; ita debet dari etiā aliquid, quod sit Quo, & ratio agēdi alteri, vt nō possit esse Quod, cuiusmodi est actio in agente.

Objicitur tertio: Si actio esset in agente, vel esset principium actiuum eius, vel respectus eiusdem ad patiens, vel entitas absoluta de nouo in eodem producta; sed nullum istorum est dicendum; ergo actio nullo modo est in agente. Maior patet. Minor probatur: Non primum, quia principium actiuū agentis est principium actionis; ergo si actio in agente esset principium actiuum eiusdem, esset principiū sui ipsius, quod repugnat. Nec secundū, quia huiusmodi respectus pertineret ad genus Relationis; at actio facit distinctum genus ab ea; ergo &c. Nec tertiū, quia tunc produceretur per aliam actionem, & illa per aliam, & sic esset processus in infinitum, quod non est dicendum, quin potius asserendum, actionem non subiectari in agente.

Resp. Negando minorem; esset enim respectus agentis ad patiens; & cū probatur, quod pertineret ad prædicamentū Relationis, negandum est; siquidem in illo ponuntur tantum respectus intrinsecus adnenientes; non verò extrinsecus aduenientes, ex quorū numero est actio transiens pro formali sumpta.

Objicitur quartò: Quia, data veritate nostræ conclusionis, sequitur vni actioni correspondere duas passiones; sed hoc est falsum, quia vnum tantum vni opponitur, ex Aristotele 10. Met. t. 20. & actio, & passio sunt opposita relatiuè; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia actio respectiua recipitur per nos in agente; ergo agens in tali receptione patitur, & sic vni actioni respondet vnus respectus passionis: deindè actio producta est actio, quæ recipitur in passo; sed in tali receptione etiam passum patitur, & non nisi passione, quæ est respectus; ergo vni actioni correspondebunt duæ passiones, quod est falsum.

Resp. Negando sequelam maioris; ad cuius probationem dico consequens esse verum de passione, quæ dicit respectum inhærentiæ ad subiectum, non tamen, quæ præseferat passionem de genere passionis; quandoquidem hæc habet pro correlatione actionem, quæ tamen, data hypothesi, non adesset, cùm actionis non sit actio, ideò sequitur vni actioni tantum respondere vnicam passionē, & non plures, saltem eiusdem generis.

Vtrum actio, & passio distinguantur realiter à se inuicem, & etiam à motu?

QVÆSTIO III.

DE distinctione actionis à passione, & quonam pacto constituant duo prædicamenta inter se realiter distincta, satis diximus in libro Prædicamentorum disput. 8. vndè in præsenti inquirendum est duntaxat, An ambæ distinguantur realiter à motu, vel solum formaliter, aut ratione.

Nonnulli ex Thomistis, tàm antiquis, quam modernis, putant motum non distingui realiter ab actione, & passione, sed vel formaliter, vel etiam ratione solummodo. Ita Capreolus in 2. d. 1. q. 2. Soncin. 3. Met. q. 3. & Zanardus 3. Physic. q. 8. quos postea videntur sequuti Conimbric. cap. 3 q. 2. & Ruuius de Motu q. 7. n. 48. vbi contendit hanc eamdem opinionem fuisse prius traditam à Thæmistio, Simplicio, Philoppono, Alexand. & Auerroe in Commentarijs ad cap. 3. Aristotelis huius 3. Physicorum.

Scotistæ autem, sequuti Magistrum in 4. d. 13. q. 1. & d. 43. q. 5. sub H. & quolib. 13. docent motum esse quid realiter distinctum ab actione, & passione formaliter sumptis. Sic Canonic. in 3. Physic. q. 2. art. 2. Trombeta 9. Met. q. 1. art. 1. Tatar. in Prædicam. cap. de Action. q. 2. Mastrius in Physic. disp. 15. q. 3. Sulmonensis d. Actione q. 4. Catharen. 3. Physic. q. 2 art. 4. & alij communiter, quamuis nonnulli probent conclusionem cómunem rationibus diuersis, & forsan aberrantibus à mente Doctoris subtilis.

Pro intelligentia tamen veræ opinionis Scoti, loquendo consequenter ad dicta superiùs; tàm de motu, quàm de actione, & passione, Primò notandum est, Actionem, passionem, & motum tripliciter accipi posse, scilicet formaliter, materialiter, & concomitanter. Primo modo actio est respectus extrinsecus adueniens agentis ad passum; Passio est respectus extrinsecus adueniens passi ad ad agens; Et motus est fluxus formæ. Secundo modo actio est forma per actioné producta; Passio ipsum passum, seu res per passionem recepta; Et motus est forma fluens per ipsum fluxum, seu motum acquisita. Tertiò modo, actio, passio, & motus est omne illud, quod concomitatur actionem, passionem, & motum; Ex quibus infertur, actionem, passioné, & motum si formaliter sumantur, ab inuicem realiter distingui; Tum quia spectant ad prædicamenta diuersa; Tum etiam, quia motus physicus, & diuisibilis est quid absolutum; actio verò, & passio formæ respectiuæ: si verò materialiter, & concomitanter considerentur, sút idem realiter, Tum quia connotant eádem numero formam, Tum etiam quia se concomitantur, vt mox dicemus.

Secundò notandum, vt colligitur ex Scoto in 2. d. 1. q. 5. & in 4. d. 13. q. 1. & d. 43. q. 5. & quol. 13. Actionem, passioné, & motum se adinuicem cócomitari hoc ordine: In primo enim signo originis intelligitur agens agere in passum sibi approximatum, vt puta ignis in aquam: In secundo signo origniis aqua patitur ab igne agente, & tunc in aqua resultat respectus passionis ad ignem agentem, & in igne alius respectus actionis ad aquá vt patientem ab igne: In tertio signo originis agens .i. ignis, mediáte sua actione, producit in aquam motum alterationis .i. successiuam acquisitionem caliditatis: Et in quarto denique signó agens producit in passum .i. ignis in aquam, formá caliditatis intentam; Ecce quomodo omnia ista se concomitantur in productione formæ acquisibilis per motum, adeò vt agens nequeat illam inducere in passum, nisi dependenter à motu, & motus non potest præstare suum officium absque dependentia eius ab actione, & passione. Ex quo infertur, quod cùm Aristoteles dixerit in t. 22. actionem, passionemque inesse eidem motui, vel, vt alij transferunt, esse vnum motum, nó est intelligendum, vt sint vnus motus formaliter, aut realiter, sed solùm concomitanter, modo exposito.

Ex his ergo fit prima cóclusio. Actio, & passio formaliter sumptæ distinguuntur realiter à motu formaliter accepto. Est

Est Scoti in 4. d. 13. q. 1. Probatur, quia absolutum, & relatiuum distinguuntur realiter, vt probauimus in Prædicamentis disput. 2. q. 2. & disput. 7. q. 1. sed motus est quid absolutum, cum sit quantitas successiua; actio verò, & passio formæ relatiuæ, vt ostendimus in præsenti disput. q. 1. ergo actio, & passio realiter à motu distinguuntur, si sumantur omnia formaliter. Secundò sic: Actio, passio, & motus habent terminos realiter distinctos; ergo inter se realiter distinguuntur. Consequentia patet, quia distinctio specifica motuum sumitur ab terminorum distinctione specifica; ergo & realis à terminorum distinctione reali. Antecedens probatur, quia actio terminatur ad passum; passio ad agens; motus verò ad terminum ad quem, seu ad formam acquisitam per motum; sed hæc distinguuntur realiter inter se, cum possint à seinuicem separari; ergo actio, & passio distinguuntur realiter à motu.

Secunda conclusio. Actio, & passio sunt idem cum motu, si concomitanter accipiantur. Est Doctoris subt. in locis citatis notab 2. Probatur, quia illa sunt vnum, & idem concomitanter, quorum vnum pendet ab alio in fieri; sed actio, passio, & motus sunt huiusmodi; ergo sunt vnum concomitanter. Maior, & minor clarescunt ex dictis in 1. & 2. not. siquidem impossibile est dari motum sine actione, & actionem absque passione. Confirmatur, quia Aristoteles in t. 22. inquit: Neque actio cum passione idem propriè est, sed cui insunt hæc, motus; sed dictum huiusmodi nequit exponi de identitate reali, aut formali, vt ostensum est in præcedenti conclusione; neque de inesse̅tia subiectiua, quia actio est subiectiuè in agente, & passio in passo, & non in motu, vt satis demonstrauimus in præcedenti quæstione; ergo à sufficienti diuisione dicendum est, actionem, & passionem esse idem motui concomitanter.

Obijcitur tamen contra primam conclusionem. Et primò sic: quorum opposita sunt eadem, etiam ipsa pariter sunt eadem; sed opposita actionis, & motus sunt eadem, quia ita quiescit id quod cessat ab actione, sicut id quod cessat a motu; ergo cum quies actionis, & motus, quæ opponitur actioni, & motui sit vna, & eadem, etiam actio, & motus erunt vnum, & idem. Maior patet, quia vnũ tantum vni opponitur ex 10. Met. t. 20. Et 1. de Cœlo, & Mundo tex. 10. ergo si opposita sint vnum, & ea, quorum sunt opposita debent esse vnum.

Resp. Minorem, & eius probationem esse veras concomitanter, non tamen formaliter, quia oppositum motus est quies positiua, at oppositum actionis est tantum quies negatiua .i. non actio, quæ non sunt idem formaliter, aut realiter, sed solum concomitanter; cessante enim actione, cessat etiam motus, sed non è conuersò, quia vt docet Doctor in 4. d. 43. q. 5. sub I. possunt esse actio, & passio de genere actionis, & passionis, sine omni mutatione.

Obijcitur secundò: Quod passio non distinguatur realiter à motu, quia illa, quę, sic se habent, quod implicat eorum separatio, sunt idem realiter, vt patet de subiecto, & eius passione in Schola nostra; sed implicat motum esse sine passione; ergo passio, & motus sunt idem realiter. Minor probatur, quia motus necessariò est in mobili; sed dum recipitur in eo necessariò patitur mobile; ergo motus nequit esse sine passione.

Resp. Negando minorem, & eius probationem, immò per diuinam potentiã, motus potest esse sine mobili, & consequenter sine passione, vt suprà ostendimus cum Scoto in 4. d. 12. q. 4. sub L.

Obijcitur tertiò: Si actio, & passio, ac motus realiter distinguerentur, sequeretur dari in quolibet passo tres passiones, sed consequens est falsum; ergo & id, vndè sequitur. Sequela maioris, probatur, quia omnis receptio formæ est passio; sed in quolibet passo essent tres formæ realiter distinctæ; ergo tres passiones.

Resp. ex Doctore subtili in 4. d. 13. q. 1. actionem, & passionem esse in duplici differentia; quædam enim constituunt proprium genus, & sic actio est respectus agentis ad passum, seu transmutantis ad transmutatum, & passio est respe-

ctus passi ad agens, seu transmutati ad transmutans. Quædam verò spectant ad genus relationis, & sic actio dicit respectum informantis ad informatū, & è conuersò passio importat respectum informati ad informans, seu recipientis ad receptum. Priorem actionē, & passionem semper concomitatur motus, posteriorē verò non semper, nec necessariò vt patet de formis spiritualibus, quę sine motu recipiuntur in subiecto. Similiter ad actionem, & passionem primo modo acceptas non potest esse actio, & passio primo modo, licèt benè secūdo modo, quia actio informat agens, & passio passum; ad actionem autem, & passionem secundo modo benè potest esse actio, & passio, quia vtraque informatione informat, & passum receptione recipit.

Formaliter ad argumentum nego sequelam maioris, ad cuius probationem dico, maiorē esse verā de passione secundo modo, prout dicit respectū receptionis; non tamen primo modo, vt importat respectum transmutationis passiuæ.

Contrà, quia ex hac respōsione sequeretur dari processum in infinitū in receptionibus; sed hoc non est admittendum; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia quælibet forma accidentalis recipitur in subiecto media propria receptione; sed quælibet receptio est accidens; ergo & ista recipitur mediante propria receptione, & ista alia mediante alia, & sic in infinitum. Minor patet, quia esset contra Aristotelem 1. Poster. cap. 25.

Resp. ex eodem Doct. subt. in 4. d. 12. q. 1. sub I. negando sequelam maioris, ad probationem dico, maiorem esse veram de forma qualibet accidētali absoluta, nō tamen de qualibet respectiua, quia datur relatio eadē realiter fundamento, quando fundamentū nequit esse sine termino, vt est in proposito de receptione, qua formaliter recipitur forma accidentalis in subiecto; quandoquidem ipsa non recipitur media receptione alia à se realiter distincta, sed seipsa recipitur, & sic datur status in receptionibus; siquidē receptio prior cū nequeat esse sine illa forma accidentali absoluta, ad quam terminatur, sequitur quod receptio posterior sic eadem realiter priori receptioni, & in hac dari statum.

Obijcitur quartò: Motus est actus actiui, vt ab hoc, & passiui, vt in hoc; sed actus actiui est actio, & passiui est passio; ergo idem actus realiter est motus actio, & passio. Maior est Aristotelis 3. Physic. t. 22. Confirmatur, quia secundum Philosophum 2. de Anima t. 54. idem est actus motiui, & mobilis; sed actus motiui est actio, & mobilis passio, ac motus; ergo actio, & passio sunt vnum, & idem cum motu.

Resp. Ambas auctoritates esse veras concomitanter, non tamen formaliter, sicut nos loquimur de actione, passione, & motu: sic enim exponit textum Aristotelis Doctor subt. in 4. d. 13. q. 1. sub K. & paulò antè L. dicendo, actionem actā, & passionem passam esse actum actiui, & passiui, huius vt in hoc receptum, & illius, vt ab hoc acceptum, & hunc actū, cum sit forma producta, esse motum materialiter, non formaliter, de quo est tantum sermo.

De Infinito. SVMMA III.

HÆc est secunda pars huius libri, in qua aggreditur Arist. explanationem Infiniti, & diuiditur in octo capitula, in quorum primò ostendit ratione propria, & auctoritate Antiquorum, ad Physicum pertinere tractationem de Infinito: In secūdò examinat rationes, quæ apparenter probant dari infinitum: In tertiò ponit quamdam diuisionem infiniti: In quartò impugnat opiniones illorum, qui ponebant dari infinitū in actu, ac per se existens: In quintò probat dari infinitum in potentia: In sextò tradit diffinitionem infiniti de mente propria, & excludit diffinitionem Antiquorum: In septimò ostēdit, cur dari nequeat infinitum in actu, sed tantum in potentia: Et in octauò, ac vltimo soluit rationes probantes dari infinitum in actu.

Quo ad primum in t. 24. ponit vnam conclusionē, nempè esse Physici munus de infinito differere, & eam probat, quia ad Physicum spectat tractatus de magnitudine, motu, ac tempore; sed magnitudini,

dini, motui, ac tempori competit infinitudo; siquidem finitudo, & infinitudo sunt passionis quantitatis continuæ, sub qua continentur magnitudo, motus, ac tempus, tamquam species sub suo genere; ergo ad eumdem spectabit disserere etiam de infinito.

Deindè in t. 25. ostendit eamdem cõclusionem auctoritate Antiquorum: Nã Philosophi præstantissimi, qui res naturales dignè pertractarunt, aliquam de infinito fecerunt mentionem; ergo signũ est ad Physicum spectare infiniti cognitionem. Probat antecedens narrãdo eorum opiniones de infinito; siquidem quidam Philosophi naturaliter loquentes posuerunt, infinitum esse accidens ipsius substãtiæ; Alij verò, vt Pithagorici, & Platonici ex opposito dicebant infinitum esse substantiam per se existentem; & hi erant diuisi, quia Pithagorici ponebant infinitum in ipsis rebus, & numeris sensibilibus: non enim abstrahebant numerum à sensibilibus, & huiusmodi infinitum constituebant nedum in Mundo, idest infra vltimam spheram, sed extra Cœlum etiam illud collocabant: At Plato negabat dari posse infinitum extra Mundum; siquidem omne corpus debet esse in aliquo loco; cùm igitur extra, nullus reperiatur locus, & infinitũ sit quoddam corpus, consequenter fieri non potest, vt sit infinitum extra Mundum. Constituebat igitur infinitum in Mundo, vel in rebus sensibilibus, & hoc dicebat esse magnum, & paruum; vel etiam in ipsis idæis.

Posteà à tex. 26. vsque ad 30. explanat sententias Pithagoricorum, & Platonicorum, & recenset opiniones Anaxagoræ, & Democriti ponentium infinitum ex partibus similaribus, vel ex athomis constare, vt vidimus in 1. Physicorum: Ex quibus omnibus remanet sufficiẽter probatum illud antecedens, nimirum, quod præstantiores Philosophi egerint de natura infiniti, ac proindè veram esse conclusionem positam, quod, videlicet, ad Physicum spectet disserere de Infinito.

Quo ad secundum, dimissis Antiquorum opinionibus circa infinitum, incipit in t. 31. adducere rationes illorum, qui probabant dari infinitum in actu, esseq. subsistens; quarum Prima est huiusmodi: Tempus est, vt docet etiã ipse in 4. Physicorum; sed tempus est infinitum; ergo infinitum est, & existit. Minorem probãt: Quod caret principio, & fine, est infinitum; sed tempus est huiusmodi, secundum Aristotelem etiam 8. Physicorum, quia non incepit, nec desinet esse; ergo &c.

Secunda ratio. Magnitudo actu est, vt experientia docet, ac Mathematici fatẽtur; sed magnitudo est infinita, cum sit diuisibilis in infinita, ex placito eiusdem Aristotelis 6. Physicorum; ergo &c.

Tertia ratio. Generationes, & corruptiones sunt perpetuæ; sed si infinitum non esset, non essent perpetuæ; ergo &c. Minorem probant, quia omne finitum per ablationem partium finitarum tandem consumitur; sed omnes generationes, & corruptiones fiunt per ablationẽ formarum à materia; ergo si earum principium esset finitum, & ipsæ forent finitæ.

Quarta ratio. Corpus finitum terminatur ad aliquid, quod est extra ipsum; vel ergo illud extra est finitum, vel infinitum; si infinitum habetur intentum; si finitum, ergo per aliud terminatur, & tũc similiter quæro, an illud aliud sit finitum, vel infinitum, & sic deinceps; ergo ne detur processus in infinitum, concedendum est infinitum esse.

Quinta ratio. Ponitur in t. 32. & est talis. Sicut est in imaginatione, & intellectu, ita est in re; siquidem intellectus est verorum, & non videtur deficere cum à rebus moueatur; sed in imaginatione, & intellectu contingit infinitum; ergo &c. Minor probatur: Dupliciter: Primò intellectus potest concipere numerũ maiorem quocumq. numero dato, & magnitudinem maiorem quacumque magnitudine; sed huiusmodi sunt infinita; ergo &c. Secundò: contingit enim imaginari extra Cœlum .i. extra vltimã spheram, spatium infinitum; sed tale est plenũ corpore infinito, ergo &c. Minor probatur: Non est .n. maior ratio extra hunc orbẽ de spatio, quã extra Cœlum; sed

sed spatium, quod est hic est plenum elementis, & mixtis; ergo & spatium extra Cœlum, cum sit infinitum, debet esse corpore infinito repletum, ne detur vacuum.

Si autem quis dixerit tale spatium esse vacuum nihil est, quia vacuum est aptum natum repleri corpore, & spatium infinitum infinito corpore; sed tale spatium infinitum, per te est vacuum; ergo est natũ repleri corpore infinito; ergo actu est repletum corpore infinito, quia in perpetuis non differt esse à posse; sed ex concessis tale spatium est perpetuum, & est natum repleri corpore infinito; ergo actu est repletum.

Aduertendum, quod illa auctoritas: In perpetuis non differt esse à posse: quamuis non sit Aristotelis, sed vel Architæ, vel Epicureorum, nihilominus acceptatur à Theologis, ac si esset eiusdem Aristotelis.

Tamdem pro coronide huius capitis dicit t. 33. considerationem de infinito, esse valdè difficilem, Tum quia ex negatione eius sequuntur multa inconuenientia, sicut ex eius positione; Tum etiam quia est difficultas, An sit substantia, vel accidens; An per se subsistens, an alteri inhærens, & an sit in multitudine, vel in magnitudine, vel in vtraque simul.

Quo ad tertium in t. 34. ponit varias acceptiones infiniti; & primò dicit, infinitum sumi negatiuè, pro eo quod nullam habet quantitatem, nec finitam, nec infinitam, vt punctus, vt vox inuisibilis dicitur, quia non est nata videri, sic & punctus infinitus negatiuè, quia non aptus pertransiri. Secundò dicitur infinitum, quod habet spatium, ac magnitudinem tantam, vt minimè pertransiri queat, & hoc vocatur infinitum positiuè, seu contrariè. Tertiò dicitur infinitum secundum quid, quod vix, hoc est difficulter pertransiri potest, aut propter longitudinem spatij, vt via longa; aut propter figuram, vt labyrinthus. Quartò dicitur infinitum priuatiuè, quod quidem natum est habere finem, vel transitum, tamen non habet nec finem, nec transitum ob aliquod impedimentum, vt profunditas maris, quæ ratione aquæ nimiæ pertransiri nequit; sic etiam linea, si careret punctis terminantibus, diceretur infinita, quia non haberet finem, licet esset nata finiri, ac terminari. Quintò vocatur infinitum in potentia, quod vel potest augeri, vel diuidi; aut augeri, vel diuidi simul, in infinitũ, & hoc solet vocari infinitum secundum appositionem, vel diuisionem; aut secundum appositionem, vel diuisionem simul. Infinitas secundum appositionem reperitur in numeris, quia per additionem vnitatum ad vnitatem, vel vnitates, augetur in infinitum. Infinitas secundum diuisionem inuenitur in continuo, quod est diuisibile in semper diuisibilia in infinitum. Infinitas autem secundum vtramque conspicitur in tempore, quod, cum sit continuum, est diuisibile in infinitum; & augmentabile pariter in infinitum, si alij, & alij apponantur dies, menses, & anni. Hic agit Philosophus de infinito secundo modo, idest positiuè, & contrariè accepto.

Quo ad quartum in t. 35. incipit respondere ad difficultatem, seu difficultates tactas suprà in t. 33. & ponit primã conclusionem: Impossibile est dari actu infinitum, contrariè, seu positiuè habens magnitudinem separatam à sensibilibus, & probat illam multipliciter: Primò, quia nullum indiuisibile est infinitum; sed substantia separata à sensibilibus est indiuisibilis; ergo non est infinita. Maior patet, quia quod habet magnitudinẽ est diuisibile; sed infinitum secundo modo habet infinitam magnitudinem; ergo infinitum est diuisibile. Minor clarescit ex eo quod diuisibilitas est passio quantitatis; at substantia non est quantitas; ergo substantia est indiuisibilis.

Secundò sic: in t. 36. quia finitum, & infinitum sunt passiones numeri, & magnitudinis; sed talis substantia separata à sensibilibus nec esset magnitudo, nec numerus, vt patet, quia sunt sensibiles; ergo non datur infinitum separatum à sensibilibus.

Tertiò sic: in t. 37. Si infinitũ separatum à sensibilibus est concedendum, vel est partibile, vel impartibile; sed neutrũ

est dicendum; ergo non datur tale infinitũ. Maior patet. Minor probatur, quod non sit impartibile, quia omne habens magnitudinem est diuisibile; sed infinitum, de quo est sermo, habet magnitudinem; ergo &c. Nec partibile, quia infinitum non partitur nisi in partes infinitas; sed infinitæ partes non reperiuntur; ergo &c. Maior patet, quia partes participant esse totius; si ergo totum esset infinitum, & partes essent infinitæ. Minor probatur: Nam infinitum nequit finiri, aut terminari, sed huiusmodi partes possent terminari; vna enim per aliam terminaretur; ergo infinitæ partes non reperiuntur.

Quartò sic: in t.38. Si daretur huiusmodi infinitum substantiale, vel esset infinitum per se, aut per accidens; neutrũ est dicendum; ergo &c. Minor probatur: Non per se, vt hactenus probatum est; nec per accidens, quia tunc non esset principium in quantum infinita; siquidem substantia est per se principium; sed non est per se infinita per te; ergo non est principium prout infinita.

Deindè in t. 39. innuit hoc dubium posse ampliari; An nimirum detur infinitum in Metaphysicis .i. in intelligibilibus, seu in virtute, vel in Mathematicis, hoc est aut in magnitudine absolutè, vel in magnitudine contracta ad sensibilia, & dicit, dubium restringi ad infinitum hoc tertio modo, & est sensus; An detur corpus sensibile, quod sit actu infinitum?

Ideò pro responsione in t.40. ponit secundam conclusionem. Non dari, nimirum corpus sensibile physicum, neque mathematicum, hoc est non sensibile actu infinitum. Probat, quia nullum infinitum est terminatum; sed omne corpus contractum ad magnitudinem est terminatum; ergo nullum corpus est infinitum. Maior liquet, ex eo quod de ratione infiniti, est non finiri, seu terminari. Minor probatur per diffinitionem corporis: corpus est, quod habet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, cuius extremitates sunt duæ superficies.

In eodem tex. ponit tertiam conclusionem. Numerum, videlicet non esse actu infinitum, & probat, quia infinitũ nequit pertransiri; sed numerus pertrãsiri potest; ergo numerus nequit esse infinitus. Minorem probat, quia omnis numerus actu constat ex rebus numeratis; sed quæ numerantur sunt pertransibilia; ergo numerus pertransiri potest.

In t. 42. reddit ad probationem secundæ conclusionis, & probat quinque rationibus, desumptis ex proprijs, non dari corpus actu infinitum, &

Prima ratio est huiusmodi. Si corpus infinitum esset concedendum, vel illud esset mixtum, vel simplex; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Maior patet à sufficienti diuisione. Minorem probat, non fore mixtum; siquidem tale vel cõponeretur ex elementis numero infinitis, vel finitis, neutrum dici potest; ergo &c. Minor suadetur, non ex infinitis, quia hoc reprobatum est in 1. Physicorum, vbi demonstratum fuit, principia rerum naturalium non esse infinita in multitudine; neque ex finitis in numero, nempè ex quatuor elementis, quia vel omnia essent infinita in magnitudine, vel vnum tantum, vel nullum, at nullum horum dici potest; ergo &c. Minorem probat: Non potest dici nullum fore infinitum, quia infinitum non constat ex finitis; Neq. vnum tantum, quia inter partes componentes debet esse proportio; sed infiniti ad finitum nulla est proportio; ergo nequit constare ex vno elemento infinito, & cæteris finitis. Neq. omnia infinita esse posset, quia tũc (ait t.43.) corpus, & elementa secundũ quamlibet sui dimensionem .f. longitudinem, latitudinem, & profunditatem, essent infinitè extensa; non enim esset maior ratio de vna, quam de alia; sed consequens est falsum; ergo &c. Probatur falsitas, quia tunc replerent omnia, & in numero non essent alia, quam prædicta elementa, & corpus mixtum ex eis compactum, quæ militant contra experientiam.

In t. 44. ostendit alteram partem, non reperiri corpus simplex infinitum, quia tale esset aut vnũ ex elementis, aut quid præter illa; neutrum dici potest; ergo &c.

&c. Minorem probat: Non vnũ ex elementis, quia destrueret, & corrumperet cætera; si enim foret aer, sua humiditate corrumperet ignem, & aquam, &c. quippè contrarium infinitum, vt dicebat Anaximander, corrũperet aliud contrarium finitum; ergo &c. Neque aliud præter elementa, quia tale non datur in natura; quandoquidé omne mixtum resoluitur in ea, ex quibus componitur; (t. 45.) sed omne mixtum resoluitur tantum in quatuor elementa, & non in aliud elementum ab ipsis distinctum, vt experientia compertum est; ergo non datur aliud elementum in rerum natura ab illis quatuor distinctum.

In t. 46. & 47. confirmat eamdem minorem, quia illud infinitum repleret omnia, & sic nihil esset in mundo præter illud, quod esset valdè absurdum.

Secunda ratio supponit duo. Alterum, quod omne corpus naturale sit natum existere in aliquo loco determinato, tex. 48. vt terra sub aqua, hæc sub aere, aer sub igne. Alterum verò, eumdem esse locum totius, & partis .i. eodem tendere partem, ac totum; si enim totus ignis tendit sursum, & quælibet scintilla sursum tendere debet. Ex his sic arguit: Si corpus sensibile actu infinitum daretur, aut tale esset homogeneum, aut ethorogeneum .i. constans ex partibus similaribus, & eiusdem rationis; aut dissimilaribus, vel alterius rationis; at neutrum est dicendum; ergo nequit dari tale corpus actu infinitum. Minorem probat quoad vtramque partem, & primò quod non esset homogeneum: quia tunc aut eius partes essent mobiles, aut immobiles; nõ mobiles, quia omne quod mouetur, ad locum determinatum mouetur; sed tales partes ad locum determinatum non mouerentur, quia in infinitis non datur locus determinatus, qui sit locus partis, & non totius; ergo tales partes non essent mobiles. Neque immobiles, quia omne immobile quiescit alicubi; sed tales nullibi quiescerent, ergo &c. Minor probatur, quia omne quod quiescit, in loco determinato quiescit; sed tales non haberent locum determinatũ; ergo &c. Minor probatur: Locus enim infinitus non est determinatus; sed vnaquæque pars haberet locum infinitum; siquidem idem est locus totius, & partis; ergo non haberent locum determinatum, in quo quiescerent.

Ex his inferuntur duo absurda. Primũ destruendum fore motum, & quietem. Secundum tale infinitum neque gauisurum quiete, neque mouendum; quandoquidem partes homogeneæ cum sint eiusdem rationis cum toto, si partes non mouerentur, neque quiescerent; ergo nec totum.

In t. 49. probat alteram partem, quod non foret etherogeneum, quia tunc aut haberet partes finitas, aut infinitas; aut vnam infinitam, & cæteras finitas; atqui nullum dici potest; ergo &c. Minor probatur: Non haberet finitas, quia totum infinitum non coalescit ex partibus finitis: Neque vnam infinitam, & cæteras finitas, quia illa destrueret omnes istas, sicut dictum est de elementis. Neque omnes infinitas, quia tunc essent infinita loca, & infinita elementa; quandoquidé cuilibet corpori respondet proprius locus; sed hoc non est admittendum, quia huiusmodi partes replerent omnia, & nihil daretur, quod esset in loco, præter illas, & earum totum infinitum, quod esset maximum absurdum.

Rursus, improbando quędam dicta Anaxagoræ de infinito, à t. 50. vsque ad 53. roborat à se dicta in hac secunda ratione; cæterùm quia arguit ad hominẽ, ideò consultò omittuntur, & subditur tertia ratio eiusdem pro secunda conclusione.

Tertia ratio ponitur in t. 53. & est talis: Omne corpus vel est graue, vel leue; ergo huiusmodi corpus, si daretur actu infinitum, deberet esse aut graue, aut leue; sed neutrum dici potest; ergo &c. Minorem probat, quia si esset tantum graue, tunc locus sursum esset vacuus, si autem leue, locus deorsum vacuus esset: si verò vtrumque simul, moueretur simul duobus motibus contrarijs, quæ omnia essent absurdissima; ergo dicendum est potius non dari tale corpus actu infinitum.

Quarta ratio (ait t. 54.) Omne corpus est

est in loco; sed infinitum corpus non esset in loco; ergo &c. Minorem probat, quia quod est in loco, æquatur loco; sed infinitum nequit æquari loco; ergo &c. Minor, quia in loco sunt determinatæ positiones, scilicet sursum, deorsum, antè, retrò, destrum, & sinistrum; at in infinito nequeunt signari huiusmodi positiones; alioquin esset finitum; ergo tale corpus infinitum non esset in loco.

Quinta ratio in t. 55. Sex sunt loci positiones, vt dictum est in præcedenti .s. sursum, deorsum, antè, retrò, destrum, & sinistrum; sed huiusmodi sunt finita loca, & determinata; ergo corpora in his contenta debent esse finita, ac determinata; igitur si tale corpus esset alicubi, esset in loco finito, ac determinato, quod est impossibile.

Quo ad quintum. Postquam Philosophus ostendit, non posse dari infinitum in actu, nunc (ait t. 56. vsque ad 63.) demonstrare incipit dari infinitum in potentia; Tú quia ex cótraria hypothesi sequerentur multa inconuenientia, Tum quia omne diuisibile in semper diuisibilia est infinitum; Tum etiam, quia numerus augeri potest in infinitum; ergo dabile est infinitum; non in actu, vt probatum est; ergo in potentia. Consequentias inconuenientium, quæ sequerentur ex negatione infiniti, & assumpta proposita, aliqualiter ostendit à t. 56. vsque ad t. 63. in quo incipit probare, per nonnullas rationes, dari infinitum in potentia ex proprio marte, idcircò huiusmodi textus omittuntur.

Notandum tamen ex t. 57. potentiam esse duplicem alteram completam, quæ ad actum purum reduci potest, vt æs dicitur esse in potétia ad statuam; Alteram incompletam, quæ ad actum reduci tota nequit, sed consistit in continuo fluxu, & sic continua, tum permanentia, vt magnitudines, tum successiua, vt motus, & tempus, sunt in potentia ad diuidi in infinitum vsque; siquidem nunquã eius partes omnes simul haberi actu queunt; & de hac potentia loquitur Aristoteles, cum probare intendit esse dabile infinitum in potentia; ideò

Quo ad sextum in t. 63. definit Aristoteles infinitum in potentia, dum inquit: Infinitum id est, cuius secundum quantitatem accipientibus partes, semper aliquid accipere extra est, vt continuum, sic est infinitum, quia quibuscumque partibus eiusdem, per diuisionem, aut appositionem, acceptis, semper restat pars, & pars accipienda, vndè colligitur, Antiquos dicentes, annulos non habentes palam, idest carentes gemma, esse infinitos, errasse, nam accipientibus partes annuli, non semper restat alia, & alia pars accipienda.

Deindè in tex. 64. quasi reprehendens Antiquos dicentes, infinitum esse quoddam totum, dicit infinitum in potentia non posse ritè vocari totum, quia totum, & perfectum idem sunt; atqui infinitum non est perfectum, quia nequit habere omnes partes simul, sed tantum in potentiã; ergo nequit dici totum.

Rursus in t. 65. reprehendit etiam Platonem, asserentem infinitum esse quoddam totum per similitudinem, quia continet omnia, sicut totum continet omnes partes; siquidem valdè differunt inter se; Tum quia infinitum se habet vt materia, cum sit in potentia, totum verò actus; Tum etiam, quia infinitum non continet, sed continetur, sicut materia continetur à composito, cæterùm totum continet suas partes; Tum insuper, quia infinitum est ignotum pro hoc statu, sicut materia, quæ secundum se cognosci nequit; at totum est notum per suas partes; Tum quia (ait tex. 66.) infinitum, non continet intelligibilia, & sensibilia; siquidem illa sunt notissima naturæ, hoc est in se, hæc verò quo ad nos; at infinitum est ignotum simpliciter, quia pertransiri nequit, cæterùm totum est notum apud omnes, quia est maius sua parte; ergo malè dixit Plato, infinitum in potentia esse quoddam totum.

Quo ad septimum cap. probat Aristoteles dari infinitum in potentiã, & ponit nonnullas conclusiones, quarum prima est in tex. 67. huiusmodi. Infinitum in magnitudine non est dabile secundum appositionem partis ad partẽ, licet

benè

benè secundū diuisionem. Probatur prima pars, quia quacumque magnitudine magnitudini apposita, non excedit quācumque magnitudinem datam; quandoquidē in appositione proceditur ad formam; sed data quacumque forma; non est dabilis perfectior, & perfectior in infinitum; ergo in appositione datur status, & non itur ad infinitum. Secunda pars probatur, quia secundum magnitudinem diuisam contingit dari magnitudinem minorem quacumque magnitudine data; ergo est dabile infinitum in magnitudine secundum diuisionem. Antecedens probatur, quia in diuisione proceditur ad materiam; sed materia secundum se est indeterminata, ergo diuisio erit indeterminata. Maior probatur, quia partes habent rationem materiæ, sicut totum habet rationem formæ; sed in diuisione itur ad partes; ergo in diuisione procedimur ad materiam. Maior patet, quia sicut partes sunt in potentia ad totum, ita materia; ergo partes habent rationem materiæ.

In t. 68. ponit secundam conclusionē: In multitudine non est dabile infinitum in potentia secundum diuisionem, licet benè secundum appositionem. Probat primam partem, quia in diuisione numeri peruenitur ad vnitatem; sed vnitas est indiuisibilis, ergo datur status in numero binario, quo non est dabilis minor. Probat secundā partem, quia numerus crescit per appositionem vnitatum, causatarum ex diuisione continui; sed in partes infinitas continuum est diuisibile; ergo per appositionem illarum numerus est augmentabilis in infinitum.

In t. 69 probat iterum non esse dabile infinitum in potentia in magnitudine secundum appositionem, quia quantum contingit infinitum esse in potentia, tantum contingit esse in actu; sed implicat dari infinitam magnitudinem actu, quæ excedat omnem magnitudinem; ergo etiam implicabit dari huiusmodi magnitudinem, quæ sit infinita in potentia secundum excessum, & appositionem.

In t. 70. & 71. ponit tertiam conclusionem: Non eodem modo est infinitum in magnitudine, motu, & tempore; siquidem prius est in magnitudine, tamquam in subiecto motus; deinde in motu, vt in subiecto temporis; & denique in tempore, vt in passione motus.

In t. 72. tandem ponit quartam, & vltimam conclusionem, dicens, quod infinitum in potentia pertinet ad causam materialem. Et probat, quia illa causa, cui adiuncta est potentia, & priuatio, est materialis; sed infinitum in potentia est huiusmodi, quia post acceptionem quarumcumque partium, semper restat aliquid accipiendum; ergo habet adiunctam sibi potentiam, & priuationem, & consequenter habet rationem causæ materialis.

Quo ad octauum in t. 73. incipit diluere rationes factas superius in fauorem infiniti in actu ab Antiquis, & primò soluit tertiam rationem de perpetuitate generationis, & corruptionis, negando cōsequentiam; non enim est necesse, vt ob perpetuitatem generationum detur infinitum in actu; nam generationes ideo sunt perpetuæ, quia generatio vnius est corruptio alterius, & è contra, corruptio vnius est generatio alterius, & hoc præsertim, quia eadem materia manet sub genito, & corrupto.

In t. 74. respondet quartæ rationi dicens, aliud esse tangere, & aliud esse finiri; nam tangere est alicui extra se sensibili, & materiali fieri contiguum; at finiri est termino extrinseco terminari, vt linea clauditur punctis, & corpus superficiebus.

Formaliter itaque negat, omne corpus finitum aliud tangere, vt patet de vltima sphæra, quæ est finita, & nihilominus aliam sphæram non tangit; sed à propria superficie vnumquodque corpus finiri concedit.

In tex. 75. diluit quintam rationem de imaginatione dicens, maiorem esse veram de imaginatione, quæ correspondet rei existenti, vel possibili existere, non tamen de imaginatione non correspondente rei non existenti, nec possibili existere, cuiusmodi est infinitū actu, quod, vt probatum est, nec existit, nec existere potest.

In eodem tex. occurrit primæ, & secundæ

cundæ rationi de motu, & magnitudine dicens, tempus, & motum non esse infinita actu, sed tantum in potentia, & successiuè.

Formaliter ad primam dicit, minorem esse veram in potentia, & successiuè, non tamen in actu.

Ad secundam: Minorem esse intelligendam de magnitudine in potentia nō verò in actu: non enim est infinita secūdum diuisionem in actu, sed tantum in potentia; secundum appositionem verò nec actu, nec potentia, vt in præcedenti ostensum fuit.

Superest igitur, vt concludamus dari quidem infinitum in rerum natura in potentia, non verò in actu, eo modo, quo hactenus expositum est. Et hæc de textu huius tertij libri Physicorum dicta, sufficiant.

De natura infiniti, tùm in actu, tùm in potentia.

DISPVT. III.

Vtrum per aliquam potentiam dari possit infinitum in actu?

QVÆSTIO I.

HActenus cum Aristotele probatū est, repugnare de facto, ac de potentia naturali infinitum in actu: cæterùm extendendo potentiam ad supernaturalem, & diuinam, Doctores tum Philosophi, tum Theologi non conueniunt; siquidem aliqui censent non repugnare infinitum in actu, sed esse possibile saltem per potentiam diuinam. Ita Ochamus in 1. d. 44. q. 1. & in 2. d. 13 q. vn. & in quolib. 2. q. 5. Gregor. Arimin. in 1. d. 43. q. 4. Mayronius, & Bassolius ibidem, & alij non pauci, quos Ruuius 3. Physic. tract. de Infinito q. 3. & Mastrius disp. 10. q. 3. referunt, ac citant in suis locis.

Alij verò ex opposito asserunt repugnare infinitum in actu, adeò vt nec per potentiam diuinam sit possibile in rerum natura. Sic docent præclari Sūmi Magistri D. Thomas 1. p. q. 7. art. 3. & 4. vbi etiam Caiet. D. Bonauent. in 1. sent. d. 43. q. 3. Ricardus ibidem q. 6. & Durandus, ac Marsilius q. 2. quos postea sequuti sunt Toletus, Sotus, Conimbricen. & Ruuius, ac Mastrius 3. Physicorum de Infinito citati cum alijs ab ipsis relatis.

Quid autem certi senserit Scotus in hac materia, non est adeò facile determinare (quamuis communiter citetur pro hac secunda sententia in 2. d. 1. q. 3. sub I.) quippè videtur fuisse varius, aut saltem problematicus, vt obseruauit Cauellus præceptor meus lib. 2. Metaph. q. 6. eiusdem Doctoris subtilis, schol. 1. & 2. & ex ipso Mastrius disp. 10. q. 1. art. 1. n. 4. vbi referunt varia loca eiusdem Scoti, ad magis ostendendam eius varietatem, quibus adiungi possunt ea, quæ habet etiam in 1. d. 2. q. 1. ad solut. 3. & d. 8. q. 1. sub D. vbi negat posse fieri à Deo magnitudinem actu infinitam. Cæterùm quia magis ad hanc partem negatiuam, quam ad affirmatiuam, inclinare conspicitur, consequenter loquentes ad ea, quæ supra disp. 2. q. 3. sect. 2. & 3. disputauimus, hanc eamdem & nos sequemur, quamuis non improbabilem, immò probabilem judicamus etiam affirmatiuam de mente Doctoris, vt suo loco demonstrabimus.

Pro intelligentia igitur, ac resolutione huius perdifficilis controuersiæ primò notandum est, infinitum dupliciter accipi posse, nempè sincathegorematicè, & cathegorematicè. Primò modo est quoddam signum distributiuum rerum, sine numero, vel sine mensurā, vt in hac propositione, infiniti homines ambulant, sensus est, quod homines absque numero determinato ambulant, & non tot, quin plures ambulare possint, & de hoc infinito non est sermo in proposito. Secundò modo est terminus significatiuus per se alicuius rei, non habentis principium, nec finem, & sumi potest multipliciter, vt etiam adnotauimus in cap. 3. t. 34. Primo negatiuè, nimirum pro eo, quod nullam habet quantitatem, quæ sit nata finiri, aut terminari, vt punctus. Secundò pro spatio, ac magnitudine tanta, quæ mini-

minimè pertransiri possit, & huiusmodi dicitur infinitum positiuè. Tertiò pro eo quod vix pertransiri potest, aut propter longitudinem spatij, vt via longa; aut propter figuram, vt labyrinthus Dedali, & hoc appellatur infinitum secundum quid. Quartò sumitur priuatiuè, pro eo quidem, quod natum est finiri, ac terminari, tamen caret fine, ac transitu ob aliquod impedimentum, vt profunditas maris, quæ ob aquam nimiam pertransiri nequit; vel etiam linea, si careat punctis terminantibus. Quintò pro infinito in potentia, quod vel potest crescere per appositionem, vel diminui per diuisionem in infinitum, vt numerus, qui potest augeri in infinitum per appositionem vnitatum, & linea, quæ potest in infinitum diminui per diuisionem partium eiusdem proportionis. Sextò sumitur pro infinito in actu, quod nimirum continet infinitas partes eiusdem quantitatis, & de hoc quæritur in præsenti, an sit dabile in rerum natura, vel in multitudine, vt numerus infinitus hominum; vel in magnitudine, vt linea infinitas cōtinens partes æquales; vel in intensione, vt infinita qualitas.

Secundò notandum est vtrumque infinitum, tàm in potentia, quàm in actu, diffiniri ab Aristotele; primum in hoc 3. Physicorum t.63. dum inquit: Infinitum est id, cuius quantitatem accipientibus, semper aliquid accipere extra est: quæ diffinitio sic expenditur à Scoto quol. 5. art.1. A infinitum est illud, cuius quantitatis quantumcumque accipientibus, semper restat aliquid accipere; & ratio est, quia infinitum in quantitate, de quo potissimum loquitur Philosophus, non potest habere esse, nisi in potentia, accipiendo semper alterum post alterum, & ideò quantumcumque accipiatur, illud non est nisi finitum, & quædam pars infiniti potentialis, & ideò restat aliquid alterum infiniti accipiendum; ex hoc cōcluditur, quod sicut infinitum huiusmodi habet esse in fieri, & in potentia in quantitate, ita nequit habere rationem totius, aut perfecti; siquidem totum, ex eodem Aristotele ibidem, est cuius nihil est extra; & perfectum, cui nihil perfectionis deest; at huic infinito semper aliquid perfectionis deest, cùm post vnam partem quantitatis acceptam, semper restat alia accipienda, vt patet in diuisione continui, & in appositione partium diuisarum alicui magnitudini, vel multitudini in infinitum. Secundum ab eodem ibidem, & 5.Met. t. 21 sub nomine perfecti, & totius, cùm dixit: Cuius autem nihil est extra, idest totum, ac perfectū est, quæ diffinitio, desumpta per oppositum à ratione infiniti in potentia, secundum Scotum in præcitato loco, facit hūc sensum; quod infinitum in actu sit illud, cui nihil entitatis deest, sicque expensa applicari potest cuilibet infinito in actu, & secundum magnitudinem, & secundum multitudinem, ac secundum intensionem, seu perfectionem; siquidem quodlibet dicitur esse id, cui ratio perfecti, & totius sibi conuenit, vel secundum magnitudinem, vel secundum multitudinem, aut secundum virtutem, vel perfectionem, & de singulo horum inquiritur, an possit esse effectus diuinæ omnipotentiæ.

Tertiò notandum est, quod quamuis ab infinito in potentia posset fieri transitus ad infinitum in actu, dicente eodem Doctore subtili in 1. d. 2. q. 1. §. Ostenso proposito &c. Quæcumque sunt infinita in potentia, ita quod accipiendo alterum post alterum, nullum possunt habere finem, illa omnia, si simul sunt in actu, sūt infinita actu. Et quol. 5. loco citato: Si semper cresceret quantitas infiniti per acceptionem partis post partem, & imaginaremur omnes partes acceptibiles esse simul acceptas, & simul remanere, haberemus infinitam quantitatem in actu, quia tanta esset in actu, quanta esset in potentia, & illud infinitum esset totum, & verè perfectum totum, & quia nihil sui esset extra, & nihil perfectionis quantitatiuæ sibi addi posset; nihilominus tale infinitum, & si actu coalescens ex omnibus partibus acceptibilibus simul acceptis, non excederet rationem infiniti in potentia, prout distinguitur ab infinito in actu essentialiter; quandoquidem de ratione infiniti in actu, non sufficit vt actu contineat infinitas partes in

in potentia acceptibiles, vt simul acceptis, sed exigitur vt singula illarum partium sit infinita: nam quemadmodum ex non substantijs non fit substantia, ita ex non infinitis, nequit infinitum coalescere; cùm igitur illæ partes infiniti in potentia non sint infinitæ singillatim acceptæ, sed finitæ, alioquin non essent acceptibiles vna post alteram; siquidem extra infinitum nihil est accipiendum, consequenter dicendum est, ex illis non coalescere infinitum actu, verùm dumtaxat in potentia ad actum reductũ. Ex quo infertur cũ eodem Doct. subt. lib. 2. Met. q. 6. §. Ad rationes in oppositũ &c. quod ex infinitate potentiali numquã potest concludi infinitas actualis, cum sint alterius, & alterius rationis; siquidem potentialis ex partibus finitis in infinitũ acceptibilibus; actualis verò ex infinitis actu acceptis conflantur.

Quartò notandum, vt colligitur ex eodem in 2. d. 2 q. 9. partes, ex quibus coalescit continuum, esse in duplici differẽtia: nam aliæ dicuntur eiusdem quantitatis, & fundant relationem æqualitatis vni certæ quantitati determinatæ, e. g. palmari, vel cubitali; Aliæ verò appellantur eiusdem proportionis, & istę fundant relationem ęqualitatis proportionalis, & inæqualitatis quãtitatiuæ, vt si diuidatur linea in duas partes æquales, in illis reperitur proportio dupla; si verò alterutra illarum partium subdiuidatur iterùm in alias duas partes, in illis vtique erit proportio equalis, quia dupla, non tamen æqualitas quantitatis, cum duæ priores in quantitate excedant posteriores. Ex his infertur, quod continuum, si attendatur in ordine ad partes æqualis quantitatis, nequit esse infinitum, neq. in actu, quia non continet infinitas partes æqualis quantitatis vni certæ, ac determinatæ quantitati infinitæ, cum totũ continuum in se sit finitum, ac terminatum intrinsecè superficiebus, si est corpus; vel punctis si fuerit linea; aut lineis si extiterit superficies. Si verò spectetur in ordine ad partes eiusdem proportionis, erit infinitum potentiale, cum sit diuisibile in semper diuisibilia vsque in infinitum, adeò quod acceptis per diuisionem quibuscumque partibus, semper remanent aliæ accipiendæ vsque in infinitum. Huiusmodi autem partes infinitas contineri in continuo finito actu, potest dupliciter intelligi, vel in esse existentiæ, adeò quod existãt extra suas causas, quãuis non seorsim, sed coniunctim vnitæ, ac copulatæ infinitis terminis indiuisibilibus; vel in esse substantiæ, idest disiunctim, ac separatim, itaut vna possit determinatè ostendi non esse alia; hoc secundo modo nequeunt partes proportionales esse infinitæ in continuo, cùm non sint actu diuisæ, sed ibi sunt tantum primo modo, quia diuisibiles in infinitum.

Quintò notandum est, totum esse duplex. s. potentiale, & actuale; siuè imperfectum, & perfectum. Totum potentiale, seu imperfectum, est illud, quod non continet omnes suas partes simul, sed est in potentia ad illas successiuè recipiendas, vt motus, & tempus; ac etiam continuum permanens, quatenus subest diminutioni per detractionem; & augmẽtationi per appositionem partium eiusdem rationis; siquidem, cum totum, & perfectum cõuertantur secundum Aristotelem 5. Met. t. 21. Et 3. Physic. t. 64. huiusmodi totum dicitur abusiuè tale, & potius debet vocari pars, quam totum cum sit in potentia ad alterum, & alterũ accipiendum, vt intulit Aristoteles contra Platonem hic t. 65. loquendo de infinito potentiali. Totum autem actuale, seu perfectum est illud, cui nulla perfectio deest, vel est illud, extra quod nihil restat accipiendum in suo genere, & sic homo continens in se omnia prædicata quiditatiua, dicitur totum actuale, & perfectum, quia nihil est extra ipsum, ad quod sit in potentia, vt ab ipso perficiatur. Ex his infertur primò, quod cum infinitum, & totum assimilantur, toto potentiali erit simile infinitum potentiale; & toto actuali infinitum actuale. Secundò, quod sicut totum potentiale dicitur totum abusiuè, & verè pars ordinata ad perfectionem accipiendam, vt materia à forma, ita infinitum potentiale appellandum est abusiuè infinitum, & verè pars po-

tentialis perfectibilis per acceptionem alicuius ad extra. Tertiò, quod sicut totum potentiale non perficitur vnico actu, sed successiuè, accipiendo partem post partem, ita infinitum potentiale nō perficitur, nisi accipiendo partem post partem. Quartò, quod sicut totū actuale excludit quamcumque perfectionem ad extra, cùm sit in se perfectissimum; ita infinitum actuale debet in se continere omnem, & totalem perfectionem sibi conuenientem, excludendo quamlibet perfectionem extrinsecam. Quintò denique infertur, quod sicut totum actuale non coalescit ex partibus, quarum vna sit potentialis, & altera actualis, verùm ex omnibus, quæ dicunt actum, immò sunt omnes tota actualia; ita infinitum actuale non habet constare ex partibus potentialibus, cuiusmodi sunt finitæ, sed ex actualibus, vt potè continentibus propriam perfectionem sibi conuenientem, quales sunt partes infinitæ; siquidem quemadmodum substantia non coalescit ex non substantijs, sic nec infinitum actu ex non infinitis actu partibus.

Sextò notandum est, quod cùm infinitum actu coalescat ex partibus, quarum quælibet sit actu infinita, sequitur, infinitum actu continere in se infinities infinita; & cùm vnumquodque infinitum sit æquale alteri infinito, sequitur partem esse æqualem toti in perfectione, quod est contra naturam totius, & partis: Deindè quia quodlibet infinitum præsefert infinitam perfectionem actualem, si sit infinitum actu, infertur, infinitum actu, coalescens ex omnibus partibus infinitis, importare perfectionem infinitam in infinitum, quod est attributum soli Deo conueniens. Ex quibus deducitur fundamentum, cur infinitum actu refugiat diuinam omnipotentiam; siquidem Deus nequit facere ea quæ implicant contradictionem; atqui partem fore æqualem toti, & totum non esse maius sua parte implicat contradictionem; ergo &c. Similiter esse alium Deum, ab eodem natura, & realiter distinctū, includit repugnantiam, vt latè demonstrat Doctor subt. in 1. dist. 2. q. 3. igitur implicat, repugnatque dari à parte rei, etiam per potentiam diuinam, infinitum actu, siuè in magnitudine, siuè in multitudine, siuè in intensione.

Ex his fit prima conclusio. Datur infinitum actu in entitate, seu in virtute, ac perfectione. Est communis apud omnes, & illam probat Doctor subtilis validissimis rationibus in 1. d. 2. q. 1. Probatur primò auctoritate D. Dionysij de diuinis Nominibus cap. 9. Deus est magnus super omnem magnitudinem, & omnem transiliens infinitatem. Et D. Damascenus lib. 1. de Fide orthodoxa ait: Deus est quoddam pelagus substantiæ infinitum; sed Deus est ens actu; ergo datur infinitum in actu in entitate. Secundò sic. Deus est virtus, & causa infinita omnium causabilium; sed causa omniū causabilium est actu infinita; ergo datur infinitum in actu in virtute. Maior patet, Tum quia Deus est primum effectiuum omnium, independens in esse, & operari a quocumque; Tum etiam, quia causabilia sunt infinita; ergo exigunt virtutem infinitam. Minor similiter patet, quia causare est perfectionis in quocūq. reperiatur; ergo sicut causare quatuor causabilia requirit in causa virtutem, vt quatuor, ita causare infinita causabilia exigit in causa virtutem infinitam causandi; si igitur Deus est causa infinita omnium causabilium. & causabilia sunt actu infinita, ergo eius virtus causatiua erit actu infinita, ac proinde Deus erit ens actu infinitum in virtute, ac perfectione.

Secunda conclusio. Infinitum actu in magnitudine dari nequit, nec per potentiam diuinam. Est Scoti in 2. Met. q. 6. & colligitur ex eodem etiam in 1. d. 8. q. 1. sub D. Probatur, quia Deus nequit facere ea, quæ implicant contradictionem; sed dari magnitudinem actu infinitam, implicat contradictionem; ergo &c. Maior patet, quia obiectum diuinæ omnipotentiæ est ens possibile; sed quæ implicant contradictionem sunt impossibilia; ergo &c. Minor probatur, quia implicat, quod pars sit æquali toti; siquidem omne totum est maius sua parte; sed si daretur infinitum in actu, pars esset

sit æqualis toti; ergo &c. Minor probatur, quia tale diuisibile esset in partes non finitas, sed infinitas, sicut ex infinitis coalesceret, & non ex finitis; nam quemadmodum ex non substantijs non fit substantia, ita finitum nequit dare esse infinito actu; sed infinitum est æquale infinito; ergo pars esset æqualis toti, quod implicat contradictionem; quandoquidem esset pars, & non pars; totum, & non totum, quæ sunt contradictoria. Insuper probatur hæc conclusio in textu ab Aristotele quinque validissimis rationibus, à tex. 40. vsque ad 55. quas hic non referimus, ne inutiliter idem bis repeti contingat.

Tertia conclusio. *Infinitum actu in multitudine per nullam potentiam admitti potest. Est Scoti in Metaph. loco citato, & in 2. dist. 1. q. 3.* vbi loquitur de multitudine indiuiduorum actuali; de essentiali autem specierum erit sermo in sequenti quæstione. Probatur ista conclusio ratione fundamentali, desumpta ex vltimo not. quia implicat dari infinitam perfectionem distinctam realiter à Deo, quæ actu existat; sed si daretur infinita multitudo actu, daretur infinita perfectio actu existens, realiterque ab ipso distincta; ergo si huiusmodi perfectio actu infinita, distincta realiter à Deo repugnat, repugnabit etiam infinita multitudo actu existens. Maior probatur à Theologis in 1. d. 2. q. 3. validissimis rationibus; tunc enim daretur alter Deus; siquidem nullum dependens dicit infinitam perfectionem; infinito enim nulla fieri potest additio, cum sit totum, & perfectum; at rei dependenti potest fieri additio; ergo id, quod diceret infinitam perfectionem, esset simpliciter independens, & sic, si daretur actu existens, esset alter Deus. Minor probatur, quia quodlibet indiuiduum illius multitudinis diceret propriam perfectionem; ergo infinita multitudo indiuiduorum diceret infinitam perfectionem. Confirmatur, quia illa multitudo infinita esset mensurata vno; siquidem numerus est multitudo numerata vno secundum Aristotelem 10. Met. cap. 3. tex. 4. ergo esset mensurata vno infinito, quandoquidem infinitum à finito mensurari nequit, Tum quia mensura debet semper esse eiusdem rationis cum re mensurata, ex Aristotele ibidem; Tum etiam, quia finitum nequit esse mensura infiniti, ex Philosopho 6. Physic. tex. 19. ergo illud vnum esset infinitum, ac proindè infinitæ perfectionis, & consequenter Deus; siquidem contineret eminenter, sicut Deus, omnia mensurata secundum totam suam perfectionem infinitam.

Quarta conclusio. *Infinitum actu in intensione nequit dari à parte rei, etiam per potentiam diuinam. Est Scoti in 2. d. 13. q. 1.* vbi negat, posse dari infinitam qualitatem siuè naturalem, siuè supernaturalem. Probatur eodem modo, sicut præcedens, quandoquidem illi gradus seorsim sumpti dicerent propriam perfectionem; ergo infiniti gradus, infinitam perfectionem; atqui infinita perfectio nequit conuenire, nisi Deo; ergo admisso infinito actu in intensione, admittendus erit necessariò alter Deus, vt dicit Scotus 2. Metaph. q. 6. quod omninò repugnat nedum fidei catholicæ, & communi consensui Theologorum, verùm etiam Philosopho 12. Met t. 49. & 56. vbi concludit multitudinem principum vitiosam esse, quare tantum est vnus princeps.

Obijcitur contra secundam conclusionem, quia infinitæ potentiæ correspondet infinitus effectus; sed potentia Dei est infinita, & quantitas est effectus Dei; ergo &c. Maior patet, quia maiori, & maiori potentiæ correspondet maior, & maior effectus; ergo potentiæ infinitæ infinitus effectus, per illam regulam topicam, sicut magis ad magis, ita simpliciter ad simpliciter.

Resp. primò negando maiorem; ad probationem dico, antecedens esse verum, dummodò effectus non exeat limites effectus; modò si effectus esset actu infinitus, exiret limites effectus, quia nō esset amplius dependens, verum independens, quod est contra naturam effectus.

Vel dicendum secundò: Maiorem esse veram quoad modum, non tamen

quo ad substantiam rei, hoc est dictu, potentia infinita efficere potest aliquem effectum, ad quem attingere non valet potentia finita, cū hoc tamen stat, quod huiusmodi effectus esset finitus, & non infinitus.

Obijcitur secundò: Deus potest facere quicquid potest facere; oppositum enim implicat contradictionem; ponatur igitur hoc possibile in esse, & faciat totum, quod potest, & tunc quæro, an tale factum sit infinitum actu, an finitum, si dixeris infinitum, habetur intentum, quod potentia Dei se extendit ad infinitum in actu: si verò dixeris finitum; ergo Deus nequit facere maius quocumque finito, quod non est dicendum.

Resp. Maiorem admittere duplicem sensum; alterum, quod Deus potest facere actu, quicquid actualiter facere potest, & sic maior est vera; alterum verò, quod possit actu, quicquid successiuè facere potest, & hic sensus est falsus, quia successiuè potest causare infinitam perfectionem sincathegorematicè, quam tamen actu facere nequit, quia nequit facere alium Deum, ob repugnātiam, & incompossibilitatem, quam haberet cum seipso.

Vel dicendum secundò admittendo discursum; & cum quæritur, an tale factum foret finitum, vel infinitum, dico fore infinitum potētiale ad actum simul reductum, non tamen infinitum actu, quia non constaret ex partibus secundū se infinitis, sed tantum ex finitis ad infinitatem reductis, vndè non exiret limites infiniti potentialis, vt optimè aduertit Scotus 2. Met. q. 6. §. Ad rationes in oppositum &c.

Obijcitur tertiò contra tertiam conclusionem: Deus in vno instanti potest creare vnū Angelum, vel vnam animā; ergo in vna hora infinitos Angelos, vel animas; sed infiniti Angeli, vel animæ constituerent infinitum actu in multitudine; ergo huiusmodi infinitum actu est saltem possibile Deo.

Resp. Admissa maiori, negādo minorem; siquidem quilibet Angelus additus alteri Angelo constitueret vnum numerum, & cum processus in numeris in infinitum, constituat tantum infinitum potentiale, & non actuale, si Deus omnes in vnum redigeret in eodem instanti, non facerent multitudinem infinitam actu, sed tantum potentia; quippè infinitudo potentialis non infert actualem cū differant essentialiter, vt superiùs notauimus cum Scoto in sæpius citata quæst. 6. de 2. libro Metaphysices.

Contrà, quia hæc responsio contradicit eidem Doctori subtili in 1. d. 2. q. 1. §. Ostenso proposito &c. vbi habet hæc verba etiam superiùs relata, quod quæcumque sunt infinita in potentia, si omnia sint simul in actu, sunt infinita actu: Et idem repetit quol. 5. sub A. loquendo de infinito in magnitudine, quod si omnes partes acceptibiles altera post alteram, simul essent acceptæ, facerent infinitum actu in magnitudine; ergo si infiniti Angeli, vel animæ creabiles in diuersis instantibus, in vno, & eodem instanti simul crearentur, constituerent infinitum actu, & non potentia secundum Scotum; vel ergo sibi contradicit, vel est problematicus in hac materia de Infinito in actu.

Resp. primò cum Trombeta tract. de Purificatione animarum contra Auerroem art. 2. p. 2. in sol. ad 6. negando primam consequentiam, & primum locum adductum ex Doctore subt. in 1. d. 2. q. 1. inquit Trombeta: Habere veritatem si ly actu determinet ly sunt, quia facit sensum, quod illa, quæ erant infinita, accipiendo alterum post alterum, modo simul actu sunt, & existunt; esse tamen falsum si ly actu determinet ly infinita, quia esset sensus, quod ea, quæ prius erāt infinita in potentia, modò sunt infinita actu, quod repugnat ob dinetsitatem essentialem vtriusque infinitatis potentialis, & actualis, in quibus non potest esse transitus de vna ad aliam, vt ostendimus suprà not. 3.

Vel dicendum secundò, negando vtramque consequentiam, & ad auctoritatem Scoti desumptam ex 1. sent. & quol. 5. dico, infinita in potentia ad actū reducta, non esse infinita actu, vt infinitum

tum actu distinguitur essentialiter ab infinito in potentia; siquidem hoc ex partibus finitis infinities acceptis coalescit; illud verò ex partibus infinitis, quibus nulla fieri potest additio: modò partes infiniti potentialis, quamuis vnica acceptione simul sumerentur, cum adhuc remanerent finitæ, non constituerent infinitum actu, sed in potentia dumtaxat, ad actum tamen reductum: quarè nulla est contradictio in dictis Doctoris, cum diuersimodè loquatur de infinito in actu, & in potentia, vt peroptimè se explicat in cit. loco Metaphysicæ q. 6.

Obijcitur quartò contra quartam cõclusionem: Deus potest facere totum, id, quod non repugnat ex natura rei, aut implicat contradictionem; siquidem obiectum omnipotentiæ est omne ens possibile; sed dari infinitum actu in intensione non repugnat; ergo est dabile per potentiam diuinam. Minor probatur, quia intensio fit per additionem gradus ad gradum vsque in infinitum: non enim datur maximum ab intrinseco in qualitatibus, vt ostendimus in 1. Physic. disp. 2. q 3. sect. 3. sed non repugnat, vt infiniti gradus successiuè addẽdi vnico actu simul addantur; ergo non repugnat dari infinitum in intensione. Maior patet ex communi sententia, quam sequuti sumus in Logica cap. de Qualitate. Minor probatur, quia gradus qualitatis sunt homogenei; ergo si non repugnant decem, & viginti, sed sunt simul compossibiles, nec infiniti repugnabunt, sed erunt simul compossibiles; siquidem non est maior ratio de viginti, quam de infinitis.

Resp. Negando minorem; ad cuius probationem iterùm nego minorem; & ad probationem nego consequentiam, quia non est dabilis infinita perfectio in aliquo ente distincto à Deo, alioquin daretur alter Deus; siquidem soli Deo est compossibilis infinita perfectio; modò, cum quilibet gradus diceret vnam perfectionem, & infiniti infinitam perfectionem, si vnico actu simul essent vnibiles, constituerent vnam perfectionem actu infinitam, & ita esset dabilis infinita perfectio distincta à Deo, quod omninò repugnat, vt suprà ostendimus in 6. not.

Contrà, quia hæc responsio petit principium; siquidem assumit pro ratione, id quod est in controuersia. Deindè est contra Doctorem in 3. d. 13. q. 1. vbi arguens contra D. Thomam asserentem, gratiam Christi non fuisse summam, sed potuisse, secundum se, crescere in infinitum, infert, si foret infinita sincathegorematicè, posse esse etiam cathegorematicè talem, & actu infinitam, ex eo quod omnes illi gradus infiniti sincathegorematici, cum vnico actu videantur simul ab intellectu diuino, poterunt vnica creatione creari, & sic erunt infiniti cathegorematici; ergo ex infinitate sincathegorematica, supponit Doctor posse deueniri ad infinitatem cathegorematicam in aliquo ente, ab ipsomet Deo realiter distincto, alioquin impugnatio contra D. Thomam esset nullius valoris.

Resp. Concedendo vtique cõsequentiam, si agatur de ratione repugnantiæ ab intrinseco, quia talis sumenda est ex natura infiniti sincathegorematici, in quo non potest dari simultas in fieri, quia numquam deueniendum est ad vltimũ gradum; negando autem illam loquendo de repugnantia ab extrinseco, quia huiusmodi peti debet ab incompossibilitate alterius entis, cui competere possit perfectio infinita intensiuè, & cathegorematicè sumpta.

Ad secundum neganda est consequẽtia, quia estò, quod omnes gradus qualitatis infinitæ sincathegorematicè, possint à Deo vnico intuitu videri, & vna creatione creari, non ob id constituerent aliquod infinitum actu, vt contradistinguitur à potentiali, sed ipsum potentiale dumtaxat ad actum reductũ, vt alias dictum est cum Scoto. Nec propterea infirmari dicendum est eius rationem, verùm optimè procedere ad hominem contra D. Thomam, vt potè qui negaret, infinitum cathegorematicum posse haberi ex reductione sincathegorematici, seu potentialis ad actum.

Vtrum per diuinam potentiam dari possit processus in infinitum in speciebus, tam substantialibus, quàm accidentalibus?

QVÆSTIO II.

QVæstio procedit solum de infinito potentiali, quia de infinito in actu, seu cathegorematico (quamuis apud quemdam Recentiorem reuocetur in dubium) satis liquet ex dictis, non esse dabilem aliquam essentiam specificam creatam, quæ sit infinita intensiuè; nam eo ipso, quo conceditur creata, necessariò concedi debet dependens, ac finita; quandoquidem dari nequit aliquod finitum, ac creatum in esse specifico, quin sub aliquo decem generum contineatur. Est igitur solùm difficultas de infinito potentiali, ac sincathegorematicè sumpto.

Circa quam duplex reperitur opinio Doctorum: adinuicem pugnantium, siquidem aliqui negant dari statum in aliqua suprema specie, quin potius sustinent, data quacumque specie perfecta, dari posse perfectiorem vsque in infinitum. Ita D. Thom. 1. p. q. 25. art. 6. D. Bonauentura in 1. d. 44. q. 1. Ricardus quol. 2. q. 4. Ægidius quol. 3. q. 5. ac alij plures tum Antiqui, tum Recentiores, quos refert, ac sequitur Mastrius in Physica disput. 10. q. 2. sub n. 24.

Alij verò ex opposito negant processum in infinitum in speciebus, & docent dari statum in aliqua suprema, qua non possit dari perfectior, vsque in infinitum. Sic Henricus quol. 5. q. 3. & quol. 8. q. 8. Durandus in 1. d. 44. q. 2. Petrus Aureol. ibidem d. 43. q. vlt. art. 2. & communiter Scotistæ Recentiores, vt Poncius disp. 14. q. 2. concl. 2. Galuia in sum. Theol. 1. p. q. 7. art. 4. Catharensis in 3. Physic. q. 3. art. 2. & nonnulli alij relati ab eodem Mastrio loco citato.

Quid autem sentiat Scotus, non est adeò clarum, vt in alterutram possit referri sententiam, immò videtur aut dubius, aut problematicus, vt obseruauit eius Scholiastes Cauellus in lib. 2. Met. q. 6. schol. 2. quare ne ab ipso directi videamur, vtramque opinionem problematicè sequemur: vndè pro declaratione, ac fundamento vtriusque de more incedentes.

Primò notandum est ex Doct. subtili quol. 7. latam esse differentiam inter potentiam, & omnipotentiam Dei: nam potentia se extendit ad omne producibile ad intra, quo pacto possumus dicere, Patrem esse potentiorem Filio in diuinis, quia Pater producit Filium, at Filius alterum Filium nequit producere; & cũ hæc potentia non dicat perfectionem, vel imperfectionem (siquidem spectat ad ens non quantum) non propterea dicendum erit, Patrem esse perfectiorẽ Filio: omnipotentia verò respicit tantũ obiectum possibile, & causabile in alietate naturæ: Dicitur possibile, vt excludat impossibilia, ac repugnantia ad esse: Dicitur postea in alietate naturæ, vt diuinas personas ad quas nõ se extendit omnipotentia, cum sint producibiles in eadem natura diuina indiuiduali. Ex quo inferunt, Doctores secundæ opinionis non derogari quicquam diuinæ omnipotentiæ, quamuis dicatur non posse Deum, quacumque specie data, creare perfectiorem in infinitum; siquidem huiusmodi processus est impossibilis, nõ quidem ex parte Dei, verùm in ordine ad creaturam, quæ in sui ratione formali includit esse finitum, & ab ea excludit esse infinitum, quod necessariò haberet, si posset dari species perfectior, & perfectior in infinitum, quippèque videretur ab intellectu diuini distans in infinitum secundum perfectione à specie infima & consequenter infinita intensiuè, quæ dicit repugnantiam in creatura.

Secundò notandum est ex dictis in Logica disp. 2. in lib. Prædicamentorum, ens reale quantum, diuidi in finitum, & infinitum. Sub infinito continetur Deus, & omne id, quod est formaliter in Deo, vt intellectualitas, existentia, bonitas, misericordia, iustitia, & cætera attributa diuina. Sub finito collocantur omnia creata, & creabilia, quia omnia distribuuntur in illis decem generibus, in quæ immediatè diuiditur ens creatum, finitum, ac limitatum. Ex his infertur, quod

cum

cum omnes species, quæcumque sint illæ, necessariò collocentur sub aliquo genere, necessariò etiam refugiunt ab infinitate, ita quod per nullam potentiam fieri potest, vt sint species, & sint infinitæ.

Tertiò notandum est ex dictis in 1. Physic. disp.2.q.3. sect.3.& in præcedenti quæstione cum Scoto in 1. d. 2. q. 1. §. Ostenso proposito &c. Et quol. 5. sub A. & B. quod infinitum potentiale distat ab actuali, non solum quia partes huius vnica acceptione accipiuntur, illius verò infinitis acceptionibus, in quibus nũquam deueniendum est ad vltimam; verùm etiam, quia partes infiniti potentialis sunt finitæ, quibus semper potest fieri additio vsque in infinitum, partes autem infiniti actualis sunt necessariò infinitæ, ex quibus per nullam potentiam quicquam addi quit; alioquin destrueretur ratio infiniti actualis, quæ inuoluit rationem totius, cuius nihil extra est, quod accipi possit; & perfecti, cui nihil deficit; siquidem, data hypothesi, posset fieri additio alicuius perfectionis non habitæ; cùm igitur species omnes sint finitę, quãuis perfectione qualibet possibili polleãt; non inconuenit dicere, quod possint esse partes infiniti potentialis; siquidem, vt dicit prima opinio, semper remanerent finitæ, ac limitatæ; & quamuis, quacumque data, posset creari perfectior, ac perfectior in infinitum, non propterea in illis esset distantia infinita, cum vtrumq. extremum semper foret finitum.

Ex his fit prima conclusio. Probabile est, quacumque specie data, non posse dari per aliquam potentiam perfectiorem, & perfectiorem in infinitum, sed dandum esse statum in suprema. Sic Auctores relati pro secunda opinione, quibus fauet etiam Scotus in 3. d. 13. q. 1. dũ asserit, gratiam Christi, quæ est vna species qualitatis, fuisse summam. Probatur primò auctoritate Augustini lib. 12. Confessionum cap. 7. dicentis: Domine duo creasti, vnum propè te, & aliud propè nihil, videlicet, naturam Angelicam propè te, & materiam primam propè nihil; sed eo, quod est propè Deum, non potest quicquã perfectius fieri, alioquin esset Deus, cum haberet eius perfectionem, ergo natura Angelica est suprema, qua superior creari nequit. Secũdò probatur ratione, id, quod implicat, fieri nequit, nec à Deo; sed fieri speciem perfectiorem, & perfectiorem, in infinitum implicat; ergo &c. Maior conceditur ab omnibus; siquidem obiectum omnipotentiæ est tantum ens possibile. Minor probatur, quia auferre rationem formalem à rebus implicat; sed data quacumq. specie, si posset fieri perfectior, auferetur ratio formalis à speciebus; ergo &c. Minor probatur, quia extrahere creaturam extra suos limites est auferre ab ipsa suã rationem formalem; sed, data hypothesi, extraheretur species extra limites creaturæ; siquidem non esset amplius in prędicamento, & limitata, quia infinitum non est in genere, & huiusmodi foret infinita, ergo &c. Tertiò sic, quia species quælibet creata distat in infinitũ à Deo; sed, data hypothesi, non distaret ab eo in infinitum, immò pertingeret ad ipsum, fieretque alter Deus; ergo &c. Minor probatur, quia huiusmodi species fieret perfectior, & perfectior in infinitum; sed perfectio in infinitum est perfectio ipsius Dei; ergo non distaret ab ipso in infinitum, verùm accederet ad ipsum, in tantum, vt euaderet ipse Deus, quod quam absurdum sit, viderint Auctores tenentes oppositum.

Secunda cõclusio. Probabilius tamen est, dari per diuinam potentiam speciem perfectiorem, & perfectiorem, quacumque data, vsque in infinitum. Ita Auctores primæ opinionis, à quibus non discrepat Doctor subtilis in Met. lib. 2. q. 6. § De multitudine essentiali &c. vbi post pauca subiungit; secundum veritatem circa hoc sunt duæ opiniones, vna quod Deus potest facere speciem in infinitum in potentia, quia quælibet factibilis in infinitũ distat à Deo; ergo si perfectior intelligatur, adhuc stat limes creaturæ. Hactenus Scotus. Probatur, quia Deus potest omnia facere, quæ non implicant contradictionem; sed dari processum in infinitum in speciebus, quacumque data, non implicat contradictionem; ergo &c. Maior liquet ex dictis.

Minor verò probatur, quia si esset implicantia, aut esset ex parte Dei, aut ex parte rei; sed neutrum est dicendum; ergo nulla est implicantia &c. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur, quia omnipotentia Dei se extendit ad omne possibile; ergo si aliundè non est implicantia, nulla erit ex parte Dei. Nec ex parte speciei, quia data quacumque specie, quæ perfectior fieret, semper remaneret finita, & limitata, Tum quia esset in prædicamento sub suo genere; Tum etiam, quia esset pars infiniti potentialis, in quo non est assignabilis vltima, & quælibet assignabilis semper est finita, & semper distans à Deo; ergo nulla esset repugnantia nec etiam ex parte rei, & consequenter à Deo posset fieri specierum processus in infinitum. Secundò probatur ex Bassolio relato à Mastrio cit. art. 2. n. 37. species sunt sicut numeri secundum Aristotelem 8. Met. t. 10 sed in numeris potest dari processus in infinitũ in ascendendo, ex D. August. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 18. ergo etiam in speciebus. Concludendum est igitur, posse per diuinam potentiam dari processum in infinitum in potentia, seu sincathegorematicè in speciebus.

Ideò ad argumenta prioris conclusionis, quatenus militant contra hanc conclusionem, dicendum est procedere ex falso fundamento, nimirum quod sit assignabilis vltima species in infinito potentiali, quæ contineat perfectiones in infinitum omnium specierum, & consequenter quod sit infinita intensiuè, quod est omninò falsum, & contra naturam infiniti potentialis, quæ exigit partes finitas, & limitatas, ideò

Ad primum desumptum ex D. Augustino, dico, naturam Angelicam esse supremam de facto, sicut de facto etiam materia prima est infima in genere entis positiui; non autem de possibili, quia sic Deus potest perfectiorē, & perfectiorē condere vsque in infinitum, non enim Deus sua potentia absoluta alligatur legi, siuè vniuersali, siuè particulari, quas ab initio vniuersi statuit, sed, vt inquit Doctor in 1. d. 44. potest aliter, & aliter res ordinare sicut sibi placet, dummodo non adsit repugnantia, & impossibilitas ex parte rerum, quæ tamen nulla est, nisi dependenter à diuino intellectu, vt asserit idem Doctor in 1. d. 43. q. vn. ideò negatur minor, loquendo de possibili, quamuis posset concedi de facto; sed nihil postea contra conclusionem, quæ intelligitur de possibili absoluto Dei.

Ad secundum negatur minor; ad cuius probationem iterùm neganda est minor, quia adhuc dato processu in infinitum potentiale in speciebus, quæcumque species perfectior addita esset creata, finita, limitata, & in suo contenta genere, vt dictum est not. 3. & in probatione huius secundæ conclusionis.

Ad tertium negatur pariter minor; ad probationem dico, minorem esse veram de perfectione in infinitum intensiua, non tamen de potentiali, quia talis, cum sit semper finita, nullatenus pertingere poterit ad ipsum Deum, vt possit esse eius perfectio.

Sustinendo tamen probabiliter primã conclusionem, respondendum est ad argumenta, quibus probata fuit ab Auctoribus secundæ opinionis.

Ad primum igitur neganda est minor; & ad eius probationem iterùm negatur minor; siquidè implicantia esset ex parte specierum, in quibus non posset dari infinitas potentialis, quin dari possit & actualis; quandoquidem intellectus diuinus videret illam vltimam, quæ in accipiendo compleret infinitatem potentialem, vt continentem in infinitum perfectiones infinitarum specierum, atque adeò vt actu infinitam per essentiam, extraheret illam ab esse limitato, & finito, quod nequit fieri, nisi auferendo rationē formalem creaturæ, ex qua nascitur implicantia iam dicta.

Ad secundum dico, vt colligitur ex Doct. subt. in 3. d. 13. q. 1. sub C. numerũ dupliciter considerari posse, vno modo materialiter, quatenus coalescit ex vnitatibus materialibus, causatis ex diuisione cõtinui, & hoc modo dicimus augeri posse in infinitum, sicut continuũ est diuisibile in infinitum; alio modo formaliter, prout nimirũ quilibet numerus importat vnitatem formalem, per quam

in esse

in esse specifico cõstituuntur, & specificè distinguuntur, & hoc modo, cum processus fiat ad formam, dicimus cum Aristotele, non posse numerum crescere in infinitum, alioquin daretur vnus numerus actu infinitus, qui eminenter contineret perfectiones omnium numerorũ, quod implicat, etiam secundum Aduersarios; datur igitur status in numeris formaliter consideratis, sicut in speciebus, & in hoc æquiparantur, præter alias conuenientias, traditas ab Aristotele 8. Met. c.10.

Formaliter igitur ad argumentum dico, maiorem esse veram de numeris formaliter, non materialiter sumptis: minorem verò habere veritatem de eisdem materialiter, nõ formaliter acceptis, quia in his nequit dari processus in infinitum, sicut neque in quiditatibus specificis, in eisdem expressis.

Obijcitur insuper contra has conclusiones, & primò cõtra primam. Si quacumque specie data, nõ posset Deus perfectiorem creare, sequeretur, potentiam Dei exhauriri posse in creatione alicuius rei finitæ, sed hoc dicere est valdè absurdum; ergo & id ex quo sequitur. Sequela maioris patet, quia illa potentia dicitur exhauriri, quæ vltra producere nequit; sed vltra determinatam speciem, non potest Deus, per te, aliam perfectiorem producere; ergo eius virtus foret exhausta. Minor etiam patet, quia tunc potentia Dei in creatione esset finita; siquidem infinitum solum est id, quod caret fine, ac termino.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem dico, impotentiam huiusmodi non refundi in Deum, quia cum sit potentiæ infinitæ, numquam potest exhauriri per productionem quarumcumque rerum, quantumuis perfectarum; tota igitur ratio impedimenti est ex parte speciei perfectioris summa perfectissima, quæ sicut supra summum nequit dari, nisi infinitum; ita repugnat fieri, ac produci, sicut infinitum.

Contrà, quia possibilitas, & impossibilitas rerum non est ex ipsis primariò, sed ex diuino intellectu producente rem in esse possibili, vel impossibili, faltem occasionatiuè, vt docet Scotus in 1. dist. 43. q. vn. sed intellectus diuinus, quacumque specie data potest intelligere perfectionem; ergo perfectior species erit possibilis, & consequenter creabilis. Minor probatur, quia intellectus diuinus habet pro obiecto adæquato infinitum dumtaxat; sed species summa non est infinita, vt concedunt etiam aduersarij; ergo nequit quietari in ea, verùm & perfectiorem, & perfectiorem vsque ad infinitam intelligere poterit.

Resp. ex eodem Scoto ibidem concedendo totum discursum, sed negatur postea consequentia, ergo creabilis, siquidem obiectum omnipotentiæ, quæ est potentia creatiua, non est possibile sic absolutè sumptum, sed compossibile cum alijs rebus creabilibus; siquidem, quemadmodum ex compossibilitate rerum nascitur possibilitas ad fieri ad extra, sic ex incompossibilitate oritur repugnantia formalis, quæ dicit negationem respectus ad quodcumque agens: cùm igitur species perfectior quacumque specie data, quamuis possit poni in esse intelligibili ab intellectu diuino, sit incompossibilis cum specie summa, ratione summitatis huius, cui non potest fieri additio, consequenter fit increabilis ex repugnantia formali, quæ includit negationem respectus ad quodcumque agens, etiam infinitum.

Obijcitur secundò: Vbi est distantia infinita, ibi est ponere gradus infinitos; sed inter supremam creaturam finitam, & ipsum Deum est distantia infinita; ergo supremæ creaturæ poterit Deus adiũgere gradus infinitos, ac proindè quacumque specie data poterit fieri maior, & perfectior in infinitum.

Resp. Minorem esse veram terminatiuè, ratione extremorum; non tamen formaliter, ratione mediorum intercedentium inter Deum, & creaturam; hoc est dictu, quia Deus est infinitus, & creatura finita, ideò Deus dicitur distare infinitè à creatura, & creatura finito modo à Deo; cùm igitur gradus infiniti distantes non se teneant ex parte creaturæ, sed ex parte Dei, non debent adiungi speciei supremæ ad finem

finem vt impleatur illa distantia inter ipsam, & Deum; siquidem hæc suppleri nequit, nisi faciendo creaturam infinitam, quod omninò repugnat.

Obijcitur tertiò contra secundam conclusionem, quia in essentialiter ordinatis non datur processus in infinitum, ex Aristotele 2. Met. cap. 2. sed inter species est ordo essentialis, quia vna est alia perfectior; ergo debet dari status in aliqua suprema.

Resp. auctoritatem Aristotelis verificari de causis essentialiter ordinatis, quarum vna dependet ab alia in causando, vel plures ab vna prima, vt optimè ostēdit Doctor 2. Met. q. 6. in resolutione ad q. 4. §. Per hæc ad primam quæstionem &c. non autem de speciebus, in quibus non est essentialis ordo causalitatis, sed tantum perfectionis maioris, vel minoris, quia in his potest fieri processus in infinitum, vt probatum est. Cætera argumenta, quæ fieri possunt contra hanc conclusionem petenda sunt ex Mastrio, & alijs citatis pro prima opinione; sat enim est posuisse difficiliora.

Vtrum infinitum, in quantum infinitum, sit ignotum, vel notum?

QVÆSTIO III.

Hanc quæstionem exagitant communiter Doctores occasione textus 65. in quo Philosophus, habita cōparatione infiniti cum toto potentiali, concludit infinitum quatenus infinitum esse ignotum: Ceterùm quia huiusmodi propositio est indefinita, & non fit mentio in ordine ad quem intellectum dicatur ignotum, vel notum, propterea quæritur, an infinitum sit ignotum apud quemcumque intellectum, tàm increatum, quàm creatum, vel solum in ordine ad creatum: Et quidem de increato non est difficultas; omnes enim fatentur Deū cognoscere infinitum, vt infinitum est, nedum in actu, verùm etiam in potentia, qua nuis loquentes de modo non conueniant; siquidem aliqui putant omnia possibilia constituere in mente diuina infinitum in actu, siuè cathegorematicum, sicque ab intellectu diuino vnico intuitu indiuisibili, etiam terminatiuè cognosci. Ita ex nostris Bassolis in 1. d. 35. q. 7. Faber, & Vulpes tract. de scientia Dei: ex alienis verò D. Thomas lib. 1. contra Gentes cap. 69. Et 1. p. q. 14 art. 12. D. Bonauentura in 1. d. 39. art. 1. q 3. & alij, quos refert, & sequitur Ruuius tract. de Infinito q. 2. n. 78. ac etiam nonnulli relati à Mastrio disput. 10 q. 6. n. 94. Alij autem ex opposito autumnant, Deū non cognoscere infinita in actu, sed tantum finita in infinitum, eo modo, quo habent esse potentialiter in rerum natura. Sic expressè sustinent Maior, Durandus, Almainus, Trombeta, Canonicus, cum alijs pluribus, quos recenset, ac sequitur Mastrius loco cit.

Comparando etiam infinitum in ordine ad intellectum creatum non sunt concordes; quandoquidem aliqui distinguunt de infinito, & quo ad quid nominis, & quo ad quid rei; aiuntque, infinitum primo modo esse à nobis cognoscibile, non autem secundo modo, & sic intelligunt Aristotelem, dum 1. Physicorum t. 35. & 3. Physic. t. 65. inquit: Infinitum esse ignotum, & non posse à nobis pertransiri.

Alij verò veriùs indagantes intentionem Philosophi, dicunt, infinitum sub ratione infiniti, esse nobis incognitum, cognosci tamen sub ratione finiti in infinitum successiuè, non solum quo ad quid nominis, sed etiam quo ad quid rei.

Quid autem sentiat Doctor subtilis in hac quæstione, quæ est magis Theologica, quàm Philosophica, quibusdam de more notatis, & eius, ac nostram aperiemus sententiam in conclusionibus infraponendis.

Primò igitur notandum, & memoriæ recolendū est omne id, quod de infinito dictū est in duabus præcedentibus quæstionibus, & præsertim, quid sint infinitum in actu, & in potentia, seu cathegorematicum, & sincathegorematicum, ac quomodo conueniant, & differant inter se. Deindè infinitum actu non posse dari ad extra distinctum à Deo, nec secundum multitudinem, nec secundum

ma-

magnitudinem, neque secundum intensionem, sed tantum in potentia, nedum in indiuiduis, sed etiam in speciebus. Insuper, infinitum potentiale, se habere velut totum potentiale, in quo sunt omnes partes in potentia subsistentiæ, licet sint in actu existentiæ, alioquin nec totum existeret, cum essentialiter dependeat à suis partibus. Denique partes infiniti potentialis non habere omnes permanentiam (alioquin esset infinitum in actu) sed successiuè accipi vnam post alteram, cum hoc tamen, vt numquam accipiatur vltima, cum nec detur, nec sit assignabilis a quocumque, quin destrui contingat rationem infiniti potentialis, siuè sincathegorematici.

Secundò notandum est ex Scoto in quol. 14. & in 2. d. 1. q. 1. obiectum intellectus diuini esse duplex .s. primarium, & secundarium. Obiectum primariū est, quod primò mouet intellectum, & ad quod primò terminatur, & sic essentia diuina dumtaxat est obiectum intellectus diuini. Secundarium verò est illud, ad quod terminatur diuina cognitio, & sic creaturæ possibiles, vt relucent in essentia, & terminant diuinam cognitionem, sunt obiectum secundarium diuini intellectus. Imaginandū est enim, quod essentia diuina, cum sit infinita, nedum formaliter, sed etiam virtualiter, primò mouet intellectum diuinum ad cognitionem sui, & eorum, quæ continentur in ipsa realiter, & formaliter, cuiusmodi sunt attributa diuina, relationes, personalitates, & emanationes diuinæ (de quibus in Theologia erit sermo) deindè quasi secundariò mouet eumdem intellectum ad cognitionem eorum, quæ virtualiter continentur in ipsa, cuiusmodi sunt omnia possibilia; siquidem intellectus diuinus, cum sit infinitus, & essentia infinita, non cognosceret eam perfectissimo, & infinito modo, nisi de eius virtute infinita, tamquam de causa, exprimeret omnes effectus possibiles, tribuendo illis per suam cognitionem esse quoddam cognitum, & formale, quod est primum, quod habet esse in eadem formaliter, ac distinctum, vocaturque esse possibile, non formaliter, vt ait Scotus in 1. d. 36. q. vn. & d. 43. q. vn. sed tamen consecutiuè, pro quanto esse possibile ad extra supponit esse cognitum creaturarum in mente diuina: non enim creaturæ essent possibiles produci ad extrà, nisi prius fuissent per coguitionem diuinam productæ in mente diuina ab intellectu in esse cognito diuino.

Tertiò notandum est, quod essentia diuina cum sit expressiua, virtute intellectus diuini, infinitorum possibilium, continet in se infinita obiecta cognoscibilia; siquidem ad infinita terminatur diuina cognitio; hoc autem non est intelligendum, quod terminetur ad illa, tamquam ad vnum obiectum indiuisibile, actu infinitum, quia sicut probatum est, non esse possibile ad extra dari in rerum natura infinitum actu, distinctū à Deo, super quod feratur diuina cognitio, sic non est possibile assignari aliquod obiectum actu infinitum in essentia diuina, ab eaque distinctum, ad quod terminetur diuina cognitio: non enim, vt inquit D. August. lib. 5 in Genesim cap. 7. aliter nouit Deus facta, quam facienda; terminatur igitur ad illa diuinus intellectus per suam cognitionem, tamquam ad infinitum potentiale, adeò quod non cognoscit infinita, sed finita in infinitum, eo modo quo cognoscit infinitas partes diuisibiles in continuo, vnam post alteram; sicut enim vna post alteram accipit esse diuisibile in infinitum, ita res possibiles, vna post alteram vsque in infinitum, accipiunt esse cognitum ab intellectu diuino.

Quartò notandum ex Doctore subtili in 1. d. 3. q 3. §. His visis &c. sub F. Et quolib. 14. sub P. quod sicut intellectus creatus potest considerari & ex natura potentiæ, & prout alligatur alicui statui vel naturali, vel pœnali, ita duplex debet assignari obiectum intellectus creati; siquidem obiectum intellectus nostri, sicut & Angelici, ex natura potentiæ considerati, est ens finitum, ac limitatum, tàm absolutum, quàm respectiuum, cuius terminus non sit Deus; obiectum verò intellectus nostri pro statu isto est quiditas rei sensibilis, vt aliàs diximus, & luculenter demonstrabimus in 3. lib. de

Anima disput. de Potentia intellectiua. Ex quo sequitur, quod Deus benedictus, cum sit ens infinitum actu; & infinitum actu, si daretur in multitudine, extensione, & intensione, non contineantur sub obiecto intellectus creati, vtcumque considerati nequeant cognosci ab intellectu creato: Secundò infertur, quod infinitam in potentia, tàm in magnitudine, & multitudine, quàm in intensione, si pro rebus substractis infinitati accipiantur, cùm coalescant ex rebus finitis, & sint entia finita, possunt aliquo pacto cognosci ab intellectu creato, saltem ex natura potentiæ considerato, non quidem distinctè, verum confusè dumtaxat, vt mox dicemus

Quintò notandum ex dictis cum Scoto in 1. Physicorum disp. 1. q. 3. cognitionem esse duplicem .s. distinctam, per quã cognoscitur res secundum quiditatem sibi competentem, vt dum cognoscitur homo, secundum quod est animal rationale; Et confusam, qua cognoscitur res quo ad quid nominis, vt homo quatenus deriuatur ab humo; vel quo ad quid rei inadæquatè, vel in conceptu communiori, vt homo vt est animal, vel vt est pars subiectiua animalis. Insuper aliud est cognoscere confusum, & aliud confusè cognoscere: nam confusum cognoscere est cognoscere aliquod totum, vel essentiale, vel integrale, vel vniuersale sine suis partibus, vt homo sine anima, & corpore, vel corpus absque manibus, brachijs, capite, &c. vel tamdem animal sine homine, leone, equo, & cæteris, qui sunt partes subiectiuè. Rursus confusum, seu totum est duplex .s. actuale, quod nimirum continet in se plures partes, vt homo cõtinet animal, corpus animatum, corpus, substantiam, ens, rationale. sensibile, animatum, corporeum, & finitum, tamquam suas partes quiditatiuas, per quas constituitur in esse actuali; Et potentiale, quod in sui potestate continet plures partes subiectiuas, in quibus potest esse, vt animal in omnibus animalibus; vel integrales, vt numerus ternarius in tribus vnitatibus. Denique vtrumque posse cognosci, & confusè, & distinctè: Tunc cognoscitur cõfusè, quando concipitur totum sine partibus, vt homo sine suis prædicatis quiditatiuis, vel animal absque suis inferioribus: Tunc vero cognoscitur distinctè, quando non solum totum, sed etiam omnes eius partes cognoscuntur, vt sunt eius, vt homo, quatenus est animal rationale, corpus animatum, corpus, substantia, & ens; vel animal, prout potest esse in homine, leone, equo, & sic de cęteris. Ex his infertur, quod infinitum, cum sit quoddam totum potentiale, potest cognosci vel confusè hoc est secundum nomen; vel sub conceptu communioris entis, aut distinctè, & hoc modo deberet cognosci secundum omnes suas partes, ex quibus coalescere potest; cæterùm cum omnes eius partes lateant intellectum creatum, & ipsum nihilominus sit sibi notum secundum nomen, ac in conceptu communi entis, quod diuiditur per finitum, & infinitum, sequitur, infinitum potentiale esse notum confusè, & ignotũ distinctè intellectui creato.

Ex his fit prima conclusio. Intellectus diuinus cognoscit quodcumque infinitum, siuè in actu secundum virtutem, siuè in potentia secundum multitudinẽ, magnitudinem, & intensionem Est Scoti in 1. d. 2. q. 2. & d. 35. & 36. Et 2. Met. q. 6. ac alibi. Probatur prima pars, quia Deus cognoscit perfectissimè suam essentiam, in qua beatificatur, vt probat Doctor etiam in 1. d. 1. q. 2. sed essentia diuina est infinita in virtute, ipsa enim continet omnia, siuè ad intra, siuè ad extra, vt norunt Theologi; ergo Deus suo intellectu cognoscit infinitum actu in virtute. Secunda pars probatur, quia intellectus diuinus comprehendit essentiam suam .i. cognoscit eam omnibus modis, quibus cognoscibilis est; sed in essentia diuina continentur virtualiter infinita possibilia, secundum multitudinem, & magnitudinem, & extensionẽ, ac intensionem; ergo intellectus diuinus cognoscit huiusmodi infinita, in multitudine, magnitudine, & intensione. Maior patet, quia intellectus est infinitus, ac infinitæ cognitionis; ergo cognoscendo essentiam suam, ipsam comprehendit; siquidem ad cognitionem comprehensiuam

ftiũ requiritur vt tanta fit potentia, q tãtum est obiectum. Minor similiter, quia essentia diuina mouet intellectum diuinum ad cognitionem omnium rerũ possibilium. Tertia pars probatur, quia intellectus diuinus cognoscit huiusmodi infinita in essentia diuina, quomodo nouit illa in esse existentiæ; sed in esse existentiæ, non cognoscit illa vt infinita actu, verum dumtaxat vt infinita in potentia; ergo eodem modo cognoscit etiã huiusmodi infinita in essentia diuina. Maior est manifesta ex D. Augustino lib. 5. super Genesim cap. 7. vbi inquit: Non aliter nouit Deus facta, quam facienda; sed facienda sunt possibilia in mente diuina, & facta sunt existentia extra diuinam omnipotentiam; ergo intellectus diuinus cognoscit huiusmodi infinita in essentia diuina, quo modo extra. Minor patet ex dictis in prima quæst. huius disput. quia infinitum actu siuè in multitudine, siuè in extensione, & intensione repugnant actu in rerum natura, non autem in potentia; ergo intellectus diuinus nequit illa cognoscere vt infinita actu, verum dumtaxat in potentia.

Secunda cõclusio. Intellectus creatus, ex solius naturæ viribus, nequit cognoscere infinitum actu, siuè in virtute, siuè in magnitudine, siuè in multitudine, vel in intensione, esto forent possibilia in rerum natura. Prima pars est Scoti in Prologo sent. q. 1. & d. 3. q. 3. & in 3. d. 14. q. 2. & in 4. d. 49. q. 11. vbi astruit necessitatem luminis gloriæ, & auxilij supernaturalis. Et determinata de fide in Concilio Viennensi, relato in Clement. Ad nostrã &c. de Hæreticis, contra Beguardos, & Beguinas, qui inter alios errores, ausi fuerũt asserere, quãlibet creaturam intellectualem esse in se beatam naturaliter, & animam non indigere lumine gloriæ, vt eleuetur ad videndum Deum, sed de hoc in Theologia in materia de Beatitudine. Secunda pars est eiusdem Scoti in 1. d. 3. q. 3. §. Hisis visis &c. sub F. & quolib. 14. sub P. Probatur: Tum quia inter obiectum, & potentiã debet esse proportio, sicut inter motiuum, & mobile; sed inter infinitum actu, & intellectum nulla est proportio; ergo &c. Minor probatur, quia finiti ad infinitum nulla est proportio, ex Arist. 3. Phys. t. 42. sed intellectus creatus est finitus, vt patet; igitur &c. Tũ etiam, quia obiectum adæquatum intellectus creati est ens finitum, & limitatũ; ergo nequit esse ens infinitum.

Tertia conclusio. Potest tamen intellectus creatus huiusmodi infinita cognoscere confusè. Patet, quia cognitio quo ad nomen est confusa, vt dictum est not. vltimo: sed intellectus creatus nouit quid nominis infiniti, ex eo quod caret fine; ergo illa infinita etiam actu potest cognoscere confusè.

Quarta conclusio. Intellectus creatus nequit cognoscere distinctè infinitum in potentia, licèt benè confusè. Est Scoti in 2. Met. q. 6. propè finem. Probatur, quia totum potentiale nequit cognosci distinctè nisi etiam cognoscantur omnes eius partes; sed infinitum in potentia est totum potentiale, & omnes eius partes minimè cognosci possunt, quia non habent esse simul, sed successiuè, vna post alterã in infinitum, & nũquam deueniendum est ad vltimam, alioquin non esset infinitum potentiale, sed actuale; ergo intellectus creatus nequit illud cognoscere distinctè. Secunda pars probatur, quia cognoscere totum potentiale confusè est nosse illud habere partes, & nescire quid sint, & quæ sint huiusmodi partes; sed intellectus creatus naturaliter scire potest, infinitum in potentia habere partes infinitas, ignorando quid, & quæ sint; ergo &c. Maior patet ex not. vlt. Minor probatur, quia intellectus creatus scit de facto, continuum habere partes, & esse diuisibile in infinitum secundum partes inæquales, & proportionales; sed huiusmodi continuum est infinitum in potentia, quia quantumuis accipiantur partes proportionales, semper restant aliæ accipiendæ; ergo &c.

Quinta cõclusio. Intellectus creatus, si duraret infinito tempore, posset infinitas partes continui successiuè cognoscere. Est Scoti ibidem. Probatur, quia cognoscere finita in infinitum nõ repugnat intellectui habenti esse in infinitum; sed infinitæ partes continui sunt finitæ in infinitum; ergo si tempore infinito obijcerentur

rentur intellectui creato successiuè, possent omnes ab illo cognosci. Maior patet, quia intellectus in tali duratione infinita non amitteret virtutem naturalem; sed entia finita, etiam in infinitum succedentia ad seinuicem, essent semper finita, & continerentur sub obiecto adæquato intellectus creati; ergo illa posset cognoscere successiuè in infinitum.

Ex his facilè dignoscitur, quo sensu, Aristoteles dixerit, infinitum esse ignotum, & impertransibile; quandoquidem verificari nequit de infinito in actu, quia non datur; sed tantum de infinito in potentia; non in ordine ad intellectum infinitum, sed ad creatum, quia intellectus creatus potest illud cognoscere, saltem confusè, licèt non distinctè.

Obijcitur tamen contra primam conclusionem, & primò, quod infinitum in potentia in magnitudine nequeat à Deo cognosci, saltem cognitione distincta, quia illud cognoscitur distinctè, quod cognoscitur secundum omnes sui partes; sed infinitum in potentia nequit à Deo cognosci secundum omnes sui partes; ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quia si omnes eiusdem partes à Deo cognoscerentur, aut prout sunt adhuc diuisibiles in alias partes, aut prout sunt indiuisibiles; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Minor probatur: Non potest dici cognosci ab eo, prout sunt diuisibiles, quia non omnes cognoscerentur; siquidem omnes sunt adhuc diuisibiles in alias, & illæ in alias in infinitum: Nec vt indiuisibiles, quia tunc continuum coalesceret ex indiuisibilibus, quod est contra Aristotelem 6. Physic. ergo &c.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, illas cognosci à Deo prout adhuc diuisibiles in infinitum, non quidem vt constituunt infinitum actu, sed vnam post alteram, vt ex illis coalescunt infinitum in potentia.

Obijcitur secundò, quia saltem creaturas in esse obiectiuo Deus nequit cognoscere, vt totum potentiale; ergo si cognoscit illas, & sunt infinitæ in mente diuina, nouit illas, vt infinitum actu. Cōsequentia patet à sufficienti diuisione. Antecedens probatur, quia infinito in potentia semper potest fieri additio, ad differentiam infiniti in actu; sed creaturis existentibus in esse cognito in mente diuina nulla potest fieri additio, alioquin intellectus diuinus, cognoscendo essentiam diuinam non comprehenderet illam, sed inadæquatè intelligeret, quod est omninò falsum; ergo creaturis possibilibus in esse cognito nō potest fieri additio.

Respondet Mastrius loco citato sub n. 100. concedendo non posse fieri additionem creaturis in esse cognito, seu obiectiuè existentium in mente diuina, non quia repugnet illi multitudini ab intrinseco suscipere additionem, sicut repugnaret, si constituerent infinitum cathegorematicum, sed solum ab extrinseco, nimirum quia aliæ creaturæ, quæ addi possent, non sunt possibiles; si enim, inquit ille, impossibilia fierent possibilia, posset fieri additio, & hoc sufficit ad inferendum, huiusmodi multitudinem esse infinitam in potentia, non verò actu.

Sed hæc responsio, quamuis sit ingeniosa, ac subtilis, tamen non satisfacit argumento, quia possent dicere Aduersarij, quod in tantum aliæ creaturæ non sunt possibiles, in quantum intellectus diuinus, cognoscendo essentiam diuinā ad productionem creaturarum, comprehendit illam, adeò quod producat tot, quod non plures; ergo Deus cognoscendo infinitas creaturas in sua essentia, cognoscit illas, vt infinitas actu, & non in potentia. Antecedens patet, quia possibilitas creaturarum existentium in mente diuina supponit earumdem cognitionem; ergo quod aliæ creaturæ sint, vel non sint possibiles, dependet ab intellectu diuino principiatiuè, vt docet Scotus in 1. d. 36. & d. 43. si igitur intellectus diuinus semel, vt ita dicam, comprehendit diuinam essentiam, vt mouet ad cognitionem possibilium, producit in esse obiectiuo, tot, quod non plures, & sic infinitas actu; vndè non restat illi multitudini potentialitas ad alias suscipiendas, nec ab intrinseco.

Resp. igitur ad obiectionem, negando antecedens; ad probationem negatur minor; quinimò cum cognoscat creaturas, vt finitas in infinitum, semper in infinitum

finitum sit additio: Et cùm probatur, quod tunc intellectus diuinus non cognosceret comprehensiuè, sed tantum inadæquatè, essentiam diuinam; negatur de cognitione comprehensiua potentiali, quia hæc non exigit vt obiectum cognitione indiuisibili finiatur, sed sufficit, vt nihil eius lateat intellectum cognoscentem, quamuis hoc præstet, quasi successiuè, & in infinitum.

Obijcitur tertiò contra secundam cōclusionem, probando quod intellectus creatus, ex viribus naturæ, possit cognoscere distinctè infinitum in virtute, quia Deus cognoscitur ab intellectu secundū suam quiditatem; ergo distinctè. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia cognoscitur vt existens actu; sed existentia est de quiditate Dei; ergo cognoscitur secundum suam quiditatem. Maior probatur, quia summè simplicitati non repugnat existere; ergo existit actu, quia in perpetuis non differt esse à posse. Antecedens probatur, quia summa simplicitas non includit incompossibilia; sed omnis repugnantia est propter incompossibilia per Scotum in 1. d. 43. q. vn. ergo &c.

Resp. Negando antecedens; ad probationem dico, maiorem esse veram cognitione confusa, non verò cognitione distincta: & cùm probatur Deum esse summè simplicem, & summæ simplicitati non repugnare existere, concedo; sed nego hoc esse cognitum naturaliter distinctè; sicut quod non includat incompossibilia; siquidem hæc cognoscuntur lumine supernaturali, non verò naturali.

Obijcitur quartò contra quartam conclusionem, quia finitum potest cognosci distinctè ab intellectu creato, saltem ex natura potentiæ considerato; sed infinitum potentiale, vt substat potentiæ cognoscenti, est finitum; ergo potest ab intellectu creato distinctè cognosci. Maior patet, quia omne finitum continetur sub obiecto intellectus creati, ex natura potentiæ, secundum Scotum in 1. d. 3. q. 4. Et in quolib. 14. sub P. Minor patet similiter ex Scoto in 1. d. 3. q. 1. sub H. vbi dicit, quod intellectus cognoscens alterum post alterum, cognoscit semper aliquod finitum; sed infinitum potentiale ita cognoscitur, vt diximus etiam in prima conclusione, quia per hoc distinguitur ab infinito in actu, quod secundum totum indiuisibiliter cognoscitur; ergo infinitum potentiale, vt cognoscitur ab intellectu est finitum, & non infinitum.

Resp. Maiorem esse veram de finito absoluto; vel etiam relatiuo, quod habet pro termino aliquod absolutum finitum, non tamen si terminetur ad aliquod infinitum; modò, quamuis partes, quæ cognoscuntur in infinito potentiali, sint sēper finitæ, tamen nequeunt distinctæ cognosci, saltē ab intellectu creato, cùm ordinentur ad partes infinitas, successiuè accipiendas, quæ sunt ignotæ.

Vel dicendum secundò, ex eodem Scoto in loco nuper citato, infinitum in potentia dupliciter considerari posse, vel quoad rem, vel quoad modum; primò modo dicit infinitas partes, ex quibus coalescit in potentia. Secundò modo dicit modum infinitatis, qui consistit in accipiendo alteram post alteram partem in infinitum, quamuis igitur infinitum secundum rem, substractū infinitati possit cognosci ab intellectu diuino, si omnes partes reducerentur ad actum, vt etiam dicit idem Doctor in eodem 1. d. 2. q. 1. §. Ostenso propósito, secundum modum infinitatis potentialis tamen, vt infinitum non posset cognosci, quia vt sic cognosci non potest, nisi cognoscendo vnam partem post alteram, quod nihilominus esset cognoscere finita in infinitum, non tamen infinitum.

Formaliter ad argumentum dico, minorem esse veram de infinito potentiali quoad modum infinitatis, qui consistit in accipiendo alterum post alterum; modo intellectus creatus potest vtique cognoscere illa finita, vnum post aliud, sed non cognosceret infinitum, sed solum aliqua finita.

Obijcitur quintò contra eamdem, quia Angelus potest cognoscere, distinctè omnia, quæ per vnam speciem simul sibi repræsentantur; sed infinitum potentiale secundum omnes suas partes, potest simul

simul repræsentari Angelo per vnicam speciem; ergo Angelus potest distinctè cognoscere infinitum potentiale. Maior patet. Minor probatur, quia Angelus per vnam speciem potest cognoscere omnes numeros; sed omnes numeri cōstituunt infinitum potentiale in multitudine; ergo &c. Maior probatur, quia si quilibet numerus quamlibet speciem singillatim exigeret, cum Angelus cognoscat infinitos numeros, haberet infinitas species intelligibiles, quod est impossibile; ergo sufficit vnica species.

Resp. Negando minorem; ad probationem negatur maior, immò, cum omnes numeri distinguantur specie, exigunt diuersas species ipsos repræsentantes; & cùm probatur, quod Angelus haberet infinitas species, concedo de infinito in potentia; sicut enim in numerus proceditur in infinitum, ita species numeros repræsentantes possunt procedere in infinitum in potentia, nec hoc esset inconueniens, quia Angelus numquam haberet infinitas species, sed semper finitas in infinitum, quod non repugnat creaturæ.

Obijcitur sextò contra quintam. Si intellectus creatus infinita in infinito tēpore cognosceret successiuè, cognosceret etiā ea simul; sed hoc repugnat intellectui creato; ergo &c. Maior probatur, quia tunc intellectus decursis infinitis diebus, posset talium recordari simul, & sic actu habere infinitorum cognitionem.

Resp. Negando maiorem, ad probationem dico, esse veram confusè, non autem distinctè; siquidem intellectus finitus nequit reminisci simul distinctè infinitarum specierum, nec consequenter simul ab eis moueri, sed tantum confusè. Et hæc de tertio libro Physicorum sint satis.

De Physico auditu, seu Physicorum Aristotelis.

LIBER QVARTVS.

ABsoluto tertio libro Physicorum, in quo cum Philosopho egimus de passionibus intrinsecis corporis naturalis, nempè de Motu, & Infinito, in præsentiarum aggredimur eorumdem Physicorum librum quartum, acturi cum eodem de passionibus extrinsecis, nimirum de Loco, Vacuo, & Tempore: quandoquidem corpus naturale, cum sit subiectum motus, qui nequit fieri extra aliquem locum, & sine tempore, quod secundum Philosophum, est eius passio, consequenter exigit ad sui perfectam cognitionem, etiam loci, ac temporis intelligentiam: Rursus, quia idem Aristoteles pluribus in locis docuit, oppositorum esse eamdem disciplinam, cùm locus, & vacuum opponantur priuatiuè, agendo de natura loci non debuit omittere cognitionem vacui. De his tribus passionibus extrinsecis; igitur pertractabimus in hoc libro 4. iuxta ordinem ab Aristotele præfixum, vndè & eumdem in tres partiemur Summas, quarum prima erit de Loco: Secunda de Vacuo: Et tertia de Tempore.

De natura loci. SVMMA I.

HÆc prima Summa diuiditur in decem capitula, in quorum primò Philosophus arguit pro, & contra existentiam loci: In secundò proponit rationes impugnantes essentiam, & quidditatem loci: In tertiò ostendit quot modis aliquid possit dici esse in aliquo: In quartò demonstrat, non posse aliquid esse in seipso: In quintò destruit fundamentum Zenonis dubitantis locum esse: In sextò præmittit quasdam suppositiones ad inuestigandam diffinitionem loci: In septimò tradit diffinitionem loci, & probat: In octauò iterùm declarat, ac roborat eamdem diffinitionem à se datam: In nonò ostendit diffinitionem loci conue-

nire cunctis corporibus simplicibus: Et in decimò tandem soluit rationes probantes locum non esse.

Quoad primũ in t. 1. ostendit, ad Physicum attinere cognitionem, & tractationem de natura loci, & probat conclusionem, quia ad Physicum spectat disserere de corpore naturali, ac de eius passionibus; sed inter passiones corporis naturalis enumeratur locus; igitur ad physicum spectat differere de loco. Maior patet ex dictis, quia scientia physica est de corpore naturali, & eius passionibus de ipso demonstratis. Minorem probat, quia omnia corpora naturalia, quæ sunt, in loco sunt, quemadmodum existimarunt etiam Antiqui; & quæ non sunt, vt *Hircoceruus*, & *Sphinges*, cæteræque chymeræ in loco non sunt. Secundò probat eamdem conclusionem, quia Physici interest pertractare de motu perfectissimo, qualis est latio, seu localis; sed motus localis nequit esse sine loco; ergo &c.

Deindè in t. 2. ponit secundam conclusionem, nimirum considerationem de loco esse valdè difficilem; & probat, Tum quia nullus ante ipsum scripsit de natura loci; Tum etiam quia aliqui, tametsi dubitantes de existentia loci, in vanas abierunt suspicationes; siquidem quidam dixerunt esse materiam, alij formam, & alij spatiũ; igitur ob varias opiniones, nondumq. determinatas, sibi videbatur difficile tractare de natura loci.

His tamen non obstãtibus firmat tertiam conclusionem in t. 3. nempè locum esse: Quã probat quadrupliciter, & primò, quia transmutatio localis est; ergo & locus est. Consequentia patet: Non enim potest esse trãsmutatio localis absque loco, quia locus est receptaculum corporis moti localiter, vt quotidiè experimur. Antecedens probatur: Nam vbi nunc est aer, ibi fuit aqua; ergo aer, & aqua sunt localiter transmutati. Exindè colligit, locum esse à rebus locatis realiter distinctum; siquidem separantur abinuicem, & separatio est signum distinctionis realis.

Secundò probat eamdem conclusionẽ in t. 4. Illud ad quod corpora naturalia naturaliter tendunt, est aliquid in rerum natura; sed locus est huiusmodi; ergo locus est aliquid in rerum natura. Maior patet: Nõ ens .n. nullius est receptiuum. Minor etiam; siquidem experimur ignẽ naturaliter tendere sursum, terramque deorsum, inibique quiescere.

Tertiò probat illam in t. 5. ex eo quod in Vniuerso reperiuntur sex positiones .f. sursum, deorsum, antè, retrò, dextrorsum, & sinistrorsum, & non tantum quo ad nos, verùm etiam ex natura rei; quãdoquidem Septentrio est retrò, Auster antè, Oriens à dextris, Occidens à sinistris, Polus articus deorsum, Antarticus sursum; sed positiones nequeũt esse sine loco; ergo datur locus. An autẽ sint ponendæ in Mundo huiusmodi positiones ex natura rei videndus est Scotus in 2. d. 2. q. 6. vbi tenet oppositum.

Quartò idem confirmat in t. 6. auctoritate Antiquorum; quandoquidem ponentes dari vacuum, astruebant dari locum: dicebant .n. vacuum esse locũ priuatum corpore. Similiter Hesiodus, dũ putauit, primum omnium esse chaos, deindè terram latam, dicebat ipsum chaos esse receptaculum omnium rerum, quæ sunt; sed receptaculum, & locus sonant idem; ergo etiam secundũ Antiquos ponendus est locus in rerum natura.

Ex hoc infert in t. 7. quoddã mirabile, quod si secundũ opinionem Hesiodi. Locus est chaos, cum chaos sit omniũ primum, & locũ esse priorem omnibus locatis concludendum erit, quandoquidem non corrumpitur locus ad corruptionẽ corporum locabilium, cum sit chaos, cum ex ipso facta sint omnia.

Probata existentia loci, vt magis appareat huiusmodi veritas, arguit contra ipsam nonnullis rationibus, quas postea soluit, & primam ponit in t. 8. sic; Si locus esset, maximè esset corpus; sed non est corpus; ergo locus non est. Minor probatur, quia omne corpus habet trinã dimensionem .f. longitudinem, latitudinem, & profunditatẽ; sed locus non habet huiusmodi dimensiones; ergo non est corpus. Maior patet per diffinitionẽ corporis mathematici. Minor probatur. Si locus haberet illã trinam dimensionẽ, cũ sit simul cũ alio corpore locato, tunc duo

Minor verò probatur, quia si esset implicantia, aut esset ex parte Dei, aut ex parte rei; sed neutrum est dicendum; ergo nulla est implicantia &c. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur, quia omnipotentia Dei se extendit ad omne possibile; ergo si aliundè non est implicantia, nulla erit ex parte Dei. Nec ex parte speciei, quia data quacumque specie, quæ perfectior fieret, semper remaneret finita, & limitata, Tum quia esset in prædicamento sub suo genere; Tum etiam, quia esset pars infiniti potentialis, in quo non est assignabilis vltima, & quælibet assignabilis semper est finita, & semper distans à Deo; ergo nulla esset repugnantia nec etiam ex parte rei, & consequenter à Deo posset fieri specierum processus in infinitum. Secundò probatur ex Bassolio relato à Mastrio cit. art. 2. n. 37. species sunt sicut numeri secundum Aristotelem 8. Met. t. 10 sed in numeris potest dari processus in infinitũ in ascendendo, ex D. August. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 18. ergo etiam in speciebus. Concludendum est igitur, posse per diuinam potentiam dari processum in infinitum in potentia, seu syncathegorematicè in speciebus.

Ideò ad argumenta prioris conclusionis, quatenus militant contra hanc conclusionem, dicendum est procedere ex falso fundamento, nimirum quod sit assignabilis vltima species in infinito potentiali, quæ contineat perfectiones in infinitum omnium specierum, & consequenter quod sit infinita intensiuè, quod est omninò falsum, & contra naturam infiniti potentialis, quæ exigit partes finitas, & limitatas, ideò

Ad primum desumptum ex D. Augustino, dico, naturam Angelicam esse supremam de facto, sicut de facto etiam materia prima est infima in genere entis positiui; non autem de possibili, quia sic Deus potest perfectiorẽ, & perfectiorẽ condere vsque in infinitum, non enim Deus sua potentia absoluta alligatur legi, siuè vniuersali, siuè particulari, quas ab initio vniuersi statuit, sed, vt inquit Doctor in 1. d. 44. potest aliter, & aliter res ordinare sicut sibi placet, dummodo non adsit repugnantia, & impossibilitas ex parte rerum, quæ tamen nulla est, nisi dependenter à diuino intellectu, vt asserit idem Doctor in 1. d. 43. q. vn. ideò negatur minor, loquendo de possibili, quamuis posset concedi de facto; sed nihil postea contra conclusionem, quæ intelligitur de possibili absoluto Dei.

Ad secundum negatur minor; ad cuius probationem iterùm neganda est minor, quia adhuc dato processu in infinitum potentiale in speciebus, quæcumque species perfectior addita esset creata, finita, limitata, & in suo contenta genere, vt dictum est not. 3. & in probatione huius secundæ conclusionis.

Ad tertium negatur pariter minor; ad probationem dico, minorem esse veram de perfectione in infinitum intensiua, non tamen de potentiali, quia talis, cum sit semper finita, nullatenus pertingere poterit ad ipsum Deum, vt possit esse eius perfectio.

Sustinendo tamen probabiliter primã conclusionem, respondendum est ad argumenta, quibus probata fuit ab Auctoribus secundæ opinionis.

Ad primum igitur neganda est minor, & ad eius probationem iterùm negatur minor; siquidẽ implicantia esset ex parte specierum, in quibus non posset dari infinitas potentialis, quin dari possit & actualis; quandoquidem intellectus diuinus videret illam vltimam, quæ in accipiendo compleret infinitatem potentialem, vt continentem in infinitum perfectiones infinitarum specierum, atque adeò vt actu infinitam per essentiam, extraheret illam ab esse limitato, & finito, quod nequit fieri, nisi auferendo rationẽ formalem creaturæ, ex qua nascitur implicantia iam dicta.

Ad secundum dico, vt colligitur ex Doct. subt. in 3. d. 13. q. 1. sub C. numerũ dupliciter considerari posse, vno modo materialiter, quatenus coalescit ex vnitatibus materialibus, causatis ex diuisione cõtinui, & hoc modo dicimus augeri posse in infinitum, sicut continuũ est diuisibile in infinitum; alio modo formaliter, prout nimirũ quilibet numerus importat vnitatem formalem, per quam

in esse

in esse specifico cōstituuntur, & specificè distinguuntur, & hoc modo, cum processus fiat ad formam, dicimus cum Aristotele, non posse numerum crescere in infinitum, alioquin daretur vnus numerus actu infinitus, qui eminenter contineret perfectiones omnium numerorū, quod implicat, etiam secundum Aduersarios; datur igitur status in numeris formaliter consideratis, sicut in speciebus, & in hoc æquiparantur, præter alias conuenientias, traditas ab Aristotele 8. Met. t. 10.

Formaliter igitur ad argumentum dico, maiorem esse veram de numeris formaliter, non materialiter sumptis: minorem verò habere veritatem de eisdem materialiter, nō formaliter acceptis, quia in his nequit dari processus in infinitum, sicut neque in quiditatibus specificis, in eisdem expressis.

Obijcitur insuper contra has conclusiones, & primò cōtra primam. Si quacumque specie data, nō posset Deus perfectiorem creare, sequeretur, potentiam Dei exhauriri posse in creatione alicuius rei finitæ, sed hoc dicere est valdè absurdum; ergo & id ex quo sequitur. Sequela maioris patet, quia illa potentia dicitur exhauriri, quæ vltra producere nequit; sed vltra determinatam speciem, non potest Deus, per te, aliam perfectiorem producere; ergo eius virtus foret exhausta. Minor etiam patet, quia tunc potentia Dei in creatione esset finita; siquidem infinitum solum est id, quod caret fine, ac termino.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem dico, impotentiam huiusmodi non refundi in Deum, quia cum sit potentiæ infinitæ, numquam potest exhauriri per productionem quarumcumque rerum, quantumuis perfectarum; tota igitur ratio impedimenti est ex parte speciei perfectioris summa perfectissima, quæ sicut supra summum nequit dari, nisi infinitum; ita repugnat fieri, ac produci, sicut infinitum.

Contrà, quia possibilitas, & impossibilitas rerum non est ex ipsis primariò, sed ex diuino intellectu producente rem in esse possibili, vel impossibili, faltem occasionatiuè, vt docet Scotus in 1. dist. 43. q. vn. sed intellectus diuinus, quacumque specie data potest intelligere perfectionem; ergo perfectior species erit possibilis, & consequenter creabilis. Minor probatur, quia intellectus diuinus habet pro obiecto adæquato infinitum dumtaxat; sed species summa non est infinita, vt concedunt etiam aduersarij; ergo nequit quietari in ea, verùm & perfectiorem, & perfectiorem vsque ad infinitam intelligere poterit.

Resp. ex eodem Scoto ibidem concedendo totum discursum; sed negatur postea consequentia, ergo creabilis, si quidem obiectum omnipotentiæ, quæ est potentia creatiua, non est possibile sic absolutè sumptum, sed compossibile cum alijs rebus creabilibus; siquidem, quemadmodum ex compossibilitate rerum nascitur possibilitas ad fieri ad extra, sic ex incompossibilitate oritur repugnantia formalis, quæ dicit negationem respectus ad quodcumque agens: cùm igitur species perfectior quacumque specie data, quamuis possit poni in esse intelligibili ab intellectu diuino, sit incompossibilis cum specie summa, ratione summitatis huius, cui non potest fieri additio, consequenter fit increabilis ex repugnantia formali, quæ includit negationem respectus ad quodcumque agens, etiam infinitum.

Obijcitur secundò: Vbi est distantia infinita, ibi est ponere gradus infinitos; sed inter supremam creaturam finitam, & ipsum Deum est distantia infinita; ergo supremæ creaturæ poterit Deus adiúgere gradus infinitos, ac proindè quacumque specie data poterit fieri maior, & perfectior in infinitum.

Resp. Minorem esse veram terminatiuè, ratione extremorum; non tamen formaliter, ratione mediorum intercedentium inter Deum, & creaturam; hoc est dictu, quia Deus est infinitus, & creatura finita, ideò Deus dicitur distare infinitè à creatura, & creatura finito modo à Deo; cùm igitur gradus infiniti distantes non se teneant ex parte creaturæ, sed ex parte Dei, non debent adiungi speciei supremæ ad finem

finem vt impleatur illa distantia inter ipsam, & Deum; siquidem hæc suppleri nequit, nisi faciendo creaturam infinitam, quod omninò repugnat.

Obijcitur tertiò contra secundam conclusionem, quia in essentialiter ordinatis non datur processus in infinitum, ex Aristotele 2. Met. cap. 2. sed inter species est ordo essentialis, quia vna est alia perfectior; ergo debet dari status in aliqua suprema.

Resp. auctoritatem Aristotelis verificari de causis essentialiter ordinatis, quarum vna dependet ab alia in causando, vel plures ab vna prima, vt optimè ostēdit Doctor 2. Met. q. 6. in resolutione ad q. 4. §. Per hæc ad primam quæstionem &c. non autem de speciebus, in quibus non est essentialis ordo causalitatis, sed tantum perfectionis maioris, vel minoris, quia in his potest fieri processus in infinitum, vt probatum est. Cætera argumenta, quæ fieri possunt contra hanc conclusionem petenda sunt ex Mastrio, & alijs citatis pro prima opinione; sat enim est posuisse difficiliora.

Vtrum infinitum, in quantum infinitum, sit ignotum, vel notum?

QVÆSTIO III.

HAnc quæstionem exagitant communiter Doctores occasione textus 65. in quo Philosophus, habita cōparatione infiniti cum toto potentiali, concludit infinitum quatenus infinitum esse ignotum: Ceterùm quia huiusmodi propositio est indefinita, & non fit mentio in ordine ad quem intellectum dicatur ignotum, vel notum, propterea quæritur, an infinitum sit ignotum apud quemcumque intellectum, tàm increatum, quàm creatum, vel solum in ordine ad creatum: Et quidem de increato non est difficultas; omnes enim fatentur Deū cognoscere infinitum, vt infinitum est, nedum in actu, verùm etiam in potentia, quamuis loquentes de modo non conueniant; siquidem aliqui putant omnia possibilia constituere in mente diuina infinitum in actu, siuè cathegorematicum, sicque ab intellectu diuino vnico intuitu indiuisibili, etiam terminatiuè cognosci. Ita ex nostris Bassolius in 1. d. 35. q. 7. Faber, & Vulpes tract. de scientia Dei: ex alienis verò D. Thomas lib. 1. contra Gentes cap. 69. Et 1. p. q. 14 art. 12. D. Bonauentura in 1. d. 39. art. 1. q 3. & alij, quos refert, & sequitur Ruuius tract. de Infinito q. 2. n. 78. ac etiam nonnulli relati à Mastrio disput. 10 q. 6. n. 94. Alij autem ex opposito autumnant, Deū non cognoscere infinita in actu, sed tantum finita in infinitum, eo modo, quo habent esse potentialiter in rerum natura. Sic expressè sustinent Maior, Durandus, Almainus, Trombeta, Canonicus, cum alijs pluribus, quos recenset, ac sequitur Mastrius loco cit.

Comparando etiam infinitum in ordine ad intellectum creatum non sunt concordes; quandoquidem aliqui distinguunt de infinito, & quo ad quid nominis, & quo ad quid rei; aiuntque, infinitum primo modo esse à nobis cognoscibile, non autem secundo modo, & sic intelligunt Aristotelem, dum 1. Physicorum t. 35. & 3. Physic. t. 65. inquit: Infinitum esse ignotum, & non posse à nobis pertransiri.

Alij verò veriùs indagantes intentionem Philosophi, dicunt, infinitum sub ratione infiniti, esse nobis incognitum, cognosci tamen sub ratione finiti in infinitum successiuè, non solum quo ad quid nominis, sed etiam quo ad quid rei.

Quid autem sentiat Doctor subtilis in hac quæstione, quæ est magis Theologica, quàm Philosophica, quibusdam de more notatis, & eius, ac nostram aperiemus sententiam in conclusionibus infraponendis.

Primò igitur notandum, & memoriæ recolendū est omne id, quod de infinito dictū est in duabus præcedentibus quæstionibus, & præsertim, quid sint infinitum in actu, & in potentia, seu cathegorematicum, & sincathegorematicum, ac quomodo conueniant, & differant inter se. Deindè infinitum actu non posse dari ad extra distinctum à Deo, nec secundum multitudinem, nec secundum

ma-

magnitudinem, neque secundum intensionem, sed tantum in potentia, nedum in indiuiduis, sed etiam in speciebus Insuper, infinitum potentiale, se habere velut totum potentiale, in quo sunt omnes partes in potentia subsistentiæ, licet sint in actu existentiæ, alioquin nec totum existeret, cum essentialiter dependeat à suis partibus. Denique partes infiniti potentialis non habere omnes permanentiam (alioquin esset infinitum in actu) sed successiuè accipi vnam post alteram, cum hoc tamen, vt numquam accipiatur vltima, cum nec detur, nec sit assignabilis a quocumque, quin destrui contingat rationem infiniti potentialis, siuè sincathegorematici.

Secundò notandum est ex Scoto in quol. 14. & in 2. d. 1. q. 1. obiectum intellectus diuini esse duplex .s. primarium, & secundarium. Obiectum primariũ est, quod primò mouet intellectum, & ad quod primò terminatur, & sic essentia diuina dumtaxat est obiectum intellectus diuini. Secundarium verò est illud, ad quod terminatur diuina cognitio, & sic creaturæ possibiles, vt relucent in essentia, & terminant diuinam cognitionem, sunt obiectum secundarium diuini intellectus Imaginandũ est enim, quod essentia diuina, cum sit infinita, nedum formaliter, sed etiam virtualiter, primò mouet intellectum diuinum ad cognitionem sui, & eorum, quæ continentur in ipsa realiter, & formaliter, cuiusmodi sunt attributa diuina, relationes, personalitates, & emanationes diuinæ (de quibus in Theologia erit sermo) deindè quasi secundariò mouet eumdem intellectum ad cognitionem eorum, quæ virtualiter continentur in ipsa, cuiusmodi sunt omnia possibilia; siquidem intellectus diuinus, cum sit infinitus, & essentia infinita, non cognosceret eam perfectissimo, & infinito modo, nisi de eius virtute infinita, tamquam de causa, exprimeret omnes effectus possibiles, tribuendo illis per suam cognitionem esse quoddam cognitum, & formale, quod est primum, quod habet esse in eadem formaliter, ac distinctum, vocaturque esse possibile, non formaliter, vt ait Scotus in 1. d. 36. q. vn. & d. 43. q. vn. sed tamen consecutiuè, pro quanto esse possibile ad extra supponit esse cognitum creaturarum in mente diuina: non enim creaturæ essent possibiles produci ad extrà, nisi prius fuissent per cognitionem diuinam productæ in mente diuina ab intellectu in esse cognito diuino.

Tertiò notandum est, quod essentia diuina cum sit expressiua, virtute intellectus diuini, infinitorum possibilium, continet in se infinita obiecta cognoscibilia; siquidem ad infinita terminatur diuina cognitio; hoc autem non est intelligendum, quod terminetur ad illa, tamquam ad vnum obiectum indiuisibile, actu infinitum, quia sicut probatum est, non esse possibile ad extra dari in rerum natura infinitum actu, distinctũ à Deo, super quod feratur diuina cognitio, sic non est possibile assignari aliquod obiectum actu infinitum in essentia diuina, ab eaque distinctum, ad quod terminetur diuina cognitio: non enim, vt inquit D. August. lib. 5 in Genesim cap. 7. aliter nouit Deus facta, quam facienda; terminatur igitur ad illa diuinus intellectus per suam cognitionem, tamquam ad infinitum potentiale, adeò quod non cognoscit infinita, sed finita in infinitum, eo modo quo cognoscit infinitas partes diuisibiles in continuo, vnam post alteram; sicut enim vna post alteram accipit esse diuisibile in infinitum, ita res possibiles, vna post alteram vsque in infinitum, accipiunt esse cognitum ab intellectu diuino.

Quartò notandum ex Doctore subtili in 1. d. 3. q 3. §. His visis &c. sub F. Et quolib. 14. sub P. quod sicut intellectus creatus potest considerari & ex natura potentiæ, & prout alligatur alicui statui vel naturali, vel pœnali, ita duplex debet assignari obiectum intellectus creati; siquidem obiectum intellectus nostri, sicut & Angelici, ex natura potentiæ consideratì, est ens finitum, ac limitatum, tàm absolutum, quàm respectiuum, cuius terminus non sit Deus; obiectum verò intellectus nostri pro statu isto est quiditas rei sensibilis, vt aliàs diximus, & luculenter demonstrabimus in 3. lib. de Ani-

Anima disput. de Potentia intellectiua. Ex quo sequitur, quod Deus benedictus, cum sit ens infinitum actu; & infinitum actu, si daretur in multitudine, extensione, & intensione, non continentur sub obiecto intellectus creati, vtcumque considerati nequeant cognosci ab intellectu creato: Secundò infertur, quod infinitam in potentia, tàm in magnitudine, & multitudine, quàm in intensione, si pro rebus substractis infinitati accipiantur, cùm coalescant ex rebus finitis, & sint entia finita, possunt aliquo pacto cognosci ab intellectu creato, saltem ex natura potentiæ considerato, non quidem distinctè, verum confusè dumtaxat, vt mox dicemus

Quintò notandum ex dictis cum Scoto in 1. Physicorum disp. 1. q. 3. cognitionem esse duplicem .s. distinctam, per quã cognoscitur res secundum quiditatem sibi competentem, vt dum cognoscitur homo, secundum quod est animal rationale; Et confusam, qua cognoscitur res quo ad quid nominis, vt homo quatenus deriuatur ab humo; vel quo ad quid rei inadæquatè, vel in conceptu communiori, vt homo vt est animal, vel vt est pars subiectiua animalis. Insuper aliud est cognoscere confusum, & aliud confusè cognoscere: nam confusum cognoscere est cognoscere aliquod totum, vel essentiale, vel integrale, vel vniuersale sine suis partibus, vt homo sine anima, & corpore, vel corpus absque manibus, brachijs, capite, &c. vel tamdem animal sine homine, leone, equo, & cæteris, qui sunt partes subiectiuè. Rursus confusum, seu totum est duplex .s. actuale, quod nimirum continet in se plures partes, vt homo cõtinet animal, corpus animatum, corpus, substantiam, ens, rationale, sensibile, animatum, corporeum, & finitum, tamquam suas partes quiditatiuas, per quas constituitur in esse actuali; Et potentiale, quod in sui potestat continet plures partes subiectiuas, in quibus potest esse, vt animal in omnibus animalibus; vel integrales, vt numerus ternarius in tribus vnitatibus. Denique vtrumque posse cognosci, & confusè, & distinctè: Tunc cognoscitur cõfusè, quando concipitur totum sine partibus, vt homo sine suis prædicatis quiditatiuis, vel animal absque suis inferioribus: Tunc vero cognoscitur distinctè, quando non solum totum, sed etiam omnes eius partes cognoscuntur, vt sunt eius, vt homo, quatenus est animal rationale, corpus animatum, corpus, substantia, & ens; vel animal, prout potest esse in homine, leone, equo, & sic de ceteris. Ex his infertur, quod infinitum, cum sit quoddam totum potentiale, potest cognosci vel confusè hoc est secundum nomen; vel sub conceptu communioris entis, aut distinctè, & hoc modo deberet cognosci secundum omnes suas partes, ex quibus coalescere potest; cæterùm cum omnes eius partes lateant intellectum creatum, & ipsum nihilominus sit sibi notum secundum nomen, ac in conceptu communi entis, quod diuiditur per finitum, & infinitum, sequitur, infinitum potentiale esse notum confusè, & ignotũ distinctè intellectui creato.

Ex his fit prima conclusio. Intellectus diuinus cognoscit quodcumque infinitum, siuè in actu secundum virtutem, siuè in potentia secundum multitudinẽ, magnitudinem, & intensionem Est Scoti in 1. d. 2. q. 2. & d. 35. & 36. Et 2. Met. q. 6. ac alibi. Probatur prima pars, quia Deus cognoscit perfectissimè suam essentiam, in qua beatificatur, vt probat Doctor etiam in 1. d. 1. q. 2. sed essentia diuina est infinita in virtute, ipsa enim continet omnia, siuè ad intra, siuè ad extra, vt norunt Theologi; ergo Deus suo intellectu cognoscit infinitum actu in virtute. Secunda pars probatur, quia intellectus diuinus comprehendit essentiam suam .i. cognoscit eam omnibus modis, quibus cognoscibilis est; sed in essentia diuina continentur virtualiter infinita possibilia, secundum multitudinem, & magnitudinem, & extensionẽ, ac intensionem; ergo intellectus diuinus cognoscit huiusmodi infinita, in multitudine, magnitudine, & intensione. Maior patet, quia intellectus est infinitus, ac infinitæ cognitionis; ergo cognoscendo essentiam suam, ipsam comprehendit; siquidem ad cognitionem comprehensiuam

tiuâ requiritur vt tanta sit potentia, q. iã-tum est obiectum. Minor similiter, quia essentia diuina mouet intellectum diuinum ad cognitionem omnium rerũ possibilium. Tertia pars probatur, quia intellectus diuinus cognoscit huiusmodi infinita in essentia diuina, quomodo nouit illa in esse existentiæ; sed in esse existentiæ, non cognoscit illa vt infinit a actu, verum dumtaxat vt infinita in potentia; ergo eodem modo cognoscit etiã huiusmodi infinita in essentia diuina. Maior est manifesta ex D. Augustino lib. 5. super Genesim cap. 7. vbi inquit: Non aliter nouit Deus facta, quam facienda; sed facienda sunt possibilia in mente diuina, & facta sunt existentia extra diuinam omnipotentiam; ergo intellectus diuinus cognoscit huiusmodi infinita in essentia diuina, quo modo extra. Minor patet ex dictis in prima quæst. huius disput. quia infinitum actu siuè in multitudine, siuè in extensione, & intensione repugnant actu in rerum natura, non autem in potentia; ergo intellectus diuinus nequit illa cognoscere vt infinita actu, verùm dumtaxat in potentia.

Secunda cõclusio. Intellectus creatus, ex solius naturæ viribus, nequit cognoscere infinitum actu, siuè in virtute, siuè in magnitudine, siuè in multitudine, vel in intensione, ettò forent possibilia in rerum natura. Prima pars est Scoti in Prologo sent. q. 1. & d. 3. q. 3. & in 3. d. 14. q. 2. & in 4. d. 49. q. 11 vbi astruit necessitatem luminis gloriæ, & auxilij supernaturalis. Et determinata de fide in Concilio Viennensi, relato in Clement. Ad nostrã &c. de Hæreticis, contra Beguardos, & Beguinas, qui inter alios errores, ausi fuerũt asserere, quãlibet creaturam intellectualem esse in se beatam naturaliter, & animam non indigere lumine gloriæ, vt eleuetur ad videndum Deum, sed de hoc in Theologia in materia de Beatitudine. Secunda pars est eiusdem Scoti in 1. d. 3. q. 3. §. Hisis visis &c. sub F. & quolib. 14. sub P. Probatur: Tum quia inter obiectum, & potentiã debet esse proportio, sicut inter motiuum, & mobile; sed inter infinitum actu, & intellectum nulla est proportio; ergo &c. Minor probatur, quia finiti ad infinitum nulla est proportio, ex Arist. 3. Phys. t. 42. sed intellectus creatus est finitus, vt patet; igitur &c. Tũ etiam, quia obiectum adæquatum intellectus creati est ens finitum, & limitatũ; ergo nequit esse ens infinitum.

Tertia conclusio. Potest tamen intellectus creatus huiusmodi infinita cognoscere confusè. Patet, quia cognitio quo ad nomen est confusa, vt dictum est not. vltimo: sed intellectus creatus nouit quid nominis infiniti, ex eo quod caret fine; ergo illa infinita etiam actu potest cognoscere confusè.

Quarta conclusio. Intellectus creatus nequit cognoscere distinctè infinitum in potentia, licèt benè confusè. Est Scoti in 2. Met. q. 6. propè finem. Probatur, quia totum potentiale nequit cognosci distinctè nisi etiam cognoscantur omnes eius partes; sed infinitum in potentia est totum potentiale, & omnes eius partes minimè cognosci possunt, quia non habent esse simul, sed successiuè, vna post alterã in infinitum, & nũquam deueniendum est ad vltimam, alioquin non esset infinitum potentiale, sed actuale; ergo intellectus creatus nequit illud cognoscere distinctè. Secunda pars probatur, quia cognoscere totum potentiale confusè est nosse illud habere partes, & nescire quid sint, & quæ sint huiusmodi partes; sed intellectus creatus naturaliter scire potest, infinitum in potentia habere partes infinitas, ignorando quid, & quæ sint; ergo &c. Maior patet ex not. vlt. Minor probatur, quia intellectus creatus scit de facto, continuum habere partes, & esse diuisibile in infinitum secundum partes inæquales, & proportionales; sed huiusmodi continuum est infinitum in potentia, quia quantumuis accipiantur partes proportionales, semper restant aliæ accipiendæ; ergo &c.

Quinta cõclusio. Intellectus creatus, si duraret infinito tempore, posset infinitas partes continui successiuè cognoscere. Est Scoti ibidem. Probatur, quia cognoscere finita in infinitum nõ repugnat intellectui habenti esse in infinitum; sed infinitæ partes continui sunt finitæ in infinitum; ergo si tempore infinito obijcerentur

rentur

rentur intellectui creato successiuè, possent omnes ab illo cognosci. Maior patet, quia intellectus in tali duratione infinita non amitteret virtutem naturalem; sed entia finita, etiam in infinitum succedentia ad seinuicem, essent semper finita, & continerentur sub obiecto adæquato intellectus creati; ergo illa posset cognoscere successiuè in infinitum.

Ex his facilè dignoscitur, quo sensu, Aristoteles dixerit, infinitum esse ignotum, & impertransibile; quandoquidem verificari nequit de infinito in actu, quia non datur; sed tantum de infinito in potentia; non in ordine ad intellectum infinitum, sed ad creatum, quia intellectus creatus potest illud cognoscere, saltem confusè, licèt non distinctè.

Obijcitur tamen contra primam conclusionem, & primò, quod infinitum in potentia in magnitudine nequeat à Deo cognosci, saltem cognitione distincta, quia illud cognoscitur distinctè, quod cognoscitur secundum omnes sui partes; sed infinitum in potentia nequit à Deo cognosci secundum omnes sui partes; ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quia si omnes eiusdem partes à Deo cognoscerentur, aut prout sunt adhuc diuisibiles in alias partes, aut prout sunt indiuisibiles; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Minor probatur: Non potest dici cognosci ab eo, prout sunt diuisibiles, quia non omnes cognoscerentur; siquidem omnes sunt adhuc diuisibiles in alias, & illæ in alias in infinitum: Nec vt indiuisibiles, quia tunc continuũ coalesceret ex indiuisibilibus, quod est contra Aristotelem 6. Physic. ergo &c.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, illas cognosci à Deo prout adhuc diuisibiles in infinitum, non quidem vt constituunt infinitum actu, sed vnam post alteram, vt ex illis coalescunt infinitum in potentia.

Obijcitur secundò, quia saltem creaturas in esse obiectiuo Deus nequit cognoscere, vt totum potentiale; ergo si cognoscit illas, & sunt infinitæ in mente diuina, nouit illas, vt infinitum actu. Cõsequentia patet à sufficienti diuisione. Antecedens probatur, quia infinito in potentia semper potest fieri additio, ad differentiam infiniti in actu; sed creaturis existentibus in esse cognito in mente diuina nulla potest fieri additio, alioquin intellectus diuinus, cognoscendo essentiam diuinam non comprehenderet illam, sed inadæquatè intelligeret, quod est omninò falsum; ergo creaturis possibilibus in esse cognito nõ potest fieri additio.

Respondet Mastrius loco citato sub n. 100. concedendo non posse fieri additionem creaturis in esse cognito, seu obiectiuè existentium in mente diuina, non quia repugnet illi multitudini ab intrinseco suscipere additionem, sicut repugnaret, si constituerent infinitum cathegorematicum; sed solum ab extrinseco, nimirum quia aliæ creaturæ, quæ addi possent, non sunt possibiles; si enim, inquit ille, impossibilia fierent possibilia, posset fieri additio, & hoc sufficit ad inferendum, huiusmodi multitudinem esse infinitam in potentia, non verò actu.

Sed hæc responsio, quamuis sit ingeniosa, ac subtilis, tamen non satisfacit argumento, quia possent dicere Aduersarij, quod in tantum aliæ creaturæ non sunt possibiles, in quantum intellectus diuinus, cognoscendo essentiam diuinã ad productionem creaturarum, comprehendit illam, adeò quod producat tot, quod non plures; ergo Deus cognoscendo infinitas creaturas in sua essentia, cognoscit illas, vt infinitas actu, & non in potentia. Antecedens patet, quia possibilitas creaturarum existentium in mente diuina supponit earumdem cognitionem; ergo quod aliæ creaturæ sint, vel non sint possibiles, dependet ab intellectu diuino principiatiuè, vt docet Scotus in 1. d. 36. & d. 43. si igitur intellectus diuinus semel, vt ita dicam, comprehendit diuinam essentiam, vt mouet ad cognitionem possibilium, producit in esse obiectiuo, tot, quod non plures, & sic infinitas actu; vndè non restat illi multitudini potentialitas ad alias suscipiendas, nec ab intrinseco.

Resp. igitur ad obiectionem, negando antecedens; ad probationem negatur minor; quinimò cum cognoscat creaturas, vt finitas in infinitum, semper in infinitum

finitum sit additio: Et cùm probatur, quod tunc intellectus diuinus non cognosceret comprehensiuè, sed tantum inadæquatè, essentiam diuinam; negatur de cognitione comprehensiua potentiali, quia hæc non exigit vt obiectum cognitione indiuisibili finiatur, sed sufficit, vt nihil eius lateat intellectum cognoscentem, quamuis hoc præstet, quasi successiuè, & in infinitum.

Obijcitur tertiò contra secundam cõclusionem, probando quod intellectus creatus, ex viribus naturæ, possit cognoscere distinctè infinitum in virtute, quia Deus cognoscitur ab intellectu secundũ suam quiditatem; ergo distinctè. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia cognoscitur vt existens actu; sed existentia est de quiditate Dei; ergo cognoscitur secundum suam quiditatem. Maior probatur, quia summè simplicitati non repugnat existere; ergo existit actu, quia in perpetuis non differt esse à posse. Antecedens probatur, quia summa simplicitas non includit incompossibilia; sed omnis repugnantia est propter incompossibilia per Scotum in 1. d. 43. q. vn. ergo &c.

Resp. Negando antecedens; ad probationem dico, maiorem esse veram cognitione confusa, non verò cognitione distincta: & cùm probatur Deum esse summè simplicem, & summæ simplicitati non repugnare existere, concedo; sed nego hoc esse cognitum naturaliter distinctè; sicut quod non includat incompossibilia; siquidem hæc cognoscuntur lumine supernaturali, non verò naturali.

Obijcitur quartò contra quartam conclusionem, quia finitum potest cognosci distinctè ab intellectu creato, saltem ex natura potentiæ considerato; sed infinitum potentiale, vt subest potentiæ cognoscenti, est finitum; ergo potest ab intellectu creato distinctè cognosci. Maior patet, quia omne finitum continetur sub obiecto intellectus creati, ex natura potentiæ, secundum Scotum in 1. d. 3. q. 4. Et in quolib. 14. sub P. Minor patet similiter ex Scoto in 1. d. 3. q. 1. sub H. vbi dicit, quod intellectus cognoscens alterum post alterum, cognoscit semper aliquod finitum; sed infinitum potentiale ita cognoscitur, vt diximus etiam in prima conclusione, quia per hoc distinguitur ab infinito in actu, quod secundum totum indiuisibiliter cognoscitur; ergo infinitum potentiale, vt cognoscitur ab intellectu est finitum, & non infinitum.

Resp. Maiorem esse veram de finito absoluto; vel etiam relatiuo, quod habet pro termino aliquod absolutum finitum, non tamen si terminetur ad aliquod infinitum; modò, quamuis partes, quæ cognoscuntur in infinito potentiali, sint semper finitæ, tamen nequeunt distinctæ cognosci, saltè ab intellectu creato, cùm ordinentur ad partes infinitas, successiuè accipiendas, quæ sunt ignotæ.

Vel dicendum secundò, ex eodem Scoto in loco nuper citato, infinitum in potentia dupliciter considerari posse, vel quoad rem, vel quoad modum; primò modo dicit infinitas partes, ex quibus coalescit in potentia. Secundò modo dicit modum infinitatis, qui consistit in accipiendo alteram post alteram partem in infinitum, quamuis igitur infinitum secundum rem, substractũ infinitati possit cognosci ab intellectu diuino, si omnes partes reducerentur ad actum, vt etiam dicit idem Doctor in eodem 1. d. 2. q. 1. §. Ostenso prodosito, secundum modum infinitatis potentialis tamen, vt infinitum non posset cognosci, quia vt sic cognosci non potest, nisi cognoscendo vnam partem post alteram, quod nihilominus esset cognoscere finita in infinitum, non tamen infinitum.

Formaliter ad argumentum dico, minorem esse veram de infinito potentiali quoad modum infinitatis, qui consistit in accipiendo alterum post alterum; modo intellectus creatus potest vtique cognoscere illa finita, vnum post aliud, sed non cognosceret infinitum, sed solum aliqua finita.

Obijcitur quintò contra eamdem, quia Angelus potest cognoscere distinctè omnia, quæ per vnam speciem simul sibi repræsentantur; sed infinitum potentiale secundum omnes suas partes, potest

simul

ſimul repreſentari Angelo per vnicam ſpeciem; ergo Angelus poteſt diſtinctè cognoſcere infinitum potentiale. Maior patet. Minor probatur, quia Angelus per vnam ſpeciem poteſt cognoſcere omnes numeros; ſed omnes numeri cõſtituunt infinitum potentiale in multitudine; ergo &c. Maior probatur, quia ſi quilibet numerus quamlibet ſpeciem ſingillatim exigeret, cum Angelus cognoſcat infinitos numeros, haberet infinitas ſpecies intelligibiles, quod eſt impoſſibile; ergo ſufficit vnica ſpecies.

Reſp. Negando minorem; ad probationem negatur maior, immò, cum omnes numeri diſtinguantur ſpecie, exigunt diuerſas ſpecies ipſos repreſentantes, & cùm probatur, quod Angelus haberet infinitas ſpecies, concedo de infinito in potentia; ſicut enim in numerus proceditur in infinitum, ita ſpecies numeros repreſentantes poſſunt procedere in infinitum in potentia, nec hoc eſſet inconueniens, quia Angelus numquam haberet infinitas ſpecies, ſed ſemper finitas in infinitum, quod non repugnat creaturæ.

Obijcitur ſextò contra quintam. Si intellectus creatus infinita in infinito tẽpore cognoſceret ſucceſſiuè, cognoſceret etiã ea ſimul; ſed hoc repugnat intellectui creato; ergo &c. Maior probatur, quia tunc intellectus decurſis infinitis diebus, poſſet talium recordari ſimul, & ſic actu habere infinitorum cognitionem.

Reſp. Negando maiorem, ad probationem dico, eſſe veram confusè, non autem diſtinctè; ſiquidem intellectus finitus nequit reminiſci ſimul diſtinctè infinitarum ſpecierum, nec conſequenter ſimul ab eis moueri, ſed tantum confusè. Et hæc de tertio libro Phyſicorum ſint ſatis.

De Phyſico auditu, ſeu Phyſicorum Ariſtotelis.

LIBER QVARTVS.

ABſoluto tertio libro Phyſicorum, in quo cum Philoſopho egimus de paſſionibus intrinſecis corporis naturalis, nempè de Motu, & Infinito, in præſentiarum aggredimur eorumdem Phyſicorum librum quartum, acturi cum eodem de paſſionibus extrinſecis, nimirum de Loco, Vacuo, & Tempore; quandoquidem corpus naturale, cum ſit ſubiectum motus, qui nequit fieri extra aliquem locum, & ſine tempore, quod ſecundum Philoſophum, eſt eius paſſio, conſequenter exigit ad ſui perfectam cognitionem, etiam loci, ac temporis intelligentiam: Rurſus, quia idem Ariſtoteles pluribus in locis docuit, oppoſitorum eſſe eamdem diſciplinam, cùm locus, & vacuum opponantur priuatiuè, agendo de natura loci non debuit omittere cognitionem vacui. De his tribus paſſionibus extrinſecis; igitur pertractabimus in hoc libro 4. iuxta ordinem ab Ariſtotele præfixum, vndè & eumdem in tres partiemur Summas, quarum prima erit de Loco: Secunda de Vacuo: Et tertia de Tempore.

De natura loci. SVMMA I.

HÆc prima Summa diuiditur in decem capitula, in quorum primò Philoſophus arguit pro, & contra exiſtentiam loci: In ſecundò proponit rationes impugnantes eſſentiam, & quidditatem loci: In tertiò oſtendit quot modis aliquid poſſit dici eſſe in aliquo: In quartò demonſtrat, non poſſe aliquid eſſe in ſeipſo: In quintò deſtruit fundamentum Zenonis dubitantis locum eſſe: In ſextò præmittit quaſdam ſuppoſitiones ad inueſtigandam diffinitionem loci: In ſeptimò tradit diffinitionem loci, & probat: In octauò iterùm declarat, ac roborat eamdem diffinitionem a ſe datam: In nonò oſtendit diffinitionem loci conue-

nire

nire cunctis corporibus simplicibus: Et in decimò tamdem soluit rationes probantes locum non esse.

Quoad primũ in t. 1. ostendit, ad Physicum attinere cognitionem, & tractationem de natura loci, & probat conclusionem, quia ad Physicum spectat disserere de corpore naturali, ac de eius passionibus; sed inter passiones corporis naturalis enumeratur locus; igitur ad physicum spectat disserere de loco. Maior patet ex dictis, quia scientia physica est de corpore naturali, & eius passionibus de ipso demonstratis. Minorem probat, quia omnia corpora naturalia, quæ sunt, in loco sunt, quemadmodum existimarunt etiam Antiqui; & quæ non sunt, vt *Hircoceruus, & Sphinges*, cæteræque chymeræ in loco non sunt. Secundò probat eamdem conclusionem, quia Physici interest pertractare de motu perfectissimo, qualis est latio, seu localis; sed motus localis nequit esse sine loco; ergo &c.

Deindè in t. 2. ponit secundam conclusionem, nimirum considerationem de loco esse valdè difficilem; & probat, Tum quia nullus ante ipsum scripsit de natura loci; Tum etiam quia aliqui, tametsi dubitantes de existentia loci, in vanas abierunt suspicationes; siquidem quidam dixerunt esse materiam, alij formam, & alij spatiũ; igitur ob varias opiniones, nondumq. determinatas, sibi videbatur difficile tractare de natura loci.

His tamen non obstãtibus firmat tertiam conclusionem in t. 3. nempè locum esse: Quã probat quadrupliciter, & primò, quia transmutatio localis est; ergo & locus est. Consequentia patet: Non enim potest esse trãsmutatio localis absque loco, quia locus est receptaculum corporis moti localiter, vt quotidiè experimur. Antecedens probatur: Nam vbi nunc est aer, ibi fuit aqua; ergo aer, & aqua sunt localiter transmutati. Exindè colligit, locum esse à rebus locatis realiter distinctum; siquidem separantur abinuicem, & separatio est signum distinctionis realis.

Secundò probat eamdem conclusionẽ in t. 4. Illud ad quod corpora naturalia naturaliter tendunt, est aliquid in rerum natura; sed locus est huiusmodi; ergo locus est aliquid in rerum natura. Maior patet: Nõ ens.n. nullius est receptiuum. Minor etiam; siquidem experimur ignẽ naturaliter tendere sursum, terramque deorsum, inibique quiescere.

Tertiò probat illam in t. 5 ex eo quod in Vniuerso reperiuntur sex positiones .s. sursum, deorsum, antè, retrò, dextrorsum, & sinistrorsum, & non tantum quo ad nos, verùm etiam ex natura rei; quãdoquidem Septentrio est retrò, Auster antè, Oriens à dextris, Occidens à sinistris, Polus articus deorsum, Antarticus sursum; sed positiones nequeũt esse sine loco; ergo datur locus. An autẽ sint ponendæ in Mundo huiusmodi positiones ex natura rei videndus est Scotus in 2. d. 2. q. 6. vbi tenet oppositum.

Quartò idem confirmat in t. 6. auctoritate Antiquorum; quandoquidem ponentes dari vacuum, astruebant dari locum: dicebant .n. vacuum esse locũ priuatum corpore. Similiter Hesiodus, dũ putauit, primum omnium esse chaos, deindè terram latam, dicebat ipsum chaos esse receptaculum omnium rerum, quæ sunt; sed receptaculum, & locus sonant idem; ergo etiam secundũ Antiquos ponendus est locus in rerum natura.

Ex hoc infert in t. 7. quoddã mirabile, quod si secundũ opinionem Hesiodi. Locus est chaos, cum chaos sit omniũ primum, & locũ esse priorem omnibus locatis concludendum erit, quandoquidem non corrumpitur locus ad corruptionẽ corporum locabilium, cum sit chaos, cum ex ipso facta sint omnia.

Probata existentia loci, vt magis appareat huiusmodi veritas, arguit contra ipsam nonnullis rationibus, quas postea soluit, & primam ponit in t. 8. sic; Si locus esset, maximè esset corpus; sed non est corpus; ergo locus non est. Minor probatur, quia omne corpus habet trinã dimensionem .s. longitudinem, latitudinem, & profunditatẽ; sed locus non habet huiusmodi dimensiones; ergo non est corpus. Maior patet per diffinitionẽ corporis mathematici. Minor probatur. Si locus haberet illã trinam dimensionẽ, cũ sit simul cũ alio corpore locato, tunc duo cor-

corpora essent in eodem loco, & seinuicē penetrarent, quod est impossibile.

Secunda ratio ponitur in t. 9. & est talis. Si locus daretur respectu corporis; ergo etiam daretur, vt esset receptaculū superficiei, lineæ, & puncti; sed hoc est absurdum, quia punctus non habet aliū locum, quā ipsum punctū; alioquin nullū esset discrimen inter locū puncti, & punctum; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia eadem est ratio de toto corpore, & de superficiebus, lineis, ac punctis, quæ sunt in ipso; nam vbi nunc est superficies aquæ vt in loco, ibi etiam est superficies aeris; Tum etiam, quia superficies, linea, & punctus sunt quantitates, sicut & corpus; ergo non est maior ratio de vna quantitate, quam de alia.

Tertia ratio ponitur in t. 10. talis: Si locus esset; aut corporeus esset, aut incorporeus: neutrum est asserendū; ergo locus non est. Minor probatur, non corporeus, quia omne corporeum aut est elementum, aut constat ex elementis; sed neutrum est dicendum, quia talia sunt corpora; at locus, vt probatum est tex. 8. non est corpus; ergo &c. Neque incorporeus, quia locus habet magnitudinē, & extensionem, quæ non competunt rei incorporeæ; ergo &c.

Quarta ratio in t. 11. Si locus esset, esset maximè vt foret causa, & principiū conseruatiuum locati; sed cōsequens est absurdum; ergo & antecedēns. Consequēs liquet, nam de ratione loci est conseruare locatum. Minorem probat, quia omnis causa, & principium vel est materia, vel forma, vel efficiens, vel finis; at locus non est materia, nec forma; quia hæ sunt intrinsecæ rei, locus verò extrinsecus: Nec quia mouet, at locus non mouet, sed est id, ad quod res mouetur. Neque finis, quia finis est perfectior ijs, quæ sunt ad finem; locus autem non est perfectior locato; ergo locus non est principium conseruatiuum, & causa locati.

Quinta ratio ad idem in t. 12. Si locus esset, tunc, vt arguebat Zeno, daretur processus in infinitum in locis; sed hoc est inconueniens maximum; ergo &c. Cōsequentia probatur, quia omne quod est, in loco est; sed per te locus est; ergo est in loco; tunc quæro de illo loco, aut est in loco, aut non: Si non, habetur intentum, quod nec primus locus sit in loco, cum non sit maior ratio de vno, quā de alio: si verò dicatur esse in loco, quæro de illo, sicut prius, & sic dabitur processus in infinitum in locis.

Sexta ratio in t. 13. est huiusmodi: Si locus est, debet esse æqualis locato; sed non est æqualis; ergo nō est. Minor probatur: Nam si esset æqualis locato, sequeretur, corpore aucto, augeri quoque locum; sed hoc est falsum, quia quod augetur est corpus, locus autem non est corpus; vt superiùs probatum est in t. 8. ergo &c.

Quoad secundum Philosophus inquirit, in quo consistat quidditas, & essentia loci, & ne fiat æquiuocatio de loco; in t. 14. præmittit locum esse aliud communem, quia omnia continet, vt Cœlum, quod continet omnia sublunaria, aerem, aquam, terram, & quæ in ea existunt, & alium proprium, qui continet tantum vnum locatum, vt superficies aeris me ambientis dicitur meus locus proprius; de hoc loco proprio igitur inquirit, quid sit, an materia, vel forma, & à t. 15. vsque ad 22. inclusiuè, interdum vni, & interdum alteri fauet: Cæterùm, quia semper procedit disputatiuè, arguendo potius ad hominem, quam ex proprijs, & quoniā neutram illarum opinionum amplēctitur, idcircò ne tempus in vanum teramus, huiusmodi disputationem consultò omittimus, & ad necessaria, ac propria Aristotelis calamum dirigimus.

Quoad tertium, in quo ostendit quot modis aliquid potest dici esse in aliquo, enumerat octo modos essendi in, quorum etiam meminit Petrus Hispanus in Summulis tract. 3. in Antepradicam. & nos cum ipso recensuimus ibidem tract. 1. sect. 3. cap. 4. Primus autem modus est in t. 23. quandò aliquid est in alio, vt pars in suo toto, vt digitus in manu, & manus in toto corpore. Secundus, quandò è conuersò totum est in suis partibus simul sumptis, vt totum corpus in capite, brachijs, manibus, &c. non n. totum est præter partes, quod est verum quoad cōtinentiam, non quoad entitatem, quia sic

est

est aliud realiter, vt ostẽdimus in 1. Physic. disp. 2. Tertius est, cùm aliquid est in alio, vt species in suo genere, vt homo in animali, vel quodlibet inferiùs in suo superiori, hoc est potentialiter, vt Petrus, & Paulus in homine. Quartus, cũ aliquod superiùs est actualiter in suis inferioribus, vt animal in homine, & homo in Petro, ac Paulo. Quintus, quando forma est in sua materia, vt anima in corpore, vel calor in igne, & sanitas in calidis, & frigidis. Sextus, quando effectus in sua causa efficiente est, vt rana in virtute Solis; aut gubernante, & conseruante, vt in Rege Græcorum res, & omnia in primo mouente. Septimus, cùm medium est in suo fine, vt virtus in fœlicitate. Octauus modus, qui est omnium maximus, est quando contentum est in continente, vt vinum in vase, vel locatum in loco, vt corpus in superficie aeris illud ambientis, & hic dumtaxat facit ad rem præsentem.

Quoad quartum mouet vnum dubiũ, an contingat aliquid esse in seipso; vel an omnis res sit in alio, aut nusquam? & pro resolutione præmittit in t. 24. vnam distinctionem, quod aliquid esse in seipso potest dupliciter intelligi, vno modo secundum se, & ratione sui; alio modo secundum alterum. Primo modo totum dicitur esse in seipso ratione sui ipsius, vt homo ratione suæ humanitatis. Secundo modo dicitur esse in se ratione suarum partium, vt albus dicitur esse in se ratione superficiei, quæ est alba, & homo dicitur totus sciens, quia anima, quæ est eius pars, est sciens: & amphora est in seipsa ratione vini, quod est altera pars, sic vinum dicitur esse in se ratione amphoræ, cum sit altera pars eius.

Ex his, exemplificando, infert, quod album est in corpore secundo modo, hoc est, ratione alterius, idest ratione superficiei; superficies verò est in corpore ratione sui, alioquin daretur processus in infinitum; Similiter amphora vini est in seipsa ratione vini, cum sit pars sibi coniuncta, quod notanter dicitur, quia si essent adinuicem separata vinum, & amphora, hæc non posset dici esse in seipsa ratione vini, cum non esset amplius eius pars, sicut homo albus non posset dici esse in se ratione superficiei albę, si forent abinuicem disiuncta.

His præmissis in t. 26. respondet dubio proposito dicens: Nihil esse in seipso ratione sui, licet benè ratione suarum partium: Probat primam partem inductiuè, discurrendo per omnes modos essendi in, positos in præcedenti capitulo: Deindè ratione, quia tunc sequeretur totum esse idem sibi, & pars parti, & sic vinum esset idem quod vas, & è cõuersò; sed consequens est contra experientiam; siquidem consumato vino, remanet vas; ergo & antecedens. Probatur consequentia, quia omne continens vinum est vas; sed si totum esset in seipso secundum se totum, vinũ contineret vinum; quandoquidem amphora plena dicit vinum, & vas, si ergo tota amphora est in seipsa secundum se totam; ergo est etiam in se secundum vinum, & sic vinum esset idem quod vas, quia vinum continet amphoram vini, & vinum. Probat secundam partem, quia totum denominatur secundum denominationem partium, vt homo dicitur simus secundũ nasum, crispus secũdum caput, & sciens secundum animã; sed partes sunt in toto secundum primum modum essendi in; ergo totum est in toto ratione partium.

In t. 27. ponit aliam conclusionem responsiuam ad dubium, quod nihil potest esse in seipso secundum accidens, hoc est ratione alterius extrinseci, vt impossibile est, amphoram esse in seipsa ratione vini, quod accidit ei secundum se. Probat, quia omne Quo est propinquius effectui ipso Quod, sed amphora est in se mediante vino, vt quo; ergo vinum est propinquius amphoræ, quam ipsa amphora; sed amphora secundum se non occupat nisi vnum locum; ergo etiam cum vino tantùm vnum occupabit locum, & sic duo corpora erunt in eodem loco. Maior patet, nam forma est propinquior effectui, quam efficiens; siquidem forma est causa intrinseca, efficiens verò extrinseca; sed efficiens est Quod, & forma Quo, ergo Quo est propinquiùs effectui, quam Quod.

Quoad quintum in t. 28. soluit rationẽ

Zenonis, qua probabat non esse locum, alioquin daretur processus in infinitum, negando consequentiam, & cum probatur, quòd omne, quod est, in loco est, dicit verum esse, si tale sit corpus, non tamen si fuerit accidens in accidente, non habente distinctum locum à suo subiecto; siquidem vt sic, sanitas est in calidis, vt habitus, calor autem in corpore, vt passio; vndè non est necesse procedere in infinitum, cum locus, qui est superficies, sit in aere, non vt in loco, sed vt accidens in subiecto.

In textu tandem 29. huius capitis, infert, locum non esse materiam, nec formam, quia materia, & forma sunt partes locati; sed locus non est pars locati, vt liquet ex dictis suprà tex. 3. cum sit ab eo realiter distinctus, ac separabilis; ergo locus nequit esse materia, vel forma.

Quoad sextum, in quo incipit sternere fundamenta pro stabilienda natura, & quiditate loci, in t. 30. enumerat nonnullas proprietates, conuenientes loco, quarum prima est, quod locus continet locatũ, vt amphora vinum. Secunda, quod locus non est aliquid rei locatæ; siquidem locus est superficies aeris continentis locatum, & clarum est locatum esse distinctum ab aere, & eius superficie. Tertia est, quod locus est æqualis locato, loquendo tamen de loco proprio, non de communi. Quarta est, quod locus non est separabilis à corpore, alioquin daretur vacuum, siquidem vacuum est locus carens corpore; hoc autem intelligi debet collectiuè, non autem disiunctiuè, quia sic certum est locum esse separabilem ab hoc, & ab isto, & ab illo corpore.

Deindè notat in t. 31. quatuor esse conditiones cuiuslibet bonæ diffinitionis. Prima est, quod explicet quiditatem rei per genus, & differentiam. Secunda, quod per talem diffinitionem soluantur obiectiones, & difficultates occurrentes contra diffinitum, vt si dubitetur, hominem esse rudibilem, soluitur dubiũ per animal rationale; quod est diffinitio hominis, ostẽdendo, quod nullũ animal rationale est rudibile, sed homo est animal rationale; ergo &c. Tertia, quod per diffinitionem cognoscantur proprietates in esse diffinito; nam per animal rationale cognoscimus risibilitatem inesse homini. Quarta, quod per diffinitionem reddatur causa solutionis dubitationum, vt si quæratur, quare homo non sit lapis, statim adducitur pro causa, quia homo est animal rationale, & animal rationale non est lapis. Ex his infert Philosophus, quod quæcumque diffinitio habuerit has quatuor conditiones, erit conueniens, & bona.

Notandum, quòd ex hoc textu habent Scotistæ, diffinitionem esse medium in demonstratione potissima, vt cum Aristotele 2. Post. cap. 17. & Scoto probauimus nos disp. 1. super secundum lib. Poster. q. vlt.

In t. 32. ponit quasdam suppositiones, ex quibus faciliùs inuestigari possit, an sit, & quid sit locus, & prima est. Ex eo quod datur motus localis, inferimus esse locum; quemadmodum enim ex successione formarum in eadem materia, comperimus materiam esse, ita ex successione corporum locatorum, dignoscimus locum esse; vndè concludit Cœlum esse in loco, quia semper localiter mouetur.

Subdit tamen duplicem esse motum localem, alterum, qui fit per lationem, hoc est, cum mouetur totum corpus ad totum locum; alterum verò quando res mouetur secundum sui partes, vt cum corpus augetur, mouetur secundum sui partes; siquidem pars augmentatiua acquirit nouam partem loci, & diminutiua deperdit aliquam partem loci, vt patet in spongia, quæ in dilatatione partium acquirit nouam partem loci, in compressione autem, acquisitam iam deperdit.

Secunda suppositio est, quod illa, quæ mouentur, sunt duplicia: quædam enim mouentur per se, quædam verò per accidens Illa mouentur per se, quæ secundũ se mouentur, & sunt diuisa à quocũque, quod nõ est pars illarũ, & ipsa nullius sũt partes, vt homo, lapis diuisus ab alio lapide. Illa verò mouentur per accidens, quæ mouentur, vt sunt in aliquo, & ista sunt duplicia; quædam enim sunt apta

nata

nata per se moueri, si forent ab alijs seiuncta, vt partes corporis humani .s. manus, pes, caput, &c. Quædam verò non sunt apta nata per se moueri, etiam si fuerint separata ab alijs, vt albedo, nigredo, & cætera accidentia, quæ, secundum ipsum, nequeunt moueri, nisi ad motionem subiectorum, à quibus seiungi non possunt.

In t. 33. ponit tertiam suppositionem; Rem esse in loco dupliciter contingit .s. in communi, & adæquato, vt Socrates in Cœlo, quia est in aere, qui est in Cœlo; siquidem aer est in Cœlo, vt in loco, sicut cætera elementa, ita Socrates nedum, sed etiam cæteri homines sunt in aere, vt in loco communi; Alio modo in loco proprio, & sic Socrates est in superficie aeris ipsum circumdante, & non in toto aere, quia totus aer non est sibi adæquatus, locus autem debet esse æqualis locato.

In t. 34 subiungit quartam suppositionem, quod quando continens, & contentum non sunt diuisa, sed adinuicem continua, contentum non est in continuo, vt locatū in loco, sed vt pars in suo toto, vt partes huius ligni nō sunt diuisæ ab ipso, quin potius copulantur sibi, & ideò non sunt in eo, vt in loco; quando autem cōtinens, & contentum non sunt continua, sed diuisa, tangunt se secundum vltima .i. secundum superficies, ita quod vnum nō sit pars alterius, & vnū non sit maius altero, nec minus alio, tunc contentum est in continente, vt locatum in loco; & exēplum est de vino in dolio: vinum .n. est diuisum à dolio, & tantum secundum vltimas superficies se tangunt, ideò vinum est in dolio, vt in loco; & probatur, quia locatum mouetur in loco, & non cū loco, sed id, quod continetur primo modo mouetur cum toto, vt visus cum oculo, & id, quod continetur secundo modo, nō mouetur cum continente, vt in cado aqua, & vinum in vase; ergo contentum secundo modo est in continente vt in loco, non autem contentū primo modo.

Quoad septimum, in quo ostēdit quid sit locus, ponit hanc conclusionem: Locus est superficies continentis vltima; & probat illam à t. 35. vsq. ad 40. exclusiuè, à sufficienti partium enumeratione, quia locus aut est forma, aut materia, aut spatium inter latera continentis, aut superficies eiusdē continentis vltima; sed locus non est aliquod ex primis tribus; ergo à sufficienti diuisione erit quartū, nimirū superficies &c. Maior probatur auctoritate Antiquorum; siquidem aliqui dicebant, locum esse materiam, alij formā, alij spatium interceptum lateribus continentis, & alij superficiem eiusdem continentis, vt patet ex dictis in superioribus textibus. Minorem probat singillatim: Non est dicendum esse formam, quia, quamuis habeat aliqualem conuenientiam cum illa, in quantum continet, & terminat, sicut locus, tamen huiusmodi continentia formæ, eiusque terminatio est valdè diuersa; siquidem forma continet, & terminat rem .i. compositum intrinsecè; locus verò continet, & terminat extrinsecè, igitur locus non est forma.

In t. 36. probat quod non sit spatium, & interuallum, quia inter latera continentis nullum datur spatium reale, sed solum est quantitas corporis contenti, vt patet in amphora, inter cuius latera solum est magnitudo, & quantitas vini; sed vinum est locatum; ergo non potest esse locus.

Rursus in t. 37. probat idem dupliciter, & primò, quia sequeretur dari infinita loca; siquidem cum aliud corpus succederet in illud spatium, quælibet pars corporis esset per se locata; sed in quolibet corpore essent infinitæ partes, cum esset continuum; ergo & infinita loca, quod est absurdum. Secundo, sequeretur dari locum loci, & vnius loci esse multa loca, quod probat exemplo; quandoquidem sumatur vas minus, & ponatur in spatio vasis maioris, & ita deinceps, tunc sequeretur quod vinum, quod erat in vase, occuparet plura loca; & primum vas, quod erat locus, esset in loco, quæ inconuenientia non sequuntur ponendo locum esse superficiē; siquidem cum vas mutatur, acquirit alium locum, non autem vinū, quod erat in vase; & rursus cum vas mutatur, non manet idē locus cum primo; cū ponatur in

in alia parte respectu totius vniuersi; superest igitur vt dicamus, locum non esse interuallum continentis.

In t. 38. probat aliam partem, nempè locum non esse materiam, quia quamuis inter locum, & materiam sint quædam conuenientiæ; siquidem locus quiescit sicut materia; similiter locus manet idē, sicut & materia, differũt tamen, Tũ quia quæ prius erat materia aeris, fit aqua; non sic locus, quia idem, qui erat aeris, est etiam aquæ; Tùm etiam, quia materia est inseparabilis à re, locus verò separabilis; Tùm denique materia continetur, & terminatur passiuè à forma, locus verò terminat, & continet actiuè; ergo locus nequit esse materia.

Concludit ergo in t. 39. quod si motus non est neque forma, neque spatium, neque materia, vt dicebant Antiqui, superest, quod sit superficies vltima continentis, & locatum sit corpus mobile secundum lationem.

Quo ad octauum in t. 40. Volens ostēdere melius, & formalius, quid sit locus, dicit hoc esse aliquid magnum, ad difficile captu, quod ostendit ex tribus causis. Prima, quia locus videtur conuenire cum materia, forma, & spatio, vt tactum est in præcedenti capite. Secunda, quia Antiqui, cum videret fieri translationem .i. quod vbi erat aer, ibi succedebat aqua, dicebant locum esse aliud quippiā ab eis. Tertia, quia aer videtur esse quid incorporeum, ac proindè locus non videtur esse terminus vasis continentis, sed potius vacuum inter latera eiusdem.

His tamen non obstantibus concludit, (tex. 41.) locum esse solum terminum, seu superficiem vltimam corporis continentis: Cæterùm, quia nondum videbatur exactè, adæquatèque declaratum, quid sit formaliter locus, cùm ex allata doctrina posset inferri idem esse existere in vase, ac in loco; ponit differentiam inter vtrumque dicens, vas continere contentum, vt mouetur, seu vt mobile; locus verò locatum, vt immobilis; siquidem non solum non mouetur cum locato, sed dicitur etiam immobilis, quia quiescit, & manet, re mota, ac recedente: dat exemplum de naui, quæ fertur per flumen, ex eo enim quod aqua mouetur, flumen verò quiescit, & manet, nauis dicitur potius esse in flumine, tamquam in loco, quam in aqua, cum in aqua sit tamquam in vase, quod mouetur; Ex qua differentia colligitur, rationem constitutiuam loci esse immobilitatem; vndè locus proprius sic adæquatè diffinitur ab Arist. in fine huius textus 41. supra cit.

Locus est continentis terminus, immobilis, primus, hoc est, superficies vltima corporis continentis, immobilis, & æqualis locato: Quam definitionem vberius in propria quæstione dilucidabimus, ostendendo cum Doct. subtili quomodo locus dicatur immobilis, & quomodo non; ideò omittitur etiam textus 42. in quo Aristoteles probat immobilitatem loci.

Quo ad nonum, in quo Philosophus ostendit, allatam diffinitionem conuenire cunctis corporibus simplicibus mobilibus, ponit in t. 43. duas conclusiones, quarum prima est; Omne corpus habens extra se aliud corpus continens ipsum, est in loco, vt terra est in loco, quia habet extra se aquam, ipsam continentem; Similiter aqua est in aere, aer in igne, ignis in orbe Lunæ, & ita ascendendo vsque ad vltimam sphæram.

Secunda conclusio. Corpus verò non habens extra se aliud corpus, in quo contineatur, non est in loco; patet de vltima sphæra, quæ, quia non habet aliud corpus in quo contineatur, non est in loco, supple quo ad locari, licèt benè quo ad locare, quia omnia continet.

In t. 44. volens declarare, qualiter corpora in loco existant, ponit quasdam distinctiones, quarum prima est in citato textu. Illa, quæ sunt in loco, quædam actu, quædam potentia existunt; illa existunt actu, quæ per se subsistunt, vt partes continui separatæ vt duæ, vel tres partes huius tabulæ à seinuicem disiunctæ. Illa verò potentia existunt in loco, quæ per se non subsistunt, possunt tamen subsistere, vt partes in continuo, nondũ per diuisionem disiunctæ.

In t. 45. subiungit secundam diuisionem: Alia existere in loco per se, & alia per accidens. Primo modo corpora,

quæ

quæ localiter mouentur vel secundum se tota, vt in motu locali, vel secundum suas partes, vt accidit in motu augmentationis, & diminutionis, dicuntur moueri per se. Secundo modo, illa sunt in loco, quæ ratione alterius existunt in loco, vt anima ratione corporis, & Cœlum ratione suarum partium, quia vna est in alia localiter, vt ignis in orbe Lunæ, Luna in orbe Mercurij, & ita ascendendo &c.

In t. 46. concludit omnia esse, tamquā in loco, in Cœlo, ideòque Cœlum dici quoddam totum, quia sicut totum continet partes, ita Cœlum continet omnia, nam superficies concaua Cœli est locus, vbi omnia continentur, ipsum verò à nullo continetur.

Quo ad decimum tamdem soluit rationes nitentes ostendere, locum non dari, & primò respondet ad vltimam positam in primo cap. t. 13. in qua inferebatur, debere augeri locum ad augmentum locati corporis, si daretur locus, negando consequentiam; non enim est necesse vt locus augeatur, sed sufficit, vt latera corporis continentis magis distent, e. g. cum arbor augetur non incrementatur eius locus, sed tantum latera aeris continentis inuicem magis distant.

Ad secundam positam in t. 9. nempè si corpus est in loco; ergo & superficies, & punctus Respondet t. 48. non esse necesse, vt pūctus, & superficies sint in loco; nam locus est superficies ambiens corpora, sed punctus non ambitur à superficie, cum sit indiuisibilis, nec superficies ab alia, quæ non est corpus.

Ad primam positam in tex. 8. si locus esset, deberet esse æqualis locato, habere trinam dimensionem, & esse corpus: Dicit locum non esse æqualem locato secundum profunditatem, sed tantum secundum longitudinem, & latitudinem, & ideò non est corpus, neque consequēter duo corpora essent in eodem loco.

Ad tertiam positam in t. 10. si locus esset; aut corporeus, aut incorporeus esset, Respondet negando consequentiam, Tum quia corpus continetur à loco, at locus non continetur ab alio loco: Tum quia corpus habet trinam dimensionem, qua caret locus: Tum tamdem quia incorporeum est indiuisibile, locus autem diuisibilis.

Ad quintam positam in t. 12. Si locus est; ergo est in alio loco: Negat sequelam maioris, ad probationem inquit esse verum de corporibus, modò locus non est corpus, sed superficies corporis continentis.

Ad quartam positam in t. 11 non respondet Philosophus, responderi tamen posset locum, sumptum pro aggregato ex superficie, & qualitatibus conuenientibus locato, spectare ad causam efficientem, non quidem productiuam, sed conseruatiuam. Et hæc de Summa prima textus.

De Natura Loci.

DISP. I.

Varias loci acceptiones ab Antiquis excogitatas expendit Aristoteles in textu iam prælibato, sed famosiores ipse confutauit, contentus nomine termini continentis, qui non est nisi superficies corporis continentis vltima, & adæquata locato, ex quo reiectæ videntur Philosophorum opiniones, asserentes, locum vel esse materiam, vel formam, vel spatium, aut interuallum, seu situm inter latera cōtinentis, vel realiter, vel imaginariè excogitatum; siquidem hæc omnia explosa fuerunt multis, ac subtilibus rationibus ab eodem Aristotele; vndè ne tempus inutiliter teramus, & à nostro proposito aberrare videamur, quippèqui tantum necessaria ad intelligentiam doctrinæ Theologicæ tradere profiteamur, his omnibus posthabitis, supposita veritate opinionis Aristotelis de existentia, ac natura Loci, inuestigabimus dumtaxat, an Diffinitio, & Proprietates eiusdem sint conuenienter ab eodem assignatæ in textu iam explanato.

Vtrum natura loci, ac eius diffinitio sit benè, ac conuenienter assignata ab Aristotele in textu 41.

QVÆSTIO I.

OMissis opinionibus Antiquorum Philosophorum, de natura loci, quarum meminit, præter Aristotelem, etiam Simplicius; quandoquidem sunt sufficienter reiectæ à Philosopho in textu iam explanato, quicquid in contrarium attentare præsumant quidam Recentiores, quos citant, & impugnant Ruuius, Mastrius, & Poncius in disput. de Natura loci, restringitur proposita difficultas ad ea, quæ opinatus est idem Aristoteles: nam cum Expositores non conueniant in explicanda eius mente, factum est vt in varias abierint sententias, quarum

Prima est Ioannis de Ianduno in 4. Physic. q. 4. & 5. asserentis, locum duo importare, vnum de materiali, & quasi subiecto, & hoc esse superficiem continentem locatum; alterum verò de formali, & illud esse qualitatem, seu virtutem conseruatiuam locati, atque ideò, locum, secundum Aristotelem, non esse solam superficiem aeris continentis nudam, sed vestitam qualitatibus conseruatiuis locati.

Secunda est D. Thomæ in 2. d. 12. q. 1. art. 5. ad 2. docentis, locum essentialiter, & formaliter importare tantum superficiem corporis locantis, prout dicit longitudinem, & latitudinem, ingredique sic nudè consideratam, tamquam genus diffinitionem loci, ad quam contrahitur per vltimitatem, seu primitatem, & immobilitatem, tamquam per differentias formales, distinguentes locum à quocũque continente, quod non habet superficiem vltimam, & immobilem. Sic etiã Toletus hic q. 4. Sotus q. 1. concl. 1. Conimbric. ibidem art. 2. à quibus non videntur discordare Soncinas 5. Met. q. 40. concl. 2. & noster Faber in Philosophia naturali Theor. 47. cap. 2.

Tertia est Ruuij tract. de Loco q. 2. n. 29. Complutensium disp. 19. q. 4. & Fabri in 6. Met. disp. 17. cap. 1. sustinentium, locum duo præseferre, alterũ primariò, & hoc esse superficiem, quæ se habet veluti subiectum in diffinitione loci; alterum verò secundariò, seu de connotato, & istud esse continentiam, & immobilitatem, quæ se gerunt veluti formæ; siquidem locus, inquit Ruuius, cum sit quoddam concretum accidentale, habet diffiniri per subiectum, & formam, sicut cætera concreta accidentium.

Quarta tandem est Scoti in quol. 11. distinguentis de loco pro materiali, & pro formali; siquidẽ si pro materiali cõsideretur, dicit, esse superficiem vltimam corporis continentis, immobilem; sin autem pro formali, vult esse continentiã formaliter, quæ non est, nisi relatio continentis ad contentum, vt locatum in eo: ita quod superficies non se habet in diffinitione loci, vt genus, sicuti dicebat secunda opinio; nec vt subiectum, vt asserebat tertia; sed solum vt fundamentum relationis continentiæ, importatę per locum pro formali. Et hæc est vera sententia Doctoris subtilis, quicquid in contrarium attentent quidam Recentiores ex nostris.

Pro cuius declaratione, & resolutione totius quæstionis primò notandum est ex eodem Scoto ibidem, & in 2. d. 2. q. 6. & in 4. d. 10. q. 1. & 2. §. Dico ergo aliter ad quæstionẽ, &c. locum dupliciter cõsiderari posse, & pro materiali, & formali. Locus materialiter sumptus adhuc est duplex .s. remotus, & propinquus. Remotus est corpus cõtinens locatũ, vt aer, in quo vnum quod quẽ locatur, & viuit. Propinquus est superficies aeris, quę immediatè tangit corpus locatum, & qua mediante aer dicitur continere, & locare quodlibet corpus locabile. Locus materialis adhuc subdiuiditur in communem, & proprium. Communis est, qui plura continet locata, vt Cœlum respectu omnium sublunarium, & aer in ordine ad omnia corpora naturalia mobilia, & hic non differt, sed est idem ac locus remotus. Proprius verò est qui tantum vnum locatum continet, vt superficies ambiens dumtaxat meum corpus, & hic conuenit cum loco propinquo. Locus autem pro forma-

formali est relatio extrinsecus adueniens loci ad locatum, quæ dicitur vbi: estque duplex .s. actiuus, & passiuus. Actiuus est respectus continentię, fundatus in superficie, & terminatus ad corpus locatum. Passiuus est respectus continentiæ, seu locationis passiuæ, fundatus super corpore locabili, & terminatus ad superficiem locantem, & ambientem ipsum corpus. Quod dictum est de loco, applicari potest etiam ad locatum; siquidem locatum pro materiali remotum est corpus mobile aptum motum locari; propinquum verò est superficies eiusdem corporis, tangibilis à superficie aeris; pro formali verò est respectus vbicationis passiuæ, fundatus in corporis superficie, & terminatus ad superficiem aeris ipsum ambientis. *Hic* est sermo de loco siuè pro materiali, siuè pro formali considerato, quia vtrumque diffiniri potest, sumpta diffinitione materialiter, ac formaliter.

Secundò notandum ex eodem in citatis locis, quadruplicem esse locum quouismodo consideratum, nempè immensiuus, circumscriptiuus, diffinitiuus, & præsentialis. Id est in loco immensiuè, quod occupat omnem locum, & est vbique, & sic Deus, cum sit infinitus per essentiam, præsentiam, & potentiam, dicitur esse in loco. Id verò est in loco circumscriptiuè, quod commensuratur loco, ita ut totum sit in toto loco, & partes coextendātur ad partes loci, & sic quodlibet corpus, siuè homogeneū, siuè ethorogeneum est in loco. Id autem est in loco diffinitiuè, quod est præsens toti loco, & cuilibet eius parti, & ita est ibi, quod non alibi, & sic Angelus, & anima separata dicuntur esse in loco, siquidem, cum sint substantiæ indiuisibiles, sunt toti in toto loco, & toti in qualibet parte, & cum sunt in aliquo loco adæquato, ita exhibent suam præsentiam illi loco, vt naturaliter nequeant exhibere præsentiā alteri loco adæquato. Id tandem est in loco præsentialiter, quod est præsens toti loco, & cuilibet eius parti, non tamen ita præcisè, vt non possit exhibere simul suā præsentiam alijs, vt est corpus Christi in Sacramento Eucharistiæ; est enim præsens toti hostiæ consecratæ, & cuilibet eius parti, & non tantum vni, sed omnibus hostijs consecratis. Hic est sermo de loco circumscriptiuo duntaxat, quia in eo solummodò potest fieri motus localis physicus, vt obseruauit Doctor subtilis in quol. 11. sub O. in fine.

Tertiò notandum, quod locus circūscriptiuus diffinitur ab Aristotele in hoc lib. 4 t. 41. per esse vltimum terminum continentis primum immobilem, quæ diffinitio sic expenditur, loquendo de loco pro materiali, locus est superficies vltima concaua aeris continentis, adæquata locato, & immobilis per se, & per accidens, quia recedente corpore locato, eadem semper manet, saltē per æquiualentiam, vt declarabimus in sequenti quæstione. In hac diffinitione ly terminus tenet locum generis, quia in plus se habet, quam superficies; siquidem & punctus terminat lineam, & linea superficiem, & tamen non sunt superficies, nec locus. Ly vltimus ponitur ad differentiā termini .i. superficiei non vltimæ; cuiusmodi est superficies continuatiua partiū corporis adinuicem, quæ non est locus. Ly primus, subiungitur ad differentiam loci communis, qui non est primus .i. adæquatus locato. Additur tādem ly immobilis, ad differentiam vasis, quod mouetur cum re contenta, vt alibi ostendimus, & in sequenti iterùm dicemus. Si autem sit sermo de loco pro formali, debet sic glosari huiusmodi diffinitio: locus est respectus extrinsecus adueniens continentiæ, fundatus in termino vltimo corporis continentis, immobili, primo, & terminatus ad rem sic locatam, seu contentā. In qua diffinitione ly respectus extrinsecus adueniens tenet locū generis, & differentiæ simul; siquidem ly respectus est communis nedum ad relationem de genere ad aliquid, sed etiam ad sex vltima prædicamenta; ly extrinsecus adueniens ponitur ad innuendum, quod locus non est de genere Ad aliquid, quod aduenit fundamēto ab intrinseco, posito termino in quacumque distantia, verum de prædicamēto Vbi, quod non insurgit, nisi fiat debita approximatio corporis locabilis ad superficiem vltimā locantem [illegible]

Dici-

Dicitur respectus continentiæ ad denotandum, quod locus non est quicumque respectus extrinsecus adueniens, verùm dumtaxat is, qui resultat inter superficiē continentē, & corpus contentū. Additur ly fundatus in termino &c. vt ostendatur quale sit fundamentum illius respectus continentiæ; & tandem concluditur, ly terminatus ad rem &c. vt demonstretur terminus illius respectus, qui dicitur locus, à quo habet esse formaliter talis. Ex his infertur, quod cum vtraque diffinitio explicet naturam, & quiditatem loci per genus, & differentiam, & per fundamētum, & terminum, vtraque pariter erit bona, & conuenienter assignata.

Quartò notandum ex eodem Scoto in 2. d. 2. q. 6. sub D. quod quamuis vltimitas superficiei sit posita tamquam differentia contrahens ipsam superficiē ad rationem loci, tamen nō videtur pertinere ita ad rationem loci, sicut continentia; quia si per potentiam Dei absolutam separaretur superficies à corpore diuisibili, & sibi applicaretur corpus locabile, ita contineret illud, & locaret sicut si foret terminus corporis diuisibilis, & tamen non esset vltima, cum actu non terminaret illud diuisibile, licet posset ipsam terminare; ex quo infertur vltimitatem superficiei pertinere ad rationem loci in ordine tantum ad agens naturale, non verò simpliciter, & absolutè; cæterùm continentia spectat absolutè ad rationem loci, quia per nullam potentiam potest dari locus circumscriptiuus, quin contineat locatum.

Quintò notandum ex eodem ibidem sub H. locum posse dupliciter considerari, vel in quantum locus est, vel in quantum naturalis est; si primo modo accipiatur non exigit locus circumscriptiuus (de hoc enim est sermo) nisi esse quantum, æquale, & commensuratiuum locato; siquidem, cùm locus, vt sic, sit quantitas tantum, cui conuenit ratio æqualitatis, & mensuræ, consequenter in sui ratione nequit exigere quicquam impertinens ad rationem quanti. Si verò secundo modo sumatur, vltra prædicta, locus circumscriptiuus requirit etiam qualitates determinatas, & conuenientes locato, adhoc, vt in eo possit ab agente conseruari, ne corruptioni subdatur. Ex hac distinctione posset conciliari opinio Ianduni cū opinione Doctoris subtilis, dicendo, ipsum fuisse locutum de loco, vt naturalis est, hunc autem de eodem, vt tantum locus circumscriptiuus est.

Ex his fit prima conclusio. Locus circumscriptiuus, vt talis, non est virtus cōseruatiua locati, licèt benè vt naturalis est. Est Scoti in 2. d. 2. q. 6. sub G. & H. Probatur prima pars, quia æqualitas, & continentia mensuratiua sunt attributa loci circumscriptiui, vt patet ex notab. Sed æqualitas, & continentia mensuratiua non competunt virtuti consecutiuæ locati; ergo &c. Minor probatur, quia æqualitas, & mensura sunt proprietates quantitatis, & non qualitatis, ex Aristotele 5. Met. t. 18. & 2. sed huiusmodi virtus conseruatiua non est quantitas, sed qualitas; ergo sibi non cōueniunt æqualitas, & continentia mensuratiua, nec consequenter ratio loci circumscriptiui. Secunda pars patet, quia locus naturalis dicitur ille, in quo conseruatur, & quiescit naturaliter corpus locatum naturale, sicut violentus in quo corrumpitur; sed locatum nequit conseruari naturaliter in loco, nisi talis sit affectus virtute conseruatiua; ergo huiusmodi virtus potest dici locus naturalis corporis naturaliter locati.

Secunda conclusio. Locus formaliter non dicit superficiem cum duplici dimēsione, longitudinis .s. & latitudinis. Est Scoti ibidem, & in quol. 2. contra secundam opinionem. Probatur, quia locus formaliter dicit continentiam locati, vt patet ex diffinitione loci, in qua dicitur, locus est terminus continentis; sed continentia non est formaliter superficies; ergo &c. Minor probatur, quia superficies est formaliter quantitas: est enim species quantitatis continuæ; sed continentia non est quantitas, verùm relatio continentis ad contentum; ergo continentia non est formaliter superficies, atque nec locus erit formaliter superficies, nec tamquam genus ingredietur in eius diffinitione.

Ter-

Tertia conclusio. Locus pro materiali sumptus, est superficies; pro formali verò est respectus continentiæ continentis ad contentum. Est Scoti in quol. 2. Probatur, quia is est locus pro materiali, super quo fundatur locus pro formali, sed super superficie fundatur continentia, seu relatio continentis ad corpus cōtentum, quæ est locus pro formali; ergo locus pro materiali est superficies, & pro formali est continentia. Maior probatur, quia sicut materia est fundamentum formæ, ita locus pro materiali est ille, super quo fundatur locus pro formali. Minor probatur, quia relatiuum duo dicit, nempè fundamentum, & respectum, seu relationem, vt simile importat albedinem, tamquam fundamentum, & similitudinem, quę est ratio referendi vnũ simile ad aliud simile; cùm igitur sit quid relatiuum; est enim de prædicamento Vbi, & præseferat superficiem, & continentiam, illa erit fundamentum, & ista fundatum, seu relatio, per quam superficies continens refertur ad corpus in ea contentum, & locatum.

Quarta conclusio. Locus non est concretum accidentale, seu aggregatum ex superficie, tamquam ex subiecto, & ex continentia, veluti ex forma accidentali. Colligitur ex Scoto in citato quolib. 2. contra Ruuium in 4. Physic. tract. de Loco q. 2. & Mastrium in Physica disp. 2. q. 2. art. 1. n. 21. Probatur, quia locus formaliter sumptus est vnum per se, cum diffiniatur ab Aristotele, diffinitione quiditatiua, siuè pro materiali, siuè pro formali, vt probabimus in sequenti conclusione; ergo locus nequit esse concretum accidentale, seu aggregatum per accidens ex subiecto, & accidente. Consequentia probatur, quia concretũ accidentale, seu aggregatum ex subiecto, & forma accidentali, vt album, nequit per se diffiniri vnica diffinitione, cum de ipso nō sit scientia, vt docet Aristoteles 6. Met. t. 4. & 5. ac proindè non est vnum per se, sed per accidens; ergo si locus est vnum per se, & diffinitur diffinitione quiditatiua, sequitur, quod non sit concretum accidentale, aut aggregatum ex subiecto, & forma accidentali.

Confirmatur, quia aggregatum ex absoluto, & respectiuo nequit propriè diffiniri; sed locus pro connotato dicit aggregatum ex absoluto, & respectiuo, nempè ex superficie, quæ est ens absolutum, & ex continentia, quæ est ens respectiuum; ergo nequit propriè diffiniri; atqui locus propriè diffinitur, vt probabimus in sequenti conclusione; ergo locus nequit esse quid aggregatum ex superficie, & continentia. Maior probatur, quia diffinitio propriè est solius entis per se vnius, ex Aristotele 7. Met. t. 43. & 44. sed ex absoluto, & respectiuo nequit fieri vnum per se, cum spectent ad diuersa genera; ergo aggregatum ex absoluto, & respectiuo nequit propriè diffiniri, ac proindè locus non dicit concretum accidentale ex subiecto, & forma accidentali, siuè absoluta, siuè respectiua.

Quinta conclusio. Diffinitio loci, siuè pro materiali, siuè pro formali sumpti, est quiditatiua, ac conuenienter assignata. Probatur prima pars, quia diffinitio explicans naturam diffiniti per genus, & differentiam est quiditatiua, & conuenienter assignata secundum Philosophũ 7. Met. t. 43. sed diffinitio loci pro materiali sumpti est huiusmodi; ergo &c. Minor remanet probata ex 3. not. Secunda pars probatur, quia diffinitio relatiui, quæ datur per fundamentum, & terminum, est quiditatiua, & conuenienter data; sed diffinitio loci pro formali accepti, est huiusmodi; ergo est quiditatiua, & conuenienter data. Maior probatur, quia essentia relatiuorum est ad aliud esse, vt ad terminum, & non minus fundamentum, quam terminus spectant ad essentiam cuiuslibet relatiui, vt cum Doct. subt. in 4. d. 12. q. 1. concl. 2. sub C. ostendimus in lib. Prædicam. disp. 7. q. 1. sect. 2. ergo diffinitio relatiui, quæ explicat naturam eius per fundamentum, & terminum, est quiditatiua, & conueniẽter data. Minor extat sufficienter probata in eodem 3. not. Confirmatur, quia diffinitio Vbi, vt est vnum ex decem generibus a cæteris realiter distinctum, est quiditatiua, & conuenienter assignata, vt probauimus in lib. Prædicam. disp.

8. q. 2.

8. q. 2. sed locus pro formali, & Vbi sunt prorsus idem; siquidem habent eamdẽ diffinitionem omninò, hanc nimirum, s. esse respectum extrinsecus aduenientem loci ad locatum, seu continentis ad contentum, in qua conueniunt locus pro formali, & Vbi actiuum, quod notanter dicitur ab Auctore sex Principiorum, qui diffiniuit tantum Vbi passiuum, fundatum in corpore circumscripto à loco, à quo distinguitur realiter tamquam correlatiuum à suo relatiuo; ergo etiam diffinitio loci est quidditatiua, & conuenienter assignata ab Aristotele in textu 41. vt fuit explicata in 3. not. ex Scoto in 2. d. 2. q. 6. & quol. 11.

Obijcitur primò contra primam conclusionem, quia proprium loci est corpora ad se allicere, allecta fouere, ac conseruare, ex Aristotele in 4. Physicorum t. 40. & 48. sed sola superficies nequit hæc præstare, verum hæc omnia tribuit loco virtus conseruatiua; ergo in hac consistere debet ratio formalis loci.

Resp. Maiorem esse veram de loco vt naturalis est, non tamen de ipso vt Mathematicus est, seu vt locus est reduplicatiuè, quia huic tantum conuenit continere locatum; non verò ipsum allicere, & conseruare, alioquin locus violentus, aut affectus qualitatibus corruptiuis corporum locabilium, non esset verus locus, quod nec ipse Iandunus concederet.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem, quia attributa loci formaliter sunt continere locatum, esse eidem æqualem, & sibi commensurari, secundum Philosophum in hoc 4. Physicorum pluribus in locis; sed hæc attributa nequeunt conuenire loco, si non sit formaliter superficies; ergo locus est formaliter superficies. Minor est Aristotelis, quoad omnes partes; nam continentia supponit diuisibilitatem, commensuratio mensuram, & æqualitas quantitatem; sed diuisibilitas, mensura, & æqualitas sunt attributa quantitatis diuisibilis, cuius modi est superficies, ex cap. de Quantitate in lib. Prædicam. Et 5. Met. t. 18. & 20. ergo si locus non esset superficies, non contineret locatum, non esset ei æqualis, nec sibi commensurabilis.

Resp. Negando minorem; ad probationem concedo locum formaliter supponere superficiem, tamquam suum fundamentum, ratione cuius huiusmodi attributa conueniunt ipsi loco, non tamen esse formaliter superficiem, sicut nec superficies est formaliter continentia, aut æqualitas, vel mensura; quandoquidem hæ sunt relationes, superficies verò quantitas, quę saltem formaliter distinguuntur.

Obijcitur tertiò contra tertiam conclusionem: Si locus pro materiali esset superficies, sequeretur, quod vbi sunt plures superficies, ibi essent plura loca, & vnum dũtaxat vbi esset vna; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Sequela maioris patet. Minor probatur, quia tunc lignum existens partim in aqua, & partim extra aquam, esset in diuersis locis simul naturaliter, quod non est dicendum: Similiter, si duo corpora, diuina virtute, se penetrarent, & eadem superficie circumdarentur, sequeretur, illa esse tantum vnum locatum, quod nemo concederet; ergo potius dicendum, locum pro materiali non esse superficiem.

Resp. primam sequelam maioris esse veram, vel totaliter, si forent plures superficies totales, vel partialiter, si plures partiales; ad probationem dico, esse veram de locis partialibus, non verò totalibus, & hoc quia esset locatum in diuersis partibus ratione suarum partium, non autem secundum se totum. Ad secundam probationem dico, dato casu de penetratione duorum corporum, illa facere vnum locatum adæquatum, quia alterum corpus non repleret, & consequenter ibi esset tantum vnus locus materialiter; formaliter verò dico, quia duo respectus vbicationis ad duo corpora vbicata.

Obijcitur quartò contra eamdem, quia, data hypothesi, de veritate conclusionis, sequerentur duo valdè absurda; primum, rem non motam mutare locũ; secundum, rem motam non mutare locum; sed vtrumque est falsum, & contra experientiam; ergo &c. Probatur primum consequens, quia turris immota,

ta, si atu venti mouentis aerem acquirit aliam, & aliam superficiem; sed per te alia, & alia superficies est alius, & alius locus; ergo res non mota mutaret aliũ, & alium locum. Secundum consequens probatur, quia nauis, quæ est in flumine, mouetur, seruata tamen eadem superficie; ergo si locus est superficies res mota non mutat locum.

Resp. Negando vtramque sequelam maioris, & ad primam probationẽ dico, circa turrim manere semper eamdem superficiem numero per æquiualentiã, non tamen formaliter, & hoc sufficit, vt habeat turris semper eumdem locum immobilem per æquiualentiam, vt explicabimus in sequenti quæstione. Ad secundam sequelam dico, nauem non esse in flumine vt in loco proprio, sed in aere, qui manet semper idem locus per æquiualentiam, licèt ipsa moueatur cum fluminis aqua; siquidem perseuerat eadẽ superficies numero æquiualenter.

Obijcitur quinto contra secundam partem eiusdem conclusionis, quia ad locum datur motus; sed ad relationem non datur motus, ex Aristotele 5. Physicorum t. 10. & 5. Met. t. 20. ergo locus non est relatio continentis ad contentũ. Maior est eiusdem Philosophi in hoc 4. Physic. t. 32. vbi inquit, non quæreretur vtique locus, si non motus aliquis secundum locum esset.

Resp. Minorem esse veram de relatione intrinsecùs adueniente, quia propria acquisitione non acquiritur, sed resultat ad acquisitionem extremorum, & de hac locutus est Aristoteles in citatis locis, vt patebit intuentibus citatos textus; non autem de relatione extrinsecùs adueniente, qualis est locus pro formali, quia ad hanc dari motum, fatetur disertis verbis ipse Aristot. 5. Met. & 5. Phys. t. 9. dum inquit: Ad tria prædicamenta dari motum .s. ad quantitatem, qualitatem, & vbi, quod est relatio extrinsecus adueniens, & Doctor subt. in quol. 11. sub K. subiungit, dari posse motum ad quodlibet illorum sex principiorum, hoc fundamento, quia omnia sunt respectus extrinsecùs aduenientes.

Obijcitur sextò: Locus debet esse diuisibilis; sed talis relatio non est diuisibilis; ergo &c. Maior patet, quia motus localis fit per locum, & de vno ad aliurn locum; sed motus localis est diuisibilis, ex Aristotele 3. Physic. t. 2. vbi dicit, motum esse de numero continuorum, quæ sunt diuisibilia; ergo &c. Minor liquet, quia diuisibilitas est passio quantitatis, & non relationis.

Resp. Negando minorem de relationibus extrinsecus aduenictibus. Ad probationem dico, diuisibilitatem quantitatiuam esse passionem quantitatis; entitatiuam verò cuiuslibet entis, & consequenter etiam relationis. Modò licèt relatio non sit diuisibilis quantitatiuè, est tamen diuisibilis entitatiuè in respectus partiales.

Vtrum locus sit immobilis, & quomodo?

QVÆSTIO II.

LOcum esse immobilem, tàm apertè docuit Aristoteles, adeò vt dixerit esse differẽtiam sibi intrinsecam, per quã, in ratione continentis, differt essentialiter a vase; cæterùm si de modo, quo sibi conueniat huius immobilitas, sermo fiat, ita obscurè locutus est, vt propterea mirũ non sit, si eius Expositores in adstruẽda tali immobilitate loci, in varia abierint placita, vt non immeritò illud proloquium vsurpari possit: Quot capita, tot sententiæ; quandoquidem nonnulli videntes superficiem, in qua sitam esse dicunt rationem loci, flante vento huc, atque illuc, cieri circa turrim, vel palum fixum, putarunt immutabilitatem illius loci desumendam esse per respectum ad polos, articum nimirum, & antarticum, atque ad centrum terræ, quæ semper inconcussa manent. Ita D. Thomas in Comment. super 4. Physicorum ad t. 10. & 41.

Alij verò dicunt, diffinitionem Aristotelis verificari dumtaxat de loco elementorum, non verò mixtorum; nam quemadmodum videtur superficies ambiens meum corpus ad motum eius, &

continentis aeris moueri, vt non semper eadem numero consistat, ita ex opposito terra semper est in superficie concaua aquæ, aqua in superficie aeris, aer in superficie ignis, & ignis in concauo Lunæ, vt in suis locis adæquatis, ac immobilibus. Sic censuit Benedictus Perrerius lib. 11. de Loco cap. 3.

Alij autumnant, locum esse immobilem, non secundum se, quatenus superficies est, quia sic ad motionem aeris cietur, sed solùm prout coexistit spatio imaginario, quod sibi erat ante Mundi constitutionem, quia tale semper immobiliter per manet. Ita Colleg. Conimbricense q. 1. art. 2. de natura loci.

Alij autem iudicant, locum esse immobilem tantum per oppositum ad motum naturalem per se, quia sic solùm corpora naturalia mouentur; non tamen per accidens, quia sic etiam accidentia, & consequenter locus, mouentur. Ita Auerroes, Ian lunus, & cæteri Auerroistæ interpretati sunt Aristotelem.

Alij amplius considerantes immobilitatem loci, censent desumendam ex triplici respectu, quem includit in se locus, nempè præsentialitatis ad spatium verũ, vel imaginarium; distantiæ ad partes Mundi fixas, quæ sunt centrum, & poli, siuè veri, vel imaginarij; & indiuiduationis huius numero superficiei. Ita Ruuius hic tract. de natura loci q. 3. n. 40.

Alij subtilius rem inuestigare volentes, quamuis non reprobent præcedentẽ opinionem de præsentialitate ad spatium imaginariũ, & ad partes Vniuersi fixas, addunt tamen, immobilitatem loci melius, ac securius desumi ex præsentia, quam habet superficies ad partes virtuales diuinæ substantiæ, quæ ob eius immensitatem, licèt vbique formaliter, vbique indiuisibiliter existat, tamen virtualiter respectum præsentialitatis loci in communi, & cuiuslibet loci in particulari determinatè terminat; & cum huius partes virtuales sint semper eædẽ, & immobiliter se habeant in diuina substantia, consequenter præbent immobilitatem, nedum loco in cõmuni, sed cuicumque loco in particulari. Ita noster Mastrius cum suo collega Belluto hic disput. 11 q. 2. art. 2. n. 35.

Alij denique distinguẽtes de loco pro materiali .s. pro superficie; & pro formali, nempè pro continentia, dicunt diffinitionem loci, quoad immobilitatem verificari tantum de loco pro continentia accepto; nam quamuis superficies moueatur ad mutationem aeris, non mouetur tamen continentia, quia hæc, cum sit respectus, corrumpitur ad motionem fundamenti, vel termini, & non mouetur, atque adeò dicitur immobilis. Sic noster Lychetus in 2. d. 2. q. 6. ad textum Scoti, & Canonicus in 4. Physic. q. 1. art. 3. quos postea secuti sunt Fuentes ibidem diffic. 1. art. 2. & Roccus q. 2. §. De loci immobilitate, qui putant esse opinionem Scoti in 2. d. 2. q. 6.

An autem hæc sit germana, & adæquata opinio Doctoris subtilis de loci immobilitate, vel diminuta, quibusdam adnotatis cum P. Catharo meo Magistro hic q. 1. art. 2. eius, ac nostram aperiemus sententiam in conclusionibus infraponendis.

Primò notandum est ex Aristotele hic t. 32. aliquid esse mobile posse dupliciter intelligi .s. per se, & per accidens. Illud est mobile per se, quod est per se subsistens, hoc est, à quocumque alio diuisũ, ac seiunctum, quod non sit pars eius, vt homo, lapis, lignum, ac cætera huiusmodi corpora, tàm simplicia, quàm mixta. Illud verò mouetur per accidens, quod non existit ab alio diuisum, sed est mobile ad motum alterius, cui est coniunctũ, & sic omnia accidentia absoluta dicuntur moueri ad motum suorum subiectorum: locus pro materiali primo modo est immobilis, secundo modo est mobilis ad motum aeris.

Secundò notandum est ex Doct. subt. in 2. d. 2. q. 6. & quol. 11. locum dupliciter considerari posse, & pro materiali, cuiusmodi est superficies vltima corporis continentis; & pro formali .s. pro relatione continentiæ, quam dicit superficies ad corpus contentum: locus hoc secundo modo sumptus nec per se, nec per accidens mouetur, sed licèt, amoto fundamento, vel termino eiusdem relationis, corrumpitur, ac desinit esse etiam ipsa rela-

relatio: cæterùm locus primo modo cōsideratus adhuc dupliciter accipi potest, vno modo formaliter, prout nimirum est actuale fundamentum continentiæ, seu loci pro formali, & sic neque per se, neque per accidens locus est mobilis, sed in ratione fundamenti corrumpitur, remoto termino; siquidem fundamentum dicit coëxistentiam ad terminum; ac ideò non manet ipso amoto: alio modo materialiter vt accidens absolutum est, cuiusmodi est superficies abstrahens ab actuali fundatione; & sic non mouetur per se, cum non sit corpus, sed tantum per accidens ad motionem aeris, cui est coniunctus, tamquam terminus.

Tertiò notandum ex Doct. subtili ibidem, & Canonico loco citato; quod sicut mobilitas latè sumpta est duplex .s. localis, & corruptionis, & immobilitas si latè accepta erit duplex .s. localis, & incorruptionis. Immobilitas prima, quæ nimirum opponitur mobilitati locali, est illa, secundum quam res dicitur immobilis localiter. Immobilitas verò secunda, quæ opponitur mobilitati corruptionis, est secundum quam res nequit corrumpi, & sic substantia diuina, cum sit immēsa, & infinita, dicitur immobilis vtraque immobilitate; non enim potest corrumpi, aut mutari de loco ad locum. Item aliquam rem esse immobilem, vel incorruptibilem adhuc potest intelligi dupliciter vno modo formaliter, ita quod secundum suam entitatem, & naturam moueri non possit, neque corrumpi, & sic nulla res creata potest dici immobilis, vel incorruptibilis; siquidem solus Deus hoc modo habet repugnantiam ad moueri, vel corrumpi, vt dictum est, cum sit immensus, & infinitus; Alio modo secundum æquiualentiam, quia nimirū rei motæ, vel corruptæ succedit alia res eiusdem rationis specificæ, ita immediatè, vt inter vtramque non posse fieri motus localis, vel alia corruptio, & sic locus pro materiali dicitur immobilis, & pro formali incorruptibilis; quandoquidem vna superficies ita immediatè succedit alteri superficiei mobili, vel motæ, & vna relatio continentiæ alteri relationi corruptæ, vt sicut inter primas nequit intercedere motus localis, ita inter secundas non potest dari alia corruptio, ac proindè quia sibi inuicem æquiualent in locando idem numero corpus locatum, propterea locus pro materiali dicitur per æquiualentiam immobilis, & pro formali per æquiualentiam incorruptibilis, & hæc est vera, & genuina mens Doctoris subtilis, expressa in 2. d. 2. q. 6. sub E. & F. si rectè, & non tantum superficialiter inspiciatur textus, quicquid dicant alij, & præsertim Mastrius citatus sub n. 33.

Quartò notandum est, quasi colligendo, & declarando, quæ hactenus dicta sunt, tria esse supponenda ad clariorem intelligentiam immobilitatis loci. Primum, quod locus nunc ambiens lignum fixum in flumine, e. g. Bachilionis, distinguitur numero à loco, qui ambiebat heri, & nudiustertius; siquidem sunt diuersa accidentia numero in diuersis subiectis numero distinctis, cuiusmodi sūt aqua fluens hodie, & quæ fluebat heri circa tale lignum. Secundum supponendum, quod omnis motus localis necessariò fiat inter vbi distincta specie; siquidem fit ab vbi sursum ad vbi deorsum, vel è conuersò; vel ab antè ad retrò, vel ad dextrum, & sinistrum; ac è conuersò; quæ omnia differunt specie. Tertium supponendum, quod ad hoc, vt inter aliqua loca fiat motus localis, requiritur aliquod spatium interceptum inter illa, vt patet per experientiam in motu à loco sursum ad locum deorsum, & in cæteris omnibus: Ex quibus infertur, quod cùm inter locum, qui nunc est circa lignum fixum in aqua, vel circa turrim in aere, & alium sibi immediatè succedentem ab eo numero distinctum, non intercedat aliquod spatium, sequitur, non posse fieri in eo motum localem, & consequenter primum locum per successionem immediatam alterius sibi æquiualentis, dici immobilem per æquiualentiam, quamquam ipse formaliter moueatur.

Ex his sit prima conclusio. Locus nō est immobilis, nec per respectum ad partes Mundi fixas, nec per coexistentiam ad spatium immaginarium; neque per respectum præsentialitatis ad spatium

vo-

verum, vel imaginatium, & distantiæ ad partes Mundi fixas, ac indiuiduationis loci simul; neque tandem per respectũ præsentialitatis, quem dicit hæc superficies numero, vel superficies in communi, ad partes virtuales diuinæ substantię. Probatur conclusio quoad omnes partes simul, quia præsentialitatis, distantiæ, & coexistentiæ, vel ad partes Mundi fixas, vel ad spatium imaginarium, vel ad partes virtuales diuinæ substantiæ respectus, sunt relationes extrinsecus aduenientes, fundatæ super loco pro materiali .i. in superficie aeris continentis; sed hæc potest remoueri à tali corpore locato; ergo etiam huiusmodi relationes præsentiæ, distantiæ, & coexistentiæ sunt mobiles, ac proindè non poterunt præbere immobilitatem loco circa idem locatum. Maior patet, quia relationes extrinsecus aduenientes exigunt approximationem extremorum, adhoc vt possint insurgere in suis fundamentis; per hoc enim differunt à relationibus intrinsecùs aduenientibus, quæ resultant ab extremis positis in quacumque distantia; ergo huiusmodi respectus sunt relationes extrinsecus aduenientes. Minor patet per experientiam de quacumque superficie tali, vel tali numerica, quæ vel per motum localem, vel per ventum flantem remouetur, saltem per accidens à tali, vel tali locato; ex quo fit, vt corrumpantur etiam relationes super ipsa fundatæ, adeòvt nequeant præbere immobilitatem loco, quamuis terminentur ad terminos immobiles.

Secunda conclusio. Locus non est immobilis per oppositum ad motum localem per se formaliter, neque per respectum ad corpora simplicia, & non mixta. Prima pars, quæ est contra Auerroë, & Iandunum, probatur, quia tunc nulla esset differentia inter locum, & vas, in ratione continentis locatum, seu contentum; sed hoc est contra Aristotelem 4. Physicorum tex. 41. ergo &c. Sequela maioris probatur: Nã etiã vas mouetur per accidẽs, & non per se, & nõ necessariò mouetur cum locato, quia multoties effunditur vase locatum remanente, vt patet de aqua, & vino; ergo nulla esset differentia inter locum, & vas. Antecedens probatur de vase moto in flumine, vel baculo; siquidem moueretur ad motum alterius, & sic per accidens. Secunda pars contra Perrerium probatur, quia Philosophus in t. 41. diffiniuit locum in communi; sed talis competit omnibus corporibus naturalibus, & non tantum elementis; ergo & immobilitas, quæ est de diffinitione loci, debet attendi in omni loco, & non solùm in elementis.

Tertia conclusio. Locus pro materiali sumptus, vt superficies, est mobilis per accidens, non vt locus est, sed vt accidẽs absolutum est. Prima pars probatur, quia locus pro materiali est locus vt continet locatum actualiter; sed vt continet actu locatum moueri nequit nec per se, nec per accidens; ergo locus pro materiali, vt locus est, non est mobilis per accidens. Maior patet, quia de ratione loci, vt locus est, est continere actu locatum in se. Minor probatur, quia, moto aere, qui erat circa turrim fixam, eius superficies non cõtinet amplius turrim; ergo vt locus est moueri nequit: Tum quia fundamentum continentiæ moueri nequit, ipsa remanente; sed locus, vt locus materialiter, est fundamentum continentiæ; ergo locus, vt locus materialiter moueri non potest nec per accidens. Secunda pars probatur, quia moto subiecto, per accidens mouentur omnia eius accidentia absoluta; sed locus pro materiali vt accidens est, subiectatur in aere, qui frequenter mouetur à vento circa palum fixum, vel turrim; ergo etiam locus, vt accidens absolutum, ad eius motum cietur, & sic per accidens mouetur.

Quarta conclusio. Locus pro materiali est immobilis per oppositum ad motum localem per se. Probatur, quia omne mobile per se est corpus; sed locus pro materiali non est corpus; ergo non est mobilis per se, sed immobilis. Maior patet, quia mobilitas per se est adæquata passio corporis naturalis, vt vidimus in 3. Physicorum tract. de Motu, & quæstione Procemiali de subiecto totius Philosophiæ; sed passio adæquata nequit cõpetere alijs à subiecto, ex Porphyrio cap. de

de Proprio, & etiam, quia est sibi realiter identificata; ergo mobilitas per se nõ potest competere loco, sed tantum corpori naturali; igitur sibi cõueniet immobilitas per se, quæ opponitur tali mobilitati. Patet consequentia per locũ ab oppositis: remoto enim vno oppositorum ab aliquo subiecto, ponitur alterũ, vt patet de sano, & egro, quæ sũt opposita immediata, sicut mobilitas, & immobilitas.

Quinta conclusio. Locus pro formali .i. continentia, est immobilis per se, & per accidens localiter, est tamen mobilis mobilitate corruptionis. Probatur prima pars: quicquid localiter mouetur, siuè per se, siuè per accidẽs, trãsit de vno ad aliud vbi; sed locus pro formali non est huiusmodi; ergo est immobilis per se, & per accidens. Maior patet. Minor probatur, quia quod corrũpitur non transit de vno ad aliud vbi, sed per remotionẽ corporis continentis à corpore cõtento, videlicet aeris à turri, destruitur talis loc⁹ pro formali; siquidem relatio continentiæ, cum sit extrinsecus adueniens, deperditur per distantiã vnius extremorũ ab altero; ergo per remotionẽ corporis continentis destruitur relatio continentiæ, atq; ideò nõ transit de vno ad aliud vbi, localiterque non mouetur. Secunda pars patet: Quod corrumpitur mouetur motu corruptionis; sed locus pro formali per remotionem fundamenti corrumpitur, vt probatum est; ergo est mobilis mobilitate corruptionis, saltem per accidens.

Sexta conclusio. Locus, siuè pro formali, siuè pro materiali, est immobilis immobilitate latè sumpta, prout opponitur mobilitati locali, & corruptiuæ, per æquiualentiam in comparatione ad motum localem. Probatur, quia illa æquiualent per cõparationem ad motum localem, inter quæ potest fieri, vel non fieri motus localis; sed inter omnia loca sibi immediatè succedẽtia circa idem locatũ, nequit fieri motus localis, sed se habent ac si essent vnus locus numero; ergo talia omnia loca æquiualent vni loco per cõparationem ad motum localem, ac proindè ibi semper est vnus locus æquiualenter, & nunquam corrumpitur. Maior patet ex terminis. Minor probatur, quia ab vno vbi numero ad idem numero vbi nequit fieri motus localis; sed omnia vbi sibi immediatè succedentia circa idem locatum per æquiualentiam sunt idem numero vbi; ergo inter illa nequit fieri motus localis. Maior, & minor simul probantur, quia motus localis non potest fieri, nisi inter diuersa vbi specie, inter quæ intercipitur spatium, super quo mobile localiter moueatur; sed talia loca sibi immediatè succedentia circa idem locatum, non sunt diuersa specie, verùm numero duntaxat, & inter illa nullum intercipitur spatium, alioquin non immediatè succederent; ergo inter illa nullus potest fieri motus localis, ac proindè per comparationem ad ipsum, omnia, quamuis numero distincta, æquiualent vni loco numero, sicque fit vt locus primus ambiens vnũ locatum, sit immobilis, semperque maneat per æquiualentiam sibi immediatè succedentium circa idem locatum. Eodem modo probari potest incorruptibilitas loci pro formali secundum æquiualentiam per comparationem ad motum localem, siquidem locus pro formali fundatur super loco pro materiali; si ergo iste sortitur immobilitatem secundum æquiualentiam aliorum sibi immediatè succedentium per comparationẽ ad motum localem, vt probatum est; & ille pariter per eandem rationem sortietur incorruptibilitatem per æquiualentiam locorum pro formali sibi immediatè succedentium.

Obijcitur primò contra primam conclusionem: Philosophus in hoc 4. Physicorum t. 42. volens probare locum esse immobilem, inquit: Sursum, quod est in concauo Lunæ, & deorsum, quod est centrum, esse penitus immobilia; sed non sunt huiusmodi nisi ob distantiam loci ad Cœlum, & ad centrum Mundi; ergo immobilitas desumenda est per respectum distantiæ superficiei ad partes Mundi fixas, & ad centrum Mundi eiusdem. Minor probatur, quia impossibile est locum consistere in sola superficie, & locum esse immobilem, cum videatur variari superficies ad motum aeris; ergo aliquid aliud debet habe-

habere locus, quo reddatur immobilis; sed nõ potest excogitari aliud præter respectum distantiæ, & præsentiæ ad partes mundi fixas, aut veras, aut imaginarias; ergo &c. Minor hæc probatur: Nã communis locus corporum sublunariũ est cœlum, sub quo continentur omnia; sed locus cœli est immobilis; ergo etiam loca particularia, in quibus ille essentialiter includitur tamquam totum in suis partibus, debent esse immobilia.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, antecedens esse verum formaliter, nõ tamen æquiualenter, quia sic soli superficies est immobilis per æquiualentiam, vt probatum est in 3. not. & in 5. & 6. conclusione; ideò negatur assumptum, ad cuius probationem dico, locum cœli, sub quo continentur omnia inferiora, esse immobilem per æquiualẽtiam in comparatione ad motum localem, atque ideò etiam loca inferiora debent esse sic immobilia, & non per respectum præsentiæ, & distantiæ ad partes mundi fixas, & ad centrum.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem, quia locus corporum inferiorum, pro materiali, est superficies aeris continentis; sed talis non est immobilis, nisi quia aer est in superficie ignis, tamquam in loco immobili; ergo immobilitas locorum corporum mixtorum desumenda est ex immobilitate elementorum. Maior est Aristotelis hic t. 41. Minor probatur, quia videmus per experientiam aerem, qui nunc ambit, & circumscribit aliquod locatum fixum, flante vento, moueri, & aliud, vel etiam nullum locatum continere; ergo etiam cum ipso mouetur superficies, à qua terminatur; sed aer non quiescit, quousque non sit in suo loco naturali, qui est superficies concaua ignis; ergo nec superficies aeris, quæ est locus corporum inferiorum, quiescit, & fiet immobilis, nisi fuerit in superficie concaua ignis.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, consequens esse verum de superficie vt accidens est, non tamen vt locus est, quia sic, quamuis sit mobilis formaliter circa huiusmodi locata, est tamen immobilis per æquiualentiam in comparatione ad motum localem, vt suprà declaratum est.

Obijcitur tertiò contra tertiam conclusionem: Superficies est mobilis per accidens, vt accidens absolutum est ad motum aeris; ergo etiam vt locus est pro materiali. Antecedens patet ex probatione secundæ partis conclusionis. Consequentia probatur, quia locus pro materiali non est nisi superficies aeris continentis locatum, quæ est eius accidens absolutum; igitur si prout accidens absolutum mobilis est per accidens, debet etiam sic moueri vt est locus pro materiali sumptus.

Resp. Negando consequentiam; ad probationem dico, superficiem vt locus materialis est, aliquid superaddere sibi, vt accidens est absolutum, nempè rationem fundandi locum pro formali, quæ non est mobilis cum ipsa superficie, vt accidens est, sed corrumpitur cum loco pro formali. Si autem quæratur in quo sita sit huiusmodi ratio fundandi continentiam, quæ est locus pro formali, dico cum Scoto in 2. d. 2. q. 6. consistere in aliquo indiuisibili, quod est esse terminus corporis continentis, Non enim, inquit Doctor, diuisibile, secundum illam dimensionem, qua est diuisibile, potest immediatè esse applicatum alicui, vt continens ipsum, sed præcisum continens alicuius est indiuisibile, quatenus est vltimum, idest terminus alicuius diuisibilis continentis.

Obijcitur quartò contra quartam conclusionem: Omne generabile, & corruptibile per se est etiam per se mobile localiter; sed locus est huiusmodi; ergo locus est mobilis per se localiter, ac proindè non est immobilis per oppositum ad motum localem per se. Maior patet. Minor probatur, quia elementa sunt per se generabilia, & corruptibilia, ex Aristotele 2. de Gener. & Corrupt. à tex. 24. vsque ad 28. sed vnum elementum est locus alterius, ex eodem in hoc 4. Physic. t. 46. ergo locus est generabilis, & corruptibilis per se.

Resp. Negando minorem; siquidem accidens nec per se generatur, nec per se corrumpitur, sed tantum per accidens;

ad

ad probationem dico, elementa esse sibi inuicem loca remota, non verò propinqua, quia talia sunt ipsorum superficies, quæ non mouentur vt loca, verùm dumtaxat vt accidentia, & hoc non per se, sed solum per accidens.

Obijcitur quintò contra quintam conclusionem: Quodlibet accidens est mobile ad motum subiecti, siuè tale subiectum moueatur per se, siuè per accidens; sed locus pro formali est accidens, & subiicitur in superficie, quæ saltem est mobilis per accidens; ergo etiam locus pro formali, saltem per accidens, erit mobilis, ac proindè non immobilis, etiã per accidens, vt dicitur à conclusione.

Nec valet respondere, maiorem esse veram de accidente absoluto, non verò de respectiuo, cuiusmodi est locus formaliter acceptus; quia paternitas, filiatio, similitudo, &c. sunt accidentia relatiua, & nihilominus mouentur huiusmodi relationes ad motum localem suorum fundamentorum; ergo ratio relatiui non obstat, quo minus locus pro formali moueri possit per accidens ad motionem sui fundamenti, seu subiecti.

Resp. Maiorem esse veram vniuersaliter de accidentibus absolutis, & etiam de relatiuis intrinsecus aduenientibus, vt rectè probat argumentum; falsam tamen de relatiuis extrinsecus aduenientibus (è quorum numero est etiam locus pro formali, vt dictum est in præcedenti quæstione) siquidem hæc, cùm ad suam rationem fundandi exigant necessariò approximationem extremorum, tamdiu habent esse, quamdiu extrema sunt vnita, si autem alterum ab altero disiungatur, immediatè desinunt, & corrumpuntur relationes huiusmodi, ideò non sequitur eas cieri localiter ad motum suorum fundamentorum, sicut faciunt relationes intrinsecus aduenientes, & accidentia absoluta, sed per oppositũ ad motum localem, siuè per se, siuè per accidens, dici poterunt immobiles.

Obijcitur sextò contra sextam conclusionem ex Perrerio citato. Si locus esset immobilis per æquiualentiam, sequeretur, quod etiam fluuij aqua, quæ continuò labitur circa nauim, esset immobilis; sed consequens est falsum; ergo & id ex quo sequitur. Minor patet ex Aristotele in t. 41. dicente, aquam fluminis non esse locum nauis, nec consequenter immobilem. Sequela maioris probatur, quia in tali aqua semper remanet eadem ratio loci; siquidem ab vna aqua numero ad aliam circa nauim succedentem immediatè, non potest fieri motus localis; ergo si propter hanc rationem motus potest immobilis dici per æquiualentiam, etiam aqua poterit sic dici immobilis, quod est contra sensum.

Resp. Negando sequelam maioris, quia ibi asserit Philosophus, aquam esse mobilem, non prout dicit tantum superficiem, & locum nauis, sed vt est quasi vas continens nauim, & ideò nequit dici immobilis sicut locus, nos autem loquimur de loco, qui est superficies, & ideò dicimus esse immobilem per æquiualentiam modo superiùs explicato.

Obijcitur septimò, quia tunc sequeretur, transeuntem ab vno ad alium locum, etiam specie diuersum, non moueri localiter, quod est contra sensum; ergo &c. Sequela antecedentis probatur, quia in talibus locis, per quæ transiret, esset semper eadem ratio continentiæ, & consequenter vnus locus numero æquiualenter.

Resp. Negando sequelam, ad probationem negatur consequentia; nam quamuis esset ibi semper ratio continentiæ, non esset tamen idem locus æqualenter, cum inter loca diuersa specie adesset spatium, in quo posset fieri motus localis; siquidem motus localis fit semper inter diuersa vbi, specificè distincta.

Obijcitur octauò ex Ruuio, Conclusio nostra est contra Aristotelem, & veritatem; ergo non est sustinenda. Antecedens probatur, quia Aristoteles apposuit immobilitatem loco, tamquam differentiam constitutiuam ipsius, & diuisiuam loci à vase in ratione continentis; sed differentia essentialis conuenit indiuiduis eiusdem speciei per se, & non per æquiualentiam vnius ad aliud, vt est no-

tum apud omnes Philosophos; ergo etiam immobilitas loci debet per se conuenire omnibus locis immediatè, & non vni, per æquiualentiam alterius. Deindè probatur esse falsa, quia loca sibi succidentia circa aliquod locatum fixum, non tantum materialiter, verùm etiam formaliter differunt numero, per Scotum in 2. d. 2. q. 6. sæpiùs citata; ergo verùm est quodlibet mutari, & esse mobile; sed quod vnus locus æquiualeat alteri in ratione officij, non facit, vt sint idem numero locus; sed solum vnus speciè; ergo dicere, quod locus sit immobilis per æquiualentiam, & non per identitatem, solum est dicere, esse immobilem in specie, & non in indiuiduo, quod repugnat; siquidem species conseruatur in indiuiduis.

Resp. Negando antecedens; ad primam probationem concedo immobilitatem, secundum Aristotelem, esse differentiam constitutiuam loci, eo modo, quo potest sibi conuenire; cùm autem probatum sit non posse sibi conuenire per identitatem, sed solùm per æquiualentiam in comparatione ad motum localem, consequenter dicendum est hoc solummodo esse differentiam essentialem loci in communi, & sic conuenire vnicumque loco, & non aliter. Ad secundam probationem concedo, loca sibi succedentia circa aliquod fixum differre numero formaliter, esse tamen idem numero æquiualenter per comparationem ad motum localem, qui cùm fieri nequeat inter illa, ex defectu spatij, per successionem immediatam loci ad locum semper occupati, operatur vt plura loca numero diuersa formaliter, siuè vnus, & idem æquiualenter, & consequenter semper immobilis per æquiualentiam numericè, & non specificè.

Vtrum omnia corpora naturalia, siuè simplicia, siuè mixta, sint in loco?

QVÆSTIO III.

Circa hanc quæstionem nulla est cõtrouersia, nisi de vltima sphæra, quæcumque sit illa; siquidem Auicennas lib. 2. suæ Sufficientiæ cap. 8. & Alexand. Aphrod. hic, negant vltimam sphæram esse in loco, cum extra non habeat aliud corpus, in cuius vltima superficie concaua collocari possit.

Thæmistius ex opposito hic ad t. 45. asserit, illam esse in loco, ratione superficiei conuexæ inferioris orbis, quam tangit, & ambit ipsa per propriam concauam, ac proindè esse in loco actiuè, quoad locare, non verò passiuè quoad locari.

Gilbertus Porrectanus in lib. sex Princip. cap. 5. putat esse in loco etiam passiuè; non in superficie alterius corporis, verùm in propria conuexa.

Auerroes cum suis in 4. Physic. tex. 43. sustinet, non esse in loco, sed circa locum, quatenus suo motu circulari circumscribit, & ambit centrum terræ. Eamdem opinionem defendit etiam Pererius lib. 11. cap. 9. suæ Philosophiæ naturalis, & Iandunus in 4. Physicorum q. 9.

Ruuius hic tract. de Natura loci q. 4. sub num. 47. autumnat, vltimam sphæram non esse in loco actuali nec secundum se totum, nec secundum partes, sed solum in potentia secundum partes, in quantum quælibet pars potest diuidi à toto, & sic diuisa circumscribit, & continet aliam. Pro sua opinione citat Aristotelem 4. Physic. cap. 5. D. Thomam in Comment. ibidem, & quol. 9. art. 3. Ferrariensem 4. Physic. q. 5. & Conimbric. ibidem q. 2. quibus addi potest Toletus q. 1.

Alij tandem docent, Cœlum non esse in loco actuali secundum se, & per se, sed per accidens ratione suarũ partium

Ita Catharensis Magister meus hic q. 1. art. 3. & Sulmonensis de natura loci q. 5. vbi citant pro se Scotum in 2. d. 2. q. 6. G. & quol. 11. C. quamuis Mastrius disput. 11. q. 4. art. 1. sub n. 54. nitatur auertere Doct. subt. ab hac sententia, dicens, Scotum solum concedere, vltimum Cœlum moueri quoad locare, non verò esse in loco quoad locare, quod docet etiam Io. Canonicus in 4. Physic. q. 2. art. 1. sed non benè, vt infra ex verbis ipsius Doctoris subtilis demonstrabimus.

Pro cuius declaratione, & resolutione totius quæstionis propositæ; primò notandum est, corpora naturalia esse in duplici differentia; quædam enim sunt simplicia, & quædam mixta. Simplicia adhuc sunt duplicia, quia quædam sunt cœlestia, vt sunt orbes cœlestes .s. Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter, & Saturnus, Firmamentum, primū mobile, quod secundum Philosophum appellatur vltima sphæra, licet secundum Theologos detur aliud Cœlum superius, quod Empyreum .i. lucidum appellatur; Quædam verò sunt sublunaria, & sunt quatuor Elementa .s. Ignis, Aer, Aqua, & Terra, quæ dicuntur simplicia, quia non habent quatuor qualitates, sed tantum duas; siquidem Terra habet frigiditatem, & siccitatem; Aqua humiditatē, & frigiditatem; Aer humiditatem, & caliditatem; & Ignis caliditatem, & siccitatem. Mixta verò sunt illa, quæ habent omnes quatuor qualitates iam dictas .s. caliditatem, humiditatem, frigiditatem, & siccitatem; Et hæc sunt duplicia, quædam enim sunt viuentia, vt animalia, & plantæ; quædam non viuentia, vt lapides, metalla, & cætera huiusmodi. Viuentia verò sunt duplicia; alia enim sunt sensitiua vt animalia; alia in sensitiua vt plantæ. Sensitiua adhuc sunt triplicia; nam quædam sunt terrestria, vt homines, & animalia quadrupedia; quædam aquatilia vt pisces; alia aerea vt aues, & cætera volatilia. Mixta non viuentia sunt duplicia .s. læuia, vt vapores, nubes, & cætera quæ ascendunt naturaliter; & grauia, quæ naturaliter descendunt, vt lapides, & metalla. Ad propositum dico, omnia ista vendicare sibi proprium locum; siquidem terra est in superficie concaua aquæ, aqua in superficie concaua aeris, aer in superficie concaua ignis, ignis in superficie concaua orbis Lunæ; orbis Lunæ in superficie concaua orbis Mercurij; orbis Mercurij in superficie concaua orbis Veneris; orbis Veneris in superficie concaua orbis Solis; orbis Solis in superficie concaua orbis Martis; orbis Martis in superficie concaua orbis Iouis; orbis Iouis in superficie concaua orbis Saturni; orbis Saturni in superficie concaua orbis stellati; orbis stellarum in superficie concaua primi mobilis, & primum mobile, cùm secundum Philosophum sit vltima sphæra, non est in loco passiuè; siquidem extra non datur aliud corpus ipsum continens. Similiter mixta sunt ordinata in loco, quia viuentia alia sunt in superficie aeris, vt homines, & animalia terrestria, ac volatilia; alia in superficie terræ, vt vermes; alia in superficie aquæ, vt pisces, & cætera natatilia. Mixta insensitiua sunt partim in terra, & partim in aere, vt plātæ. Mixta non viuentia partim sunt super terram in superficie aeris, vt lapides, Montes, partim in superficie terræ, vt metalla, partim in aqua, vt scopuli, margaritæ, & aliæ gemmæ: Ex his concluditur, quod omnia corpora naturalia, tàm mixta, quàm simplicia sunt in loco passiuè, excepta vltima sphæra, in qua omnia continentur, & ipsa à nullo continetur.

Secundo notandum est ex Scoto in quolib. 11. sub C. vltimam sphæram, (quæcumque sit illa) esse in loco, vt multi opinantur, potest dupliciter intelligi, vno modo secundum se totam; alio modo ratione suarum partium. Primo modo adhuc dupliciter, scilicet passiuè, vel actiuè, aut quoad locari, vel quoad locare. Vltima sphæra secundum se nequit esse in loco passiuè, seu quoad locari, quia nullum habet extra se corpus, siuè simplex, siuè mixtum, in quo contineri possit; nam extra illam nil datur præter spatium imaginarium, quod non est aliquid reale; cæterùm actiuè & quoad locare benè est in loco, quia fun-

dit in se relationem vbi actiui ad aliam sphæram in sua superficie passiuè locatam immediatè, & ad alia omnia in ipsa contenta, saltem mediatè; & ita, inquit Doctor subt. in citato loco, intelligitur dictum Auerrois, quod Cœlum est in loco per centrum, quia suum esse in loco est locare locabile fixum in loco. Secundò modo autem, vltima sphæra potest dici quod sit in loco etiam passiuè per accidens, sicut loquitur Aristoteles in tex. 43. quia eius partes .s. sphæræ inferiores sunt in loco passiuè per se.

Tertiò notandum est: Superficiem in quolibet corpore sphærico esse duplicem .s. concauam, & conuexam: concaua dicitur illa, quæ circumscribit ambit, & continet locatum, vt superficies orbis Lunæ concaua est, quæ continet, & ambit corpus sphæricum ignis: conuexa verò est, quæ continet, & terminat corpus sphæricum, e. g. orbis Lunæ continentis ignem, & tangitur à superficie concaua orbis superioris, nempè mercurij, & sic ascendendo vsque ad vltimū corpus sphæricum; ex quo infertur, quod cùm superficies conuexa vltimæ sphæræ non sit vltima alicuius corporis continētis, quia non datur aliud superiùs extra vltimam sphæram; nec tangat aliam superficiem conuexam, sed immediatè vniatur cum corpore eiusdem sphæræ, nō poterit subire rationem loci, & consequenter corpus vltimæ sphæræ non poterit in ea esse passiuè locatum, vt putauit Gilbertus Porrectanus; siquidem inter locum, & locatum intercedit distinctio realis, & separabilitas vnius ab alio, vt docet Aristoteles in textu 36. 43. & 44.

Ex his sit prima conclusio. Omnia corpora naturalia quanta, tàm mixta, quàm simplicia sunt per se in loco passiuè. Est Aristotelis in 4. Physicorum à tex. 42. vsque ad 46. inclusiuè, in quibus locis probat conclusionem inductiuè exemplificando de omnibus corporibus, excepto vltimo Cœlo, quod nullibi est in loco secundum se, licèt benè per accidens ratione suarum partium: & Scoti in 2. d. 2. q. 6. sub G. §. De secundò dico &c. à quo probatur breuiter sic. Illa sunt per se in loco actu, quæ faciunt actu distare latera continentis ipsa; sed omnia corpora naturalia quanta, tum mixta, tum simplicia, excepto vltimo, faciunt distare latera alicuius continentis; ergo omnia sunt actu, & per se in loco. Maior est Aristotelis in 4. Physicorum t. 43. & 44. Minor verò est probata inductiuè in omnibus corporibus naturalibus in 1. not. ergo omnia corpora naturalia; tàm mixta, quàm simplicia, vltimo excepto, sunt actualiter in loco.

Secunda conclusio. Vltima sphæra non est in loco passiuè, & quoad locari, sed benè actiuè, & quoad locare. Est Scoti in quol. 11. sub C. & innuitur etiam in 2. d. 2. q. 6. sub F. Probatur prima pars. Illud est in loco passiuè, & quoad locari, quod habet extra se continens; sed extra vltimam sphæram non datur aliud continens, alioquin non esset vltima; ergo vltima sphæra non est in loco passiuè, & quoad locari. Maior patet, quia quod locatur, ab alio extra se locatur, alioquin idem esset in seipso vt in loco, quod est contra Aristotelem in hoc 4. Physicorū t. 26. sed locatum locatur in loco passiuè; ergo in aliquo extra se. Secūda pars probatur: Id est actiuè in loco, quod actiuè aliquid locat; sed vltima sphæra locat actiuè omnia corpora naturalia, quod ostendimus in 1. not. ergo vltima sphæra est in loco actiuè, & quoad locare. Secundò probatur: Illud est actiuè in loco, quod fundat relationē loci, seu vbi actiui; sed vltima sphæra est huiusmodi; siquidem refertur ad sphęram sibi propinquam, vt locans ad locatum immediatum, & ad cætera corpora simplicia, vt ad locata mediata; ergo est in loco actiuè, & quoad locare. Tertiò sic. Quod mouetur localiter, est aliquo modo in loco; sed vltima sphæra mouetur localiter, secundum Philosophum hic t. 45. & non est in loco passiuè, vt probatum est; ergo actiuè. Maior patet, quia terminus motus localis est locus, seu vbi secundū Aristotelem 5. Physic. t. 9. ergo quod localiter mouetur, est aliquo modo in loco.

Tertia conclusio. Vltima sphæra est etiam passiuè in loco per accidens, non

solum

solum in potentia, vt dicit Ruuius, sed etiam actu. Probatur prima pars: Illud est in loco per accidens, quod est in loco ratione alterius, ex Aristotele hic tex. 43. sed vltima sphæra est in loco ratione suarum partium, ex eodem ibidem tex. 45. nam cùm moueatur in circulum, vna pars terminatur ad locum sursum, & alia ad vbi deorsum, & ita secundum suas partes Cœlũ per accidens modo hunc & modo illũ locũ respicit; ergo &c. Secũda pars probatur, quia illud est actu in loco, quod mouetur actualiter ad locum, vt ad suum terminum; sed vltima sphæra, secundum suas partes actu motas, terminatur ad vbi determinatum, quia cùm moueatur circulariter, modò respicit vbi sursum, & modò vbi deorsum, licèt in nullo quiescat; ergo secundum suas partes, hoc est per accidens, dicitur esse actualiter in loco. Maior patet. Minor cum sua probatione est Aristotelis in hoc 4. Physicorum t. 42.

Quarta conclusio. Vltima sphæra non est in superficie conuexa orbis inferioris, vt dicebat Thæmistius, neque in conuexa propria, vt putauit Gilbertus Porrectanus, neque in centro Mundi, vt visum fuit Auerroi, tamquam in loco passiuè. Probatur prima pars, quia locus debet continere locatum; sed superficies conuexa orbis inferioris ad vltimam sphæram non continet ipsam vltimam sphæram, immò potius continetur ab ea; ergo vltima sphæra non est in superficie conuexa orbis inferioris, tamquam in loco passiuè. Maior patet per Aristotelem in t. 41. & 46. Minor similiter est nota ex dictis in 3. not. Secunda pars probatur, quia locus debet esse diuisus à locato; sed vltima sphæra non est diuisa à propria superficie conuexa, cum eius corpus terminetur ab ea, sicut linea terminatur à puncto; ergo superficies conuexa non est locus vltimæ sphæræ. Maior est nota per Aristotelẽ in hoc 4. Physicorum t. 36. Tertia pars probatur, quia locus est extra locatum, cum sit sibi extrinsecus, ex eodem ibidem tex. 17. sed centrum non est extrinsecum sphæræ vltimæ, quin potius est sibi intrinsecum, cum intra ipsam contineatur; ergo centrum nequit esse locus passiuus vltimæ sphæræ.

Obijcitur primò contra primam conclusionem, quia locus proprius debet adæquatè continere locatum, per Aristotelem in 4. Physic. t. 14. & 33. sed aqua non continet adæquatè terram, cùm maior pars sit extra aquam; ergo terra non est in superficie aquæ, tamquam in suo loco proprio.

Resp. Maiorem esse veram de loco actuali, non verò de aptitudinali; modò aqua est locus proprius terræ tantum in aptitudine, & non in actu; siquidem pergeret terra ad suum locum sub aqua si sibi dimitteretur, & non conseruaretur à Deo super aquam ad beneficium animalium in eadem viuentium.

Contrà, & probo, quod terra non inclinetur esse sub aqua, vt in loco naturali, quia locus naturalis debet esse conseruatiuus locati; sed terra nequit conseruari sub aqua; ergo esse sub ea non est locus naturalis terræ. Maior patet. Minor probatur, quia humiditas non conseruat, immò destruit siccitatem; sed terra est sicca, & aqua humida naturaliter; ergo terra nequit conseruari sub aqua, & consequenter nequit esse sub ea, vt in loco.

Resp. Elementa dupliciter considerari posse, vno modo in propria sphæra, alio modo extra illam; primo modo sunt corpora simplicia, & quamuis habeant duas qualitates compossibiles in seipsis, vt patet de terra, quæ est frigida, & sicca, aqua, humida, & frigida, aere humidus, & calidus, & igne, qui est calidus, & siccus, & incompossibiles cum qualitatibus alterius elementi; siquidem terra secundum siccitatem conuenit cum igne, & pugnat cum aqua, quæ est humida; secundum frigiditatem verò conuenit cum aqua, & pugnat cum aere, & igne, & ita discurrendo per singula elementa; nihilominus se compatiuntur adinuicem in propria sphæra, vt vnum sit locus alterius, quia vt sic nõ sunt actualiter actiua, sed tantum in aptitudine: Secundo modo autem sunt mixta ex quatuor qualitatibus, quæ, quoniam actiuæ actu sunt in illis, operantur, quod vnum elemen-

tum corrumpit aliud ad modum mixtorum; siquidem ignis interdum consumit aquam, aqua è contrariò extinguit ignem, terra absorbet aquam, aqua obruit terram, & sic de singulis; & quia sunt extra propriam sphæram, non se locant, & locantur, sed sunt in locis proprijs, eo modo, quo corpora mixta; interdum enim sunt in superficie aeris, interdum in superficie terræ, & aliquando in superficie aquæ; nam ignis, dum comburit lignum, est in superficie aeris, vt in loco; aqua dum absorbetur à terra, est in eius superficiebus intraneis; terra dum est super aquam ambitur à superficie aeris.

Formaliter igitur ad argumentum dico, minorem esse veram de terra, & aqua extra propriam sphæram, quia sic pugnant adinuicem secundum qualitates incompossibiles, & non locantur in seinuicem naturaliter; falsam tamen de illis in propria sphæra, quia sic locantur in seinuicem secundum qualitates naturales compossibiles actu, licèt incompossibiles in aptitudine.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem: Vltima sphæra mouetur localiter; sed quod mouetur localiter est in loco passiuè, & quoad locari; ergo vltima sphæra est in loco passiuè. Maior est Aristotelis t. 45. Minor etiam est eiusdem in tex. 32. huius 4. lib. Physicorum, vbi inquit: Non quæreretur locus, nisi aliquis motus esset secundum locum; ergo moueri localiter supponit locum esse.

Resp. Minorem esse veram, si moueatur localiter quoad locari, non tamen si tantum quoad locare; modò vltima sphæra mouetur localiter tantum quoad locare, & sic sequitur esse tantum in loco actiuè, & non passiuè. Ad probationem exponitur auctoritas Aristotelis eodem modo; non enim quæreretur locus, vel actiuus, vel passiuus, nisi esset aliquis motus, quia iste terminatur, vel ad vbi actiuum, vel passiuum.

Vel dicendum secundò, minorem esse veram, si illud, quod mouetur localiter, habeat aliud corpus continens extra se; modò cum vltima sphæra non habeat aliud corpus ipsam continens, quamuis moueatur localiter quoad locare, non sequitur esse in loco passiuè, verùm dumtaxat actiuè.

Obijcitur tertiò contra secundam partem eiusdem conclusionis, quia esse in loco quoad locare, est esse simul locans, & locatum respectu eiusdem; sed hoc implicat in adiecto, quia idem tunc esset locus, & locatum secundum se, & idem esset in seipso, vt in loco, quod est contra Aristotelem in hoc 4. Physicorum t. 26. & 27. ergo implicat vltimam sphæram esse in loco quoad locare.

Resp. Negando maiorem, quia esse in loco quoad locare est esse in loco tantum actiuè, & non passiuè, & ideò non potest dici quod sit locatum, quia esse locatum est esse in loco passiuè, & ideò nulla est implicantia in adiecto, vt putat quidam ex nostris Scotistis; siquidem considerat esse in loco tantum passiuè, & non actiuè; cum tamen esse in loco est commune ad vbi actiuum, & passiuum.

Obijcitur quartò contra tertiam conclusionem: Locus est vltima superficies corporis continentis, ex Aristotele hic tex. 41. ergo repugnat aliquid esse in loco passiuè, nisi circumscribatur per vltimam superficiem alterius corporis; sed vltima sphæra non circumscribitur, neque secundum se totam, neque secundum partes actu per superficiem alterius corporis continentis, quia non datur; ergo non est actu in loco, neque per se, neque per accidens, sed tantum in potentia.

Resp. Consequens esse verum de eo, quod quiescit in loco, sicut sunt omnia corpora naturalia, præter vltimam sphæram, non tamen de eo, quod est in loco per motum circularem, qui numquam quiescit in aliquo determinato loco, quia tale non habet circumscribi ab aliqua superficie alterius corporis, sed sufficit vt respiciat, ratione motus suarum partium, diuersa vbi; modò vltima sphæra est in loco per accidens, hoc secundo, non primo modo; vndè non habet circumscribi à superficie alterius corporis, sed solum terminari ad

diuersa

diuersa vbi orbis inferioris, & sic ratione suarum partium erit in loco actuali, per accidens tamen, non per se.

Obijcitur quintò contra quartam conclusionem ex Perrerio, quia motus localis per locum determinatur, specificatur, & distinguitur ab alijs motibus; sed motus circularis specificatur per centrum; ergo centrum est locus vltimæ sphæræ. Minor probatur, quia motus circularis per hoc distinguitur à recto, quia hic fit per lineam rectam de loco sursum ad deorsum, vel è conuersò, ille verò per lineam circularem circa centrum: ergo centrum est illud, quod specificat motum vltimæ sphæræ, ac proindè erit eius proprius locus.

Resp. Negando minorem, tamquam per locum acquisibilem per motum; concedo verò illam tamquam per indiuisibile, circa quod fiat motus circularis; ad probationem minoris, nego consequentiam veluti per locum in quo fiat motus circularis, concedo illam, vt per indiuisibile circa quod moueatur sphæra; & ratio est, quia locus debet esse extrinsecus locato; cæterùm centrum terræ est intrinsecum sphæræ, & ideò nequit esse eius locus.

Vel dicendum secundò ex Doctore subt. quolib. 11. sub C. minorem esse veram quoad locare, quia vltima sphæra, suo motu circulari circa centrum, ipsum locat, tamquam aliquod locabile fixum, non autem quoad locari, quia vltima sphæra per suum motum localem circa centrum, non circumscribitur ab eo, sed potiùs centrum circumscribitur à sphæra.

Vtrum plura corpora naturalia possint esse in vno loco, & vnum in pluribus locis, circumscriptiuè?

QVÆSTIO IV.

DVplicem difficultatem tangit titulus quæstionis, vnam, an plura corpora naturalia possint, vel naturaliter, vel saltem supernaturaliter, esse in vno, eodemque loco proprio: alteram; An possit naturaliter, vel supernaturaliter, idē corpus naturale esse in pluribus locis proprijs, & adæquatis circumscriptiuè?

Circa primā difficultatem extant tres opiniones, quarum duæ sunt extremæ, & vna media. Prima igitur opinio asserit, esse possibile, etiam naturaliter, quod plura corpora naturalia sint circumscriptiuè in eodem loco proprio. Ita Fernelius lib. 2. suæ Philosoph cap. vlt. Petrus Io. Prouenzalis quol. 3. q. 7. Argentin. in 4. d. 49. q. 1. art. 4. & alij, quorum meminit Alexand. Aphrodisæus in opusc. de Mixtione.

Secunda opinio negat hoc esse possibile, nedum naturaliter, sed nec etiam supernaturaliter. Sic Durandus in 4. d. 44. q. 6. Palud. ibid. q. 3. art. 3. quia tunc quantum non esset extensum, ac proindè tolleretur ratio formalis quantitatis, quod repugnat, etiam diuinæ potentiæ.

Tertia opinio, quasi media incedens via, concedit, respiciendo potentiam Dei absolutam, plura corpora esse in eodem loco proprio, contra secundam opinionem, negat verò de potentia naturali contra Auctores primæ opinionis. Hanc communiter tenent præclarissimi Theol. D. Thom. 3. p. sum. q. 76. art. 3. D. Bonauent. Henric. Ricardus, & præsertim eam probat Doct. subtilis in 4. d. 49. q. 16. quos posteà secuti sunt, nedum Theologi, sed etiam Philosophi, tum veteres, tum recentiores.

Circa secundam difficultatem non est minor controuersia; siquidem D. Tho. cit. art. 1. Henr. quol. 9. q. 32. D. Bonauent. d. 44. q. 1. Vasquius in 3. p. D. Tho. disp. 189. & communiter Thomistæ docent implicare, vnum, & idem corpus esse posse in pluribus locis modo extenso, & circumscriptiuo.

Oppositum docuerunt ex nostris Alēsis in sum. 4. p. q. 11. memb. 1. Scotus in 4. d. 10. q. 2. Ochamus q. 4. cum omnibus Scotistis, ac Nominalibus. Ex alienis verò Bellarmin. lib. 3. de Eucharistia cap. 3. & 4. Suarius in 3. par. tom. 3. disput. 48. sect. 4. & alij, quos citant Mastr. disput. 11. q. 8 & Cathar. in 4. Physic. q. 1. art. 4. præsertim ex Recentioribus. Hi omnes asse-

afferunt, posse vnum, & idem corpus extenso, ac circumscriptiuo modo, virtute diuina, esse in pluribus locis proprijs, & adæquatis, & hoc solum repugnare potentiæ naturali.

Pro declaratione igitur, ac resolutione vtriusque difficultatis secundum mẽtem Scoti, primò notandum est ex dictis superiùs q. 1. locum esse duplicem .s. cõmunem, & proprium; adæquatum, & inadæquatum. Communis, & inadæquatus est, qui plura locata continere potest, nedum distributiuè, verùm etiam simul, vt aer vnius aulæ, in quo continentur plura corpora de facto, & naturaliter, & de hoc non est sermo in præsenti quæstione. Proprius, & adæquatus est, qui est æqualis, & commensuratus locato, itaut nec excedat, nec excedatur ab eo, vt superficies ambiens meum corpus, & de huiusmodi loco quærit vtraq. difficultas, an nimirum plura corpora possint, vel naturaliter, vel saltem supernaturaliter, in vno, eodemque loco proprio, & adæquato; vel vnum corpus in pluribus locis proprijs, & adæquatis esse circumscriptiuè, ac modo diuiitibili. Pro quibus

Secundò notandum est ex Doct. subt. in 4. d.49. q.16. antè, & sub C. aliqua repugnare adinuicem, vel respectu alterius, posse contingere dupliciter .s. formaliter, & virtualiter. Illa repugnant formaliter, quæ opponuntur secundum se, & secundum suos effectus, vt album, & nigrum; calidum, & frigidum, opponuntur quidem secundum se, quia albedo, & nigredo; caliditas, & frigiditas sũt formæ oppositæ, quæ sunt incompossibiles simul in eodem; opponuntur etiã ratione suorum effectuum, quia albificatio, quæ est effectus albi, & nigrificatio, quæ est effectus nigri, sunt incompossibiles in eodem, similiter calefactio, & frigefactio, quæ sunt effectus calidi, & frigidi, sunt contrariæ, & mutuò se expellunt ab eodem subiecto. Illa verò sũt repugnantia virtualiter, quæ opponuntur ratione suorum effectuum, non tamen ratione sui, vt si Cœlum de hac materia produceret vermem, & Deus in eamdem materiam induceret aliam formam oppositã formæ vermis, tunc Deus opponeretur Cœlo. Ad propositum: Duo corpora quanta, seu duæ dimensiones quantitatiuæ, quoad esse in loco, non repugnant formaliter, quia substantiæ, & quantitati nihil est contrarium, sed tantum virtualiter, quia, cùm locus sit spatium capax corporis, & vnum corpus adæquatè repleat vnum locum, quantũ natus est repleri, sequitur, quod repletio, quæ est effectus vnius corporis, impediat repletionem alterius corporis, adeò vt non sit possibile, naturaliter loquendo, duo corpora consistere simul in vno, eodemque loco proprio, & adæquato: cæterùm quia Deus potest facere causam naturalem existere sine suo effectu, vt accidit in fornace Babylonis, in qua ignis fuit sine combustione, potest etiam facere vnum corpus sine repletione, ac proindè, ablata ratione formali incompossibilitatis, poterunt benè duo corpora esse simul in eodem loco proprio, & adæquato; alterum nimirum repletiuè, & alterum absque repletione, & sic ambo erunt circumscripta ab eadem superficie, adæquata naturaliter vni tantum: ex quo ex opposito infertur, quod cum causa naturalis nequeat impedire effectũ naturaliter consequentem suam causam naturalem (non enim agens naturale impedire potest substantiam, quin in generatione producat quantitates, & cætera accidentia connaturalia; nec quantitatem, aut qualitatem facere sine eorum effectibus) non poterit facere, quod duo corpora quanta sint simul in eodem loco proprio, & adæquato.

Tertiò notandũ ex eodem Doct. subt. in 4. d. 10. q. 2. ab H. & sequentibus, quod pro intelligentia, ac fundamento posterioris difficultatis, attendendæ sunt tres propositiones, quarum prima est: Quecũque sunt priora essentialiter ipso vbi, vel loco, vniformiter insunt corpori, etiamsi ponatur in diuersis locis; quæcunque verò sunt posteriora, vel simul natura ipso vbi, variabuntur ad variationem loci, vel vbi; & ratio vtriusque partis huius propositionis est, quia prius non variatur propter variationem posterioris, cum ab eo non dependeat in esse;

esse; posterius verò variatur ad variationem prioris, quia ab eodem in esse, & conseruari dependet; e. g. forma substantialis mei corporis, cum sit prior meo loco, non variabitur ad variationem loci mei corporis, sed semper eadem inanimata manebit, quamuis aliò se transferat, & alium locum acquirit; cæterùm actus manducationis, quia est posterior loco, variabitur ad variationem loci; vndè si existens in camera manducem, non sequitur, quod debeam manducare, si me transferam ad Ecclesiam; sed ibi potero orare, siuè quicquam aliud facere, excepta manducatione: Similiter ea, quæ sunt simul natura cum ipso vbi, vel loco, erunt variabilia ad variationem loci, quia huiusmodi sic se habent, quod vno posito, ponitur & reliquum, & dempto vno, & reliquum demi necesse est. Secunda propositio: Sicut passum, existens in vno loco, reciperet formam à duobus agentibus ibidem sibi approximatis, sic ipsum in duobus locis existens, patietur ab eisdem in illis duobus locis sibi approximatis, & eamdem formam recipere poterit, vt e. g. lignum, quia natum est recipere caliditatem ab igne, & humiditatem ab aqua in vno, & eodē loco, puta in cacabo, poterit easdem formas recipere ab eisdem agentibus, quamuis existat in pluribus locis: At si lignum nō est natum recipere simul caliditatem, & humiditatem ab illis agentibus in vno loco, nec si existeret in pluribus locis poterit easdem qualitates recipere; & ratio huius est, quia prius non variatur per posterius, sed loca sunt posteriora ipso ligno, & tale corpus secundum se est natum recipere aliquas formas simul, & aliquas successiuè tantum; igitur &c. Tertia propositio: Sicut corpus in vno loco existens se habet in ratione actiui respectu diuersorum, eodem modo, & eamdem vim habebit respectu eorumdem, si existat in pluribus locis, vt si vnus miles existens in vno loco potest debellare tantum quinque inimicos, & si existat in quatuor, vel quinque locis, non poterit vltra quinque vincere, ac debellare, & ratio huius propositionis est eadem cum præcedenti, quod prius non variatur per posterius, sed loca sunt posteriora virtuti illius corporis; ergo si existens in vno loco non habet virtutem nisi in quinque, maiorem non poterit habere, quamuis existeret in infinitis locis.

Ex his igitur sit prima conclusio. Naturaliter plura corpora non possunt esse in vno, & eodem loco adæquato. Est Scoti in citato loco ad primam difficultatem contra Fernelium, Argentinam, & alios. Probatur: Idem locus nequit esse bis repletus; sed, data hypothesi quod duo corpora naturaliter possent esse in eodem loco, idem locus esset bis repletus; ergo duo corpora non possunt esse in eodem loco. Maior patet, quia vnum locatum adæquatè replet vnum locum adæquatum; ergo impedit, ne alterum possit eumdem locum replere. Minor probatur, quia vtrumque esset in illo cum suo effectu naturali, nimirum cum repletione; ergo si duo corpora possent esse in vno loco, ille esset bis repletus. Confirmatur, quia tunc sequeretur eumdem locum esse repletum, & non repletum; sed hoc implicat contradictionem; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia locatum adæquatum adæquatè replet; sed locus potest adæquatè repleri per aliud corpus; ergo tal[is] locus esset repletus, & nō repletus, quod implicat.

Secunda conclusio: Plura corpora, supernaturaliter, & de potētia Dei absoluta, possunt esse simul in eodem loco proprio, & adæquato vni tantum. Est Scoti ibidem. Probatur: Deus, sua potentia, remouere potest causam repugnantiæ, & impossibilitatis, quo minus plura corpora esse possint simul in eodem loco; ergo, ea ablata, poterunt esse simul in vno, & eodem loco. Consequentia patet, quia remota causa, remouetur effectus, ex Aristotele 2. Physic. t. 37. Antecedens probatur, quia causa impossibilitatis, & repugnantiæ est, quod vna repletio loci impedit ne aliud corpus possit replere eumdem locum; sed Deus potest suspendere, ac tollere effectum repletionis in altero, vel pluribus corporibus, ne simul cum primo corpore repleant;

pleant; ergo potest remouere causam repugnantiæ, & impossibilitatis. Antecedens probatur: Nam Deus potest suspendere effectum causæ naturalis efficientis, sicut habemus fecisse in fornace Babylonis, ne ignis combureret Danielis prophetæ socios; sed repletio loci est effectus corporis naturalis; ergo Deus potest suspendere repletionem ab vno, vel pluribus corporibus, & sic tantum vnum erit repletiuè, quia faciet distare latera superficiei, cætera verò tantum circumscriptiuè, hoc est tota in toto loco, & partes in partibus eiusdem, non autem repletiuè.

Tertia conclusio. Vnum, & idem corpus naturale non potest esse viribus naturæ in pluribus locis proprijs, & adæquatis. Est Scoti in 4.d. 10.q.2. Probatur. Inter locum, & locatum debet esse proportio æqualitatis, & adæquationis, ex Aristotele in hoc 4. Physicorum t. 30. sed locatum est finitum, & limitatum; ergo & locus debet esse finitus, & limitatus; atqui si vnum, & idem corpus posset esse in pluribus locis, posset esse etiam naturaliter in infinitis, cum non sit maior ratio de duobus, ac de infinitis; & finiti ad infinitum nulla est proportio, ex Aristotele 3. Physicorum t. 44. & 49. ergo si locatum est vnum, finitum, ac limitatum, & locus debet esse vnus, & non plures, ne sint infiniti.

Quarta conclusio. De potentia tamen absoluta Dei, vnum, & idem corpus naturale potest esse in pluribus, ac diuersis locis proprijs, & adæquatis. Est Scoti ibidem contra D. Thomam, & alios citatos suprà circa hanc difficultatem. Probatur, quia non variato, nec multiplicato priori, potest variari, & multiplicari posterius; sed loca sunt posteriora locato, cũ sint accidentia eius; ergo non multiplicato locato, possunt multiplicari loca. Maior patet, non multiplicata in forma substantiali, contingit multiplicari accidentia, cum sit illis prior. Minor etiam liquet, quia loca pro formali sunt accidentia relatiua de Prædicamento vbi; sed relationes sunt posteriores fundamento, & termino, vt aliàs ostendimus; ergo loca sunt posteriora locato, ac proindè multiplicari possunt, nõ multiplicato locato, & sic vnum corpus esse in pluribus locis.

Obijcitur contra primam conclusionem, quia ferrum ignitum est tantum in vno loco; sed ferrum ignitum dicit duo corpora naturalia; ergo plura corpora naturalia possunt esse naturaliter in vno loco. Maior patet per experientiã. Minor probatur, quia effectus ignis est ignire, & est sibi adæquatus, quod alteri conuenire non potest; sed experientia videtur ferrum ignitum ignire; ergo signum est esse in ferro corpus ignis; sed ignis, & ferrum sunt duo corpora naturalia; ergo duo corpora naturalia sunt naturaliter simul in eodem loco proprio, & adæquato.

Resp. ex Doct. subtili in 4. d. 49. q. 16. §. Alius est intellectus &c. vers. Ad aliud de ferro, & igne &c Maiorem esse verã de loco communi, non proprio, & adæquato; nam cum ferrum ignitum dicat ferrum, & ignem, ferrum, vt ferrum, est in superficie aeris ipsum ambientis; ignis verò in superficiebus materiæ porosæ ferri, vt in proprio loco, adeò quod ferrum ignitum non est in superficie aeris ipsum ambientis, vt in loco naturali proprio, verùm dumtaxat vt in communi vtrique corpori, ignis, & ferri. Per hoc fit satis alijs experientijs, quæ contra hanc nostram conclusionem afferri solent de pane aqua, vel vino madefacto; de cinere existente in vase aqua pleno, & huiusmodi; siquidem aqua, vel vinũ sunt in poris panis, aut cineris, vt in loco proprio; in superficie verò, ambiente panem, & cinerem madefactum, vt in loco communi, & non vt in loco proprio, & adæquato.

Obijcitur secundò. Maior est conuenientia corporis ad corpus, quam animæ ad corpus; sed anima, & corpus sunt in eodem loco naturaliter, ergo etiam corpus cum alio corpore poterit esse naturaliter in eodem loco. Minor est Aristotelis 4. Physic. t. 45. & D. August. de spiritu, & anima, dicentis, animam esse totam in toto, & totam in qualibet parte corporis; ergo est simul cum corpore in eodem loco.

Resp.

Resp. Maiorem esse veram de conuenientia entitatiua, & subiectiua, non tamen de locali, quia cũ ex anima, & corpore fiat vnum per se, benè possunt esse in eodem loco totius; siquidem idem est locus totius, & partis, secundum Philosophum 3. Physic. tex. 52. cæterùm cùm duo corpora sint duo tota, quæ exposcũt proprium locum singillatim, vt docet idem Philosophus in hoc 4. Physic t. 48. consequenter nequeunt vniri, saltem naturaliter in eodem loco, quin ratione repletionis non se excludant ab eodem.

Obijcitur tertiò contra secundã conclusionem: Non minus repugnant esse simul duo corpora, quã duæ partes eiusdem rationis, & eiusdem corporis; sed implicat plures partes eiusdem corporis esse simul; ergo multò magis implicabit plura corpora esse simul in eodem loco. Maior patet. Minor probatur, quia de ratione quanti est habere partes extra partes, alioquin non esset diuisibile; sed si partes essent simul, vna non esset extra aliam, & sic non essent quantæ, quod implicat.

Resp. Minorem esse veram, cum sua probatione de partibus ad se comparatis, non tamen de eisdem comparatis ad locum, quia sic possunt esse simul in codẽ loco, nedum per accidens cum suo toto, verùm etiam per se, si fuissent ab eodem disiunctæ.

Obijcitur quartò: Si duo corpora possent essent simul in eodem loco, idem accidens posset esse simul in diuersis subiectis; siquidem locus est accidens, & esset in duobus corporibus, quæ sunt duo subiecta; sed consequens est contra Philosophum, dicentem, accidens non posse migrare de subiecto in subiectum, ergo & antecedens.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem concedo locum pro formali esse accidens relatiuum, & pro materiali esse accidens absolutum; sed nego locum, quocumque modo consideretur, subiectari in corpore locato, nec consequenter idem accidens in duobus subiectari subiectis; siquidem accidens, quod est locus pro materiali, subiectatur in corpore continente, nempè in aere; pro formali verò, quod est vbi actiuum, fundatur in superficie, & sic neutrum in locato, vt in subiecto, & sic nec idem, in duobus corporibus locatis in eodẽ loco.

Obijcitur quintò contra conclusionẽ quartam: Si idem corpus esset simul in pluribus locis, sequeretur, idem posse simul saturari, & esurire; viuere, & mori, & quod vnus solus miles posset facere exercitum magnum, ac proindè debellare quodcumque regnum; sed omnes istæ consequentiæ sunt falsæ; ergo falsum est, idem numero corpus posse esse in diuersis locis. Sequela prima probatur, quia in vno loco posset apponi sibi cibus, & manducare vsque ad satietatem, & in alio non manducare ex defectu cibi, & sic esurire. Secũda sequela patet, quia in vno loco posset offẽdere inimicos, ab eisque occidi, ac in alio inuenire amicos, & cõseruari in vita. Tertia sequela probatur, quia exercitus est impletio totius campi martialis; sed vnus miles, si posset esse in pluribus locis, posset implere oĩa loca campi, & sic esset exercitus grandis valdè, ac ita posset vnus tantum debellare quodcumque Regnum, quæ omnia sunt valdè inconuenientia, immò manifestè falsa.

Resp. ex Doct. subt. in 4. d. 10. q. 2. sub L. & M. ad primam sequelam, concedendo illam, si manducatio, & esuritio sumantur pro actu manducationis, & pro negatione talis actus, quia sic sunt posteriora ipso loco, & ita variantur ad variationem loci; negando tamen illam, si accipiantur pro repletione stomachi, & nutritione corporis, quia sic sũt priora, & non pendent à loco, atque ideò non variantur propter variationem locorum.

Ad secundam dico cum eodem, consequens esse verum si mori accipiatur pro actu occidendi, & viuere pro negatione talis actus, quia sic sunt posteriora loco, & variantur ad variationem locorum, falsum istã, si nõ accipiatur mori pro vitæ priuatione, & viuere pro ipsa vita, quia sic, si in vno loco accideret mors, vel vita, & in alijs pariter idem contingeret; siquidem sunt priora loco, quæ nõ variantur ad variationem locorum.

Ad tertiã negatur sequela, & ad probationem dico, esse veram maiorem, si fiat impletio cum diuersis corporibus, non tamen si cum vno tantum in diuersis locis replicato, quia sic multiplicantur tantum vbi super vno, & eodem fundamento; vndè non sequitur (data hypothesi) si in infinitis locis existeret, posse solum debellare integrum Regnum, quia ex tertia propositione eamdem actiuitatem haberet in infinitis locis, quam haberet in vno tantum: si igitur in vno loco existens nequit debellare Regnum, neque id potest, quamuis existat in infinitis. Si plura argumenta quis cupiat contra has conclusiones, cõsulat Doctorem subtilem in citatis locis, & diligentissimum Mastrium disp. 11. q. 7. & 8. & habebit ad satietatem vsque, ni dicam, ad nauseam, nobis sufficiunt iam allata, vt potè difficiliora, & quæ magis conducunt ad cognitionem fundamentorum pro conclusionibus supra positorum.

De vacui natura.

SVMMA II.

EXplanata, in præcedenti Summa, natura loci, in præsenti, vt morem gerat Antiquis, accedit ad explicationem naturæ vacui, quatenus ipsum dari contingat; & hæc secunda Summa diuiditur in sex capitula: In quorum primò procedit disputatiuè, an detur vacuum: In secundò affert opinionem illorum, qui ponebant dari vacuum, & illam confutat: In tertiò probat ex parte motus non dari vacuum: In quartò idem ostẽdit ex velocitate, & tarditate motus: In quintò demonstrat idem ex natura vacui in se. In sextò denique ostendit vacuum non esse, ex solutione dubitationum eorum, qui ponebant vacuum.

Quoad primum in tex. 50. ponit hanc conclusionem, nempè, ad Philosophum naturalem spectare differere de vacuo, an sit, vel non sit, quomodo, & quid sit, & probat illam, quia ad Physicum pertinet determinare de loco; ergo & de vacuo. Sequelam probat, tùm quia de illis æquè est determinandum, quæ æquè dubitationem trahunt; sed locus, & vacuũ sunt huiusmodi; siquidem quemadmodum aliqui affirmabant dari locum, & aliqui negabant, ita nonnulli asserunt dari vacuum, & nonnulli inficiantur: Tùm etiam quia locus, & vacuum, secundum Antiquos, sunt idem; sed ad Physicum pertinet determinare de loco; ergo & de vacuo. Maior patet, quia secundum Antiquos, locus habens molem .i. corpus, inter latera continentis, est plenus, cùm autem locus est priuatus tali corpore, est vacuus; ergo idem est locus, & vacuum, & tantum differunt secundum esse repletum, & non repletum.

In t. 51. proponit ordinem procedendi in hac secunda Summa, dicens, se velle prius tractare opinionem illorum, qui affirmant dari vacuum in rerum natura, & posteà aliorum sententiam, qui negabant huiusmodi vacuum: & demùm, quæ secundùm opinionem communem debentur vacuo.

In t. 52. ponit opinionem illorum, qui dicebant vacuum esse, & illud esse spatium, in quo nullum est corpus sensibile, vt patet in dolio, cum nihil vini, aut aquæ existit.

In t. 53. incipit probare hanc opinionem ex parte motus localis sic, quia motus localis est; ergo vacuum est. Consequentia probatur, quia quod mouetur, vel recipitur in pleno, vel in vacuo; si in vacuo, habetur propositum; si verò in pleno; ergo duo corpora erunt simul; siquidem in pleno est corpus aliud ab eo, quod recipitur per motum localem; sed hoc est impossibile; ergo necesse est fateri, quod recipiatur in vacuo. Assumptũ probatur, quia si duo corpora essent in eodem loco; ergo locus minimus potest recipere corpus maximum; quandoquidem omnia corpora sunt eiusdem rationis, & similiter omnia loca plena; sed per te locus plenus vno corpore, potest aliud corpus recipere; ergo aliud, & aliud in infinitum; ergo locus paruus contineret maximum corpus.

In t. 54. roborat eamdem rationem, quia Melissus, ideò asserit Mundum esse immobilem, quia si moueretur, da-

retur vacuum; sed non datur vacuum, dicebat ipse; ergo Mundus non mouetur: at Philosophi posteriores concedebant motum; ergo & vacuum.

In t. 55. subdit secundam rationem, probantem dari vacuum ex parte condensationis, quia condensatio est possibilis; ergo & vacuum est possibile. Consequentia probatur, quia in condensatione partes comprimuntur, & fiūt ad seinuicem propinquiores; aut ergo recipiuntur in pleno, aut in vacuo, si in vacuo; ergo concedendum est dari vacuum; Si autem in pleno, ergo duo corpora erunt simul, quod est impossibile. Antecedens probatur duplici signo, & primò, quia possibile est, vt vinum existens in dolio effundatur in vtres, & postea vtres collocentur in dolio simul cum vino; at hoc non prouenit nisi ob condensationem vini, in quo prius erant pori vacui, qui postea ob talem compressionem condensati, ac repleti sunt; ergo datur condensatio. Secundò, quia nequit fieri augmentum in animali, nisi detur vacuum; siquidem augmentatio fit per receptionem alimenti, & cum non possit recipi in pleno, quin duo corpora sint simul, quod tamen est impossibile; ergo recipitur in vacuo, & sic datur vacuum.

In t. 56. affert tertiam rationem, desumptam ab experientia, quia vas plenum cineribus potest recipere magnam aquæ partem, vt experiētia comprobari potest, vel ergo aqua recipitur in pleno, aut in vacuo; si in pleno, igitur duo corpora erunt simul, quod est impossibile, naturaliter loquendo; ergo in vacuo, & sic datur vacuum.

In eodem tex. ponit quartam rationē, sumptam ab auctoritate, quia Pythagorici ex rerum distinctione concludebant vacuum dari; sic enim discurrebant: Vacuum extra Cœlum repertum ingreditur in Mundum per attractionem cuiusdam spiritus infiniti, qui est in Cœlo, & talis spiratio, distinguit ea, quæ sunt propinqua, ne confundantur, & ex omnibus vna massa, & chaos coalescat; ac propterea vacuum primò in numeris constituebant, cùm numerus ex diuisione continui præsertim resultet; ergo secundum Pythagoricos datur vacuum.

Quoad secundum recenset quasdam diffinitiones vacui datas ab illis, qui asserebant dari vacuum, & illas impugnat, tamquam insufficientes, & in t. 57. affert primam diffinitionem: Vacuum est illud, vbi non est corpus; contra quam sic arguit: Hæc diffinitio conuenit etiam puncto; siquidem in ipso non est corpus, cū sit indiuisibile, & corpus diuisibile; sed punctum non est vacuum, quia in ipso nil potest recipi; ergo ista diffinitio competit alijs à vacuo, & consequenter non est bona.

In t. 58. adducit aliam diffinitionem: Vacuum est, quod caret corpore graui, & leui; & contra illam sic arguit: Dantur accidentia, quæ non sunt nec grauia, nec leuia, & tamen illa possunt esse in loco; ergo vacuum non est illud, quod caret graui, & leui. Antecedens patet, quia album, nigrum, dulce, & huiusmodi sūt accidentia, quæ nec grauia, nec leuia sunt, & tamen sunt in loco cum suis subiectis.

In t. 59. subiungit aliam diffinitionem vacui vitiosam: Vacuum est locus, in quo non est hoc aliquid, nec aliqua substantia corporea tangibilis; & hanc reijcit ex eo quod, stante hac diffinitione, etiam materia prima esset vacuum, quia in ea est forma substantialis, quæ non est substantia singularis, sed principium eiusdem; nec substantia corporea tangibilis, quia qualitates non subiectantur in forma, sed in composito.

In t. 60. diffinitionibus Antiquorum, de vacuo traditis, tamquam insufficientibus explosis, subdit de mente propria, quid nomine vacui, si possibile sit, intelligi debeat, dicens, Vacuū est locus corpore non repletus, aptus tamen repleri; e. g. si Deus aerem inter latera huius aulæ existentem annihilaret, hic esset vacuum; esset enim superficies concaua non repleta corpore, apta tamen repleri.

Ex hac notione infert in t. 61. motiua, quæ habere potuerūt Antiqui ad astruēdum vacuum; nempè, quia vacuum locus est, quem dari iam probatum est; & quoniam motus fit in vacuo, & motum esse

esse est per se notum. Cæterùm nec ista sufficiunt ad adstruendum vacuum, quia Antiqui ponebant locum esse interuallum inter latera continentis, quod iam probatum est, esse impossibile, & consequenter etiam vacuum erit impossibile: deindè nec motus quicquam cogit ad ponendum vacuum, vt patebit ex solutione rationum, quibus probabatur dari vacuum; igitur nec ex isto capite potest admitti; erit ergo vacuum impossibile.

Occurrit ergo rationibus Antiquorum, quibus probant dari vacuum, & in t. 62. soluit primam rationem, probando, nullam adesse necessitatem statuendi vacuum propter motum: non enim statuendum est ob alterationis motum, cum etiam in pleno corpus alterari possit, vt patet de olla aqua plena, quæ calefieri potest, idcircò Melissus perperam negauit motum propter vacuum: Nec est ponendum propter motum localem, quia corpus motum nec in pleno, nec in vacuo recipitur, sed in loco, in quo antea erat corpus, quod corpori moto cessit, vt quando lapis projicitur in aquam, non recipitur in vacuo, nec in pleno, sed in loco aquæ sibi cedentis: Nec propter motum augmentationis, quia nutritio, & augmentatio fiunt per corruptionem alimenti ingredientis, & conuersionem eius in substantiam aliti, cum qua fit vnum, & idem corpus, sine penetratione vnius in aliud.

Ad primam ideò formaliter negat sequela; ad cuius probationem dicit, non recipi id, quod mouetur, nec in pleno, nec in vacuo, sed in loco, in quo antea erat aliud locatum, cedente sibi primo locato.

Ad secundam respondet in t. 63. dicēs condensationem non fieri propter vacuum, sed quia in vino sunt pori, in quibus est aer, qui exhalat per compressionem vini.

Ad tertiam negat consequentiam, & ad probationem dicit, partes non recipi nec in vacuo, nec in pleno, sed in loco, in poris nimirum, in quibus est aer, quo cedente, partes acquisitæ subintrant, & sic ob susceptionem alimenti, & eius cōuersionem in substantiam aliti, fit augmentatio.

Ad aliam de cineribus, & aqua in vase receptis, respondet similiter, aquam recipi in poris cineris, in quibus est aer, qui cedit ad eius ingressum.

Ad quartam desumptam ex somnijs Pythagoricis, dicit esse illorum deliramenta, nec quicquam veri continere, ac proindè nec quidquam facere ad statuendum vacuum.

Quoad tertium, multipliciter probat non dari vacuum, & ex parte motus desumit quinque rationes, quarum prima ponitur in t. 64. Si vacuum esset concedendum, maximè vt esset causa motus; sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia patet secundum Antiquos, qui vacuum statuebant propter motum. Falsitas probatur, quia omnia corpora mouentur effectiuè à suis naturis; sed vacuum, cum sit non ens, non est rerum natura; ergo vacuum non est causa motus. Maior patet; nam terra mouetur deorsum suaptè natura ob grauitatem, ignis sursum à sua leuitate.

In t. 65. affert secundam rationem: Si vacuum concederetur, nil omninò moueri posset; sed hoc est contra Antiquos; ergo &c. Maior probatur, quia quæ mouentur naturaliter, ad propria loca mouentur. Sed in vacuo, cum omnia loca sint eiusdem rationis, nullus est locus alicui mobili proprius; ergo &c. Maior patet; nam ignis non mouetur deorsum, sed sursum; nec aqua sursum, verùm deorsum. Minor patet, siquidem omnes partes vacui sunt eodem modo corporis expertes; ergo sunt eiusdem rationis.

In t. 66. statuit tertiam rationem: Si vacuum daretur, omnia quiescerent; sed hoc est contra experientiam; ergo &c. Maior probatur: Quod enim æqualiter se habet respectu omnium partium spatij, nūquam mouetur, sed semper quiescit; at si vacuum daretur, mobile æqualiter se haberet ad partes vacui; ergo nūquam moueretur. Maior patet, ideò .n. Antiqui dixerunt, terram esse immobilem, quia est in centro, quod æqualiter

se

se habet respectu omnium partium Mundi; ergo quod æqualiter se habet, respectu omnium partium spatij, nunquam mouetur.

In t. 67. affert quartam rationem: Si vacuum poneretur, omnis motus esset auferendus; sed hoc esset maximum absurdum; ergo &c. Maior probatur, quia omnis motus, aut est naturalis, aut violentus; sed ablato motu naturali, aufertur etiam violentus, & naturalis tolleretur ad positionem vacui; ergo si daretur vacuum, auferendus esset omnis motus. Maior patet ex 3. Physicorum. Minoris prima pars patet, quia motus violentus supponit naturalem; Tum quia violentus est contra naturam, naturalis verò secundum naturam; Tum etiam, quia perfectius est prius imperfectiori; ob hoc enim forma est prior materia, quia hæc imperfectior illa: sed motus naturalis est perfectior violento, quia ille est intentus à natura, non verò iste; ergo violentus supponit naturalem. Minoris secunda pars probatur, quia omnis motus naturalis est ad aliquam positionem, scilicet vel sursum, vel deorsum, vel antè, vel retrò, vel ad dextrum, vel ad sinistrum; sed in vacuo nulla datur positio; ergo ad positionem vacui tollitur motus naturalis. Minor probatur, quia positiones sunt differentes specie; sed partes vacui non sunt differentes specie, cum omnes sint eiusdem rationis; ergo in vacuo nulla datur positio, ac proindè nullus motus naturalis, nec violentus.

In t. 68. ponit quintam rationem: Si daretur vacuum, nullus daretur motus proiectorum; sed hoc est contra experientiam; ergo non est dabile vacuum. Maioris sequela probatur, quia proiecta mouentur ab aere impellente continuè; sed in vacuo nullus esset aer; ergo nullus motus proiectorum.

In tex. 69. probat, non dari vacuum, ex parte quietis: Vbi non datur impedimentum, nequit dari quies; sed in vacuo nullum esset impedimentum, quia nullum esset corpus; ergo nulla esset quies.

In t. 70. probat minorem, quia vacuū ponitur ab Antiquis ob id, vt corpus mobile nullum habeat impedimentum alterius corporis; ergo cùm in vacuo nullum esset impedimentū, nulla esset quies in aliqua parte, & sic continuè mobile moueretur, & non magis ad vnam partem, quam ad aliam.

In tex. 71. prosequitur intentum, rationibus desumptis ex tarditate, & velocitate motus, & prima est talis: Si vacuum daretur, motus in ipso nullatenus fieret; at consequens est absurdum; ergo non est dabile vacuum. Sequela maioris probatur, quia omnis motus omni motui est proportionabilis; sed motus factus in pleno nullam haberet proportionem cū motu facto in vacuo; ergo in vacuo nullus esset motus. Maiorem probabit in 7. Physicorum; præterquamquod recipitur à Mathematicis, dū concedunt omnem quantitatem omni quantitati esse proportionabilem. Minorē probat, quia qualis est proportio medij ad medium in raritate, & densitate, talis est proportio motus ad motū in velocitate, & tarditate; sed medij pleni ad medium vacuum, nulla est proportio; ergo nec motus facti in pleno ad motum factum in vacuo. Maior patet, exindè enim oritur velocitas, & tarditas motus, vt si aer sit rarior aqua, motus lapidis ponderis vnius libræ erit velocior in aere, quam in aqua; & si aer fuerit in duplici rarior, quam aqua, motus similiter erit in duplo velocior in aere, quam in aqua. Minor similiter patet, quia nihili ad aliquid nulla est proportio; siquidem proportio est relatio realis, quæ exigit extrema realia; sed in pleno est aliquid, & in vacuo nihil; ergo medij pleni ad medium vacuum nulla est proportio.

In t. 72. probat secundò ex eodem medio, non dari vacuum, quia sequeretur, quod in æquali tēpore, & æquè velociter aliquod mobile moueretur in pleno, & in vacuo; sed consequens est falsū; ergo & antecedēs. Minor probatur, quia quæ mouentur æqualiter, habent media æquè densa, vel rara; sed plenum, & vacuum non sunt æquè densa, vel rara, vt

liquidò constat; ergo &c. Sequela maioris probatur: nam, facta suppositione, quod aliquod mobile, nempè lapis, moueatur per vacuum per quartam horæ partem; deindè alius lapis æqualis grauitatis moueatur per plenum æquale vacuo per horam tunc ille lapis transibit per quartam horæ partem, quartam partem spatij pleni; ergo æquè velociter tale mobile moueretur per plenum, ac per vacuum.

Rursus à t. 73. vsque ad 75. partim epilogat, partim roborat quæ hactenus dixit contra vacuum ab Antiquis assertum, & ideò, cùm rationes iam factæ sufficiant ad illud euertendum, huiusmodi textus consultò omittuntur.

Quoad quartum ostendit vacuum non esse quid separatum à corporibus, tribus rationibus, quarũ prima ponitur in t. 76. & talis est. Si vacuum esset, daretur penetratio dimensionum; sed hoc est contra naturam corporis quanti; ergo vacuum non est dabile separatum à corporibus. Sequela maioris probatur: Nã quæ sunt in eodem loco, vicissim se penetrant, nisi alterum alteri cedat; sed ex Antiquorum sententia, corpus localiter motum recipitur in vacuo, quod similiter habet trinam dimensionem, quæ non potest alicui cedere; ergo dimensiones vacui, & corporis moti vicissim se penetrarent. Maior patet, quia si sint omninò in eodem loco repletiuè, necessariò vnum erit in altero, & sic penetrabunt seinuicem.

In t. 77. ponit secundam rationem: Nihil est ponendum frustra; sed si daretur vacuũ, esset frustra; ergo non est ponendum. Maior patet ex dictis in 2. Physicorum. Minor probatur, quia si quantitas cubi esset separata à materia sensibili .i. corporeitate substantiali, frustra poneretur vacuum dimensionatum; ergo & nunc prout cubus est in materia sensibili. Consequentia patet, quia ob solam quantitatẽ cubi ponitur vacuũ; sed propter talem non debet poni; ergo nec per materiam cubi. Minor liquet: Quãtitas .n. est ratio cur res sit in loco; sed vacuũ ponitur vt res recipiatur in loco; ergo vacuum ponitur ob solam quantitatẽ. Minor, & antecedens similiter probatur: Siquidem trina dimensio cubi, & vacuũ sunt eiusdem rationis omninò, sed ob vacuum nõ ponitur aliud vacuum, nec alia trina dimensio; ergo nec propter quantitatem cubi debet poni vacuum.

In t. 78. ponit aliam rationem, probãtem non esse vacuum separatum à corpore, quia si daretur vacuum, aliquo sensu perciperetur; sed nullo sensu percipitur; ergo non datur vacuũ. Maior patet, quia omnia, quæ sunt in mundo, aliquo sensu percipiantur, vt experientia constat. Minor patet similiter, inducendo per omnes sensus, quia obiectum cuiuslibet sensus est aliqua qualitas, vt est notum apud omnes; sed nulla qualitas datur in vacuo; ergo &c. Minor probatur, quia subiectũ qualitatis est corpus quantum; sed in vacuo non datur corpus quantum, alioquin non esset vacuum, sed plenum; ergo nulla qualitas datur in vacuo &c.

Quoad quintum probat à tex. 79. vsque ad 82. nec dari vacuũ corporibus imbibitũ, quia si daretur huiusmodi vacuum, hoc maximè esset propter condẽsationem, & rarefactionem; sed neutra istarum cogit ad ponendum vacuum imbibitum; ergo tale vacuum non datur. Sequela maioris probatur, quia videmus condensari corpus, & rarefieri; sed hæc nequeunt fieri, nisi detur vacuum imbibitum; ergo &c. Minor probatur, quia condensatio fit per reductionem corporis ad minorem locum, & rarefactio ad maiorem; sed neutra fieri potest sine vacuo; ergo &c. Minor probatur, quia huiusmodi reducio fieri nõ potest, nisi quibusdã partibus alias subintrãtibus; ergo talis subintratio supponit vacuum intra easdem partes ab ingredientibus repletum, vel admittendam esse ipsarum penetrationem; sed hæc, vt probatũ est superiùs, est impossibilis; ergo dicendum est supponi vacuum imbibitum illis partibus. Minor primi syllogismi probatur, quia si ob condensationem, vel rarefactionem esset ponendum tale vacuum imbibitum, aut esset, quia intra corpus sunt quædam vacuitates, vel foramina ad modum spongiæ, vel quia dantur

quædam

quædam parua interualla trinæ dimensionis intra ipsum corpus; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Minorem probat, & quod non sit secundum, iam probatum est, quia alioquin daretur penetratio dimensionum in receptione corporis in vacuo, quod est impossibile, vt probatum est: Nec primum admitti potest, Tùm quia Philosophi Antiqui astruebant vacuum, potissimùm propter motum localem, sed huiusmodi cauitates non sunt necessariæ propter motum localem, vt probatum est superiùs; ergo &c. Tùm etiam, quia neque ob raritatem, & densitatem, quia hæ fiunt in pleno, & non in vacuo, cum sint motus alterationis; ergo rarefactio, & condensatio non cogunt ponere vacuum corporibus imbibitum.

Quoad sextum à t.83. vsq. ad 85. tamdem soluit dubitationem de rarefactione, & condensatione, quia non fiunt, vt dicebant Antiqui, per additionem, vel remotionem quantitatis ad quantitatem, aut à quantitate, sed ex eo solum, quod ea, quæ prius erant in potentia, fiunt in actu, & per eas segregantur partes corporis, vel magis coniunguntur, absque penetratione, vel subintratione partium in partes; ac proindè ad ponendum rarefactionem, vel condensationem non est necesse ponere vacuum imbibitum corporibus. Cæterùm quia de modo, quo fiat rarefactio, & condensatio, erit peculiaris discursus in propria quæstione, interiùs discutienda de mente Doctoris subtilis, ideò hic supersedendum duxi, finem imponendo textu huius secundæ Summæ.

De vacui natura.

DISP. II.

Nomine vacui possumus intelligere, vt notat Aristoteles hic sum. 2. cap. 2. ex Antiquis, vel locum, siuè interuallum, nullo repletum corpore: vel spatium nullum habens in se corpus tangibile; vel locum carentem quacumque substantia corporea, vel, quæ sit hoc aliquid; siuè talis locus sit dimensionatus, siuè non: vel denique locum, siuè separatum, siuè imbibitum corpori, nullo repletum corpore, apto tamen repleri, & hoc vacuum dumtaxat erit materia huius disputationis secundæ; siquidem cætera dicuntur impropriè vacua, & vt talia reiecta ab eodem Philosopho loco citato. Et quamuis etiã de vacuo in vltima significatione subtilissimè disputauerit; tamen quoniam nonnulla sunt discutienda, quæ ipse non attigit, idcircò non erit abs re, illa subdere disputationi, vt ex varietate opinionum, seligere valeamus, quid sentiendum sit cum Doctore subtili, nec dissentaneum à mente Philosophi; siquidem horum sententiam pro viribus semper tueri conabimur. Quæritur igitur primò de existentia vacui in ordine ad potentiam, quæ valeat ipsum ponere in rerum natura. Secundò, an admisso vacuo, possent in eo moueri corpora, vel successiuè, vel in instanti. Tertiò, quid sit, & quomodo fiat rarefactio, & condensatio; & an ex illis concludatur sufficienter, vacuum dari in rerum natura.

Vtrum per aliquam potentiam, aut naturalem, aut supernaturalem possit fieri vacuum in natura?

QVÆSTIO I.

Circa primam partem de potentia naturali non conueniunt communiter Doctores; siquidem aliqui negant absolutè per vllam virtutem creatam posse fieri vacuum in natura. Ita Conimbric. 4. Physic. cap. 9. q. 3. Ruuius tract. de Vacuo q. 2. Complur. disp. 20. q. 2. Fuentes q. 2. diffic. 1. art. 1. Poncius disp. 16. q. 1. concl. 2. & alij.

Alij verò affirmant, si naturæ vires in vniuersum attendantur; negant verò, si spectentur vires naturales, quatenus subsunt diuino decreto, disponenti ne fiat vacuum in natura, propter commu-

ne vniuersi bonum. Sic noster Smising tract. 2. disput. 5. n. 4. Morisan. disp. 5. q. 7. & Auersa q. 27. sect. 8. quos refert, ac sequitur Mastrius disput. 12. q. 1. num. 7. vbi citat Doct. subtil. in 3. dist. 27. q. vn. §. Istæ rationes &c. & in 4. dist. 43. quæst. 5. sub E. quibus possunt addi Sulmonensis de Vacuo q. 1. concl. 2. & Catharensis in 4. Physicorum quæst. 2. art. 1. concl. 4.

Circa secundam partem loquendo de potentia supernaturali, pariter sunt discordes; nam Vulpes in sum. 1. par. disp. 18. art. 3. n. 6. & 7. secutus Perrerium lib. 11. suæ Philosophiæ cap. 12. & Bañem in 1. par. D. Thom. q. 8. art. 2. sustinet, neque de potentia absoluta Dei posse fieri vacuum. Alij verò communiter defendunt partem affirmatiuam. Ita Scotus in 4. dist. 43. q. 5. & quolib. 11. vbi Lychetus, & Gadius, ac Tatar. Canonic. 4. Physic. q. 4. Sulmonen. Catharensis, Mastrius, & Poncius citati, quibus adiungi possunt omnes Doctores relati circa primam partem quæstionis; quandoquidem in hoc omnes conueniunt, quamuis diuersimodè illud probare nitantur.

Quid autem nobis sentiendum sit circa vtramque controuersiam, paucis notatis, nostram proferemus sententiam in conclusionibus infraponendis.

Primò igitur notandum est ex Doct. subt. in quolib. 11. art. 2. Vacuum dupliciter accipi posse, vno modo pro spatio, seu interuallo, carente corpore physico, sed impleto corpore Mathematico, nempè trina dimensione .s. longitudinis, latitudinis, & profunditatis ab Antiquis excogitata, & ab Aristotele validissimis rationibus reiecta, quod quidem vacuum accideret, inquit Doctor, cum Deus annihilaret aerem inter latera alicuius aulæ contentum, & ibi solùm relinqueret quantitatem, & diceretur spatium dimensionatum, vacuum tamen corpore substantiali, & de hoc solum locutus est Philosophus, cum probauit non dari vacuum in natura. Alio modo potest sumi vacuum pro spatio, contento inter latera continentis, idest superficiei concauæ, in quo non sit aliquod corpus, nec substantiale, nec accidentale, nec physicum, nec mathematicum, vt si virtute diuina annihilaretur aer huius scholæ, nec relicta quidem quantitate, hoc est, illa trina dimensione, in hac schola esset huiusmodi vacuum, de quo tamen non egit Aristoteles, alioquin eius rationes nihil probauissent, cùm omnes supponant illam trinam dimensionem, assertam ab Antiquis in vacuo, & de vtroque nos quærimus, an sit dabile, per aliquam potẽtiam, in natura

Secundò notandum est: Vacuum in vniuerso esse, includere contradictionem, posse dupliciter intelligi, vno modo formaliter, & ratione sui, alio modo principiatiuè, & per comparationem ad aliquod agens. Primo modo, vacuum esse in natura, nullam dicit repugnantiam, aut contradictionem; siquidem vacuum, cum opponatur pleno, & plenum sit possibile in natura, consequenter etiam vacuum debet esse possibile; incompossibilitas enim, & repugnantia formalis aliquorum inter se, vel respectu alicuius tertij, vt docet Doctor. subt. in 1. sent. dist. 43. q. vnic. E. supponit eorumdem possibilitatem in esse; & Aristoteles pluribus in locis, ac præsertim in 2. de Generat. & Corrupt. tex. 16. asserit, quod si vnum contrariorum est possibile, & reliquum debet esse possibile, & idem dicendum est de priuatiuè oppositis; quandoquidem oppositio, cum sit relatio, necessariò exigit extremorum possibilitatem; cum ergo vacuum, & plenum opponantur, saltem priuatiuè, necessariò sequitur ex positione vnius circa aliquod subiectum, remotio alterius ab eodem, & consequenter possibilitas formalis vtriusque in esse. Secundo modo autem vacuum potest dupliciter comparari, vel ad agens supernaturale, vel ad agens naturale. Si priori modo comparetur adhuc dupliciter potest comparari, vel ad ipsum, vt absolutè agens secundum eius absolutam potentiam, & sic vacuum est possibile in natura; siquidem Deus, sua absoluta poten-

potentia possit annihilare omnia quatuor elementa, & conseruare latera cœli continentis inter se distantia, vt non in vnum coirent; quo facto totum illud spatium esset vacuum; esset enim locus carens corporibus, iam annihilatis, aptus tamen ab illis iterùm repleri: vel potest comparari ad ipsum, tanquam ordinatè agens, & sic vacuum esse in natura includit contradictionem; decreuit etenim Deus gubernare Vniuersum in continuitate, & contiguitate partium in seinuicem, & cum toto Mundo, sicut obseruauit etiam Aristoteles lib. 1. Methereologicorum cap 2. dum inquit: *Est autem Mundus ex necessitate, continuus quodammodo superioribus lationibus, vt omnis ipsius virtus indè gubernetur; vndè enim motus principium omnibus inest, illam causam putandum primam.* Hæc autem continuitas, & contiguitas non esset, si daretur vacuum in natura; igitur, vt illa conseruetur iuxta diuinum decretum, dicendum est, vacuum non esse possibile. Si autem comparetur ad agens naturale, hoc potest etiam contingere dupliciter, vel spectando vires naturæ simpliciter, & absolutè; vel quatenus huiusmodi vires subsunt decreto diuino; primo modo, vacuum non repugnat esse in natura; siquidem Angelus supremus, cum sit fortior toto Mundo, potest effundere vinum ex aliquo dolio, & detinere insuper aerem, ne ingrediatur huiusmodi dolium, quo facto, esset vacuum, cùm esset locus priuatus omni corpore, aptus tamen ab aliquo repleri: At secundò modo vacuum naturaliter non est possibile, quia cùm omnia agentia in agendo, teneantur seruare ordinem à Deo præfixum; & ordo præfixus ab ipso toti vniuerso est, vt omnia sint continua, vel saltem contigua, consequenter nequeunt agere ad detentionem aeris, vel alterius corporis, ex qua sequi possit vacuum aliquod in natura.

Ex his igitur sit prima conclusio. Vacuum, viribus naturæ simpliciter, & absolutè consideratis, est possibile in natura; impossibile autem, si huiusmodi vires spectentur, quatenus subsunt decreto diuino de conseruando vniuersum in continuitate, vel contiguitate partium adinuicem, & cum suo toto. Prima pars est Scoti in 4. d. 43. q. 5. sub D. & E. Secunda verò colligitur ex eodem in 2. d. 2. q. 12. C. & in 3. d. 27. q. vn. sub F. Probatur prima pars, quia Angelus, supremus saltem, potest expellere vinum, & aquã de aliquo vase, & impedire aerem, ne ingrediatur ad implendum tale spatiũ, sed, hoc facto, erit vacuum; ergo ex viribus agentis naturalis, quale est Angelus, potest fieri vacuum in natura. Minor patet, quia vacuum est locus, vel spatium nullum habens corpus, aptum tamen habere; sed dato casu, nullum esset corpus in tali vase; ergo ibi esset vacuum. Maior liquet, quia Angelus supremus potest mouere totum aerem, & quamlibet eius partem; ergo etiam potest detinere aerem, & quamlibet eius partem, ne moueatur ad impediendum vacuum; etenim eiusdem agentis est mouere mobile, & facere illud quiescere. Secundò probatur à Doctore in 4. dist. 43. q. 5. Deus potest in eodem instanti facere aliquod corpus minus de maiori; & ipsum collocare in loco vbi erat maius, dimittendo postea naturam sibi, vt moueat superficiem aeris circumstantis ad hoc, vt contingat superficiem corporis minoris, ipsumque locet; sed natura non potest in instanti mouere omnem aerẽ, ipsum applicando lateribus corporis minoris; ergo ibi erit vacuum ad tempus, quousque possit aerem circumstantem contiguare corpori illi. Maior patet, quia agens naturale potest condensare aliquod corpus, & de maiori facere minus in eodem loco; ergo etiam Deus ex se facere potest immediatè ex maiori minus corpus, in eodem loco maioris, quicquid enim potest facere cum causis secundis Deus, potest idem se solo facere, cum virtualiter contineat effectus causarum secundarum. Minor est nota apud omnes Philosophos, quia natura nequit agere, nisi per motũ, qui non fit in instanti. Secũda pars probatur, quia decreto diuino nulla naturæ vis resistere potest; sed Deus decreuit

creuit conseruare Vniuersum absque vacuo; ergo &c. Maior patet, quia decretum diuinum est diuina voluntas; sed voluntatis Dei nullus resistere potest, vt sæpiùs testantur Sacræ Scripturæ; ergo &c. Minor probatur, quia conseruatio Mundi consistitit in continuitate, & contiguitate partium eiusdem in seinuicem, & cum toto; sed, admisso vacuo, tollitur mundi continuitas, & contiguitas, ergo &c. Maior patet ex Aristotele lib. 1. Meteorolog. cap. 2. dicente: Est autem ex necessitate continuus quodammodo ille mundus superioribus lationibus, vt omnis ipsius virtus indè gubernetur: & 12. Met. t. 52. inquit: Bonum Vniuersi esse rerum vnionem inter se. Minor similiter est nota ex diffinitione vacui.

Secunda conclusio. Vacuum de potentia Dei absoluta potest esse in rerum natura, non autem de potentia eiusdem ordinata. Prima pars est Scoti in quolib. 11. art. 2. per totum. Secunda verò est eiusdem in 2. d. 2. q. 12. C & in 3. d. 27. q. vn. §. Istæ rationes non cogunt &c. Probatur prima pars, quia Deus potest annihilare totum aerem inter aquam, & ignem, conseruando vtriusque latera inter se distantia; sed his admissis esset vacuum inter ignem, & aquam; ergo de potentia Dei absoluta potest dari vacuũ. Minor probatur, quia ibi esset spatium, nullo repletum corpore, aptum tamen repleri; ergo esset vacuum. Maior probatur, quia formæ Cęlorum habent magis de incorruptibilitate, quam formæ elementorum; siquidem elementa corrumpuntur in seinuicem, & generantur, vt probat Aristoteles 2. de Gener. & Corrupt. t. 26. non autem Cœli, vt cum ipso ostendimus in 1. Physicorum; carent enim materia, quæ est principium corruptibilitatis; sed Deus de potentia absoluta potest annihilare Cœlos, sicut per ipsam potentiam illos creauit; ergo multò magis elementa. Quod autem latera ignis, & aquæ possent conseruari distantia, probat Doctor ibidem, quia natura operante ex omnibus viribus, huiusmodi latera non concurrerent in instanti, quia nequit moueri in instanti; igitur in aliquo paruo tempore remanerent distantia; sed Deus est in infinitum fortior natura; ergo multò magis poterit conseruare huiusmodi latera distantia, & sic causare vacuum inter latera ignis, & aquæ. Secunda pars probatur, quia Deus, sua potentia ordinaria, nequit facere contra legem vniuersalem à se conditam, licèt possit præter illam de potentia absoluta, vt probat Scotus in 1. d. 44. q. vn. quia aliter infringeret legem, & in tantum dicitur potentia ordinaria, in quantum conformatur legi ordinariæ, quæ est vniuersalis; sed lex vniuersalis de gubernando Vniuerso prohibet dari vacuum in rerum natura; ergo Deus de potentia ordinaria nequit vacuũ facere. Maior patet. Minor probatur, quia lex diuina est rectissima, & perfectissima; sed summa perfectio Vniuersi consistit in vnione, & non in disiunctione rerum, vt docet Aristoteles lib. 12. Met. t. 52. ergo lex diuina de gubernando Vniuerso, affectat continuitatem, vel contiguitatem partium, & prohibet fieri vacuum in illo.

Tertia conclusio. Deus, sua potentia absoluta, potest causare vacuum ab Antiquis assertum, in quo nimirum sit tantum corpus Mathematicum cum trina dimensione, longitudinis, latitudinis, & profunditatis. Colligitur ex Scoto in quol. 11. sub E. & N. vbi habet hæc verba: Si autem distantia acciperetur alio modo pro dimensione media inter extrema, quæ distant, concedendum esset, sic loquendo, quod inter latera continẽtis duo corpora, est duplex distantia. En quomodo videtur concedere in spatio, recipiente duo corpora de potentia Dei absoluta, dimensionem, quæ sit fundamentum vnius distantiæ inter latera continentis, & consequenter vacuum dimensionatum ab Antiquis assertum, & impugnatum ab Aristotele. Probatur, quia Deus potest annihilare aerem medium inter aquam, & ignem quoad substantiam, & non quoad quantitatem; sed quantitas aeris habebat trinam dimensionem .s. lõgitudinis, latitudinis, & profunditatis; ergo Deus potest facere spatium vacuum aere, cum illa triplici dimen-

mensione tantum, & sic erit vacuum ab Antiquis assertum, & ab Aristotele oppugnatum. Maior patet, quia substantia, & quantitas distinguuntur realiter, & sunt abinuicem separabiles, vt patet in Sacramento Altaris, ergo sicut ibi remanet absque vllo subiecto, ita potest remanere, annihilato aere, inter duo latera ignis, & aquæ. Minor etiam liquet, quia aer est corpus physicum, habens in se longitudinem, latitudinem, & profunditatem; ergo quantitas aeris remanens esset dimensionata illa triplici dimensione.

Obijcitur primò contra primam partem primæ conclusionis. Si ex viribus naturæ, absolutè consideratis, posset fieri vacuum, sequeretur naturam non abhorrere, immò affectare vacuum; siquidem nihil abhorret ab eo, ad quod tendunt eius vires, cum vt sic videatur cadere sub eius effectu naturali; sed experientia comprobatur, naturam abhorrere à vacuo; ergo vacuum nequit esse eius effectus, sed potiùs eius defectus præter intentum sibi aliquando occurrens. Minor probatur, quia videmus aquam ascendere per fistulam, vt impediat vacuum, quod per attractionem aeris posset euenire: deindè vasa frangi vt ingrediatur aer ad occupandum locū vacuum, relictum ex condensatione aquæ, & alia experimenta adduci possunt, quæ operatur natura ad impediendum vacuum; ergo signum est vacuum non esse, nec esse posse eius effectum.

Resp. Negando sequelam maioris; siquidem multa, vel inuiti facimus, & alia accidunt, quæ non intendimus, & tandem ad illa se extendunt vires naturæ; vndè benè poterit esse vacuum effectus virium naturæ, quamuis ab illo abhorreat.

Vel dicendum secundò: Minorem, cum sua probatione, habere veritatem de natura, vt subest diuino decreto, quia dumtaxat abhorret à vacuo, & virtute Rectoris Vniuersi operatur mirabilia, ne accidat vacuum ab ipso prohibitum; non tamen de natura in se considerata, quia vt sic non abhorret à vacuo, sed causat illud, vt sibi lubet, saltem in aliqua sui parte, vt probatum est de virtute Angelica.

Contrà, quia ordo Vniuersi, à Deo præfixus, est immutabilis à creatura, etiam Angelica; sed colligantia corporum inter se spectant ad ordinem Vniuersi, qui consistit in vnione, vt probat Aristoteles lib. 12. Met. t. 52. ergo nequit peruerti causando vacuum. Maior probatur, quia ordo Vniuersi est effectus vniuersalis Dei; virtus creata autem est effectus particularis; ergo hæc non poterit euertere ordinem Vniuersi.

Resp. Maiorem, & eius probationem verificari de creaturis, vt subsunt decreto diuino de conseruando ordine Vniuersi, iam à diuina voluntate præfixo; falsam tamen si sermo fiat de creaturis sibi dimissis, quia sic possent causare vacuum; non quidem operando contra, sed præter ordinem vniuersalem, à Deo præfixum; exemplum sumi potest de potentia absoluta, & ordinaria Dei; siquidem Deus, conformando suam voluntatem legi vniuersali, nequit saluare morientem in peccato mortali, tamen de potentia absoluta, quæ respicit aliam legem, quam de particularibus valet sibi condere, potest etiam actu peccantem, & in peccato decedentem saluare; ita à simili statui potest duplex potentia s. absoluta, & ordinata etiam in creaturis; & quamuis per hanc nequeant operari difformiter à lege vniuersali, à gubernatore Vniuersi in bonum ipsius locata; tamen si dimitterentur sibi, poterunt per illam facere iuxta vires ab ipso Deo receptas, & sic causare vacuum, licet sit præter ordinem Vniuersi.

Obijcitur secundò contra secundam partem eiusdem conclusionis: Si virtus creata non posset causare vacuum, etiam vt subest diuino decreto, sequeretur, quod Deus frustra dedisset cuicumque creaturæ, præsertim Angelicæ, maiorem vim, quam executioni posset demandare; sed hoc non est dicendum, quia secundum Philosophum lib. 1. de Cœlo t. 32. Deus, & natura, nihil agunt frustra; ergo &c. Maioris sequela probatur, quia Aristoteles 2. de Cœlo t. 50. & 59. infert tamquam irrationabile, & frustraneum, si na-

si natura dedisset Astris organum ad motum progressiuum, cùm eo numquam vti deberent; quapropter etiam ab animalibus multa consultò abstulisse videtur, quia non erant eis necessaria ad motum progressiuum; ergo à simili, frustra Deus dedisset Angelis maiorē virtutem, quam non poterant exercere, stante diuino decreto de gubernando Vniuersum in continuitate, & contiguitate.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem nego paritatem, quia quāuis Angeli, stante diuino decreto, nequeant vti totaliter sua virtute (siquidem non possunt operari, nisi iuxta sibi concessum, vel permissum à lege vniuersali) tamen non esset frustranea, sicut virtus ad motum progressiuū, quæ Astris fuisset concessa à natura; quandoquidem Deus, cùm sit agens voluntarium, posset Angelos dimittere eorum virtuti naturali, eximendo illos in aliquo particulari à lege vniuersali, quo facto, possent vti omni sua virtute, causando vacuum, & alia operando, quæ facere nequeunt, quamdiu sunt subiecti diuino decreto.

Obijcitur tertiò contra secundam conclusionem: Deus nequit facere, quæ implicant contradictionem; sed implicat dari vacuum in vniuersum, & sit vniuersum ipsum; ergo Deus nequit facere vacuum in natura vniuersi. Maior conceditur ab omnibus. Minor probatur, quia continuitas, & contiguitas partium sunt ita de essentia vniuersi, sicut vnio partium essentialium hominis est de eius essentia; sed Deus nequit discontinuare partes essentiales hominis, quin destruatur homo, ergo non poterit discontinuare partes vniuersi causando vacuum, & vniuersum consistere. Maior patet, quia vniuersum ex Aristotele 12. Met. t. 52. & sequentibus, in vnione consistit, sicut esse hominis in vnione animalis, & rationalis, vel animæ, & corporis; ergo sicut vnio partium essentialiū est de essentia hominis, ita vnio partium integraliū est de essentia vniuersi.

Resp. Negando minorem; siquidem continuitas, & contiguitas omniū partium non sunt de essentia vniuersi, licèt sint de maiori perfectione eiusdem, & ideò non inconuenit esse simpliciter vniuersum cum aliqua imperfectione, causata ex discontinuatione duarum partium, sicut non inconuenit dari corpus humanum, cui desit aliqua pars, & ideò ad probationē negatur maior propositio, & paritas; & cum probatur per illud 12. Metaph. dico, Aristotelem non dicere, essentiam vniuersi in vnione partium adinuicem consistere, sed solum bonitatem, ac perfectionem eiusdem sitam esse in vnione, & ordine partium ad ipsum vniuersum: do eius verba formalia: Cuncta autem coordinata quodammodo sunt: nec ita se habent, vt sit vllum alteri ad alterū, sed sunt ad quippiam: ad vnum namque coordinata sunt omnia. Hactenus Aristoteles, ex quibus satis constat, quod vnio partium vniuersi, non solùm non sunt de essentia eius, sed nequidem spectare ad eius bonitatem, si mutuò se respiciant, verùm duntaxat, cum omnes coordinentur ad ipsum vniuersum.

Obijcitur quartò: Si vacuum daretur supernaturaliter, sequeretur, quod eius latera distarent, & non distarent; sed cōsequens includit contradictionem; ergo &c. Minor patet, quia cōtradictoria nequeunt de eodem verificari. Maioris sequela probatur: Essent quidē distantia, quia non essent simul; nō essent autē distantia, quia nullum caderet mediū inter illa; ergo distarent, & non distarent.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem respondet Scotus in quol. 11. art. 2. inter illa cadere medium potētiale, & priuatiuum, licèt non actuale, & positiuum; modò medium prioris generis sufficit, vt latera sint distantia.

Obijcitur quintò contra tertiam conclusionem, quia si vacuum dimensionatum daretur, sequeretur penetratio dimensionum; sed hoc est contra naturam corporis quanti; siquidem ratio quantitatis est esse principium impenetrabilitatis; ergo non est dabile vacuum dimēsionatum, separatum à corporibus. Sequela maioris probatur: Nam quæ sunt in eodem loco, vicissim se penetrant, nisi alterum alteri cedat; sed ex Antiquorum sen-

sententia; corpus localiter motum recipitur in vacuo, quod similiter habet trinam dimensionem, quæ nulli potest cedere; ergo dimensiones vacui, & corporis moti vicissim se penetrarent. Maior patet, quia si sunt repletiuè in eodem loco, necessariò alterum erit in altero, alioquin non erunt in eodem loco, sed in duobus; sed cum alterum est in altero, se penetrant; ergo quæ sunt in eodem loco vicissim se penetrant.

Resp. ex Scoto in 4. d.49. q.16. veram fore sequelam maioris, cum sua probatione, si ambo corpora forent in loco repletiuè, non tamen si vnum repletiuè, & alterum absque repletione, vt esset in proposito, quia, dato vacuo dimensionato, tantum dimensiones vacui replerent locum, dimensiones verò corporis recepti in vacuo essent ibi absque repletione, ac proindè posent esse in eodem loco absque penetratione.

Vel dicendum secundò ex eodẽ Doctore in 4.d.49. quæst.citata §. Respõdeo &c. sed clarius in quol. 11. sub M. & N. duo corpora posse seinuicem penetrare, & sic esse in eodem loco, auferendo effectum secundarium quantitatis, qui est expellere alteram quantitatem ab eodem loco; & cùm probatur, quod quantitas est principium impenetrabilitatis, quod ab ipsa separari nequit, concedo; sed exindè nõ sequitur, quod duæ dimensiones non possint seinuicem penetrare, quia impenetratio, de potentia Dei, tollitur, adeòut non se expellant ab eodem loco, sed sint simul in eodem repletiuè, & cõsequenter per penetrationem in seinuicem. Vtraque respõsio est bona, sed melior, & securior, ac clarior est prior, ac propterea nobis tenenda.

Vtrum, admisso vacuo per aliquam potentiam, posset fieri in eo motus successiuus, vel solùm instantaneus?

QVÆSTIO II.

Averroes, Themistius, & Simplicius in 4. Physic. ad 75. & 78. quos postea secuti sunt Albertus Magn. tract.2. cap.6. & 7. Gregor. Arimin. in 2.d.2.q.3. art. 2. Burlæus, Iandunus, & alij Auerroistę, negant posse fieri vllum motum in vacuo, etiam per absolutam Dei potentiam; Tùm quia ibi nulla esset positio, ad quam posset fieri motus, Tùm etiam, quia de ratione motus est successio, & ibi nulla daretur, cum nulla esset resistentia medij.

Philopponus, & Auempacius ex opposito in suis Cõment. super 4. lib. Phys. ad t. 75. & 76. sustinent, admisso vacuo, posse corpora moueri in eo, non solùm de potentia Dei, verùm etiam naturaliter. Hanc eamdem opinionem, post illos, docuerunt insignes Philosophi, ac Theologi D. Thomas in Com. ad 4. lib. Phys. lect.2. super t. 75. Et 4. sent. d.44. q. 2. art.3. Scotus in 2.d.2. q.9. ac vtriusque scholæ sectatores, quos referunt, & sequuntur Ruuius tract. de nat. vacui q. 3. n.21. & Mastrius disput. 12. q.3. ac Poncius dispur. 16. q.3. per totam, quibus & nos subscribimus.

Pro intelligentia tamen, ac resolutione huius controuersiæ primò notandũ, & memoriæ recolendum, quod super 3. Physic. dispur. de Motu q.4. traditum est, successionem nimirum competere motui essentialiter, & quiditatiuè; vndè sicut ista est per se, homo est rationalis, ita ista, motus physicus est successiuus: quantitas enim continua, quemadmodum descendit in lineam, superficiem, & corpus per permanentiam, seu positionem, ita in motum, & tempus per successionem, tanquam per differentias formales, & constitutiuas essentialiter illarum specierum descendit.

Secundò notandum ex Doct. subt. in 2. d. 2. q. 9. sub V. X. & Y. causam successionis in motu esse duplicem, scilicet essentialem, & accidentalem. Causa essentialis est resistentia mobilis ad motorem, & mediorum ad mobile; non quidem talis, quod mouens nequeat mouere mobile, sicut ego non possum mouere turrim Vicentiæ, quia sic nullus motus fieret; nec talis, quod mobile inclinetur ad oppositum, sicut accidit in motu violento, quia tunc omnis motus esset violentus, & nullus natu-

naturalis, sed debet esse talis resistentia, quod mobile semper sit in aliquo vbi, cui nequit immediatè succedere terminus intentus ab agente virtutis finitæ, hoc est dictu, mobile debet resistere motori, ita quod motor non possit ipsum immediatè, ac instantaneè transferre de vno loco mediato ad alium. Exemplum sit de Angelo existente in Cœlo, & volente mouere aliquid in terra: in ipso enim mobili reperitur resistentia talis ad motorem, quia non est in potestate virtutis Angelicæ transferre aliquid in instanti; hoc enim competit solùm virtuti infinitæ. Causa verò accidentalis est resistentia medij in raritate, & densitate consistens; quia si medium sit rarius, motus erit velocior; & tardior, si fuerit densius. Prior causa dicitur essentialis, quia ipsa posita, ponitur successio in motu; & remouetur, eadem remota. Posterior similiter dicitur accidentalis, quia ea non posita, adhuc est successio in motu, vt patet de Angelo, cui nullum medium resistere potest, & tamen cum sibi libuerit, mouetur successiuè.

Tertiò notandum est: Mobilia esse in duplici differentia, quædam enim sunt animata, & quædam inanimata. Mobilia inanimata adhuc sunt duplicia, alia sunt corpora simplicia, vt elementa; alia mixta, vt lapides, metalla, & cætera huiusmodi. Mobilia animata, quædam mouentur motu progressiuo, vt homines, & bruta quadrupedia; quædam motu volationis, vt aues, & cætera, quæ habent alas; quædam natationis, vt pisces; quædam motus dilatationis, & restrictionis, vt vermes, conchilia, & serpentes, ac cætera reptilia. Horum autem quædam respirant, vt animalia terrestria, & volatia, saltem perfecta, quæ habent pulmonē; quædam verò non respirant, vt sunt omnia, quæ carent pulmone, pisces, vermes, & cætera huiusmodi imperfecta. Ad propositum, si daretur vacuum, animalia natantia, & volatilia, cùm necessariò exigant medium, non possent moueri in eo: Similiter animalia respirantia, cum ad sui conseruationem requirant aerem, si ponerentur in vacuo, non possent moueri motu sibi conuenienti, quia non possent viuere. Cætera verò animata, simul cum inanimatis, benè mouerentur in vacuo, non motu successiuo, successione proueniente ex resistentia medij rari, vel densi, sed ex parte resistentiæ mobilis ad motorē, & distantiæ, seu diuisibilitatis spatij ad motorem.

Ex his fit prima conclusio. Admisso vacuo ex quauis potentia, quicumque motus in eo esset possibilis. Est Scoti in 2.d.2.q.9. sub Y. & A.a. Probatur, quia motus augmentationis, diminutionis, & alterationis, non terminantur ad locum, sed, vel ad quantitatem, vel ad qualitatem; ergo fieri possunt etiam vbi non est locus, & ita in vacuo. Antecedens probatur, quia augmentatio est præexistentis quantitatis maioramentum; diminutio est præexistentis quantitatis minoramentum; & alteratio est mutatio de vna in aliam qualitatem, ergo huiusmodi motus non terminantur ad locum, sed ad qualitatem, vel quantitatem. Consequentia probatur, quia si ponatur spongia in vacuo, posset dilatari, & restringi, & sic augeri, & diminui; similiter paries posset dealbari, & denigrari, & sic alterari de vna qualitate in aliam. Probatur de motu locali, quia motus localis est trāsiens de vno vbi ad aliud vbi; sed nullum est inconueniens, aliquod corpus transire in vacuo de vno vbi ad aliud vbi; ergo in vacuo poterit fieri motus localis. Maior patet ex diffinitione motus localis. Minor probatur, quia lapis detentus in summo aulæ vacuæ, posset descendere deorsum; siquidem omne graue naturaliter tendit deorsum; similiter formica existens in angulo posset transire ad alium angulum; ergo corpus naturale poterit moueri localiter in vacuo.

Secunda conclusio. Si vacuum daretur, posset fieri in eo motus successiuus, successione proueniente ex parte resistentiæ mobilis ad motorem, & ex distantia spatij ad eumdem motorem, non verò ex resistentia mobilis ad medium rarum, aut densum. Est Doctoris subt. ibidem. Probatur prima pars: Illud quod est prius in vna parte spatij, & postea in alia,

alia, & alia, moueretur successiuè; sed admisso vacuo, & in eo posito aliquo mobili, in sui motione prius esset in vna parte spatij, & postea in alia, & alia; ergo tale mobile moueretur in vacuo successiuè. Maior patet ex diffinitione motus successiui, quam dedimus in 3. Physicorum. Minor probatur, quia ordo præfixus à superiori agente, non potest variari; sed Deus præfixit talem ordinem, quod mobile finitum prius transeat vnũ extremum, quam medium; & prius medium, quam vltimum alicuius spatij; & huiusmodi ordo esset etiam in vacuo; ergo mobile, quod moueretur in vacuo, prius esset in vna parte spatij, & postea in alia, & alia vsque ad extremam. Maior patet, Minor probatur, quia hæc est differentia inter mobile finitum, & infinitum, quod mobile finitum nequit habere in sui potestate, & in instanti ambo extrema spatij diuisibilis, idcircò cogitur esse prius in vno extremo, quam in medio; & prius in medio, quam in altero extremo; at mobile infinitum, cum habeat in sui virtute, & in instanti vtrumq. extremum, propterea habet media pro non medijs, & sic in vno instanti est in vtroque extremo; ergo mobile finitum habet de necessitate seruare talem ordinem præfixum, vt in sui motione prius sit in vno extremorum, quam in medio, & prius in medio, quam in altero extremorum, & in termino. Subsumptum probatur, quia quamuis in vacuo non sit medium positiuum, tamen cum extrema sint positiua (saltem in vacuo terminato) erit medium priuatiuum, & distantia inter latera priuatiua; ergo mobile finitum, cùm non habeat in sui virture simul extrema vacui, conabitur trãsire totum illud spatium ordinatè, & sic prius vnam partem, deindè aliam, & aliam, quousque ad terminum perueniat. Secunda pars probatur, quia quod est essentiale motui, semper sibi inest; sed successio, proueniens ex resistentia mobilis ad motorem, & distantiæ spatij ad eumdem, est essentialis motui; ergo si mobile moueatur successiuè in vacuo, debet eius successio prouenire ex resistentia mobilis ad motorem, & ex distantia spatij. Maior patet. Minor verò clarescit ex notab. 2. Tertia pars probatur, quia raritas, & densitas, cum sint accidentia, debent subiectari in aliquo corpore; sed in vacuo nullum datur corpus, (alioquin non esset vacuum, sed plenũ) ergo ibi nequit esse medium rarum, aut densum, & consequenter motus successiuus, factus in vacuo, non debet sumere successionem ex resistentia medij rari, vel densi ad mobile.

Tertia conclusio. Animalia, quæ respirant, & quæ ad suum viuere indigent aere, vel aqua, non possent mouere se, nec moueri in vacuo. Probatur, quia motus, cum sit actus entis in potentia ex 3. Physic. tex. 6. supponit subiectum, seu mobile esse; sed huiusmodi animalia in vacuo non essent; siquidem deficerent, ob defectum medij necessarij ad vitam; ergo in vacuo non possent mouere se, nec moueri.

Obijcitur primò contra primam conclusionem, quia Aristoteles in 4. Physicorum à t. 65. vsque ad 79. probat non dari vacuum, ex eo quod non posset in eo fieri motus, saltem successiuus; ergo aut conclusio nostra est falsa, aut contra Aristotelem.

Resp. ex Doct. subt. in 2. d. 2. q. 9. ad 4. & quol. 11. art. 2. Philosophum impugnare vacuum dimensionatum, assertũ ab Antiquis, in quo mobile nullo modo moueri posset; siquidem huiusmodi trina dimensio non posset cedere dimensionibus mobilis in vacuo, nec consequenter ibi moueri; quandoquidem in omni motu medium debet cedere mobili; ad hoc vt prius recipiatur in loco, & postea ibi moueatur: cæterùm non impugnat vacuum omninò, in quo nullum sit corpus, nec physicum, nec mathematicum, de quo nos loquimur, quia nil prohibet, quominus in ipso fiat motus; siquidem medium priuatiuum, & potentiale, cederet cuicumque mobili, adeòut posset recipi, & in eo moueri: Vndè ad argumentum in forma, neganda est consequentia, quia Philosophus non est locutus de vacuo simpliciter, verùm de dimensionato dumtaxat, de quo nos non loquimur.

Obiji-

Obijcitur secundò ex eodem Philosopho ibidem tex. 71. & 73. Omnis motus omni motui proportionabilis est; sed motus factus in vacuo non esset proportionabilis motui facto in pleno; ergo ibi nullus esset motus. Maior supponitur vera, quia illam probat in 7. Physicorum. Minor probatur: Sicut se habet mediũ ad medium, ita motus ad motum; sed medij pleni ad medium vacuum nulla est proportio, sicut nec inter aliquid, & nihil; ergo nec inter motum factum in pleno, & inter motum in vacuo esset aliqua proportio.

Resp. ex eodem Doctore loco primo cit. sub A a. negando minorem; ad probationem dico, maiorem esse veram quoad successionem motus accidentalem, quæ desumitur ex parte medij, non verò quoad essentialem motus, quæ accipitur ex resistentia mobilis ad motorem, & ex diuisibilitate spatij, quia sic motus factus in vacuo esset proportionabilis motui facto in pleno sibi æquali.

Obijcitur tertiò ex eodem Philosopho ibidem t. 72. Sequeretur enim eodem tempore fieri motum in pleno, ac in vacuo; sed consequens est impossibile; ergo & antecedens. Consequentia probatur, quia sumantur duo spatia æqualia, plenum, & vacuum, & duo mobilia pariter æqualia, quorum vnum moueatur in pleno per horam, alterum verò in vacuo per quartam partem horæ. Deindè fiat plenum in quadruplo subtilius; ergo mobile mouebitur per quartam partem horæ in pleno, & sic eodem tempore mobile mouebitur in pleno, & in vacuo.

Resp. ex eodem Doctore ibidem sub A a. & B b. negando consequentiam; ad cuius probationem dico, malè fieri comparationem, cum comparentur huiusmodi motus tantum ratione mediorum, quæ nullam inter se habent proportionem: debent enim comparari etiam ratione resistentiæ mobilis ad motorem, & ex distantia extremorum; & non tantum ratione densitatis, & raritatis mediorum, quia sic non erit æqualitas temporis; nam si in pleno ratione distãtiæ consumatum fuerit tantum temporis, idem omninò & in vacuo, quia ibi esset eadem resistentiæ ratio; at sumendo resistentiam ex parte mediorum, erit diuersitas temporis, quia in medio pleno erit semper aliqualis resistentia, quæ tamen nulla semper erit in vacuo.

Obijcitur quartò contra secundam conclusionem: Vbi non est resistentia, ibi non est successio in motu; sed in vacuo nulla est resistentia; ergo nulla successio in motu. Minor probatur: Non enim est ibi resistentia medij, quia nullum est in vacuo; nec ex parte distantiæ extremorum, quia nihil est: neque ex parte mobilis ad motorem, quia mouens non habens contrarium mouet in instanti; nec iuuat eiusdem finitas, & limitatio, quia tunc mobile grauius non descenderet velociùs, quam minus graue in vacuo, quod est contra sensum in pleno cum eadem raritate, vel densitate; ergo multò magis esset in vacuo, in quo nihil resistit; cùm igitur nulla sit resistentia in vacuo, nulla pariter erit successio in motu.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, esse ibi resistentiam ex distantia extremorum, & ex parte mobilis ad motorem; & cùm probatur distantiam in vacuo nihil esse, respondet Scotus quolib. 11. art. 2. verùm esse positiuè, & actualiter; falsum priuatiuè, ac potentialiter, & hæc distantia priuatiua sufficit ad successionem. Cùm autem probatur non esse ex parte mouentis, quia grauius mobile æqualiter descẽderet cum minus graui, negatur sequela; siquidem velocitas in mobili grauiori non attenderetur ex parte agentis, vel mouentis, sed ex parte mobilis, quia vnum haberet maiorem grauitatem, quàm alterum, & consequenter principium efficacius velocioris descensus: cũ hoc tamen staret, quod huiusmodi motus non foret instantaneus, sed successiuus, quia mouens non haberet alterũ extremum, vt terminum indiuisibilem, verùm vt diuisibilem, & ideò non posset illum acquirere in instanti, sed in tempore, ac successiuè, vt in simili de Angelo, ac de motu alterationis, docet Scotus in 2. d. 2. q. 12. siquidem ratione ordinis

præ-

præfixi à Deo, cogeretur mobile, etiam in vacuo, transire prius vnam partem spatij, quam aliam, & sic successiuè.

Vtrum in rarefactione aliquid acquiratur, & in condensatione deperdatur aliquid de nouo, & quid?

QVÆSTIO III.

Circa hanc controuersiam tres extant Doctorum sententiæ, quarũ prima est Auerrois 4. Physic. ad t. 84. D. Thomæ 1. 2. q. 52. Soncinatis 8. Met. q. 17. Fonseca ibid. cap. 13. q. 1. sect. 4. Conimbric. 1. de Gener. cap. 5. q. 27. Ruuij ibidem tract. de rarefact. q. 1. & aliorum, quos citat, & sequitur noster Mastrius ibid. disp 4. q. 3. n. 20. asserentium in rarefactione non acquiri, nec in condensatione deperdi aliquid quantitatis, sed tantum maiorem, vel minorem extensionem quantitatis præexistentis, ad locum ordinatam.

Secunda sententia, quam probabilem sustinet Auersa q. 38. sect. 4. est Gotfredi de Fontibus quol. 11. q. 3. Marsilij in 4. q. 9. att. 2. Pomponatij lib. 2. de Augment. c. 10. dicentium, quantitatem totam de nouo produci in rarefactione, præcedente corrupta; in condensatione verò, maiorem quantitatem præcedentem corrumpi, & minorem de nouo totaliter generari.

Tertia verò sententia disentit ab vtraque; à prima, quatenus asserit, in rarefactione acquiri non tantum nouam extensionem, & in condensatione deperdi, verùm etiam nouam quãtitatem acquiri, ac deperdi; à secunda autem disentit, quia docet, non totã, sed tantum nouam partem quantitatis acquiri in rarefactione, & hanc addi priori; in condensatione aliquam partem quantitatis deperdi, maiore quantitate remanente incorrupta. Ita ex nostris Bassolius in 4. d. 12. q. 3. Tataretus 4. Physic. quæst. de vacuo, dub. 3. Faber theor. 44. & in 4. disp. 50. cap. 1. & 2. Roccus 4. Physicorum q. 10. ex alienis autem Caietanus in 3. par. q. 77. art. 5. & Toletus 4. Physicorum q. 12. & alij, cum hæc appelletur communis opinio.

Quid autem sentiat Doctor subtilis, non est adeò clarum, vt tutò in alterutram possit reuocari sententiam; quandoquidem Aretinus, & Mastrius citant ipsum pro prima sententia: Faber autem citatus, Tataretus, Bassolius, Cathatensis, & communiter adigant tertiæ sententiæ; & hoc puto verum; tenebatur enim in 4. d. 12. q. 4. loquendo de rarefactione, & condensatione, dicere consequenter ad ea, quæ docuit in 1. d. 17. q. 3. de intensione, & remissione qualitatis; currunt enim eodem pede, mutatis mutandis, vt tradit Aristoteles 4. Physicorũ t. 84. vti legenti patere potest: vndè pro declaratione, & fundamento tertiæ sententiæ, quam esse genuinam Doctoris subt. in 4. d. 12. q. 4. cit. putauit etiam noster Merinero lib. 1. de Ortu, & Interitu disp. 5. q. 2. sub n. 18. & sequentibus.

Primò notandum est ex Aristotele, textu proximè citato: Rarum, & densum, esse affectiones, seu passiones corporum naturalium, seu substantiarum materialium; diffinirique ab eo sic: Rarum est, quod habet parũ materiæ, idest substantiæ materialis, sub magna quantitate; & densum, quod habet eamdem materiam, seu substantiam sub parua quantitate; ignis enim est rarior aere, quia eius substantia est sub maiori quantitate, quam substantia aeris; aer est rarior aqua; & aqua rarior terra, per eamdem rationem, quia substantia aeris est sub maiori quantitate, quam substantia aquæ; & substantia aquæ sub maiori, quam terræ substantia: è conuersò autem, terra est densior aqua; & aqua aere; & aer igne, quia substantia terræ est sub minori quantitate, quam substantia aquæ; & huius substantia sub minori, quam substantia aeris; & huius substantia sub minori, quam sit substantia ignis. Quod dictum est de corporibus simplicibus, idem potest dici etiam de mixtis: nam experientia constat dari corpora mixta, quorum vnum sit rarius, vel densius altero; aurum enim est densius argento; argentum stamno &c. similiter, chrystallus est rarior vitro; &

vitrum

vitrum talico, &c. quomodo autem rarefactio, & condensatio fiat in his corporibus.

Secundò notandum est: Rarefactionem, & condensationem dupliciter accipi posse, impropriè, & propriè. Condensatio, & rarefactio impropriè sumpta significat quamcumque expulsioné, vel receptionem partium alicuius corporis extra partes, & sic spongia, dum extrahitur ab aqua, & comprimitur, dicitur condensari, rarefieri verò cùm impletur aqua, & dilatatur, quia sic maiorem occupat locum, quàm dum est cõpressa; hoc autem est impropriè dictum, quia in huiusmodi dilatatione, vel restrictione nulla interuenit mutatiò, quæ tamen est necessaria ad rarefactionem, & condensationem, vt mox dicemus. Rarefactio verò, & condensatio propriè accepta, fit, non per receptionem, vel expulsionem alicuius corporis, vt dictũ est de spongia, nec receptionem, vel excussionem quorumdam corpusculorum subtilium intra poros, & ex poris alicuius corporis rarefactibilis, vel condensabilis, vt dicunt quidam apud Doctorem subtilem in 4. d. 12. q. 4. sub B. sed solum per mutationem subiecti à potentia ad actum, sicut aqua, quæ prius erat frigida, facta est postea calida, sine aliqua receptione, vel deperditione alicuius partis aquæ, verùm dumtaxat per mutationem sui ipsius de potentia calida ad esse actu calidam, sic subiectum, quod prius erat densum, fit rarum, & è conuersò, quod erat rarum, fit densum, sine aliqua receptione, vel deperditione sui, sed solum facta mutatione quantitatis de minori ad maiorem, vel è conuersò de maiori ad minorem, ad quas subiectum rarefactibile, vel condensabile erat in potentia.

Tertiò notandum est: Rarefactioné, & condensationem ex tribus causis potissimùm fieri. Primò ex causa alterationis .s. ex calefactione, & frigefactione; nam calefactio est causa rarefactionis; frigefactio verò condensationis, quod experientia comprobatur; si enim apponatur aqua frigida in lebete, quæ occupet tantum mediam eius partem, postea calefiat, & ebulliat, occupabit tunc totum. Redeat iterùm ad pristinam frigiditatem, & exponatur frigori hyemis tempore, occupabit minorem locum, quàm prius occupabat in lebete, igitur calefactio est causa rarefactionis, & frigefactio condensationis. Secundò fit rarefactio, & condensatio generatione, cùm nimirum ex corpore raro fit densum, & è conuersò, ex denso rarum; tunc enim materia manens sub forma aquæ, transeundo ad formam aeris rarefit, quia prius occupabat minorem locum, & postea occupat maiorem; & è conuerso materia condensatur, cum transit de forma aeris ad formam aquæ, quia prius occupabat maiorem locum, & postea minorem. Tertiò denique fit rarefactio, & condensatio locimutatione; siquidem dum ventus furit, aer condensatur, dum cessat, & quiescit, rarefit, quia occupat maiorem locum, quam prius occupabat.

Quartò notandum est: Rarum, & densum tripliciter accipi posse, nempè formaliter, concomitanter, & causaliter. Rarum, & densum formaliter, sunt quantitates; rarum enim dicit maiorem quantitatem, sine noua acquisitione materiæ rarefactibilis; & densum dicit minorem quantitatem sine aliqua deperditione noua eiusdem materiæ, seu substantiæ materialis condensabilis, & sic rarum, & densum sunt in prædicamento Quantitatis. Rarum, & densum concomitanter, dicunt ordinem partium adinuicem, & ad partes loci; nam rarũ dicit ordinem partium magis extensarum ad partes loci, & densum ordinem partium minus extensarum ad partes loci; & hoc modo rarum, & densum pertinent ad prædicamentum Situs. Rarum postremò, & dẽsum causaliter sunt qualitates, causantur enim ab illis; siquidem rarum à caliditate, & densum à frigiditate oriuntur, & ita sunt in prædicamento Qualitatis. Ex his infertur primò, quod rarefactio, & condensatio, si formaliter sumantur, cum terminentur ad quantitatem maiorem, vel minorem, reducuntur ad motus augmentationis, & diminutionis, qui pariter terminantur ad

ad quantitatem maiorem, & minorem. Secundò, quod rarefactio, & condensatio concomitanter sunt motus locales, terminantur enim ad diuersas loci partes, maiores, vel minores. Tertiò, quod rarefactio, & condensatio causaliter, sunt motus alterationis; siquidem, vt dictum fuit, rarefactio calefactione, & cōdensatio frigefactione fiunt, quæ sunt alterationes.

Quintò notandum ex Doctore subtili in 4.d.10.q.t. M. positionem, seu extensionem esse duplicem, alteram, quæ dicit ordinem partium in toto quanto, ita quod vna pars sit extra aliam, adeòut omnes sic ordinatæ fundare possint relationes situs ad partes loci, & hæc est differentia essentialis, seu ratio formalis quantitatis, vt ostendimus in Prædicam. cap. de Quantitate; alteram verò, quæ dicit ordinem partium totius quanti ad partes loci, & hæc constituit prædicamentum positionis, seu situs; siquidem dicit relationem commensurationis, seu coextensionis totius quanti ad totum locum, & partium eiusdem quanti, ad partes loci; & sic extensio quantitatis non est differentia eiusdem, licèt præsupponat illam, tamquam suum fundamentum, sed est modus quantitatiuus, ab extensione, quæ est differentia quantitatis, separabilis; immò de facto separatur in Sacramento Eucharistiæ, in quo manet corpus Christi quantum, licèt non commensuratum, siuè coextensum ad locū. Ad propositum, cum dicitur in rarefactione acquiri nouam extensionē quantitatis, & in condensatione deperdi, non est intelligendum, vt acquiratur, & deperdatur tantum extensio, quæ dicit positionem, seu commensurationem partium quanti ad partes loci, absque extensione, quæ est differentia quantitatis; siquidem relatio nequit acquiri sine fundamento, & non potest deperdi nisi ad deperditionem eius; sed necessariò dicendum est, in rarefactione acquiri, & in condensatione deperdi, cum extensione ad locum, extensionem etiam intrinsecam quantitati, & ita nouam partem quantitatis acquiri, & nouam deperdi in rarefactione, & condensatione, secundum principia Scoti, quicquid dicant Mastrius, & alij ab eodem relati.

Sextò notandum est: Quod quamuis substantia materialis, secundum se sit diuisibilis entitatiuè, & habeat partes, quæ possint ordinari ad locum circumscriptiuè, tamen secundum se non circumscribitur, siuè cōmensuratur loco, cùm hoc sibi conueniat dumtaxat beneficio quātitatis, secundum quam dicitur esse in loco maiori, vel minori; ex quo infertur, quod si quantitas, qua afficitur substantia materialis, sit palmaris, & locus erit palmaris; si cubitalis, & cubilitalis erit necessariò locus, in quo erit: vndè deducitur, quod si in rarefactione, substantia materialis acquirit nouam partem quantitatis, quæ præexistenti coniungatur, & in condensatione deperdit, non erit amplius in codē loco, quo prius ante rarefactionem, & condensationem, sed vel in maiori, vel in minori, iuxta exigentiam quantitatis de nouo acquisitæ, vel deperditæ, ac proindè non poterit inferri penetratio dimensionum, vt non benè inferunt Aduersarij, putantes non augeri, vel minorari locum in rarefactione, & condensatione, sed vtramque fieri in eisdem, vt prius, penitus immutatis, quod tamen est falsum, quia locus augetur, & diminuitur iuxta augmentum, & diminutionem quantitatis in eo locandæ: Neque etiam poterit inferri aliud inconueniens, quod nimirum pars de nouo acquisita per rarefactionem, foret sine subiecto; siquidem continuata partibus quantitatis præexistentis, erit subiectiuè in eadem substantia materiali, quæ rarefieret, cùm sit in potentia, secūdum suas partes entitatiuas, ad omnes partes quantitatis, quæ per rarefactionem sui ipsius, possent addi partibus quantitatis præexistentis in ipsa subiectatæ.

Ex his sit prima conclusio. Dantur in rerum natura rarefactionis, & condensationis motus. Est Aristotelis in t. 79. & 84. huius 4. Physicorum, & omnium Peripateticorum. Probatur, quia rarū, & densum sunt affectiones, seu passiones corporum naturalium, tum simplicium, tum mixtorum, vt patet ex 1. not. sunt

sunt capacia magnitudinis, & paruitatis; sed motus rarefactionis est secundum rarum; & condensationis secundum densum; ergo si dantur corpora naturalia, & eius affectiones, dari possunt etiā motus, quibus fluunt corpora rarefactiua, & condensatiua. Secundò probatur, quia experientia videmus, eamdem numero aquam, per ebullitionem, occupare maiorem locum in cacabo, quam frigida occupabat; & è conuersò minorem priori, ex causa frigoris; sed hæc mutatio est effectus rarefactionis, & cōdensationis, & non alterius motus; ergo dantur motus rarefactionis, & condensationis. Maior patet. Minor probatur: Non enim huiusmodi mutationes sunt motus vel alterationis, vel localis, quia hi terminantur ad qualitatem, & vbi; rarefactio autem, & condensatio ad quantitatem: Nec augmentationis, vel diminutionis; quia quamuis hi terminentur ad quantitatem, sicut rarefactio, & condensatio, tamen in augmentatione, & diminutione, non tantum acquiritur, aut deperditur noua pars quantitatis, sed etiam substantiæ, cæterùm in rarefactione, & condensatione nihil substantiæ acquiritur, aut deperditur, verùm dumtaxat aliquid quantitatis: Nec denique generationis, vel corruptionis, quia per has mutationes acquiritur, & deperditur substantia; per rarefactionem autem, & condensationem tantum quantitas; Restat igitur, cum aqua mutetur per calefactionem, & frigefactionem, & fiat interdum sub maiori, & interdum sub minori quantitate, quam prius habebat, vt fiat per rarefactionem, & condensationem, & sic dari huiusmodi motus.

Secunda conclusio. In rarefactione, & condensatione non acquiritur, vel deperditur sola extensio ad maiorem, vel minorem locum, vt dicunt Auctores citati in prima sententia, verùm etiam extensio partium quantitatis in toto. Colligitur ex Scoto in 4. dist. 10. q. 1. sub M. Probatur, quia extensio localis supponit necessariò extensionem quantitatiuam partium totius quanti in se; ergo hæc nequit esse sine illa. Antecedens probatur, quia relatio necessario supponit fundamētum, & terminū, super quo fundetur, & ad quē terminetur; sed extensio localis dicit relationem commensurationis totius quanti ad totum locum, & partium quanti ad partes loci, & fundatur super extensione quantitatiua partium in toto quanto, cum aptitudine tamen ad partes loci; ergo necessariò hæc supponit illam, tamquam fundatum suum fundamentum. Cōsequentia patet, quia relatio dependet essentialiter, nedum in fieri, verùm etiam in conseruari, à fundamento, & termino, vt probauimus in lib. Prædicam. disp. 7. q. 2. ergo si extensio localis est relatio fundata super extensione quantitatiua, non poterit esse sine illa, ac proindè non poterit acquiri, vel deperdi per rarefactionem, aut condensationem posterior, quin acquiratur, aut deperdatur prior.

Tertia conclusio. In rarefactione, & condensatione non generatur tota quātitas de nouo, nec tota præexistens corrumpitur. Est Scoti in 4. d. 12. q. 4. sub A. Probatur, quia experientia comprobatur, quod rarefacto, vel condensato vino, non corrumpuntur, immò perseuerant omnes eius qualitates .i. color, sapor, &c. ergo etiam remanere debet quantitas præexistens, & non corrumpi. Consequentia probatur, quia sicut ad corruptionem subiecti corrumpuntur eius accidentia, ita conseruantur ad cōseruationem eiusdem; sed quantitas est subiectum immediatum omnium qualitatum, vt obseruat Simplicius, quod immediatè ponitur ab Aristotele post substantiam, quæ est earumdem subiectum vltimatum; ergo si remanent in vino rarefacto, vel condensato accidentia coloris, & saporis, quæ immediatè subiectabantur in eius quantitate, etiam quantitatem remanere, & non corrumpi necesse erit: alioquin accidentia naturaliter manebunt sine subiecto, quod est omninò falsum, & contra Aristotelem 5. Met. t. 23. cap. de ente; ergo &c.

Dices: Non remanere illas qualitates in vino rarefacto, & cōdensato, sed alias de nouo gigni, prioribus similes, ad generationem nouæ quantitatis per rarefactionem vini.

Con-

Contrà arguit Doctor, quia ignis, qui est causa rarefactionis vini, non continet virtualiter qualitates vino conuenientes; ergo in rarefactione non potest inducere in quantitate noua nouas qualitates vino conuenientes. Antecedens patet, quia elementa non continent virtualiter omnes qualitates mixtorum, licèt benè è conuersò, vt probabimus in 2. de Anima, in propria quæstione: An elementa sint formaliter, vel virtualiter in mixto; ergo ignis, cum sit elementum, nequit continere virtualiter qualitates omnes vino conuenientes, quia nec colorem, nec saporem. Consequentia patet, quia nulla causa potest producere aliquem effectum, qui non contineatur saltem virtualiter in sua causalitate; ergo si qualitates vini non continentur virtualiter in causalitate ignis, rarefacientis vinum, non poterit illas producere cum noua quantitate.

Quarta conclusio. In rarefactione necessariò acquiritur aliqua pars quantitatis de nouo, & in condensatione aliqua deperditur. Colligitur ex Scoto in 1. dist. 17. quæst. 3. sub S. vbi arguens contra Gotfredum, qui concedebat eodem modo fieri augmentum in quantitate molis, sicut in quantitate virtutis, hoc est, per productionem quantitatis nouæ maioris, & corruptionem præexistentis; inquit: Si rarefiant species vini, erit quantitas molis maior, quam prius, quia rarefactionem concomitatur maior quantitas, ergo si illa quantitas, quæ fuit vini, non manet post rarefactionem; igitur nec manet ibi sanguis &c. ergo Scotus asserit in rarefactione acquiri quantitatem maiorem illa, qua præfuit ante rarefactionem &c. Nec disimiliter locutus est in 4. dist. 12. quæst. 4. arguendo contra opinionem Gotfredi: nam respondendo ad quæstionem 5. De tertia transmutatione, quæ est secundum rarum, & densum &c. paulò inferiùs inquit: sed quid tenendo opinionem communem, quod ibi sit quantitas sine subiecto, vel tota noua, vel non noua, non curo, poteritne hoc esse ab agente creato? Respondet, non posse induci quantitatem nouam ab agente creato, sed immediatè à Deo, in speciebus Eucharisticis; Deindè arguendo contra Ioannem Roditon, qui asserebat in rarefactione specierum Eucharistiæ esse nouam quantitatem, saltem partialem, sine subiecto, eo modo, quo præexistens ante rarefactionem est sine illo, quia absque nouo miraculo, quasi aggeneratur quantitati præexistenti, reprobat quidem, illam nouam partem quantitatis posse, quasi aggenerari præexistenti sine miraculo, & ab agente creato, quod in sui actione semper supponit subiectum, vel aliquid supplens vicem subiecti; at non impugnat, immò supponit cum opinione communi, in rarefactione acquiri nouam partem quantitatis; ex quibus omnibus clarè deducitur, Scotum fuisse huius opinionis, quod acquiratur noua pars quantitatis in rarefactione, & in condensatione deperdatur; quicquid dicat diligentissimus Mastrius: Probatur igitur conclusio, quia omnis res rarefacta est extensior seipsa condensata, non tantum in ordine actuali ad partes loci, verùm etiam in ordine ad partes in se; sed extensio actualis in ordine ad locum, & eius partes, supponit necessariò extensionem partium in se, vt probatum est supra conclusione secunda, quæ tamen extensio in se est vera quantitas; ergo res rarefacta, per rarefactionem acquirit maiorem quantitatem, & non solum maiorem extensionem ad locum, & eius partes; Atqui maior quantitas dicitur talis, quia habet plures partes, sicut minor, quia possidet minores, & pauciores partes; ergo in rarefactione acquiruntur partes nouæ quantitatis, & in condensatione deperduntur. Maior patet, quia huiusmodi sunt ita vnitæ, quo ad fieri, & conseruari, vt non possit esse res extensa in ordine ad locum, quin prius sit extensa in se, vt probatum est; ergo si res rarefacta est extensior, per rarefactionem, seipsa con-

condensata, debet esse talis, non tantum in ordine ad partes loci maiores, sed etiam in ordine ad partes quantitatis in se. Minor patet, quia extensio partium quantitatis extra partes est ratio formalis eiusdem quantitatis, vt ostendimus in lib. Prædicamentorum disput. de Quantitate quæst. 2. ergo extensio partium quantitatis in se, est vera quantitas. Assumptum patet à simili, quia illa dicitur qualitas maior, quæ habet plures partes graduales qualitatis; ergo etiam illa dicetur maior quantitas, quæ habet plures partes quantitatis. Secundò probatur: Si in rarefactione non acquireretur, & in condensatione non deperderetur noua pars quantitatis, sed tantum quantitas præexistens extenderetur, vel restringeretur ad occupandum maiorem, vel minorem locum, sequeretur eamdem quantitatem posse naturaliter esse in duobus locis, vel duas quantitates adæquatas in vno loco pariter ex viribus naturæ; sed vtrumque consequens est falsum, vt probatum est in præcedenti disputatione; ergo &c. Sequela prima probatur, posito casu, quod quis ponat aquam in cacabo, cuius quantitas occupet spatium eiusdem palmare; deindè calefiat, & rarefiat, tunc absque sui augmentatione occupabit spatium bipalmare; sed spatium palmare, & bipalmare sunt duo loca adæquata; ergo eadem numero aqua, nulla facta sui augmentatione, per rarefactionem extensa erit naturaliter in duabus locis adæquatis. Sequela secunda è contrariò suadetur, ponendo pariter alium casum, quod aqua posita in vase sit quantitatis bipalmaris, postea frigefiat, & condensetur, vt eius quantitas occupet locum palmarem absque sui diminutione; sed duæ quantitates palmares, quæ ante condensationem, integrabant vnam quantitatem bipalmarem, condensatæ occupant tantum locum palmarem; ergo duæ quantitates sunt penetratiuè in loco duplo minori, quam prius, quod est contra naturam quantitatis. Tertiò sic, si in rarefactione non acquiritur noua pars quantitatis, sed tantum noua extensio ad locum maiorem; & in condensatione non perditur noua pars quantitatis, verùm dumtaxat noua extensionis pars, sequitur quantitatem rarefieri, & condensari, & non corpus naturale; sed consequens est valdè absurdum, saltem naturaliter loquendo; ergo & id ex quo sequitur. Sequela maioris probatur, quia illud dicitur rarefieri, quod sine sui augmentatione suscipit maiorem extensionem localem; & illud dicitur condensari, quod absque sui diminutione suscipit minorem extensionem localem; sed per Aduersarios, quantitas in rarefactione est subiecta maiori extensioni absque sui augmento; & in condensatione, minori extensioni locali; ergo quantitas est illa, quæ rarefit, & condensatur, quod est falsum. Minor probatur, quia raritas; & densitas sunt affectiones corporis naturalis, & non mathematici, cuiusmodi est quantitas; ergo quantitas nequit esse subiectum rarefactionis, & condensationis. Antecedens liquet ex Aristotele in 4. Physicorum tex. 84. vbi habet, rarum esse illud, quod habet parum materiæ sub magna quantitate; densum verò, quod habet multum materiæ sub parua quantitate; sed corpus naturale dumtaxat habet materiam, mathematicum autem abstrahit à materia; ergo rarum, & densum sunt affectiones corporis naturalis, & non quantitatis, ac proindè quantitas nequit esse subiectum rarefactionis, & condensationis.

Quinta conclusio. Rarefactio, & condensatio, si formaliter sumantur, spectant ad Prædicamentum Quantitatis; si causaliter, ad Prædicamentum Qualitatis; si verò concomitanter, ad Prædicamentum Situs. Probatur prima pars, quia rarum, & densum sunt formaliter quantitates; siquidem rarum quantitatem maiorem, & densum minorem quantitatem important, secundum Aristotelem in t. 84. proximè citato; sed rarefactio terminatur ad rarum,

rum, & condensatio ad densum; ergo terminantur ad quantitates, & consequenter debent esse in Prædicamento Quantitatis. Secunda pars probatur: Rarum, & densum sunt causaliter alterationes; siquidem rarum ex calefactione, & densum ex frigefactione causantur; sed alterationes sunt de Prædicamento Qualitatis; ergo &c. Tertia pars probatur, quia rarum, & densum concomitanter dicunt ordinem partium alicuius quanti ad partes loci, magis, vel minus extensas; sed ordo partium totius ad partes loci constituit Prædicamentum Situs; ergo rarum, & densum vt sic spectant ad illud Prædicamentum; atqui rarefactio, & condensatio concomitanter respiciunt rarum, & densum; ergo rarefactio, & condensatio sunt hoc pacto in prædicamento Situs.

Obijcitur primò contra primam conclusionem, quia omnis motus, latè sumptus, diuiditur ab Aristotele in 5. Physicorum tex. 7. & 8. in generationem, corruptionem, augmentationem, diminutionem, alterationem, & secundum locum mutationem, sed rarefactio, & condensatio non est aliquis horum motuum; ergo non dantur huiusmodi motus. Minor probatur: Non enim sunt generatio, aut corruptio, quia hi motus terminantur ad substantiam; rarefactio, & condensatio ad qualitatem: Neque sunt augmentatio, aut diminutio, quia per hos augetur, & diminuitur nedum quantitas, sed etiam acquiruntur, & deperduntur partes substantiales; cæterùm per rarefactionem, & condensationem acquiruntur, aut deperduntur tantum partes quantitatis: Neque alterationes, quia per has acquiritur, & deperditur qualitas, per illas verò quantitas: Neque tandem loci mutationes, quia per hos motus non acquiritur quantitas, sicut per rarefactionem, & condensationem, verùm dumtaxat vbi locale; ergo à sufficienti diuisione rarefactio, & condensatio non sunt motus, ac proindè dari nequeunt in natura.

Resp. Negando minorem, reducuntur enim ad motum augmentationis, & diminutionis, quia terminantur ad partes quantitatis nouiter acquisitas, vel deperditas; ad probationem, concedo, rarefactione, & condensatione non acquiri, vel deperdi aliquam partem substantialem, sicut fit per augmentationem, & diminutionem, ac propterea, non esse huiusmodi motus per se, & adæquatè, sed tantum inadæquatè, & reductiuè. Addo, condensationem, & rarefactionem esse alterationes causaliter, & locimutationes concomitanter, vt probatum est in vltima conclusione, atque ideò per eiusmodi motus manifestari etiam motus rarefactionis, & condensationis.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem, & quartam simul, ex Ruuio, & Mastrio: Si per rarefactionem producitur, præter extensionem, noua pars quantitatis, sequerentur duo inconuenientia, aut dari accidens sine subiecto, vel penetrationem duorum corporum; sed vtrumque naturaliter est impossibile; ergo &c. Maioris sequela probatur, quia quæro de illa parte quantitatis noua, in quonam subiecto sit; si dicas, esse in aliqua parte substantiæ materialis præexistentis; sequitur dari penetrationem dimensionum; siquidem in qualibet parte est propria quantitas; ergo nequit in ea recipi pars noua quantitatis, quin vna alteram penetret: Si verò dicas, in nulla parte materiæ, vel substantiæ præexistentis recipi, sequitur nullum habere subiectum; quandoquidem in rarefactione nihil substantiæ de nouo acquiritur, ex Aristotele hic tex. 84. ergo &c.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem dico, esse in aliqua parte substantiæ materialis præexistentis, non quidem eodem modo se habentis, vt ante rarefactionem, sed rarefactæ; quandoquidem per rarefactionem, nedum tota, sed quælibet etiam eius pars, acquirit esse subtilius, & extensius, quam prius; vndè si prius erat ex-

pax vnius quantitatis partialis, tamquam sibi connaturalis, postea per rarefactionem redditur capax duarum quantitatum partialium, adeò vt illas recipiat absque penetratione earum inseinuicem; siquidem ante rarefactionem, substantia materialis erat in potentia ad maiorem quantitatem, quam actu tunc habebat, & sic etiam ad illam nouam partem per rarefactionem acquisitam.

Vel dicendum secundò, non sequi penetrationem per receptionem illius nouæ partis quantitatis in eadem substantia rarefacta, quia non esset in loco sibi adæquato per quantitatem præexistentem, vt falsò putant Aduersarij, sed in maiori per nouam quantitatem, præexistenti copulatam, nouiter effectum, & consequenter capacem vtriusque quantitatis, & præexistentis, & de nouo consequentis.

Obijcitur tertiò ex mysterio Eucharistiæ, in quo species sacramentales rarefieri, & condensari posse certum est; data veritate nostræ conclusionis, quod in rarefactione acquireretur noua quantitas, sequerentur duo inconuenientia, alterum, quod illa noua quantitas crearetur ab agente creato; alterum, quod esset quantitas sine subiecto, sub qua nō esset corpus, & sanguis Christi, vnita tamen quantitati specierum consecratarum; sed vtrumque est valdè absurdum; ergo dicendum est, in rarefactione non acquiri quantitatem nouam. Probatur primum consequens, quantitas habet educi naturaliter de potentia subiecti; sed ibi nullum est subiectum, vt supponitur; ergo si est quantitas noua, inferendum est ipsam creari, vtpotè productam de nullo subiecto, & nonnisi ab agente rarefaciente illas species, & sic esse creatam ab agente creato. Secundum consequens etiam suadetur, quia corpus, & sanguis Christi non continentur nisi sub speciebus panis, & vini consecratis; sed illa pars quantitatis de nouo adueniens absque subiecto speciebus consecratis, non esset consecrata; ergo sub illa non essent corpus, & sanguis Christi.

Resp. Negando sequi illa inconuenientia; & ad probationem primi dico cum Scoto in 4. d. 12. q. 4. sub G. illam quantitatem nouam esse vtique creatam, non ab agente creato, quod nequit agere absque subiecto, sed immediatè à Deo; nec tamen nouo miraculo, quia ea voluntate, qua disposuit Eucharistiam esse in Ecclesia, disposuit etiam, quod circa illas species, præsente actiuo naturali, causaret talem transmutationem, qualem causaret agens naturale in substantijs panis, & vini. Ad secundum inconueniens, concedo vtique corpus, & sanguinem Christi contineri etiam sub illa noua quantitate, à Deo immediatè, in rarefactione specierum, creata sine subiecto, & illis vnita; quandoquidem est sub omnibus accidentibus, sub quibus esset substantia panis, & vini, si fuisset rarefacta; & cùm probatur, corpus, & sanguinem Christi, esse tantum sub speciebus consecratis, & illa quantitas nouiter, per rarefactionem, adueniens, non est consecrata, dico, maiorem esse veram ex vi verborum, falsam tamen per concomitantiam, quia sic continentur sub omnibus accidentibus, sub quibus continerentur panis, & vinum conuersa, si fuissent rarefacta: & ratio est, quia cum illa accidentia essent in potentia panis, & vini, quæ per rarefactionem poterant reduci ad actum, si tunc temporis fuissent ex vi verborum conuersa in corpus, & sanguinem Christi, non est dubium, quod fuissent sub illis ex vi conuersionis; ergo cum non fuerint conuersa sic rarefacta, sed ante rarefactionem, erunt quidem sub illis ex vi conuersionis, cæterùm per concomitantiam poterunt esse sub omnibus, quæ poterant illis aduenire, & coniungi cum prioribus.

Contrà, quia hæc responsio est immediatè contra Doctorem subtilem in 4. dist. 12. q. 4. sub D. vbi arguens contra Gotfredum, qui totaliter euertit responsionem iam datam, hac ratione, sub nulla quantitate est corpus Christi, nisi per conuersionem, & consecrationem; sed per conuersionem, & consecrationem, non accipit esse, nisi

nisi sub illa quantitate, & illa (supple de nouo creata) est omninò alia, sicut quantitas alterius hostiæ non consecratæ; ergo per illam conuersionem, & consecrationem non est sub illa quantitate; ergo nullo modo. Quid clariùs dici potest contra nostram responsionem?

Resp. Negando antecedens, & ad probationem nego consequentiam; siquidem ratio Doctoris militat quidem contra Gotfredum, qui ponebat in rarefactione corrumpi totam quantitatem præexistentem, & aliam totaliter de nouo gigni; sub qua nihilominus dicebat perseuerare corpus Christi ac si præexistens non fuisset corrupta, quod tamen non poterat esse, Tum quia non acceperat esse sub illa, per conuersionem, & consecrationem; Tum etiam, quia alioquin posset dici, quod esset sub quantitate alterius hostiæ non consecratæ, cùm nulla foret differentia inter quantitatem alterius hostiæ non consecratæ, & illam quantitatem de nouo in rarefactione totaliter productam; non militat autem contra responsionem, tum quia non loquimur de tota quantitate, sed de vna parte quantitatis; Tum quia non dicimus sub illa accipere esse corpus Christi, sed supponimus accepisse esse sub quantitate præexistenti, & solum concomitanter, sed illam partem, quasi coextendi, sicut coextenderetur panis, si fuisset rarefactus. Nec valet dicere, illam partem nouæ quantitatis non fuisse consecratam, ac proindè non posse esse ibi corpus Christi, quia consequens solum valet per conuersionem, & consecrationem, non autem simpliciter, quia esset sub illa concomitanter modo iam explicato. Et confirmatur hæc responsio, ex his, quæ subiungit ibi Doctor, contra eumdem Gotfredum, nempè non diutiùs manere corpus Christi sub specie panis, quam natus esset hic manere panis, qui conuersus est; addo ego minorem, sed natus esset manere panis sub illa noua parte quantitatis, si ante conuersionem fuisset rarefactus, & in ipsa rarefactione conuersus, & non nisi, quia illa pauca quantitas continebatur in potentia panis ante conuersionem, & rarefactionem; ergo cum post conuersionem, per rarefactionem specierum fuerit à Deo sibi absque subiecto concreata, poterit vtique concomitanter etiam esse sub illa.

Dices: Doctorem ibidem affirmare, hanc eamdem difficultatem militare etiam contra nouitatem quantitatis partialis; ergo responsio iam data non eneruat rationem eiusdem, & consequenter, quod non sit contra Doctorem.

Resp. Negando consequentiam; nam verba Doctoris non respiciunt difficultatem de existentia corporis Christi sub parte quantitatis non consecratæ, sed solùm quomodo illa noua pars quantitatis potest fieri in rarefactione ab agente creato, cum nequeat agere absque subiecto, & illæ species sint sine subiecto; cæterùm cum ad hoc respondemus cum ipso, illam nouam partem quantitatis, per rarefactionem acquisitæ, fieri immediatè à Deo, & non ab agente creato, restat vt non ampliùs vrgeat difficultas Doctoris contra nostram responsionem.

Obijcitur quartò ex Mastrio num. 24. argumentum valdè difficile, desumptum ex Doctore in 4. dist. 12. quæst. 4. sub A. dum arguit contra Gotfredum, asserentem totam quantitatem nouam in rarefactione acquiri, præexistente corrupta; siquidem militat etiam contra nouitatem quantitatis partialis: nam in toto corpore rarefacto, & extensiori, eadem accidentia reperiuntur, quæ antea, totum enim vinum rarefactum est eiusdem coloris, saporis, &c. sicut prius, vel ergo ista accidentia sunt prorsus eadem numero in illa quantitate partiali de nouo genita, vel tantum eadem secundum speciem, & diuersa secundum numerum à præcedentibus, de nouo producta ad productionem quantitatis partialis nouæ; sed neutrum est dicendum; ergo in rarefactione non producitur vlla noua quantitas, nec partialis. Minor probatur: Non est dicendum primum, quia accidens migraret

ret de subiecto in subiectum, quod est contra Aristotelem: Nec secundum, quia impossibile est, agens rarefaciens inducere posse omnes illas qualitates, quas nequit virtualiter continere; sed ignis, qui est agens rarefaciens, e. g. vinum, non continet virtualiter qualitates illius mixti, quia nec dulcedinem, nec amaritudinem &c. similiter rarefaciens aquam non continet virtualiter humiditatem; ergo accidentia omnia, quæ apparent in corpore rarefacto non sunt diuersa numero de nouo producta in rarefactione, ac proinde nec quantitas noua, quæ sit eorum subiectum.

Resp. Negando minorem, ad probationem dico, in corpore rarefacto reperiri eadem accidentia, quæ prius, secundum speciem; diuersa verò secundum numerum; & cùm probatur, quod agens rarefaciens non continet virtualiter illas omnes qualitates, & consequenter non potest illas producere in quantitate noua partiali, concedo productiuè, sed nego alteratiuè; siquidem agens rarefaciēs non est productiuum qualitatis, cùm ad eam non terminetur motus rarefactionis, nisi concomitanter, verùm dumtaxat quantitatis, ad cuius productionē sequitur postea eductio qualitatis de potentia subiecti rarefacti, per alterationem factam ab eodem agente rarefaciente.

Obijcitur quintò contra tertiam conclusionem: Totum quantum constituitur ex suis partibus; sed quælibet pars eius fit quanta de nouo quantitate noua, in rarefactione; ergo totum quantum habet nouiter totam quantitatem nouam. Minor probatur, quia quælibet pars maioris est maior; sed quælibet pars est maior quantitate, ergo est maior noua quantitate.

Resp. Minorem esse veram partialiter, non totaliter, quia cùm in rarefactione quælibet pars præsupponatur quanta quantitate sibi propria, & in rarefactione acquirat nouam quantitatē, illa non erit totalis quantitas illius partis, sed partialis, quæ vnita quantitati partiali præexistenti, integrabit totam quantitatem, conuenientem illi parti; ex quo inferri solum potest, quod in toto quanto rarefacto, quamuis coalescat ex omnibus partibus quantis, non erit totalis eius quantitas noua, sed partim noua, & partim antiqua.

Obijcitur sextò fundamētum Gotfredi, quia termini motus sunt incompossibiles simul, ex Aristotele 5. Physicorum t. 26. sed rarefactio est motus à quantitate minori ad maiorem; ergo in acquisitione quantitatis minoris per rarefactionem, non poterit remanere quantitas minor præexistens, à qua incipit motus.

Resp. ex Doctore subtili in 1. d. 17. q. 3. Maiorem esse veram de terminis motus formalibus, vt sunt priuatio, & forma, non tamen de concomitantibus primos terminos, cuiusmodi sunt quantitas maior, & minor, quæ cùm sint duæ formæ positiuæ, nullam incompossibilitatem dicunt in aliquo tertio.

Obijcitur septimò contra quintam conclusionem: Auerroes in 4. Physicorum ad t. 84. dicit, quod in rarefactione acquiritur qualitas, non quantitas noua; sed motus est in prædicamento sui termini; ergo rarefactio non est formaliter in prædicamento quantitatis, verùm dumtaxat qualitatis. Maiorem probat, quia in rarefactione acquiritur raritas, sicut in condensatione densitas; sed raritas, & densitas sunt qualitates; ergo in rarefactione acquiritur qualitas, & non quantitas.

Resp. Maiorem esse veram causaliter, vel concomitanter, aut per accidens, nō tamen formaliter, & per se, quia sic terminus rarefactionis, & condensationis, est tantum quantitas, maior, vel minor, vt dicit Aristoteles in illo t. 84. Ad probationem maioris, dico, raritatem, & densitatem formaliter esse quantitates, causaliter verò qualitates; siquidem rarefactio per caliditatem, & condensatio per frigiditatem fiunt, & consequenter etiā raritas, & densitas, quæ per rarefactionem, & condensationem acquiruntur. Et hæc sint satis de hac perdifficili quæstione, & disputatione secunda.

De

De natura, & existentia temporis.

SVMMA III.

EXplicata natura, & existentia loci, & vacui, vt finem imponat huic libro quarto Physicorum, Philosophus in hac tertia Summa intendit inuestigare, an sit, & quid sit Tempus, quod est tertia passio extrinseca corporis naturalis; & vt intentum ordine, & methodo præstet, diuidit Summam præsentem in nouem capita: In quorum primò ponit rationes dicentium, tempus non esse: In secundò quærit quid sit tempus, & probat non esse motum: In tertiò ostendit tempus non esse sine motu: In quartò inuestigat quid sit nunc, & quomodo se habeat ad tempus: In quintò declarat, quomodo sumatur numerus positus in diffinitione temporis: In sextò exponit quid sit esse in tempore, & quæ sunt illa, quæ sunt, vel non sunt in tempore: In septimò demõstrat quonam pacto nunc sit continuatiuum temporis, & quid significent quędam aduerbia tẽporalia: In octauò probat omnem motum fieri in tempore: Et in nonò proponit, & soluit quasdam dubitationes circa tempus.

Quoad primum igitur ponit hanc cõclusionem in t.87. Post declarationem motus, & loci, cõsequens est pertractare de tempore; & probat illam, quia tempus est mensura motus, qui fit in loco; ergo sicut Physici interest tractare de motu, & de loco, ita ad ipsum spectabit differere etiam de tempore. Consequẽtia patet, quia mensura, & mensuratum sunt correlatiua; sed tempus est mensura; & locus, ac motus sunt mensurata; ergo si Physici interest tractare de motu, & loco, tamquam de rebus mensuratis, intererit etiam pertractare de tempore tamquam de mensura.

Deindè in eodem textu subdit non fore dissentaneum, si de tempore inuestigauerimus per exteras rationes .i. per rationes alterius scientiæ, an sit, & quæ sit eius natura.

Vndè in t.88. incipit adducere rationes probantes tempus non esse, dicens, probare tempus non esse, vel obscurè, vt vix concludere valeant tempus non existere.

Prima ratio est talis: Omne ens componitur ex his, quæ sunt, & non ex his, quæ non sunt; sed tempus componitur ex his, quæ non sunt; ergo tempus non est ens reale. Minorem probat, quia tempus componitur ex præterito, & futuro; sed præteritum non est, quia transiuit, futurum nõ est, quia nondum venit; ergo tempus componitur ex his, quę non sunt.

Secunda ratio ponitur in t.89. omnis rei diuisibilis necesse est omnes, vel saltem aliquas partes existere; sed tempus est diuisibile, & eius partes non existunt; ergo &c.

Si dicatur, Tempus componi, nedum ex præterito, & futuro, sed etiam ex ipso nunc, quod quidem existit, & totum simul est præsens: Contrà, quia omnis pars, per replicationem mensurat totũ; sed nunc non mensurat tempus; ergo nunc non est pars temporis, & sic non componitur ex eo. Maior patet, quia vna vlna panni est pars decem vlnarum, quia decies replicata adæquatur decem vlnis: Minor probatur, quia indiuisibile, quamuis infinities replicaretur, non fieret diuisibile adæquatum; sed nunc est indiuisibile, & tempus diuisibile; ergo nequit illud mensurare.

Tertia ratio subditur in t.90. qua probatur tempus non esse, quia nunc temporis non est. Si nunc esset, aut esset vnũ in toto tempore, aut aliud, & aliud; sed neutrum est dicendum; ergo nunc non est. Maior patet: Nam inter vnum, & multa non datur medium. Minor probatur; & primò quod non sit aliud, & aliud, quia alioquin ipsum nunc corrumperetur; sed consequens est absurdum; ergo &c. Consequentia patet, quia si idẽ non permanet, sed aliud, & aliud euadit; ergo est corruptioni obnoxium. Falsitas patet similiter, quia si nunc corrumperetur, aut desineret esse in tempore, aut in nunc; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Minor probatur: Non potest dici,

in tempore, quia indiuisibilia desinunt in instanti: Nec potest dici, ipsum desinere in nunc, quia aut desineret in nunc, quod est idem, & simul cum ipso, aut in seipso, at neutrum est dicendum; ergo &c. Non primum, quia duæ partes temporis nequeunt esse simul; ergo nec duo nunc. Antecedens probatur: Duæ mensuræ adæquatæ nequeunt esse simul, sed tempus vnum est mensura adæquata, ac totalis motus; ergo duo tempora nequeunt esse simul. Maior patet, quia illa secunda mensura esset frustranea. Consequentia probatur, quia nunc non est sine tempore; at duo tempora non possunt esse simul; ergo neque duo nunc. Secunda pars, quod nunc nõ desinat esse in seipso probatur, quia simul esset, & non esset; non esset quidem, quia quod corrumpitur non est; at nunc, in quo res corrumpitur, est; existit enim talis mutationis mensura; ergo si nunc desinit in seipso, simul est, & non est. Tertia pars, quod non desinat esse in nunc sequenti, quia tale nunc vel immediatè est, vel mediatè; neutrum est dicendum; ergo &c. Non primum, quia sicut linea non constat ex punctis immediatis, vt videbimus in 6. Physicorum, ita nec tempus ex nunc: Nec secundum, quia inter duo nunc mediata mediat tempus, in quo sunt infinita nunc; sed nunc nequit esse simul cum alijs nunc; ergo nec poterit expectare aliud nunc mediatum, in quo desinat esse. Maior patet; nam quælibet pars temporis componitur cum alia parte per vnum nunc, vt quælibet pars lineæ cum alia parte lineæ per punctum, at omnis pars temporis, cum sit continua habet infinitas partes proportionales; ergo infinita nunc.

In t. 91. probat, non esse idem nunc in toto tempore, quia nullum diuisibile finitum, siuè secundum vnam dimensionem, vt linea; siuè secundum plures, vt superficies, & corpus, habet vnum terminum; sed tempus est vnum diuisibile finitum, saltem actu, vt annus; & nunc est eius terminus; ergo vnum nunc esse nequit in toto tempore. Maior patet de linea, quæ terminatur duobus punctis, quorum alter est principium, & alter finis. Minor similiter, sicut enim punctus est terminus lineæ, ita nunc est terminus temporis.

In t. 92. Secundò probat idem, quia si vnum nunc esset in toto tempore, sequeretur, quod ea, quæ ante mille annos fuissent gesta, essent simul cum his, quæ hodie geruntur; siquidem ea sunt simul, quæ facta sunt in eodem nunc; sed consequens est falsum, vt patet ad sensum; ergo & antecedens.

Quoad secundum quærit, quid sit tempus, & in tex. 93. recenset Antiquorum opiniones circa naturam temporis: Plato enim dicebat, tempus esse motum circularem Cœli: Pythagorici, esse vltimam sphæram: Et Stoici putabant esse motum vt sic in communi. Redarguit primam opinionem, quia quælibet pars temporis est tempus; sed quælibet pars motus circularis non est circulus; ergo tempus non est motus circularis. Deindè: Plures sunt motus circulares, quia quodlibet cœlum habet proprium motum; tempus autem non est nisi vnum; ergo tempus non est motus circularis cœli.

In t. 94. affert secundæ opinionis fundamentum, nimirum tempus ideò esse vltimam sphæram, quia omnia sunt in tempore, & in sphæra; siquidem omnia, quæ incipiunt esse, sunt in tempore, & etiam in vltima sphæra, quæ omnia locat; ergo tempus est vltima sphæra.

Impugnat hanc opinionem, vtpotè stultiorem, quam omnia impossibilia, quæ contra illam possent inferri; & meritò quidem; nam aliter res sunt in tempore, & aliter in sphæra: in tempore enim tamquam in mensura, at in sphæra velut in loco existunt.

In t. 95. reijcit tertiam opinionem asserentem, tempus esse motum in communi; Tum quia motus est subiectiuè tantum in re, cuius est motus, vt traditum est in 3. Physicorum t. 18. sed tempus est in omni re, & vbique; siquidem tempus est duratio, at quælibet duratio est in qualibet natura perdurante;

te; ergo tempus nequit esse motus.

Tum secundò in t. 96. probat, quia omnis motus, aut velox, aut tardus est; sed tempus non est velox, nec tardum; ergo &c. Minorem probat, quia tardum mensuratur à tempore longo, velox autem à tempore breui; at tempus non mensuratur alio tempore; aliàs fieret processus in infinitum in temporibus; ergo tempus non est motus.

Quo ad tertium in t. 97. ostendit tempus, quamuis non sit motus, non esse tamen sine motu, quia quando aliqua sic se habent, quod vnum non percipiatur sine altero, vnum nequit esse absque illo; sed tempus non percipitur sine motu; ergo tempus non est sine motu. Maior patet, nam quæ separata sunt, vnum sine altero percipi potest. Minorem probat à signo, nam qui in Sardo fabulosè dicuntur dormire apud Heroas, eo quod dormientes non percipiunt motum, nec etiam suæ dormitionis tempus percipiunt, cum fuerint expergefacti; copulant enim, inquit, primum nunc posteriori nunc, & faciunt vnum, remouentes medium ob insensibilitatem; ergo tempus nequit percipi sine motu. Antecedens declaratur, ex eo quod in quodam antro Sardiniæ erant corpora filiorum Herculis à Græcis occisorum, aromatibus ita delibuta, vt dormire viderentur; vndè qui illuc pergebant huiusmodi corpora inuisuri, somno statim corripiebantur, quarè experrecti, quia motum non perceperunt, nec suæ obdormitionis tempus dignoscebant.

Probato, quod tempus nequit esse sine motu, in t. 98. infert hanc conclusionem, nimirū: Tempus esse aliquid ipsius motus; & probat, quia quæcumque simul percipiuntur, vnum debet esse aliquid alterius; patet de homine, & eius voce; sed tempus percipitur simul cum motu; ergo est aliquid ipsius motus. Minor probatur: Nam si nulla habeatur mutatio corporalis, & insit tantùm spiritualis in anima quoad intelligere, & velle, statim per talem motum percipitur tempus, tempore percepto, percipitur & motus, vt nos percipientes horam esse transactam nostræ lectionis, motum esse perorationis finitum dignoscimus; ergo tempus, & motus simul percipiuntur.

In tex. 99. volens inuestigare diffinitionem temporis, præponit tres suppositiones, quarum prima est, quod continuitas motus est à continuitate magnitudinis, & continuitas temporis à continuitate motus desumitur. Declarat hanc suppositionem, quia motus continuus est à quodam in quodam, idest à termino à quo ad terminum ad quem; sed tales termini insunt magnitudini; ergo continuitas in motu pendet à continuitate magnitudinis: Similiter quantus est motus, tantum est tempus, vt si motus est longus, & tempus est longum; ergo continuitas temporis est à continuitate motus. Notandum tamen est, hic à Philosopho sumi motum pro motu reali primi mobilis tantum; siquidem ab alijs non sumit tempus continuitatem, quippè, ijs cessantibus, non cessat tempus, sicut cessat, cessante motu primi mobilis.

Secunda suppositio. Prius, & posterius in motu, pendent à priori, & posteriori in magnitudine, diuersimodè tamen, quia in magnitudine permanenter; in motu verò successiuè habent esse: similiter prius, & posterius in tempore, dependent à priori, & posteriori in motu: Probat, quia continuum habet prius, & posterius; sed continuitas motus pendet à magnitudine, & continuitas temporis à motu; ergo &c.

Tertia suppositio. Prius, & posterius in motu sunt idem subiectiuè cum motu, sed non quiditatiuè, hoc est, vt dicit Auerroes, prior, & posterior pars motus sunt in mobili, in quo est motus subiectiuè; non autem quiditatiuè cum motu, quia motus quiditatiuè est quantitas continua; at prius, & posterius quiditatiuè sunt in numero, qui est quantitas discreta.

In t. 100. subiungit aliam conclusionem: Tempus est aliquid ipsius motus secundum prius, & posterius, quia se-

cun-

cundum illud tempus est aliquid ipsius motus, penes cuius perceptionem in motu, percipitur tempus; at secundum prius, & posterius in motu percipitur tempus; ergo &c. Maior liquet ex dictis in t. 98.

In t. 101. probat minorem; nam cum deambulamus percipimus nostræ deambulationis prius, & posterius, & ideò percipimus etiam tempus per prius, & posterius perceptum in tali motu deambulationis.

Ex his infert in eodem textu, diffinitionem temporis, dicens: Tempus est numerus motus secundum prius, & posterius.

Deindè subdit tempus non esse motum in recto, cum constituant diuersas species quantitatis continuæ, verùm dũtaxat in obliquo, vt declarabitur &c.

In t. 102. probat, tempus esse numerum, nam numerus est quo discernimus inter plus, & minus; sed tempore discernimus inter plus, & minus in motu, ergo tempus est numerus.

Deindè inquit numerum esse triplicem .s. numerantem, vt est anima, quæ numerat, idest discernit vnam rem distinctam ab alia; numeratum, vt quælibet res numerata, vel numerabilis, vt homines, lapides, &c. & quo numeramus, qui appellatur numerus formalis, vt binarius, ternarius, &c. modo dicit, tempus non esse numerum numerantem, quia non est anima, nec formalem, quia talis est quantitas discreta, tempus autẽ continua; sed esse numerum numeratũ, quia numeratur ab anima.

In t. 103. comparat tempus cum motu dicens, quod sicut motus alius, & alius est, secundum sui partes, quia nequeunt esse simul, sed necessariò vna succedit alteri, & cum hoc stat vt sit vnum totum continuum, quatenus illæ partes copulantur per mutata esse, quæ sunt indiuisibilia, sicut puncta in linea, ita tempus est aliud, & aliud secundum partem priorem, & posteriorem; siquidem vt sic, est successiuum; est tamen vnum totum continuum, quia eius partes copulantur adinuicem per nunc; ex quo infert, quod sicut idem nunc manet in toto tempore quoad substantiam, differens tamen secundum esse, ita tempus manet semper quoad sui continuitatem, per ipsum nunc factam.

Ex hac doctrina solui possunt rationes superiùs positæ in t. 88. & 89. quibus nisus fuit probare, non esse tempus; siquidem

Ad primam, & secundam dicendum, partes temporis non existere secundum esse permanentiæ, existere autem secundum esse successiuum, & prout continuantur per ipsum nunc, quod semper manet in toto tempore.

Ad tertiam positam in t. 90. de existẽtia nunc, responderi potest, nunc corrumpi in seipso negatiuè .i. non in alio nunc, probatio autem procedit de illo, quod corrumpitur in nunc positiuè.

Quo ad quartum, in quo demonstrat, quonam pacto se habeat ipsum nunc in tempore, in t. 104. dicit, nunc in tempore se habere vt mensura, non quidem replicationis, quia talis debet esse adæquata vni parti, vt patet de vlna, sed terminationis, quatenus partes temporis terminantur ab ipso nunc.

Deindè dicit, ipsum nunc esse aliquo modo idem, aliquo modo diuersum cum tempore: est autem diuersum, cum in alio tẽpore est, hoc est, vt terminat prius, est diuersum à posteriori, quod est aliud tempus, nempè præteritum, diuersum à futuro: est autem idem cum tempore, quatenus copulat præteritum cum futuro, & omnia sunt in motu, tamquam in subiecto, ab eis mensurato secundum prius, & posterius.

In t. 105. probat hanc conclusionem: Tempus nequit esse sine nunc, à quo omninò pendet. Et primò sic, sicut se habet mutatum esse ad motum, ita nunc ad tempus; at motus, & mutatum esse simul sunt, & motus nequit esse sine illo; ergo nec tempus sine nunc. Secundò, sicut se habet in linea punctum, ita nunc in tempore; sed linea nequit esse sine puncto, cum eius partes continuentur puncto; ergo nec tempus absque nunc.

In t. 106. probat aliam conclusionem, nimirum tempus duorum nunc, quia si

non essent duo nunc, scilicet terminatiuum præteriti, & principiatiuum futuri, non posset cognosci tempus esse; siquidem tempus dicit prius, & posterius, & vnum succedit alteri; ergo si non essent duo nunc, non posset cognosci prius, & posterius, vt succedentia ad seinuicem, ac proindè neque ipsum tempus; consequentia probatur, quia punctū in linea, quia habet esse permanens, idem potest fungi duplici munere, & terminandi vnam partem lineæ, & principiandi alteram, cæterùm ipsum nunc ex eo quod mouetur, & id quod mouetur semper alterum est, non potest esse vnum tantum nunc, verùm duo necessariò, aliter nesciremus tempus esse.

In t. 107. probat aliam conclusionem .s. quod nunc non est pars temporis, si sumatur in ratione continui, esse tamen si accipiatur in ratione discreti: primam partem probat à simili de puncto in linea, quia sicut linea ex eo quod quid cōtinuum est, non componitur ex punctis, sed ex lineis, ita tempus quatenus continuum non constat ex nunc, sed ex temporibus .s. ex præterito, & futuro. Secundam suadet, quia vnitas est pars numeri, vt patet de binario, qui cum sit quantitas discreta, componitur ex duabus vnitatibus; sed tempus est numerus, & nunc in tempore se habet vt vnitas in numero; ergo tempus, vt quoddam discretum est, componitur etiam ex nunc, tamquam ex partibus, saltem inadæquatis.

Quoad quintum in t. 108. prosequitur, ostendendo, quomodo tempus sit simul quid discretum, & quid continuū: Habet quidem rationem discreti, vt dicit prius, & posterius; continui verò, quatenus dicit successionem vnius ad aliam partem, continuatas, & copulatas per ipsa nunc; ex quo infert duo corollaria; vnum, quod in tempore, vt discretum est, dabile est minimum tempus, siquidem vt discretum est, numerus quidam est; sed in numeris datur minimus numerus, qui est binarius; ergo etiam in tempore debet dari minimum tempus, quod habet tantum duo nunc. Alterum corollarium, quod in tempore, vt continuum est, non est dabile minimum tempus; quandoquidem, vt videbimus in 6. Physicorum, continuum est semper diuisibile in infinitum.

In t. 109. infert aliud corollarium, quod tempus, vt discretum est, dicitur multum, & paucum, vt autem continuum, breue, & longum: probat, quia multitudo, & paucitas conuenit numeris; Breuitudo, & longitudo successiuis; sed tempus, vt discretum est, dicitur numerus; vt continuum est, successiuum est; ergo vt discretū est, appellatur multum, & paucum; & vt continuum, longum, vel breue.

In t. 110. ponit hanc conclusionem: Tempus est idem vbique apud omnes, licèt partes non sint eædem. Probat primam partem, quia hæc hora, hic mensis, hic annus sunt in qualibet parte vniuersi. Probat secundam, quia partes temporis sunt præteritum, & futurum, quæ non sunt eadem; siquidem præteritum dicit mutationem iam factam; futurum verò mutationem faciendam; & præsens mutationem præsentem, quæ sunt aliæ, & non eædem.

In t. 111. ponit quamdam proprietatem, communem etiam motui communi .i. primi mobilis, & est talis, quod sicut motus potest vnus, & idem secundum speciem reuerti ad eumdem terminum, vt patet de motu circulari primi mobilis, qui fit ab eodem in eumdem terminum, sic & tempus, cum sit mensura eiusdem motus, reuertitur idem secundum speciem, vt annus, mensis, dies, sēper idem reuertitur secundum speciem, licèt non secundum numerum.

In tex. 112. dicit motum, & tempus à seinuicem metiri, licèt diuersimodè; siquidem tempus metitur motum, vt mēsura rem mensuratam; motus verò metitur tempus, vt res mensurata suam mensuram; nam adinuicem diffiniuntur, & determinantur, vt enim dicimus multum, vel paucum motum, per tempus, ita dicimus multum, vel paucum tempus propter motum. Hoc autem intelligendum est sano modo, ne detur circulus in diffinitionibus; quandoquidem tempus mensurat, ac diffinit quantitatem

titatem motus per se, & secundum naturam suam, quia est eius mensura; motus autem mensurat motum, quasi per accidens, & quoad nos, quia ex longitudine, vel breuitate motus, dignoscimus longitudinem, aut breuitatem temporis, an fuerit tempus vnius, vel plurium horarum.

In t. 113. reddit rationem huius vicissitudinis inter motum, & tempus, ex eo quod, sicut motus sequitur magnitudinem, ita motum tempus; sicut enim dicimus multam esse viam, seu spatium, si ambulatio, & motus est multus, & hanc ambulationem, vel motum multum dicimus, ex eo quod longa sit via, vel multum spatium, ita dicimus multum tempus, si motus sit multus, & motum multum, si tale sit etiam tempus.

Quo ad sextum, in quo vult ostendere, quid sit esse in tempore, & quæ sint illa, quæ dicuntur esse in tempore, in t. 114. ponit hanc conclusionem, quod esse in tempore est mensurari ab illo, ex quo infert, nedum motum in communi, sed etiam ipsum moueri, hoc est, ea quæ mouentur, esse in tempore, cum mensurentur ab ipso, non quidem mensura excessus, sed replicationis, probat à signo, quia sicut cubitus mensurat adæquatè partem cubitalem panni, & illa vtimur ad mensurandum totam longitudinem panni per replicationem ipsius partis, sic quoque tempus; accepta enim vna hora, qua determinetur tantū spatij per motum ambulationis transacti, vti possumus illa parte spatij ad mensurandum reliquum motus conficiendi super illo spatio; ergo cùm nedum motus vt sic, sed ipsum moueri in particulari mensuretur tempore, sequitur motum, & moueri esse in tempore. Quo modo autem res sint, vel non sint in tempore.

In t. 115. ponit vnam distinctionem, quod aliquid esse in tempore potest contingere dupliciter, vno modo quod sit simul cum ipso tempore, idest, quod sit quando tempus est, alio modo sit pars, vel passio ipsius temporis, sicut dicimus, duas vnitates esse in numero binario, quæ sunt partes eius; & par, ac impar esse in illo, quia sunt passiones numerorum; Motum, & alia, quæ mensurantur tempore, non esse in illo hoc secundo modo, probat, quia tempus non constat ex motibus, nec ex rebus temporalibus, veluti ex partibus intègralibus, neque consequuntur tempus, tamquam passiones; siquidem tempus, & motus, ac res temporales distinguuntur nedum realiter, sed etiam formaliter, vt videbimus in quæstionibus; ergo &c.

Deindè in t. 116. applicat aliud membrum diuisionis, nempè res non dici esse in tempore, quia sint simul cum eo. Probatur, quia sicut non ideò dicitur aliquid esse in loco, vel motu, eo quod sit quando motus, vel locus est, ita nec potest dici aliquid esse in tempore, quia existit quando tempus est: probat consequentiam, si enim esse in tempore nil aliud esset, quam coexistere tempori, sequeretur quodlibet esse in quolibet, & sic cęlum esset in grano millij; siquidè, quando cœlum est, & millium est; sed hoc est valdè absurdum, quia esse in tempore non dicit coexistentiam, sed consequentiam temporis ad ipsum, vt, hoc est in tempore, igitur tempus est, sicut, hoc est in motu; ergo motus est.

In t. 117. subiungit hanc conclusionē, quod esse in tempore est contineri ab ipso; & probat, quia esse in tempore, est esse in numero; siquidem tempus est numerus motus; sed esse in numero est cōtineri in ipso; siquidem binarius continetur in ternario, & quilibet minor in maiori; ergo esse in tempore est contineri ab eodem. Ex quo infertur, quod tempus dicit excessum ad ea, quæ sunt in tempore, siquidem idem tempus manet, cæterùm temporalia corrumpuntur: Vndè secundò infert, Deum, & cætera æterna, non esse in tempore, Tū quia non exceduntur à tempore; Tum quia semper manent; & vnum non expellit aliud, sicut ea, quæ sunt in tempore expelluntur ab eodem.

Ex hac conclusione infert quoddam corollarium, tempus nìmitum esse magis corruptionis, quam conseruationis causam, & probat, quia eo modo se habet tempus ad ea, quæ sunt in ipso, sicut motus

motus ad ea, quæ mouentur, sed motus est causa compositionis, quia expellit vnum terminum, vt alium inducat, vel adducat ad mobile; ergo etiam tempus expellit vnum temporale, vt aliud in se habeat.

Deindè in t. 118. Probat etiam quietem, saltem per accidens, esse in tempore, quia motus est in tempore per se, cum immediatè mensuretur ab eo; sed quies est priuatio motus; ergo per motum mẽsurat etiam quietem, & sic quies per motum est in tempore per accidens.

In t. 119. infert hanc conclusionem; si tempus est per se, & immediatè mensura motus, & non alterius; ergo quæ mouentur, & quiescunt, non sunt in tempore per se, sed tantum per accidens. Probatur, quia esse in tempore per se, est mensurari à tempore per se; sed quæ mouentur, & quiescunt non mensurantur à tempore per se, verum duntaxat per accidens; ergo, &c. maior patet: Minor probatur quia quæ sunt in tempore, non sunt in ipso, vt quanta sunt, (sic enim solum sunt in loco) sed vt mouentur; sed vt mouentur non mensurantur tempore per se, verùm solum per accidens; hoc est ratione motus, qui mensuratur per se; ergo quæ mouentur, & quiescunt sunt in tempore tantum per accidens.

Tamdem pro complemento huius capitis ponit hanc vltimam conclusionem, in t. 120. Quæ sunt & aliquando fuerunt, vel erunt, sunt in tempore, saltem per accidens; quæ verò, nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, immò dicunt impossibilitatem ad esse, nullo modo sunt in tempore. Probatur, quia tempus constat ex præterito, præsenti, & futuro; sed secundum præteritum mensurantur quæ fuerunt; secundũ præsens mensurantur quæ sunt; & futuro mensurantur quæ erunt per accidens, hoc est ratione partis prioris, præsentis, & posterioris motus; quæ autem, nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, dicuntur impossibilia, vt chymera, & quod diameter sit commensurabilis costæ, & non cadunt sub aliqua parte temporis, aut motus; ergo sicut priora sunt in tempore, saltem per accidens; posteriora, nec per se, nec per accidens possunt esse in tempore.

Quoad septimum, ostendit Philosophus quonàm pacto Nunc contineat tempus, & quid significent hæc aduerbia temporis, scilicet Nunc, Aliquando, Iam, Nuper, Quondam, & Repentè: vndè in tex. 121. obseruat, quod superius dixit, Nunc esse continuatiuum præteriti cum futuro, & terminatiuum earundem partium; est enim terminus præteriti, & principium futuri; non quidem permanenter, vt se habet punctus in linea, sed successiuè, vt mutatum esse in motu; nam sicut futurum succedit præterito, ita vnum nunc succedit alteri; & sic nunc induit duas rationes formales, scilicet principij, & finis, quare infert esse idem nunc realiter, differre autem ratione, sicut principium à fine.

In tex. 122. declarat quid significet nunc, & dicit significare tempus proximum præsenti indiuisibili, siuè sit præteritum, siuè futurum, vt cum dico modò, idest nunc legi, vel nunc legam; nam tempus præsens dicitur nunc, non autem tempus remotum; quæ enim gesta sunt ab hinc multis annis, nequeunt cadere sub Nunc, quamuis tempus præteritum per vnum Nunc habuerit continuationem cum futuro vsque ad tempus præsens indiuisibile, quandoquidem signat tempus nimis remotum.

In t. 123. ostendit, quid significet Aliquando, dicens, ostendere tempus determinatum ad prius, & posterius, idest præteritum, & futurum, vt cum dicimus, Aliquando Troia capta fuit, & aliquando erit diluuium, quatenus respiciunt Nunc, idest præsens, quarè Aliquando significat nunc, vt respicit tempus determinatum, vel præteritum, vel futurum.

In t. 124. Remouet hanc difficultatem, si Aliquando signat tempus determinatum ab alio Nunc, & à præsenti; ergo tempus erit finitum; Remouet in quam hanc difficultatem, negando consequentiam, quandoquidem ad vnum Aliquando sequitur aliud, & aliud vsque in infi-

infinitum; sicut enim motus vnus terminatur per mutatum esse, quod nihilominus est principium alterius motus vsque in infinitum, sit dicendum est de Aliquando, quod quamuis signet aliquod tempus determinatum, ac distans inter duo Nunc, non propterea erit finitum, quia vnum nunc est principium alterius vsque in infinitum.

Ex quo infert in t. 125. Tempus esse infinitum, siquidem eius partes, scilicet præteritum, & futurum continuantur per vnum nunc, quod non solùm est terminus vnius partis, sed etiam principium alterius, & sic vsque in infinitum.

In t. 126. declarat, quid sit Iam; dicens, esse tempus vel præteritum, vel futurum, propinquum tamen Nunc indiuisibili, quod dicitur præsens; vt, iàm legi, vel, iàm legam, idest parum temporis distat, quod legerim, vel legam; & per hoc differt à Nunc, quia Nunc significat tempus per modum præsentis, vt, Nunc lego, Iam verò per modum præteriti, vel futuri, vt, iàm legi, vel, iam legam.

In t. 127. dicit, quod etiam Nuper significat tempus propinquum præsenti, & ideò videtur coincidere cum Iam, differt tamen ab eo, quia Iam, respicit præteritum, & futurum, Nuper autem tantùm præteritum, vt cum dicimus, quando venisti? Respondetur, nuper.

In tex. eodē demonstrat quid significet, quendam, dicens, esse tempus præteritum procul à præsenti, vt quondam capta fuit Roma, vel diluuium exuitit.

In eodē Textu etiā dicit quid sit Repentè: est enim tempus insensibile, vel imperceptibile, distans parumper à præsenti, vt coruscatio.

In t. 128. Quamuis in tempore fiant generationes, & corruptiones, tamen tempus potiùs dici debet causa corruptionis, quàm generationis; & probat, quia omnis mutatio est abiectiua proprij termini à quo per se, & solùm per accidens acquisitiua termini ad quem; sed tempus eodem modo se habet ad ea, quę sunt in ipso, sicut ea, quæ mouentur; ergo etiam tempus est magis causa abiectiua rei temporalis, quam eiusdem acquisitiua. Probat etiam à signo, quia cum ignoramus aliquid esse corruptum, & à quo, statim dicimus, id fuisse à tempore, non sic autem respondemus de generatione alicuius, quia dicimus esse genitum ab homine, vel animali; ergo signum est tempus esse magis causam corruptionis, quam generationis; hoc autem intelligendum est per accidens, non autem per se, quia tàm generatio, quàm corruptio fiunt ab agente, licet non sine motu, & tempore; vndè potius dicendum est, vtramque esse factam in tempore, quàm à tempore.

Quoad octauum probat in t. 129. omnem motum, & omnem mutationem esse in tempore; quia omnis mutatio, vel motus est velocior, aut tardior; sed velox, & tardum sunt in tempore; ergo motus omnis, vel mutatio sunt in tempore; Maior probatur quia omnis motus, qui citò est acquisitiuus sui termini, dicitur velocior, qui verò non tàm citò, quia mobile impeditur vel ab inefficaci virtute motoris, vel à distantia spatij, vel à densitate medij, dicitur tardior; ergo omnis motus est velocior, vel tardior. Minor probatur, quia, vt dixit in t. 96. velox est quod in pauco tempore multum mouetur: tardum verò, quod in multo tempore parum mouetur; ergo velox, & tardum sunt in tempore. Secundò probatur, quia prius, & posterius sunt in tempore, sed in omni motu est prius, & posterius; ergo omnis motus, & mutatio sunt in tempore.

Quoad nonum mouet, & soluit quædam dubitationes, quarum prima est in t. 130. An tempus sit vbique? Respondet affirmatiuè, & probat, quia motus, est vbique, si quidem omnia, quæ mouentur sunt in aliquo loco, in quo mouentur actu, vel potentia; sed tempus est passio quædam consequens motum, ergo, & motus erit vbiquè.

In t. 131. mouet secundā dubitationem, an tempus pendeat ab anima? Respondet etiam affirmatiuè, quia si non esset numerans, nec esset numerus, nec numerabile; sed tempus est numerus numeratus; ergo sine numerante non esset tempus; atqui anima est numerus numerans; ergo siue anima non erit tempus.

In

In t. 132. Explicat, cuius motus tempus sit numerus, cum sæpius dictum sit, tempus esse numerum motus; & Respondet esse numerum motus in communi, idest cuiuscumque motus, siquidem omnia, quæ generantur, corrumpuntur, augentur, diminuuntur, alterantur, & localiter cientur, omnia mouentur in tempore.

In t. 133. Explicaturus hanc difficultatem, an motus circularis primi mobilis sit mensura omnium motuum, & temporis, supponit quatuor, primo dari motum localem, cuius vna species est motus circularis, & alia rectus. Secundò quodlibet mensurari aliquo sui generis, patet de homine, qui in genere animalium, est omnium mensura. Tertiò tempus mensurare motum, & quandoque ab ipso mensurari, vt superius declaratum est. Quartò ad mensurandum tempus finitum, sumi quamdam partem determinatam temporis, per quam cæteræ mensurantur. Ex his probat conclusionem, quia mensura debet esse certior mensurabili; sed motus circularis, cùm sit regularis, & nunquam deficiens, est maximè certus; ergo, &c.

Deinde aliquo pacto approbat, ac laudat dictum Antiquorum, nempè, quod motus Cœli sit tempus, quia quodammodo continet omnes motus, & illos mensurat, veluti tempus.

Tamdem in t. 134. dicit, omnes numeros, quibus numeramus, esse eiusdem rationis, etiamsi res numeratæ differant specie: patet de denario, quo numerantur decem homines, & decem equi; nàm denarius in hominibus est eiusdem rationis cum denario in equis, quamuis hi, & illi differant specie; conueniunt enim in numero decem, communiter sumpto: Ex quo infert, quod licèt durationes, & mensuræ motuum particularium, possint dici diuersæ, ratione diuersorum motuum mensuratorum, nihilominus sunt eædem, quia in ratione mensuræ conueniunt omnes in mensura in communi. Et hæc de textu huius quarti Lib. Physicorum.

De natura Temporis.

DISP. III.

Corporis physici naturalitatem dignoscendam esse ex motu à posteriori; Motum autem ex Loco, Vacuo, & Tempore, tamquàm ex ijs, quę consequuntur eius naturam, innuit Aristoteles in 3. Physic. t. 1 & 2. dum dixit, Adhæc autem sine Loco, Vacuo, & Tempore, impossibile est motum esse; quare vt intentum exequutioni demandaret, disputauit, & satis luculenter in hoc 4. lib. Physicorum, an sint, & quid sint Locus, Vacuum, & Tempus: Cęterùm, quoniam de eiusdem intentione in multis non satis constabat, neque concors erat Expositorum sententia, ideò ad eruendam veritatem, quemadmodum fuit necessarium disputationes texere de natura Loci, & Vacui, ita in præsenti operepretium duximus, de Temporis natura, ac entitate disputare; si quidem difficultates, quæ à Recentioribus exagitari solent, sunt multæ; nos autem, qui tantum necessaria tradere proposuimus, sequentes duntaxat examinabimus. Prima, vtrum Tempus sit entitas realis, ab entitate motus realiter distincta? Secunda, vtrum diffinitio Temporis sit à Philosopho conuenienter assignata? Tertia, vtrum idem nunc, secundum substantiam, maneat in toto Tempore? Quarta, vtrum omnia Entia mensurentur tempore?

Vtrum Tempus sit entitas realis, ab entitate Motus realiter distincta, vel solum formaliter.

QVÆSTIO I.

Circa primam huius Quęstionis partem, in qua quæritur de entitate Temporis, varia sunt doctorum placita; quandoquidem aliqui, quorum meminit Ruuius Tract. 1. de Tempore q. 1. negant tempus esse ens reale realiter existens, aiuntque consistere in sola imaginatione,

natione, vel apprehensione intellectus, concipientis transitum mobilis prius per vnam partem spatij, quam per aliam, vndè ex illo priori, & posteriori, veluti ex præterito, & futuro componunt tempus in sua imaginatione existere, non verò in re extra. Ita quidam Antiquiores apud Albertum Magnum in 4 Physic. tract.3.cap.3. & nonnulli ex modernis.

Alij dicunt quidem Tempus præseferre entitatem realem, sed incompletam; quippè putant accipere complementum ab anima, illam entitatem numerante secundum prius, & posterius. Ita Comment. in 4. Physic. ad tex. 131. quem secutus est Iandanus hic q. 27.

Alij distinguunt de Tempore, secundum esse continuum, & secundum esse discretum, dicuntquè, Tempus priori modo acceptum, imputare entitatem realem, independenter ab opere intellectus; posteriori verò modo sumptum, esse ens rationis. Sic D. Thomas in 4. Physic. lect. vltima, & in p p. q. 10. art. 1., quem postea' sicuti sunt Ferrariensis lib. 1. contra Gentes cap. 19. Capreolus in 2. d. 2. & alij ex Thomistis.

Alij deniquè asserunt, Tempus secundum vtramque acceptionem, scilicet cōtinuitatis, & discretionis, esse ens reale, datiquè in rerum natura, antè quamcumque operationem intellectus. Ita Albertus Mag. lib. 4. Physic. tract. 3. cap. 3. & 10. Toletus ibidem q. 15. Ruuius q. 1. Perrerius lib. 12. cap. 1. & communiter Thomistæ reliqui, ac omnes Scotistæ.

Circa eiusdem quæstionis secundam partem extat duplex opposita sententia, quandoquidem Iandunus 4. Physicorum q 18. Burlæus ibidem ad t. 102. Capreolus cit. q. 2. Bassolius, Lycheus, & Gratianus ibidem q. 2. ac Ioannes de Magistris 4. Phy. asserunt, tempus distingui realiter à motu, nedum in ratione continuitatis, verum etiam in ratione mensuræ, ac numeri.

Ceterùm ex opposito Ioannes Canonicus 4 Physicorum q. 5. Dub. 3. Nicolaus de orbellis ibidem: Sotus q. 4. Catharensis q. 3. art. 3. Sulmon. q. 3. & Ant. Andreas 5. Methaphysices q. 11. sustinent, tempus in communi esse passionem motus, similiter accepti, ac proindè, non realiter, sed solùm formaliter, distingui ab entitate motus.

Quid autem senserit Doctor subtilis in hac materia, non est ita facilè diuinare; nàm in 2. d. 2. q. 2. sub E §. Respondeo, si oportet, &c. & in responsione ad primum argumentum princip. videtur dicere, Tempus præseferre entitatem realem, ab entitate motus realiter distinctam, ex eo, quod possint ab inuicem separari, saltèm in particulari. At in 4. d. 48. q. 2. §. Ad primum dicitur, &c. sub H, & I. apertè docet, motum, & tempus non distingui realiter, sed tantum formaliter, vndè concludendum est, aut fuisse varium, aut problematicum; quod an sit verum, vel falsum, quibusdam ad notatis, suam, & nostram aperiemus opinionem in conclusionibus infraponendis.

Primò Notandum est igitur ex Aristotile in Prædicamentis cap de quantitate, & 5. Methaph. cap. 13. de quanto. t. 18. quantum, seù quantitatem continuam esse duplicem, scilicet permanentem, & successiuam. Permanens est illa, cuius partes copulantur ad aliquem terminum communem, & habent positionem, ac permanentiam in toto simul, vt linea, superficies, & corpus; siquidem partes lineæ copulantur punctis, partes superficiei lineis, & partes corporis superficiebus, & simul manent in suo toto. Successiua est illa, cuius partes quidem copulantur aliquo termino communi, sed non habent positionem simul in toto quanto, verùm continuò fluunt vna post aliam, vt motus, & tempus; nam partes motus copulantur mutato esse, & partes temporis, vt sunt præteritum, ac futurum, copulantur præsenti, seù nunc indiuisibili, nec simul consistere possunt, sed futurum necessariò sequitur, succeditquè præterito, vsquè in infinitum; ex quo concluditur, quod cum quantitas in communi sit ens reale, habens esse ante operationem intellectus, consequenter etiam eius species, cuiusmodi sunt quantitas continua, & discreta, & harum species infimæ, ac indiuidua, debent esse entia realia, realiter existen-

tia

tia independenter ab operatione intellectus.

Secundò notandum est: Tempus posse accipi quadrupliciter, scilicet communissimè, communiter, propriè, ac proprijssimè. Tempus communissimè sumptum idem est quod duratio, & sic reperitur in omnibus rebus creatis, & etiam in Deo, quia omnes durant, vt videbimus in q. 4. Tempus communiter acceptum est idem quod duratio rerum generabilium, & corruptibilium, siuè sint permanentes, siuè successiuæ. Tempus propriè acceptum est mensura, ac duratio rerum successiuarum, cuiusmodi sunt omnes motus, augmentationis, diminutionis, alterationis, & locimutationis. Tempus denique proprijssimè consideratum est duratio, seu mensura motus primi mobilis, à quo postea mensurantur cæteri motus in particulari: hic est sermo de tempore propriè, & proprijssimè considerato, quia solum hæc sunt mensuræ, & durationes motus, cætera verò non distinguuntur ab æternitate, & æuo, de quibus inferiùs dicemus.

Tertiò notandum est: Motum esse duplicem .s. communem, & primarium; & particularem, & secundarium. Motus communis, & primarius est motus primi mobilis, à quo mensurantur, & regulantur cæteri motus, tum celestes, tū sublunares; quandoquidem cū sit diurnus, regulat motum Lunæ, qui fit spatio vnius mensis; motū Solis, qui completur spatio duodecim mensiū, & sic de cæteris. Motus particularis, & secundarius comprehendit omnes motus regulatos à motu primi mobilis; siquidē omnes huiusmodi motus dicuntur particulares, quia continentur sub illo, tamquam sub communi; & vocantur secundarij, quia deriuantur ab eodem, tāquam à primariò; si enim non moueretur primum mobile, nec cæteri orbes inferiores mouerentur, nec sublunaria, sed omnia quiescerent. Ex his infertur, quod cùm tempus consequatur motum, sicut duratio rem durabilem, etiam tempus erit duplex .s. commune, & particulare. Tempus commune est mensura motus communis; particulare verò est duratio motuum particularium, distincta à duratione communi; mensis enim est duratio motuū Lunæ; Annus Solis; Biennium Mercurij, & sic de singulis.

Quartò notandum est: Latam esse differentiam inter distinctionem realem, & formalem: Nam illa realiter distinguuntur, quæ se habent vel vt causa, & effectus, vt totum, & partes; Vel vt producens, & productum, vt Pater, & Filius in diuinis; Vel quæ sūt in rebus realiter distinctis, vt filiatio, & paternitas in Patre, & Filio; Vel quæ possunt separari, vt paries, & albedo. Illa verò distinguuntur formaliter, quorum vnum non includitur in conceptu formali alterius, & sic risibilitas, & homo distinguūtur formaliter, quia risibilitas non est de ratione formali hominis. Et per oppositum, illa sunt idem realiter, quæ nec se habent vt causa, & effectus, nec vt producens, & productum, nec sunt in rebus realiter distinctis, nec possunt abinuicem seiungi, ita quod omnes istæ conditiones intelligantur copulatiuè; in priori verò disiunctiuè. Illa verò sunt idem formaliter, quorum vnum includitur in conceptu quiditatiuo alterius, vt homo, & animal rationale; siquidem in conceptu quiditatiuo hominis includitur esse animal rationale. Ex his infertur primò, quod tempus, & motus non distinguuntur, sed sunt idem realiter, quia implicat motum esse sine tempore, sicut implicat quamcumque rem esse absque propria duratione; tum etiam, quia nec motus producit, vel causat tempus, nec, è conuersò, tempus motum; tum denique quia non sunt in rebus realiter distinctis, immò sunt simul in eadem re mobili, igitur concludendum est esse idem realiter. Secundò infertur, tempus, & motum distingui formaliter, tum quia nec tempus est de conceptu quiditatiuo motus, nec, è conuersò, motus est de quiditate temporis, immò constituunt duas species quantitatis continuæ, inter se essentialiter distinctas, cum habeant diuersas diffinitiones.

Ex his sit prima cōclusio. Tēpus dicit

entitatem realē, independenter ab opere intellectus, siuè consideretur secundum rationem continuitatis, siuè quatenus est numerus, vel mensura motus. Probatur, quia quouis modo consideretur tempus, est quantitas continua, & successiua; sed quantitas continua, & successiua, est ens reale, independens ab opere intellectus; ergo &c. Maior patet ex Aristotele in Præd cam. cap. de Quātitate, & 5. Metaph. cap. de Quanto tex. 18. vbi tempus, & motus enumerantur species quantitatis continuæ, & successiuæ. Minor est nota, tum quia consideratur per se à Physico, & Metaphysico, qui tamen non considerant per se entia rationis; tum etiam quia patet ad sensum, quod quantitas successiua habet existentiam realem, independenter ab anima; ergo quantitas continua, & successiua habent esse independenter ab opere intellectus.

Secunda conclusio. Tempus vniuersale, & motus pariter vniuersalis, non distinguuntur, sed sunt idem realiter, non tamen formaliter. Colligitur ex Scoto in 4. dist. 48. q. 2. Prima pars probatur, quia illa sunt idem realiter, quorum vnum implicat seiungi ab alio, & non se habent, vt producens, & productum, neque vt causa, & causatum, neque ambo sunt in rebus realiter distinctis; sed motus, & tempus vniuersale sunt huiusmodi; ergo sunt idem realiter. Maior, & minor patent ex 4. not. Secunda pars probatur, quia illa non sunt idem, sed distinguuntur formaliter, quæ habent diuersas rationes formales, & quiditatiuas; sed motus vniuersalis, & tempus sibi correspondens sunt huiusmodi; ergo non sunt idē, sed distinguuntur formaliter. Maior liquet ex notab. 4. Minor patet, tum quia sunt species disparatæ, contentæ sub quantitate continua, & successiua; tum etiam quia motus ratio formalis est actus entis in potentia, prout in potentia, ex Aristotele 3. Physicorum tex. 6. ratio autem formalis temporis est esse mensura motus secundum prius, & posterius, quæ sunt inter se diuersæ, ac disparatæ; ergo motus, & tempus in communi habent diuersas rationes formales, ac proindè non sunt idem, sed distinguuntur formaliter.

Tertia conclusio. Tempus particulare est idem realiter, non autem formaliter cum suo motu particulari. Probatur primò eodem modo sicut præcedens; siquidem ratio eadem militat etiam de tempore, & motu particulari. Secundò probatur, quia passio est eadem realiter, & distincta formaliter à suo subiecto; sed tempus particulare est passio motus particularis; ergo &c. Maior patet, tum quia passio est inseparabilis à suo subiecto; tum etiam, quia non ingreditur rationem formalem eiusdem; sed tantum diffinitionem descriptiuam; ergo passio est eadem realiter, & distincta formaliter à suo subiecto. Minor patet, Tum quia Aristoteles 5. Metaph. cap. de Quanto, t. 18. vocat tempus passionem motus; Tum etiam, quia in hoc 4. Physicorum sum. 3. cap. 3. probat, tempus conuenire motui inseparabiliter, quamuis ipsum non sit motus, quod proprium est passionis, ex Porphyrio in Prædicab. cap. de Proprio; ergo tempus particulare est passio motus particularis, ac proindè idem sibi realiter, distinctū autem formaliter.

Quarta conclusio. Tempus commune, seu vniuersale distinguitur realiter à motu particulari; & è conuersò, tempus particulare à motu vniuersali. Est Scoti in 2. dist. 2. q. 2. sub E. §. *Respondeo &c.* Probatur, quia accidentia existentia in subiectis realiter diuersis, distinguuntur realiter; sed tempus vniuersale, & motus particularis; similiter tempus particulare, & motus vniuersalis, sunt in diuersis subiectis, vt patet, quia motus, & tempus vniuersale sunt subiectiuè in primo mobili, tempus autem, & motus particularis in cæteris orbibus, ac etiam in sublunaribus; ergo distinguuntur realiter inter se. Maior patet etiam, quia variato priori, variatur etiam posterius; sed subiecta sunt priora accidentibus; ergo si illa sunt realiter diuersa, & ista debent esse pariter diuersa realiter.

Quinta conclusio. Prior pars temporis

poris distinguitur realiter à posteriori parte sui motus: Similiter posterior pars temporis à priori parte sui motus. Colligitur ex Scoto ibidem. Probatur, quia illa, quæ simul non existunt, distinguuntur realiter; sed huiusmodi partes prior, & posterior motus, & temporis, simul non existunt, cum sint successiuæ; ergo distinguuntur realiter.

Ex his apparet manifesta conciliatio dictorum Scoti; siquidem dum dixit in 4 dist. 48. q. 2. tempus, & motum esse idem realiter, locutus est iuxta ea, quæ probauimus in secunda, & tertia conclusione, comparando nimirum tempus vniuersale ad motum vniuersalem, & particulare ad particularem motum, sic enim se habent veluti subiectum, & propria passio: cùm autem docuit in 2. dist. 2. q. 2. motum, & tempus distingui realiter, manifestè conuincitur voluisse demonstrare veritatem nostræ quartæ, & quintæ conclusionis; vnde concludendum est, nec fuisse varium, nec problematicum, sed optimè sibi constare secundum diuersas acceptiones motus, & temporis.

Obijcitur tamen multipliciter contra supradictas conclusiones, & primò contra primam, quod tempus non sit reale, quia id, quod dependet ab anima non est reale; sed tempus dependet ab anima; ergo non est ens reale. Maior patet: hæc enim est differentia inter ens reale, & ens rationis. Minor est Arist. in hoc 4. Physic. t. 131. dicentis, impossibile est tempus esse, cùm non sit anima.

Resp. Negando maiorem, quia scientiæ, species intelligibiles, & omnes habitus, & actus intellectuales, dependent in fieri ab anima, & tamen sunt entia realia, cum sint qualitates spirituales de prima specie qualitatis. Ad probationem dico, ens rationis nō esse illud, quod dependet ab anima, sed quod in fieri, pendet ab operatione animæ, vt aduertimus cum Doctore subtili in suis Vniuersalibus, & in tract. nostro secundarum Intentionum.

Vel dicendum secundò: Maiorem esse veram de eo, quod dependet ab anima effectiuè, non tamen de illo, quod dependet ab illa tantum præexigitiuè; modò tempus in ratione numeri numerati pēdet ab anima, vt à numero numerante, tantum secundo, nō primo modo.

Obijcitur secundò: Impossibile est, quod vni, & eidem enti reali debeatur continuitas, & discretio; sed tempus est quid continuum, & cum hoc dicit etiam discretionem partium, cum sit numerus motus; ergo tempus nequit esse quid reale. Maior patet, quia continuitas, & discretio sunt differentiæ oppositæ disparatæ, ac proindè incompossibiles in eodem.

Resp. Negando minorem; nam numerus, qui applicatur tempori, non est numerus, qui sit differentia opposita continuitati; siquidem talis est numerus formalis, cuius partes non copulantur aliquo termino communi; sed est numerus numeratus, nec etiam sic præcisè, sed quatenus numeratur ab anima, & ipsum numerat; ac mensurat, secundum suas partes, priorem, & posteriorem partem motus, vt meliùs declarabitur in sequenti quæstione.

Obijcitur tertiò contra secundam, & tertiam conclusionem simul, quantitates, quæ sunt eædem realiter debent habere etiam partes easdem realiter; sed tempus, & motus non sunt huiusmodi; ergo non sunt idem realiter. Maior patet, quia totum realiter pendet à partibus, si ergo partes erunt eædem, vel distinctæ realiter, & tota erunt sic eadem, vel distincta. Minor probatur, quia quantitas maior habet plures partes eiusdem quantitatis, quam minor quantitas; sed idem numero motus potest fieri in maiori, & in minori tempore; ergo tempus, & motus non habent easdem partes quantitatis omninò. Minor probatur, quia motus factus ab aliquo in vna hora, vt putà ambulatio facta à me per spatium milliare in vna hora de nocte, poterat fieri de die in semihora, & per idem spatium; quandoquidem expeditiùs ambularem in die, quam de nocte, & sic citiùs conficerem huiusmodi iter in die, quam de nocte; ergo idem numero motus potest fieri in maiori, & in minori tempore.

Resp. Negando minorem; ad cuius probationem dico, minorem esse veram de motu vniuersali, & de tempore particulari, quod diuiditur per horas; non tamen de tempore particulari, & motu sibi correspondenti, quia tale non mensuratur per horas, sed metitur motu, ita quod si motus est breuis, & tale tempus est breue; si longus, & longum pariter erit tempus.

Obijcitur quartò: Relatiua realia realiter distinguuntur; sed tempus, & motus sunt duo relatiua realia; ergo &c. Minor probatur, quia mensura, & mensurabile sunt relatiua realia ex Aristotele 5. Met. cap. de Ad aliquid; sed tempus est mensura, motus verò mensurabile; ergo &c. Maior patet, quia relatio realis est inter extrema realia, realiter distincta, vt ostendimus cum Scoto in 1. d. 26. q. vn. in Logica disput. 7. lib. Prædicamentorum q. 1. ergo &c.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, maiorem esse veram de mensura extrinseca, vt est tempus vniuersale respectu motuum particularium, nõ tamen de intrinseca, cuiusmodi est tẽpus particulare respectu proprij motus.

Obijcitur quintò: Illa, de quibus verificari possunt duo contradictoria realia, distinguuntur realiter, ex Scoto in 2. d. 1. q. 4. & 5. sed tempore, & motu verificari possunt duo contradictoria realia; ergo &c. Minor probatur, quia per Aristotelem in hoc 4. lib. Physic. t. 96. tempus realiter non est tardum, nec velox, motus autem est realiter tardus, & velox; sed tardum, & non tardum; velox, & non velox sunt contradictoria realia; ergo de tempore, & motu verificari possunt duo contradictoria realia.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, maiorem esse veram de tempore vniuersali; siquidem tale non est tardum, aut velox; & de motu particulari, quia talis est velox, vel tardus, non tamen de motu vniuersali, & tempore sibi respondenti, quia talia sunt sẽper velocissima: Similiter falsa est etiam illa maior de tempore, & motu particulari, quia huiusmodi sunt æquè velocia, ac tarda.

Obijcitur sextò: Philosophus 4. Physic. t. 94. reprehendit eos, qui dicebant motum vltimæ sphæræ esse tempus: & t. 118. disertis verbis, docet tempus non esse motum, licèt non possit esse sine motu; ergo asserere, tempus esse idem realiter motui, est apertè sentire contra ipsum.

Resp. Negando consequentiam; nam Philosophus reprehendit illos, quia dicebant, tempus esse motum formaliter vltimæ sphæræ; non verò realiter; similiter dicendum ad secundam auctoritatem; negat enim Aristoteles, tempus esse motum formaliter, & quiditatiuè; cæterùm cum asserat, non posse esse tempus sine motu, apertè fatetur esse idem realiter cum illo; inseparabilitas enim aliquorum abinuicem, arguit idẽtitatem realem inter illa.

Obijcitur septimò: Illa, quorum vnum manet, alio non manente, distinguuntur realiter; sed tempus manet, cessante motu; ergo tempus, & motus distinguuntur realiter. Minor probatur per D. August. lib. 11. Confess. cap. 23. dicentem, in prelio Iosuè, cessasse motum Cœli tribus horis, & præliabantur in tempore, vt est motum; ergo mansit tempus, cessante motu.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, cessasse quidem motum Cœli, & simul quieuisse tempus vniuersale; non cessauit tamen motus particularis, nec consequenter eius proprium tempus, quo mensurabatur illis tribus horis; vndè non licet inferre, quod mãserit tempus vniuersale, cessante motu vniuersali; sed solum remansisse tempus particulare ad quietem motus vniuersalis, ac proindè hæc abinuicem distingui realiter, quod libenter concedimus in conclusione quarta.

Vtrum diffinitio temporis data ab Aristotele in tex. 101. sit bona?

QVÆSTIO II.

Relatis, ac repudiatis Antiquorum opinionibus de quiditate, & natura

ra temporis, tamdem Philosophus in tex. 101. notificat, quid sit tempus de mente propria, dicens: Tempus est numerus motus, secundum prius, & posterius. Hanc diffinitionem expendentes Expositores, non vniformiter loquuntur, vt videre est apud Ruuium hic tract. 1. de Natura Temporis q. 2. & Mastrium disput. 13. q. 4. art. 2. verùm posthabitis aliorum placitis, declarabimus eam iuxta mentem Scoti, & Scotistarum, quibusdam adnotatis, ne ab instituto iam cępto deflectere videamur.

Primò igitur notandum est ex Aristotele hic t. 102. & 132. numerum esse triplicem .f. numerantem, quo numeramus, & numeratū. Numerus numerans est, qui distinguit, seu discernit vnam ab alia re, & sic intellectus, qui distinguit lapidem à planta, hominem ab equo, dicitur numerus numerans. Numerus quo numeramus est quantitas discreta, per quam numeramus res materiales, vt binarius, ternarius, denarius, & similes, quibus numeramus duos homines, tres equos, & decem aureos; & hic est duplex .f. transcendentalis, & prædicamentalis, de quibus satis egimus in prædicamento Quantitatis. Numeratus est res numerata, nimirum homines, equi, lapides, &c. & hic pariter est duplex, scilicet simplex, & mixtus. Numerus numeratus simplex est res præcisè numerata numero formali, vt duo homines, vel tres lapides. Mixtus est, qui participat de numerato, & numerante, vt vlna, quæ est numerata ab anima, ostendente ipsam esse tantæ, vel tantæ quantitatis, & etiam ipsa numerat quantitatem panni, dum pluries replicata manifestat, quantus sit pannus: ad propositum applicando, tempus non est numerus numerans, cum non sit anima, vel intellectus; nec est numerus, quo numeramus, quia non est quantitas discreta, sed continua; siquidem eius partes copulantur termino communi, vt dictum est in præcedenti quæstione not. 1. nec est numerus numeratus simpliciter, seu præcisè, sed mixtus, quia cum hoc, quod numeretur ab anima, etiam numerat motum secundum prius, & posterius, idest secundum partem priorem, & posteriorem, quæ sunt præteritum, & futurum.

Secundò notandum ex Scoto in 2. d. 2. q. 2. sub G. Mensurare est quantitatem ignotam per notam certificare; hoc autem potest fieri, vel per quantitatem existentem in imaginatione, sicut accidit in artifice experto, qui videns aliquam quantitatem, per certam mensuram, quam habet in mente, statim iudicat esse tantæ, aut tantæ longitudinis, & non amplius; vel certificatio fieri potest per quantitatem existentem in re, & hoc contingere potest quadrupliciter, vel applicando mensuram perfectionis, vel causalitatis, vel adæquationis, vel replicationis. Primo modo notificantur quiditates omnium specierum, quæ sub aliquo genere continentur, per aliquam cæteris perfectiorem, & sic per quiditatem hominis certificamur de quiditatibus omnium, quæ sub genere animalis continentur. Secundo modo intellectus certificatur de quantitate alicuius scientiæ, per eius subiectum à quo causatur; quantum enim est subiectum, tanta, & non amplius erit scientia. Tertio modo notificatur quantitas vini ex dolio, quod sibi adæquatur, ita quod nō excedit, nec exceditur. Quarto modo certificamur de quantitate panni per vlnā, quia sæpiùs replicata, tamdem adæquat illam, ostendendo esse tantæ quantitatis, & non amplius: Ex his ad propositū applicando, cum motus quantitas notificetur per tempus, tamquam per mensurā, tempus non erit mensura perfectionis, quia est imperfectius motu; nec causalitatis, cum non causetur motus à tempore, sed è conuersò tempus a motu, cum sit passio eius, sed tātum erit mensura adæquationis, & replicationis, quia interdum adæquantur motus, & tempus, vt contingit in motu, & tempore vniuersali, & interdum exceditur tempus à motu, cùm tempore particulari metimur motum vniuersalem, & omnes motus particulares; inquit enim Aristoteles, quod per vnam partem temporis, nempè per horam possumus

sumus mensurare omnes partes motus.

Tertiò notandum est Sulmonensi de Tempore q. 2. notab. 3. ad mensuram quantitatiuam tres conditiones requiri. Prima, quod sit indiuisibilis, non quidem simpliciter, sed comparatiuè ad rem mensuratam. Secunda, quod sit paruæ quantitatis, non enim habet semper mensurare æqualiter, seu adæquatè, sed interdum, & vt plurimùm per replicationem, vt patet de vlna. Tertia, quod sit homogenea, seu vt alij dicunt, vnigenea rei mensuratæ, idest eiusdem generis proximi cum mensurato; longitudo enim longitudine mensuratur, & duratio duratione metitur; ex quo sequitur, quod duratio successiua non potest mensurari per durationem permanentem, vt motus æuo, nec è conuersò permanens per successiuam, vt duratio Angeli nequit mensurari tempore; sed successiua per successiuam, & permanens per mensuram permanétem habet mensurari. Ex his infertur, quod tempus potest subire peroptimè rationem mensuræ respectu motus, Tū quia ambo sunt quantitates continuæ, & successiuæ; Tum etiam quia tempus particulare est indiuisibile, & paruæ quantitatis respectu motus; siquidem, vt inquit Aristoteles in t. 114. per vnam partem temporis mésurari possunt omnes partes motus; nam per replicationem vnius horæ possunt mensurari omnes partes motus diurni.

Quartò notandum est: Motum habere duplices partes, alias à diuisibilitate mobilis, & secundum tales non mensuratur tempore; siquidem simul tempore possunt esse hic mea manus, & pedes; alias verò à diuisibilitate spatij, & secundum tales mensuratur tempore, cum non possit naturaliter esse in spatio, quod est in Ecclesia, & hic in Schola. Ex his omnibus habetur intelligentia diffinitionis temporis, cùm dicitur, tempus est numerus motus secundum prius, & posterius; facit sensum, quod tempus sit mensura adæquationis, vel replicationis motus, secundum partem priorem, & posteriorem, quia pars prior temporis mensurat partem priorem motus primi mobilis, & posterior posteriorem successiuè, quousque mouebitur ab Intelligentia. Secundò habetur bonitas eiusdem diffinitionis; siquidem manifestat naturam, & quiditatem temporis per genus, & differentiam, vt meliùs dicemus in probatione conclusionis.

Ex his sit prima conclusio. Tempus est quantitas continua successiua. Probatur, quia tempus habet partes extra partes, copulatas ad vnum terminum communem, sibi inuicem succedentes, ita quod simul esse non possint; ergo tempus est quantitas continua successiua. Consequentia patet per locum à diffinitione ad diffinitum. Antecedens probatur, quia tempus habet præteritū, & futurum, copulata per nunc indiuisibile, quæ tamen simul coexistere nequeunt; siquidem futurum semper succedit præterito, quousque tempus durauerit; ergo tempus habet partes extra partes sibi inuicem succedentes, copulatas per terminum communem, qui est terminus vnius, & principium alterius partis.

Secunda conclusio. Diffinitio temporis tradita ab Aristotele in tex. 101. & à nobis, de mente Scoti in notabilibus explicata, est bona, & conuenienter assignata. Probatur, quia huiusmodi diffinitio competit omni tempori, soli tempori; & constat ex genere, & differentia; ergo est bona, & conuenienter assignata. Consequentia patet, nam nihil aliud desiderari potest ad bonitatem cuiuscumque diffinitionis. Antecedens probatur, quia omne tempus, & solummodo tempus est mensura motus secundum partem priorem, & posteriorem; ergo habet primam, & secundam conditionem. Habet etiam tertiam, quia ly mensura ponitur loco generis, est enim communis ad quantitatem permanentem, & successiuam; & ly motus secundum prius, & posterius, ponitur ad differentiam mensuræ permanentis, cuius est vlna, quæ mensurat partes quantitatis simul existentes; igitur cum hæc diffinitio habeat omnes conditiones bonæ

uæ diffinitionis, ſequitur, quod ſit bona, conuenienterque aſſignata. Secundò probatur, quia tempus quiditatiuè eſt quantitas continua, & ſucceſſiua, ex præcedenti concluſione; ſed huiuſmodi diffinitio, implicitè saltem, indicat quantitatem continuam, & ſucceſſiuam; ergo hæc diffinitio explicat naturam, & quiditatem temporis. Minor probatur, quia in eo quod dicitur, tempus eſt mẽſura, ſupple adæquationis, & replicationis, innuitur quantitas, quia menſurare eſt quantitatem ignotam, per quantitatem notam, certificare; cum autem additur, motus, oſtenditur continuitas, & ſucceſſio illius quantitatis, quæ eſt tempus; ſiquidem menſura, & menſuratum debent eſſe vnigenea: cùm verò ſubiungitur, ſecundum prius, & poſterius, demonſtratur peculiaris differentia conſtitutiua temporis, per quam differt eſſentialiter à motu; nam licèt vna pars motus poſſit menſurare totum motum, per replicationem ſui ad alias partes, hoc tamen nequit facere ſecundum prius, & poſterius, abſque tempore, cum ab ipſo dumtaxat habeat vt eius partes dicantur priores, & poſteriores; ergo diffinitio temporis ſic expenſa indicat eius quiditatem, & conſequenter eſt bona, ac conuenienter aſſignata.

Obijcitur tamen primò contra hanc ſecundam concluſionem, quia illa diffinitio, quæ competit alijs à diffinito, non eſt bona; ſed diffinitio temporis eſt huiuſmodi; ergo non eſt bona. Maior patet. Minor probatur, quia motus huius lectionis poteſt menſurari horologio; ſed horologium non eſt tempus; ergo diffinitio hæc competit alijs à tempore.

Reſp. Negando minorem; ad probationem dico, maiorem eſſe veram inſtrumentaliter, & per accidens, in quantum horologium ipſum eſt menſuratum hora, quæ eſt tempus, non autem per ſe, quia ſic tantum tempori conuenit.

Obijcitur ſecundò: Hæc diffinitio cõpetit etiam quieti; ſed quies non eſt motus; ergo non eſt bona. Maior eſt Ariſtotelis in t. 118. ac etiam D. Auguſt. lib. 11. Confeſſ. cap. 24. his verbis: Etſi variè corpus aliquando mouetur, aliquando ſtat, non ſolum motum eius, ſed etiã ſtatum tempore metimur; at ſtatus eſt quieſcere à motu; ergo &c.

Reſp. Negando maiorem, cum ſua probatione, per ſe, concedendo illam verò per accidens, modò nos dicimus, tempus eſſe menſuram motus per ſe dumtaxat, quietis autem ſolum per accidens, ratione motus, vt explicat etiam Ariſtoteles in citato textu.

Obijcitur tertiò: Idem nequit eſſe menſura, & menſuratum; ſed tempus menſuratur motu, ſecundum Ariſtotelem tex. 114. ergo nequit eſſe menſura motus.

Reſp. Maiorem eſſe veram eodem modo, falſam verò diuerſimodè; nam tempus eſt menſura motus per ſe, motus autem eſt menſura temporis per accidens.

Obijcitur quartò: Hæc diffinitio non competit omni tempori; ergo nõ eſt bona. Antecedens probatur, quia pars indeterminata temporis eſt verè tempus; eſt enim diuiſibile in infinitas partes; ſed pars indeterminata temporis nihil motus menſurat; ergo eſſe menſuram motus non competit omni tempori.

Reſp. Tempus eſſe menſuram motus poſſe dupliciter intelligi, vel in actu, vel in aptitudine; tunc menſurat in actu, cum actualiter deſignantur partes temporis, & motus; tunc verò in aptitudine menſurat, dum eius partes ſunt indeterminatæ, & fieri poſſunt determinatæ per diuiſionem in alias partes.

Formaliter ad argumentum nego antecedens; ad probationem dico, minorem eſſe veram de menſura in actu, falſam verò in aptitudine: modò diffinitio intelligitur de menſura aptitudinali, vel actuali, non autem de actuali tantum.

Obijcitur quintò: Menſura debet eſſe vnigenea menſurato; ſed tempus non eſt vnigeneum motui; ergo non eſt menſura motus. Maior patet ex 3. not. Minor probatur, quia diuiſibile, & indiuiſibile nõ ſunt vnigenea; ſed partes motus ſunt diuiſibiles in infinitum, non ſic autem partes temporis, quia ex Philoſopho in tex. 103. huius 4. lib. Et 3. Metaph. t. 15. idem nunc ſecundum

substantiam, & differens secundum esse, manet in toto tempore, & hoc est indiuisibile; ergo partes motus, & partes temporis non sunt vnigeneæ, & consequenter hæ non possunt esse illarum mensuræ.

Resp. Negando minorem; ad probationem iterùm neganda est minor quoad secundam partem, ad cuius probationem dico, idem nunc manere in toto tempore secundum speciem, diuersum autem secundum numerum, & sic non impedit diuisionem partium temporis, eo modo, quo sunt diuisibiles in infinitum, etiam partes motus: Sed de hoc fusiùs in sequenti erit sermo, pro nunc sufficiat ad solutionem difficultatis.

Vtrum idem Nunc secundum substantiam, differens autem secundum esse maneat in toto tempore?

QVÆSTIO III.

Circa hanc difficultatem variæ sunt Expositorum sententiæ, vt videre est apud Recentiores; siquidem Nominales, sustinentes identitatem realem motus, & temporis cum mobili, consequenter dicunt, omnia indiuisibilia, quę reperiuntur in motu, ac tempore, esse realiter in eodem mobili, vndè fit, quod sicut idem numero mobile est idem secundum substantiam in toto motu, & solum differt secundum esse, hoc est, secundum diuersos respectus ad formas quas respicit, ita idem nunc numero est in toto tempore, differens solum secundum diuersos respectus ad diuersas partes, quas respicit.

Aureolus autem in 2. d. 2. q. 2. cum asserat, tempus non habere esse præter animam, imaginatur, quod sicut punctus per suum fluxum causat totam lineam, & vnus punctus est in tota linea, sic vnum, & idem nunc causat totum tempus, vt maneat idem secundum substantiam, ac solum differat secundū esse, quatenus est in præterito, & futuro.

Aegidius Romanus 4. Physic. super t. 103. cui adhæsit noster Tatar. q. 3. distinguunt de duplici instanti, seu nunc, intrinseco, & extrinseco temporis, primum esse dicunt instans continuatiuum partium temporis, secundum esse mobile, quod manet in toto motu semper idē, & de hoc intelligunt axioma Aristotelicum; siquidem est idem numero secundum substantiam, & solum differt per diuersos respectus ad varia nunc intrinseca.

Burlæus in 4. Physicorum ad tex. 103. asserit, idem nunc manere in toto tempore, scilicet in præterito, præsenti, & futuro secundum substantiam, differens tamen secundum esse, quia vt est in præterito habet esse transactum, in præsenti habet esse actu, & in futuro habet esse in potētia, vel quod idem nunc maneat subiectiuè in toto tempore, quia manet idē subiectum .s. mobile, non tamen idem formaliter prout est continuatiuum partium temporis.

Bonetus autem noster 6. Physic. cap. 1. sustinet, manere idem nunc specie in toto tempore, diuersum tamen numero.

Scotus tādem in 2. d. 2. q. 2. sub D. exponit sic axioma Aristotelis, quod non intelligit nunc manere idem secundum substantiam, quia oppositum sequitur ex dictis eius; sed quodcumque vnū nunc, consideratum secundum se, est idem, & hoc dicitur esse idem secundum substantiam; consideratum autem in ordine ad tempus præteritum, & futurum, cum sit terminus præteriti, & principium futuri, dicitur distinctum secundum esse, quia vt dicit habitudinem ad præteritum, est finis, vt verò ordinatur ad futurum, habet rationem principij; & hanc expositionem puto veram, & conformem sensui Philosophi, pro cuius clariori intelligentia,

Primò notandum est, quod instans, secundum Aristotelem in tex. 102. est quoddam indiuisibile continuatiuum partium temporis .s. præteriti cum futuro; sicut enim punctus est copulatiuus partium lineæ, ita instans, vel nunc partium temporis, est verè copulatiuum, cum hac tamen differentia, quod punctus in linea habet esse permanens, quia copulat partes lineæ permanentes; in-

stans

stans verò, est successiuum, cùm coniungat partes sibi inuicem succedentes.

Secundò notandum est: Axioma Aristotelis, cùm dicit, idem nunc secundum substantiam, posse manere in toto tempore, esse collectiuum, & distributiuum. Si sit collectiuum, facit hunc sensum, idem nunc numero manet idem in omnibus partibus temporis simul sumptis, & sic est falsum, & impossibile: si verò sumatur, aut fuerit distributiuum, facit hunc alium sensum, idem numero nunc manet in qualibet parte temporis, idest, in hac parte est vnum numero nunc, in illa parte vnum numero nunc, & sic de alijs, quorum quodlibet est idem secundum sui entitatem, quia copulat præteritum cum futuro; est verò differens secundum esse, quia dicit diuersas habitudines ad præteritum, & futurum; siquidem vt respicit præteritum, habet rationem finis, vt verò ordinatur ad futurū, habet rationem principij

Ex his fit prima conclusio. Nulla, ex quatuor primis expositionibus, est bona, aut conformis sensui Aristotelico. Probatur: Nam prima Nominalium supponit vnum falsum, quod nimirum mobile sit idem cum motu, vt ostendimus in 3. Physic. in disp. de Natura Motus q. Similiter secunda, quæ est Aureoli, supponit aliud falsum, nempè quod tempus habeat esse ab anima, quod improbatum est superiùs q. 1. Neque admittenda est expositio Aegidij, & Tatareti, alioquin Philosophus peteret principium, probãdo idem per idem; siquidem probat idẽ nunc per comparationẽ mobilis ad motum; sed mobile per te est idem cũ nunc; ergo probat idem per idem. Nec sustineri valet expositio Burlæi, quod enim non est, manere non potest; sed nunc, quod est in præterito, non est; ergo non manet idem in toto tempore: Similiter falsum est, quod idem nunc manet, quia mobile, in quo est subiectiuè, manet idẽ numero, equidem supponit vnum falsũ, quod nunc sit idem cum mobili, quod superiùs improbatum est; si enim mobile distinguitur realiter à motu, cuius est subiectum, multò magis distinguetur à tẽpore, & nunc, quod solum recipit in se, mediante motu; ergo nulla, ex quatuor expositionibus primis est bona, aut sustineri potest.

Secunda conclusio. Expositio Nicolai Boneti, quam postea sequutus est etiam Paulus Sulmonensis hic q. 2. propè finẽ, & Catharensis in 4. Physicorum q. 3. art. 4. est optima. Probatur, quod est immutabile semper manet; sed idem nunc specie, est immutabile, & mutabile secundum numerum; ergo idem nunc specie manebit in toto tempore, diuersum autem erit secundum numerum. Maior patet. Minor probatur, quia species, & quiditates sunt immutabiles, indiuidua verò mutabilia; ergo &c.

Tertia conclusio. Expositio Scoti superiùs recensita, de existentia nunc eiusdem in toto tempore, est vera, & conformis Aristoteli. Declaratur autem, & simul suadetur sic; sicut enim se habet mutatum esse in toto motu, ita debet se habere nunc in toto tempore, ex Aristotele in hoc 4. lib. tex. 105. sed vnum, & idem numero mutatum esse, est in toto motu; ergo vnũ, & idem numero nunc, debet esse in toto tempore. Minor pariter declaratur, quia totus motus coalescit ex duabus partibus actu, copulatis adinuicem, nempè ex parte transeunte, & succedente; sed huiusmodi partes non copulantur adinuicem per plura mutata esse, verùm per vnum tantum, vt omnes fatentur; ergo verum est, vnum, & idem numero mutatum esse, secundum suam entitatem indiuisibilem, esse in toto motu: igitur eodem modo philosophandum est etiam de ipso nunc temporis; quandoquidem totum tempus integratur ex duabus partibus determinatis tantum, scilicet ex præterita, & futura, adinuicem continuatis per instans, seu nunc indiuisibile; sed vnum, & idem numero nunc dumtaxat est continuatiuum earumdem partium, integrantium vnũ totale tempus; ergo dicendũ est, vnum, & idem numero nunc, manere idem in toto tempore secundum substantiam, & entitatem suam indiuisibilem. Secunda pars expositionis, quod sit differens secundum esse, declaratur, & suadetur, quia idem nunc continuatiuũ, tantit

git vtramque partem, præteritā s. & futuram; sed vt tangit præteritā habet rationem termini, ac finis, cum autem tangit futuram inducit rationem principij, quæ sunt rationes differentes; ergo verum est, quod vnum, & idem nunc, existens indiuisibiliter in toto tempore, sit diuersum, & differens in se secundum esse, hoc est secundum rationes formales diuersas, ac differentes.

Obijcitur primò contra secundam conclusionem: Sicut se habet mobile ad motum, ita nunc ad tempus, ex Aristotele in t. 105. supracitato; sed idem numero mobile est in toto motu; ergo & idem numero nunc debet esse in toto tẽpore, & non diuersa numero, & idem specie, vt dicit Bonetus, & Sulmonensis.

Resp. ex Scoto in 2. d. 2. q. 2. sub D. mobile dupliciter considerari posse, & ante mutationem, & dum est sub vna mutatione: Primò modo est quid permanens, & idem numero manet in toto motu: Secundò modo est quid successiuum, & dicitur mutatum esse, quod idem numero transit cum parte transeunte, & succedit aliud cum succedente motu, quippè continuat alias partes motus, sicque non potest durare in toto motu, hoc est in omnibus partibus eius collectiuè sumptis, licet benè idē specie.

Formaliter ad argumentum dico, maiorem esse veram de mobili, secundo, nō primo modo, quia sic tantum mensuratur tempore, & instanti. Minorem autem veram esse de mobili, primo, nō secundo modo sumpto, quia cum tale sit quid successiuum, non potest esse idem numero, sed solū idē specie in toto motu.

Obijcitur secundò contra tertiam cōclusionem: Nunc temporis est quid successiuum, sicut ipsum tempus; ergo idē numero manere nequit in toto tempore, sed solum idem specie. Consequentia patet, quia partes entium successiuarum, per hoc differunt à partibus entium permanentium, quod sicut illæ eædem numero perseuerant in toto, ita istæ distinctæ numero sibi succedunt; sed instans spectat ad partes entis successiui; ergo idem numero manere nequit in toto tempore.

Resp. Consequens, & eius probationem habere veritatem de toto tempore, accipiendo ipsum pro omnibus partibus potentialibus, in quas diuidi potest; siquidem huiusmodi totum, cum integretur ex pluribus partibus indeterminatis, nequit continuare sibi huiusmodi partes per nunc vnum, & idem numero, sed requirit plura diuersa numero; cæterùm si sumatur totum tempus complectiuè, & quidditatiuè, cùm consistat in copulatione solum duarum partium actu diuisarum per vnum instans, seu nunc indiuisibile, benè possumus dicere, idem numero manere in toto tempore, distributiuè sumpto; quandoquidem omnes partes actu diuisæ, in quibus consistit quidditatiuè vnum tempus, erunt continuatæ vnico numero nunc.

Obijcitur tertiò: Si idē numero nunc manet in toto tempore, modo iam explicato; ergo semper manebit, & numquam desinet; sed hoc est contra naturā instantis, quod raptim transit; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia si desinit, vel hoc erit in tempore, vel in instanti; sed neutrum est dicendum; ergo non potest desinere esse. Maior patet, quia sicut omnis inceptio fit aut in instanti, aut in tempore, ita dicendum est de desitione. Minor probatur: Non in tempore, quia non est diuisibile, sed indiuisibile; nec in instanti, quia vel desinet in alio, vel in seipso; non in alio, quia tunc essent duo instantia immediata, & numero distincta, quod est contra suppositum; neque in seipso, quia simul inciperet, & desineret, quod est valdè absurdum.

Resp. negando sequelam maioris, ad probationem dico cum Scoto in quolib. 12. instans, seu nunc desinere in instanti, non quidem in alio à se numericè distincto, sed in seipso; nec est absurdum, idem simul incipere, & desinere, quinimmò hæc est natura indiuisibilium, cuiusmodi sunt mutata esse in motu, & instantia in tempore, vt incipiant simul, & desinant in seipsis; nam incipiunt per primum sui esse, & desinunt per vltimū sui esse, sic dicendo: Hoc instans nunc est, & immediatè ante hoc non fuit; ergo inci-

incipit: Similiter hoc instans nunc est, & immediatè post hoc non erit; ergo desinit esse; Ex quo patet, quod, posito vnico nunc in toto tempore, non propterea semper manebit, sed desinet cum transitione præteriti, non in præterito, sed in seipso, modo iam explicato.

Vtrum omnia entia mensurentur tempore, vel alia mensura?

QVÆSTIO IV.

Omnia entia esse in triplici differentia prænoscendum est; nam alia sunt permanentia, alia successiua, & alia raptim transeuntia. Permanentia sunt adhuc triplicia, quædam sunt increata, vt sunt Deus, & ea quæ sunt in ipso formaliter: Quædam creata, spiritualia tamen, & incorruptibilia, vt sunt Angeli, & animæ, ac eorum operationes: Quædam corporalia, & generabilia, & corruptibilia, vt sunt substantiæ corporeæ, generabiles, & corruptibiles, ac accidentia absoluta, ipsas consequentia, scilicet quantitates, & qualitates. Successiua verò, quæ acquiruntur non omnia simul, sed prius secundum vnam partem, deindè secundum aliam, & aliam, & nō habent esse tota simul, vt sunt motus augmentationis, diminutionis, alterationis, & locimutationis. Raptim autem transeuntia sunt, quæ habent esse in instanti, in quo pariter desinunt, vt sunt mutata esse in motu, generatio, & corruptio: De his omnibus procedit nostra quæstio; & quidem de entibus increatis non est controuersia, sicut nec de successiuis, aut raptim transeuntibus, quia quemadmodum omnes fatentur, increata mensurari æternitate; & raptim transeuntia, instanti temporis, ita asserunt successiua necessariò mensurari tēpore: De permanentibus igitur creatis, tàm spiritualibus, quàm corporalibus, tàm substantialibus, quàm accidentalibus absolutis, est difficultas, an omnia, vel tantum aliqua, mensurentur tempore, vel æuo: vndè

Aliqui putant, omnia permanentia, tàm spiritualia, quàm corporalia creata, cum habeant existentiam, saltem virtualiter, diuisibilem, posse mensurari tempore nostro. Ita Vasquez 1. p. disput. 34. Faber in 2. disp. 13. cap. 3. & Vulpes 2. p. disp. 9. art. 6. quos refert, & sequitur Mastrius hic disp. 13. q. 4. art. 2. n. 51.

Alij autem, quorum meminit Durandus in 2. d. 2. q. 6. sustinent, formas substantiales, generabiles, & corruptibiles, mensurari quidem tempore, non autem nostro, quod est continuum, sed discreto, vtpotè composito ex partibus indiuisibilibus.

Alij verò docent, omnia permanentia generabilia, & corruptibilia, mensurari tempore nostro, non tantum per accidens, ratione motuum, quibus subijciuntur, verum etiam per se. Sic Albertus Magn. 1. p. sum. de quatuor Coæuis, Caiet. in 1. p. q. 10. art. 1. Soncinas lib. 12. Met. q. 34. Fonseca lib. 3. cap. 13. q. 12. sect. 3. & communiter Thomistæ.

Alij insuper asserunt, omnia permanentia, tàm corporalia, quàm spiritualia, si per se considerentur, mensurari æuo; si verò spectentur, vt subsunt motui, ac mutationi, per accidens mensurari etiam tempore. Ita Scotus in 2. d. 2. q. 4. cum cæteris Scotistis. Huic opinioni in re videntur consentire Durandus in 2. d. 2. q. 6. Hærueus Natalis quodlib. 1. q. 12. Suarez tom. 2. Metaph. disp. 50. sect. 7. quamuis in nomine discōueniant, vt notauit Ruuius tract. 1. de Temp. q. 4. siquidem asserunt, mensurari quadam mensura indiuisibili, tota simul, successione carente, & ex propria ratione defectibili, ratione cuius verentur dicere esse æuum, cum Scoto; sed vel potius appellanda est modus æui, cum Henrico; vel instans permanens, cum Durando, aut innominabilis, cum Ruuio.

Quid autem nobis dicendum sit, secundum probabiliorem mentem Scoti, quibusdam de more notatis, subijciemus in conclusionibus inferiùs ponendis.

Primò notandum est igitur, ex communi Doctorum consensu, durationem diuidi in Æternitatem, Æuum, Instans, & Tempus. Æternitas, secundum Boetium de Consol. Philosophiæ lib. 5. pro-

prosa 6. est interminabilis vitæ, tota simul, & perfecta possessio, quam descriptionem expendens Scotus in quol. 6. sub R. dicit, per ly vitæ, intelligendam esse Dei existentiam actualem, per ly interminabilis negationem desitionis; per ly tota simul permanentia, per quam excluditur successio, & per ly perfecta possessio, independentiam ab alio; ita quod æternitas in Deo dicit eius existentiam cum negatione desitionis, successionis, & dependentiæ, & hac mensura mensurantur tantummodo Deus, & ea, quæ sunt in ipso, vt personalitates, relationes, & attributa diuina. Aeuum verò, secundum Scotum in 2. dist. 2. q. 4. §. Contra conclusionem huius positionis &c. est mensura rerum, quæ habent eũdem modum manendi, dum manent, idest permanenter, siuè tales res sint defectibiles, siuè indefectibiles, & hac mẽsura mensurantur omnes substantiæ, siuè incorporeæ; siuè corporeæ, quia tales, dum manent, habent semper vniformem modum manendi .i. habent omnes partes simul, totumque esse possunt acquirere in instanti, & huiusmodi mensura eadem realiter cum existentia earumdem substantiarum, vt probat Doctor ibidem. Instans autem, secundum Aristotelem 4. Physic. t. 121. est continuatio temporis, hoc est, quoddam indiuisibile continuatiuum præteriti cum futuro; & sicut tempus est mensura motus, & eius partium diuisibilium, ita instans est per se mensura mutationum indiuisibilium, vt sunt generatio, & corruptio, & mutatorum esse, quibus continuantur adinuicem partes motus. Tẽpus tamdem est per se mensura motus secundum prius, & posterius, vt declaratum est in præcedentibus quæstionibus.

Secundò notandum ex eodem Scoto in 2. d. 2. q. 4. A. §. Ad primum dico, quod in entibus creatis, ista se habent per ordinem. Primò est fluxus formæ, qui est motus. Secundò est forma secundum quam fit fluxus actualiter, vocaturque forma fluens, vt qualitas, quantitas, & vbi acquisita per motum. Tertiò est forma secundum quam potest esse fluxus partis post partem, non tamen necessariò, cum possit acquiri tota simul, vt quãtitas, qualitas, & vbi. Quartò est ens permanens, in quo non est natus esse fluxus partium post partem, habet tamen necessariò formam inhærentem, per quam potest esse fluxus, cuiusmodi sunt omnes substãtiæ materiales, generabiles, & corruptibiles, quæ non acquiruntur per motum, cum fiant in instanti, attamen consequentes quantitates, qualitates, & vbi, in quibus potest esse fluxus, cùm regulariter acquirantur per motum. Quinto est ens, in quo nequit esse fluxus, neque in aliquo ipsum consequente, vt est Angelus, & anima rationalis, ac eorum operationes; in his enim nequit esse fluxus, cum careant partibus, & sint eiũ spiritualia, quæ non acquiruntur per motum, & mutationem. Modò ad propositũ applicando, inquit Doctor, quod entia quinto modo ordinata necessariò mensurantur æuo, non autem tempore, nec per se, nec per accidens, cùm circa ipsa, neque in aliquo consequente, natus sit fieri motus, qui mensuratur tempore. Similiter entia quarto modo, secundum se spectata, mensurantur æuo, quia circa ipsa non est natus esse motus, tamen per accidens, hoc est ratione accidentium, consequentium, mensurantur tempore. Entia primo modo necessariò mensurantur tempore per se; sunt enim successiua, & non possunt acquiri tota simul. Entia autem secundo, & tertio modo; qua mensura mensurentur, videtur Scotus problematicus, cum sustineat vtramque partem probabiliter, & quod mensurentur æuo, & etiam tempore per se; quarè meus Magister in 4. Phys. q. 3. art. 2. not. 2. vt problema disoluat, putat, dicendum fore, quod huiusmodi entia mensurentur æuo per se, cum in esse quieto habeant vniformem modum manendi, & sint tota simul, per accidens autem tempore, cum acquirantur per motum, & mutationem. Hoc autem, quamuis sit benè dictum, non mihi multum probatur, sed melius dicendum censeo, mensurari quadam mensura media inter tempus, & æuum, quod vt clariùs pateat.

Tertiò

Tertiò notandum est, vt colligitur ex Scoto ibidem sub B. & C. tàm æuum, quàm tempus dupliciter cōsiderari posse, strictè nimirum, ac largè. Æuum strictè sumptum est illud, quod in mensurato exigit non tantum esse inuariatum, sed etiam inuariabile, ita quod sit contra eius naturam posse variari, suscipiendo magis, & minus; vel maius, aut minus, & sic tantum substantiæ, siuè corporeæ, siuè incorporeæ, mensurantur æuo; siquidem repugnat earum naturis, siuè in fieri, siuè in facto esse, variatio, cum secundum se nec suscipiant maius, & minus, nec magis, aut minus. Æuum largè acceptum, quamuis requirat in æuiterno esse inuariatum, & permanens, non tamen esse inuariabile, immò admittit oppositum .s. esse variabile, nedum in fieri, sed etiam in facto esse, & sic quantitas, qualitas, & vbi, consequentia substantias materiales possunt dici mensurari æuo; quandoquidem acquiri possunt tota simul, & dum sunt acquisita, habent esse inuariatum, & permanens, licèt non esse inuariabile; siquidem possunt augeri, & diminui quantitas, & vbi, & possunt intendi, ac remitti qualitates. Similiter tempus strictè acceptum requirit in mensurato, nō tantum esse variabile, sed actu variatū, hoc est successionem partis post partem actu, & sic tantùm motus propriè dicti, nempè augmentatio, diminutio, alteratio, & latio, seu locimutatio, mensurantur tempore. Tempus autem largè sumptum, quamuis non actu exigat esse variatum, requirit tamen in mensurato esse variabile, & successiuum potentialiter, & sic quantitas, qualitas, & vbi, consequentia substantias corporeas, & materiales, possunt dici mensurari tēpore. Ex his infertur primò, quod æuum, & tempus, largè accepta coincidunt, ita quod vnum, & idem dici potest esse sub æuo, & sub tempore, seu æuiternum, & temporale, quamuis valdè impropriè. Secundò, quòd æuum, & tempus pressè sumpta opponuntur, ita quod æuiternum repugnat mensurari tempore, & temporale, æuo; siquidem variatum, & successiuum, & inuariatum, ac permanens, non tantum actuale, sed etiam potentiale omninò repugnant simul in eodem. Tertiò infertur, quod cū quantitas, qualitas, & vbi, etiam in esse quieto, non participent, secundum eorum existentiam, de esse permanenti, & successiuo, cùm habeant esse inuariatum tantum actu, non autem potentia, & variabile potentia, non variatum actu, nequeunt per se mensurari aut æuo, aut tempore, sed necessariò requirunt aliam mensuram mediam inter tempus, & æuū ab ipsis distinctam, sicque admittendum esse quintum genus mensuræ a cæteris quatuor realiter distinctum.

Ex his fit prima conclusio. Angeli, & animæ rationales, ac eorum operationes immanentes, nimirum intellectiones, & volitiones, similiter substantiæ corporeæ, generabiles, & corruptibiles, per se mensurantur æuo, ratione autem suarū operationum transeuntium, per accidens mensurantur tempore. Est Scoti in 2.d.2.q.4. sub A. & §. Contra conclusionem huius positionis &c. Probatur prima pars: Quæcumque habent esse inuariabile, nedum in fieri, sed etiam in facto esse, ita quod eorum naturis repugnet variatio, aut variabilitas successiua, mensurantur per se æuo, & nullatenus tempore; sed substantiæ immateriales, & materiales, ac earum operationes immanentes sunt huiusmodi; ergo per se mensurantur æuo, & non tempore. Maior patet ex natura, & conditionibus æuiternorum, & æui, expressis in 1. & 3. not. Minor probatur, quia substantiæ immateriales, vt sunt Angeli, & animæ rationales, carent partibus, secundum quas posset fieri variatio, & successio; similiter substantiæ materiales non suscipiunt magis, aut minus, nec maius, vel minus ex Aristotele in prædicamentis cap. de Substantia, cùm hæc non sint propria substantiæ, sed quantitatis, & qualitatis; ergo omnes sunt prorsùs inuariabiles, & ineptæ, vt in eis fiant successiones partium post partes; idē pariter dicendum est de operationibus immanētibus; siquidem eliciuntur ab intellectu, & voluntate totæ simul, & quādiu permanent habent semper eumdem modū ma-

manendi inuariabilem; quandoquidem eius repugnat fluxus in sui acquisitione; igitur, & istæ habent esse inuariabile, & permanens, ac proindè sunt mensurabiles æuo, & non tempore. Secunda pars probatur; siquidem motus per se mensuratur tempore, & subiectum motus per accidens; sed operationes transeuntes sunt motus; & substantiæ, tàm materiales, quàm immateriales sunt earúdem subiecta; ergo ratione huiusmodi operationum, habent mensurari tempore per accidens.

Secunda conclusio. Quantitates, qualitates, & vbi, quæ consequuntur substantias materiales, non mensurantur per se, aut per accidens, æuo, vel tempore presè consideratis, sed mensura quadam media inter vtrumque, ab eis, & cæteris mensuris realiter distincta. Colligitur ex Scoto loco citato sub B. & C. côtra Cutharéiem meum Magistrum loco supracitato. Probatur prima pars: Nam quæcunque mensurantur per se æuo, debent habere existentiam omninò inuariabilem, cum repugnantia ad oppositam successionem: quæ autem mensurantur tempore per se, requirunt existẽtiam ita variatam, & variabilem, vt sibi repugnet permanentia, & suarum partium simul existentia; sed quantitates, qualitates, & vbi, quæ consequuntur substantias materiales, non sunt huiusmodi; ergo neque per se æuo, aut per se tempore mensurari possunt. Maior patet, quia quæ per se mensurantur æuo, sunt essentialiter permanentia; quæ verò mensurantur per se tempore, sunt essentialiter successiua, vt liquet ex diffinitionibus, & conditionibus vtriusque, relatis in 1. & 3. not. sed entia essentialiter permanentia sunt penitùs inuariabilia, cùm eis repugnet successio; & entia essentialiter successiua, sunt ita variata, & variabilia, vt ipsis repugnet permanentia, seu partium simul in toto existentia; ergo quæ mensurantur æuo debent esse omninò inuariabilia; & variabilia quæ per se mensurantur tempore. Minor probatur, quia huiusmodi quantitates, & vbi, etiamsi habeant esse quietum in substantijs materialibus, possunt augeri, & diminui; qualitates verò intendi, & remitti, vt experientia compertum est; similiter, quamuis acquirantur successiuè secundum partes post partes, tamen in facto esse habent coexistentiam simultaneam in suis totis; ergo non habent existentiam aut essentialiter inuariabilem, aut essentialiter per successionem variatam. Secunda pars probatur: Quæcumque mensurantur per accidens, debent prius mensurari per se aliqua mensura sibi propria, vel positiuè, vel priuatiuè si sint entia positiua, aut priuatiua, patet enim de substantia materiali, quæ ratione motuum per accidens mensuratur tempore, & per se æuo; similiter de quiete, quæ si per accidens mensuratur tempore, per se priuatiuè mensuratur mensura propria priuatiua, vt docet Scotus in locis proximè citatis; sed quantitas, qualitas, & vbi, nec per se æuo, nec per se tempore mensurari possunt, vt probatum est; ergo neque ab illorum alterutro per accidens mensurari poterunt. Tertia pars probatur, quia huiusmodi entia, cùm habeant existentiam distinctam realiter ab aliorum entium existentijs, habent mensurari aliqua mensura sibi propria per se; sed talis nequit esse aliqua illarum quatuor; ergo huiusmodi mensura erit ab illis realiter distincta. Maior patet, quia existentia est fundamentum mensuræ, & diuersi modi existendi, diuersificant mensuras; ergo cùm huiusmodi entia habeant diuersum modum existendi à cæteris mẽsuratis, debent habere etiam mensuram sibi propriam à cæteris realiter distinctam. Minor probatur: Non enim potest esse æternitas, aut instans temporis, quia eorum existentiæ nec semper sunt duraturæ, nec solum per instans, vt est notum: Nec æuum, aut tempus, vt satis probatum extat; ergo debet esse media inter æuum, & tempus, & sic, non tantum ab eis, verùm & à cæteris mensuris realiter distincta.

Tertia conclusio. Tempus nequit per se mensurare res permanentes, siuè sint formaliter, siuè virtualiter diuisibiles, vt non benè, nec Scoticè putauit Magistrius; verùm dumtaxat res successiuas, cuius-

mo-

modi sunt omnes motus propriè sumpti. Est Scoti in 2. d. 2. q.4. sub A. §. Ad primum dico, quod in entibus &c. Probatur prima pars, quia mensura debet esse vnigenea mensurato, idest eiusdem rationis, & generis proximi cum illo, vt adnotauimus suprà q.2. sed tempus, cum sit essentialiter successiuum, est alterius rationis à quibuscumque rebus permanentibus; ergo nequit esse earumdem mensura. Secundò sic ad hominem: Si diuisibilitas virtualis substantiæ spiritualis, sufficeret ad mensurari tempore, sequeretur, quod etiam essentia, & natura diuina esset per se mensurabilis tempore; sed hoc est contra ipsum disp. 13. q. 2. n. 13. vbi concludit cum Scoto in quol. 6. mensuram propriam, & per se diuinæ substantiæ esse tantum æternitatem; ergo &c. Sequela maioris patet ex eodem Mastrio hic disp. 11. q.2. art. 2. n. 13. vbi asserit, diuinam substantiam, & naturam esse virtualiter diuisibilem in partes virtuales, si igitur diuisibilitas virtualis sufficit, vt substantia spiritualis possit mensurari tempore per se, etiam diuina natura poterit ita mẽsurari, quod est contra communem omnium Doctorum consensum. Secunda pars probatur ex diffinitione temporis, tradita ab Aristotele in hoc lib. t. 101. quod sit mẽsura motus, secundum prius, & posterius; sed diffinitio tantum per se competit diffinito; ergo tantum motus per se mensuratur tempore.

Quarta conclusio. Quies, vt dicit priuationem motus, per accidens mensuratur tempore. Est Aristotelis in hoc 4. Physicorum t. 118. & Scoti loco citato, & sub C. probatur sic ab ipso: Sicut se habet vacuum ad plenum, ita quies ad motum; sed per eamdem mensuram mensurantur vacuum, & plenum, hoc positiuè, & illud priuatiuè; ergo & quies habet mensurari per eamdem mensurã, qua motus; sed motus mensuratur per se tempore; ergo quies per accidens. Maior patet, quia sicut vacuum dicit priuationem pleni, ita quies, motus. Minor similiter est nota, nam eadem magnitudo, qua mensuratur hæc schola plena aere, mensuraret idem spatium priuatiuè, si foret vacuum; siquidem esset eadem distantia inter latera priuatiuè, sicut si esset plenum.

Quinta conclusio. Entia raptim transeuntia, vt sunt mutata esse, continuatiua, & terminatiua partium motus; & mutationes instantaneæ, scilicet generatio, corruptio, & illuminatio, mensurãtur instanti temporis. Est communis. Probatur: Entia, quæ durant tantum per vnum instans, debent mensurari instanti, siquidem mensura est quædam rei duratio; igitur eo modo, quo res durat, sic debet mensurari; sed raptim transeuntia, & mutationes propriè dictæ, durant tantum per instans; ergo huiusmodi entia debent mensurari solum instanti temporis. Minor patet, quia incipiunt per primum sui esse, & desinunt per vltimum sui esse, vt superiùs explicatum est ex Doctore subtili in quol. 12. ergo simul incipiunt, & desinunt, & sic durant tantum per vnum instans.

Sexta conclusio. Deus, & ea, quæ sunt in ipso formaliter, & virtualiter mensurantur æternitate. Est Scoti in quolib. 6. Probatur, quia mensura, & mensuratũ debent esse vnigenea; sed sola æternitas est vnigenea Deo, & omnibus, quæ sunt in ipso; ergo Deus, & ea, quæ sunt in ipso, mensurantur tantum æternitate. Minor probatur: Quæ sunt in Deo formaliter, ac virtualiter sunt realiter essentia diuina, & Deus, quæ sunt infinita; sed sola æternitas est mensura infinita, vt patet ex eius diffinitione expensa in 1. not. ergo sola æternitas est vnigenea Deo, & his, quæ sunt in ipso aut formaliter, aut virtualiter.

Obijcitur primò contra primam conclusionem, Tum quia Aristoteles in hoc 4. lib. Physic. t. 120. & 133. dicit, substantias generabiles, & corruptibiles mensurari tempore: Tum etiam, quia quæ exceduntur à tempore mensurantur ab ipso, sed substantiæ huiusmodi exceduntur à tempore, vt docet idem Aristoteles ibidem; ergo habent mensurari tempore, & non æuo.

Resp. Has, & similes auctoritates, intelligendas esse per accidens, quatenus nimirum substantiæ generabiles, & corruptibi-

suum negationem permanentiæ, seu simultaneæ existentiæ partium; ergo permanens, & successiuum sunt contradictoria, inter quæ non poterit esse medium.

Resp. Negando antecedens; ad probationem dico, maiorem esse veram de permanenti, & successiuo simpliciter, & essentialiter, falsam sumendo vtrumque largè, quatenus vnum participat aliqualiter de altero; vndè ad minorem dico, esse veram de permanenti, & successiuo largè acceptis, falsam de eisdem presè sumptis, quia inter illa datur aliquod ens, quod participat de vtrisque, habens in se permanentiam actualem, & successionem potentialem, & è contrariò, successionem actualem, & permanentiam potentialem, vt patet de qualitate, & quantitate, quæ acquiri possunt in instanti, & totæ simul existere; & successiuè secundum partem post partem; similiter acquisitæ possunt permanere inuariatæ, & variatæ, quia cùm suscipiant maius, & minus; & magis, aut minus, possunt essentialiter augeri, & diminui; intendi, ac remitti. Ad probationem dico, maiorem esse veram de purè contradictorijs, quorum alterum extremum dicit puram negationem alterius, non autem de contradictorijs pro connotato, quorum extrema sunt entia positiua, connotando negationem alterius, quia inter hæc potest dari medium per participationem, vt patet de albo, & nigro, inter quæ dantur medij colores, & tamen vnum dicit negationem alterius; modò permanens, & successiuum sunt contradictoria pro connotato tantum, inter quæ datur medium, participans de vtrisque, vt exemplificatum est de quantitate, & qualitate, ac proindè mensurari debent mensura media inter æuum, & tempus.

Obijcitur quintò contra tertiam conclusionem: Res permanentes, cum sint diuisibiles vel formaliter, vt sunt corruptibiles, & generabiles; vel virtualiter, cuiusmodi sunt substantiæ spirituales, habent quandam homogeneitatem cum tempore, non tantum, vt subsunt motibus, & mutationibus, sed etiam secundum se spectatæ; ergo possunt mensurari per se tempore. Consequentia patet, quia mensura, & mensuratum exigunt tantum homogeneitatem. Antecedens patet, quia ad homogeneitatem mensuræ extrinsecæ (de qua tantum est sermo) sufficit diuisibilitas aut formalis, aut virtualis in mensurato.

Resp. Negando antecedens, cum sua probatione; siquidem Aristoteles, vltra diuisibilitatem, exigit etiam vnigeneitatem in modo existendi, qui non reperitur inter permanentia, & tempus, vt est notum apud omnes. Et hæc de quarto libro Physicorum.

De Physico auditu, seu Physicorum Aristotelis.

LIBER QVINTVS.

Expensa naturâ, & essentia motus in communi in tertio libro Physicorum; & Loci, Vacui, & Temporis eumdem consequentium in quarto libro, nunc aggreditur libro quinto eorumdem Physicorum, in quo tractare intendit de Diuisione, Vnitate, ac Pluralitate, nec non contrarietate specifica Motuum, ac Quietum, illumque partitur in tres Summas, in quarum prima agit de Diuisione Motus in suas species, seu partes subiectiuas: In secunda de Vnitate, ac Pluralitate eiusdem: Et in tertia de Contrarietate Motuum, ac Quietum.

Prima Summa continet tria capita, in quorum primò distinguit motum per se à motu per accidens: In secundo explicat quot modis dicatur aliquid in aliud mutari: Et in tertiò ad quot Prædicamenta terminetur motus, & quot modis dicatur Immobile.

Quo ad primum Philosophus diuidere volens motum in suas species, prius

præmittit quasdam diuisiones, quarum primam ponit in t. 1. dicens: Contingit aliquid esse mobile dupliciter, nimirum per accidens, & per se. Per accidens adhuc dupliciter, primò, vt album currit, musicum ædificat, quæ ob id moueri dicuntur per accidens, quia accidunt eis, quæ per se cientur. Secundò, quæ mouentur secundum partem, e. g. quando partium motus per se adscribitur toti, vt quando crus, aut brachium sanatur, absolutè dicitur homo sanari. Est autem discrimen inter hos duos modos, nam quod mouetur per partem, sic mouetur, vt pars per se moueatur, totum verò per accidens, hoc est ratione partis; Id verò, ratione cuius mobile mouetur per accidens primo modo, nullatenus per se mouetur, vt musicæ non inest per se ars ædificandi. Per se autem aliquid mouetur, cùm per se primo subiectum secundum se totum, & secundum quamlibet sui partem, transmutatur, vt cum viuens augetur, vel aqua calefit, totum viuens, & quælibet eius pars augetur; tota aqua, & quælibet eius pars calefit.

In t. 2. ponit secundam diuisionem de mouente, nempè, aliquid dici posse mouens dupliciter, vel per accidens, vel per se. Mouens per accidens adhuc dupliciter potest dici tale, vel ratione alicuius accidentis, vt musicus scribit; accidit enim scriptori, vt sit musicus; Vel ratione alicuius partis, vt homo scribit, quia manu scribit. Mouens per se dicitur, quod per se primo mouet, vt ædificator ædificat, vel medicus sanat; nullus enim ædificare valet, qui non sit ædificator, vel sanare, qui non sit medicus.

In t. 3. docet, quę sint requisita ad motum, & dicit esse quinque, scilicet Mouens, Mobile, Tempus, Terminum à quo, & Terminum ad quem, vt cum sudariolum calefit ab igne, ignis est mouens; sudariolum mobile; terminus à quo frigiditas; terminus ad quem caliditas, & hora, in qua fit calefactio, tempus.

In t. 4. ponit duas conclusiones: Alteram, Motus est in mobili, tamquam in subiecto, & non in termino ad quem, quia motus est subiectiuè in eo, quod mouetur, sed tale est mobile, & non terminus ad quem; ergo est subiectiuè in mobili. Alteram verò: Motus sumit denominationem à termino ad quem, vt corruptio denominatur à non esse, & generatio ab esse, quia sicut non esse est terminus, ad quem tendit corruptio, ita esse est terminus, ad quem tendit generatio.

In t. 5. ponit hanc conclusionem: Terminus ad quem motus, est immobilis; & probat, quia si esset mobilis perficeretur per motū, siquidem motus est actus, & perfectio mobilis, cum subiectetur in eo; sed hoc est impossibile, quia termino ad quem perficitur motus, dealbatio .n. perficitur albedine per ipsam acquisita; ergo terminus, ad quem terminatur motus debet esse immobilis.

In eodem textu obijcit contra prædicta, quia terminus ad quem, vt albedo per motum acquisibilis, est passio, cum spectet ad tertiam speciem qualitatis; at passio est motus; ergo motus est terminus motus, & sic ad motum erit motus, quod est falsum.

Resp. prædictam qualitatem, & similes non esse passiones, quia sint motus, sed tantum quia sunt termini motus; albedo enim non est motus, sed dealbatio est motus, per quam acquiritur albedo, vndè non sequitur, ad motum dari motum, sed motum esse ad terminum ad quem, per ipsum acquisibilem.

Deindè infert, quod sicut mouens, & mobile dicũtur per accidens ratione accidentis, & secundum partem; ac per se; ita terminus ad quem motus potest dici talis; per accidens secundum accidens, & secundum partem; & per se: Exemplum primi; albedo intellecta est terminus per accidens dealbationis, quia accidit sibi intelligi, vt sit terminus ad quem. Secundi, color est terminus ad quem, quia albedo, quæ est pars eius subiectiua, est terminus dealbationis. Tertij, albedo dealbationis est per se terminus.

In t. 6. ponit duas conclusiones, quarum prima est: Mutatio per accidens

rei-

reijcienda eſt, cùm ſit indeterminata; ſiquidem ſcientia quæcumque reſpuit indeterminata, & infinita. Secunda eſt: Mutatio per ſe, & quæ ad eam per ſe attinent, ſunt conſideranda in Philoſophia; & probat illam, quia quæcumque ſunt finita, & determinata, in ſcientia conſideranda veniunt; at quæ per ſe ad mutationem ſpectant ſunt finita, & determinata; ergo &c. Minorem probat: Nam quæ ad mutationem pertinent tãquam termini, ſunt contraria, aut media, aut contradictoria, aut à medio in contrarium, aut à contradictorio in contradictorium; ſed hæc ſunt finita, & determinata; ergo &c. Maior probatur, quia motus per ſe fit à contrario in contrarium, vt ab albo in nigrum, vel à calido in frigidum; aut à contradictorio in contradictorium, vt à non nigro in nigrum, à non calido in calidum; ergo &c.

Fortaſſe quis poſſet dicere, motum fieri à medio, & ad medium, vt à fuſco in album, & ab albo ad fuſcum; ergo falſum eſt, motum ſemper fieri à contrario in contrarium &c.

Reſp. Negando conſequentiam, quia medium induit rationem duorum contrariorum: relatum enim ad vnum habet rationem alterius, vt fuſcum reſpectu albi nigrum eſt, & reſpectu nigri album eſt; quandoquidem quo magis medium recedit ab vno extremorum, & accedit ad aliud, exuit rationem illius, & huius rationem induit.

Quo ad ſecũdum traditurus mutationum numerum, inquit in t. 7. quadrifariam intelligi poſſe aliquid mutari .ſ. A ſubiecto in ſubiectum: A nõ ſubiecto in ſubiectum: A ſubiecto in nõ ſubiectum, & A non ſubiecto in non ſubiectum. Per ſubiectum intelligitur terminus poſitiuus, & affirmatus, vt ab albo ad nigrum: Per non ſubiectum verò intelligitur terminus, vel à quo, vel ad quem negatus, vt à non nigro in nigrum, vel ab albo in non album. Ex his infert, quod mutatio, quæ eſt à non ſubiecto in non ſubiectũ, non eſt per ſe, cum tales termini nec ſint contrarij, nec contradictorij, quippè ambo ſunt negati.

In t. 8. ad oſtendendam, quæ mutatio ſit motus, ait, quod non ens dicitur tripliciter, & primò ſecũdum compoſitionem, & diuiſionem, vt propoſitio falſa, & impoſſibilis, ſiuè ſit affirmatiua, ſiuè negatiua, dicitur non ens. Secundò appellatur non ens, quod non eſt actu, ſed ſolum potentia, vt roſa, triticũ in hyeme, quę ſunt in potẽtia obiectiua. Tertiò vocatur non ens, quod eſt non ens ſecundum quid, vt quod non eſt album, vel quod nõ eſt nigrum. Ex his infert, quod non ens primo, & ſecundo modo, non mouetur; ſed tantum non ens tertio modo, quia cum ſit ens ſimpliciter, mouetur ſecundum accidens, vt homo non ſanus mouetur ad valetudinem.

Poſtea ponit tres cõcluſiones. Prima: Generatio non eſt motus; & probatur: Nam quod non eſt, non mouetur; ſed quod generatur .ſ. compoſitum, non eſt; ergo nõ mouetur. Vlterius, omne, quod mouetur eſt in loco; ſed quod generatur non eſt in loco; ergo quod generatur nõ mouetur. Minor probatur: Quod non eſt ens, non eſt in loco, ſed quod generatur non eſt ens; ergo non eſt in loco.

Secunda concluſio. Corruptio nõ eſt motus, quia omni motui opponitur motus, aut quies; ſed corruptioni nõ opponitur motus, vel quies; ergo &c. Minor probatur, quia corruptioni ſolum opponitur generatio; atqui generatio non eſt motus, neque quies, alioquin quieſceret, quod non eſt; ergo corruptioni non opponitur motus, neque quies.

Quo ad tertium ponit tertiam concluſionem in t. 9. ſola mutatio, quæ eſt à ſubiecto in ſubiectum, eſt motus. Probatur, quia hæc ſola eſt à non ente ſecundum accidens tertio modo, ad ens; ergo hæc ſola eſt motus.

Deindè diuidit motum, qui fit à ſubiecto in ſubiectum, in tres ſpecies, nempè in motum ſecundum quantitatem, qualitatem, & vbi.

In t. 10. probat ad tria tantum prædicamenta eſſe motum .ſ. ad quantitatem, qualitatem, & vbi, excludendo alia ſeptem, ad quæ non eſt per ſe motus; & primò excludit ſubſtantiam, quia omnis motus per ſe eſt de contrario in contrarium; ſed ſubſtantiæ nihil eſt contrariũ;

ergo ad substantiam nō est per se motus. Secundò excludit relationē; quia nulla mutatione facta, acquiritur relatio; ergo ad relationem non est per se motus. Antecedens patet; nam si Franciscus sit albus, & Antonius fiat albus, Franciscus, absque vlla sui mutatione, acquirit relationem similitudinis; ergo &c.

Tertiò excludit actionem, & passionem, quia ad motum non est per se motus; sed actio, & passio sunt motus; ergo &c.

In t. 11. probat maiorem, & quia dupliciter intelligi potest, quod motus sit motus, terminatiuè, & subiectiuè, probat primò motū non esse subiectum motus, quia motus non est ex genere subiectorum, sed formarum, cum ipse sit in mobili, vt in subiecto; ergo motus non est motus subiectiuè.

Deindè in t. 12. probat, motum non esse terminum motus; tum quia mobile semper moueretur, nec vmquam quiesceret; sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia probatur, quia terminus ad quem esset motus, sed illud, cui inest motus, mouetur; ergo &c. Falsitas patet: si enim fiat motus ab ægritudine in sanitatem, sanitas est terminus ad quem, vbi quiescit motus, at si motus esset terminus motus, tūc sanitas nō esset terminus ad quem, verū sanatio, quę est motus: Tū secundò, quia si motus terminaret motū, tunc idem moueretur simul duobus motibus contrarijs; sed hoc est impossibile; ergo &c. Consequentia probatur, quia cum motus sit de contrario in contrarium, esset simul mobile cum termino à quo, & ad quem, e. g. per sanationem ab ægro in sanum, & per ægrotationem à sano in ægrum simul moueretur.

In t. 13. probat tertiò, ad motum non esse motū, quia alioquin daretur processus in infinitum in motibus; sed consequens est falsum; ergo &c. Consequentia patet, quia nō est maior ratio de vno, quā de alio; ergo si ad motum esset motus, hic fieret per alium, & ille per alium, & sic esset processus in infinitum. Falsitas probatur: Tunc .n. non posset dari nec primus, nec vltimus motus, cū in infinitis non reperiatur, nec primum, nec vltimum.

In t. 14. probat quartò, sicut motui est motus contrarius, ita mobilia sibi inuicem aduersantur, prout substant motibus contrarijs; ergo si motus esset motus, tunc idem generaretur, & corrumperetur simul, quod repugnat; siquidem, vel corrumperetur quando generaretur, vel postquam est, vel antequam est genitum; Non quando generatur, quia tunc ponitur in esse, & sic esset, & non esset; Nec postquam est genitum, quia tunc intelligeretur non esse, & generatio esset terminata ad terminum quiescentem, & non ad motum; nec antequam esset, quia id est contra imaginationem &c.

In t. 15. probat quintò omnis motus oportet assignari aliquod subiectum, quod sit substantia; sed motus non est substantia; ergo motus nequit esse subiectum motus.

In t. 16. probat idem, Id est subiectum motus, quod mouetur; sed motus non mouetur; ergo &c. Minor probatur: Nā disciplinatio, non est disciplinationis generatio; sed disciplinatio est motus; ergo motus non mouetur.

In t. 17. probat idem, si motus esset subiectum motus, tunc alter motus de altero prædicaretur, aut locimutatio diceretur alteratio, & alteratio locimutatio, quod est valdè absurdum, quia sunt motus disparati; ergo &c.

Tamdem in t. 18. concludit, ad quantitatem, qualitatem, & vbi esse dumtaxat per se motum, quia in istis reperitur sufficiens contrarietas, ac propria acquisitione per se acquiruntur: Hos autem motus distinguit, quia motus ad quantitatem dicitur augmentatio, & diminutio; ad qualitatem, alteratio; & ad vbi, latio, seu locimutatio.

In t. 19. declarat, mutationem, quæ fit secundum magis, & minus eiusdem formæ, esse alterationem, quia quamuis non fiat à contrario in contrarium simpliciter, vt ab albo in nigrū, nihilominus fit à contrario in contrarium secundum quid, nempè à minus albo ad magis album; à minus nigro ad magis nigrum.

In t. 20. cum suprà ostenderit mobile esse

esse multiplex, nunc docere intendit, etiam immobile, quod opponitur mobili multipliciter dici. Primo enim dicitur immobile, quod est incapax motus, & sic solus Deus dicitur immobilis. Secundò, quod difficulter mouetur appellatur immobile, vt columna ænea. Tertiò, quod non mouetur, cum potest, & non est impeditum, & huiusmodi immobile vocatur quiescens: sicut enim quies opponitur motui, ita quiescens, & immobile, mobili, & hoc solum facit ad propositum. Et hæc de prima Summa tex. sint satis.

De diuisione specifica motus.

DISPVT. I.

MOtus naturam, ac passiones ipsum in communi consequentes, satis expendimus cũ Doctore subtili in duobus præcedentibus libris, nunc pertractaturi de eodẽ in particulari, primo videndum est, in quas partiatur species. Et quamuis Aristoteles videatur satis apertè locutus, dum mutationis propriè species reduxit tantum ad tria prædicamenta, ad quæ terminari possunt: nihilominus, quia Expositores, variè intelligentes Aristotelis mentem, non conueniunt, idcircò operæpretium duxi, quæ sequuntur examini, ac disputationi subijcere, vt exindè intelligamus, quid secundum veritatem Aristotelicam, & Scoticam tenendum sit de speciebus motus.

Vtrum per se motus habeat pro terminis tantum tria prædicamenta, nempè quantitatem, qualitatem, & vbi, vel etiam substantiam, ac relationem?

QVÆSTIO VNICA.

CIrca hanc multiplicem difficultatem extat etiam multiplex Doctorum sententia: nam aliqui negant ad quantitatem posse fieri per se motum, eo quod quantitati nihil sit contrarium. Ita Galenus 1. Methodi cap. 6. & Vallesius controuersia 29. ad Tyrones, relati à Ruuio lib. 5. Physic. cap. 2. q. vnica n. 8.

Alij concedunt, esse per se motum, nedum ad quantitatem, qualitatem, & vbi, sed etiam ad substantiam. Ita ex nostris Antonius Andreas lib. trium Principiorum tract. 2. art. 2. q. 2. quem postea sequuti sunt Mastrius hic disput. 15. q. 6. art. 4. n. 56. & Poncius disp. 13. q. 4. conclus. 1.

Alij putant, ad omnia prædicamenta posse per se terminari motum, vel ad se, vel ad alterũ. Ita Simplicius in suis Cõmentarijs super Prædicam. & super 3. Phys. vt refert Doct. subtilis in 2. d. 1. q. 5. & Ruuius citatus n. 18.

Cæterùm communis sententia Peripateticorum, sustinet cum Aristotele 5. Phys. t. 9. & 10. tantum ad tria prædicamenta esse per se motum .s. ad quantitatem, qualitatem, & vbi, ad reliqua, vel motum per accidens, vel mutationem dumtaxat, vt distinguitur à motu physico, continuo, & successiuo, de quo solùm in præsenti est sermo.

Quid autem sentiat in hac re Doctor subtilis, non est adeò clarũ, idcircò, quibusdam de more adnotatis, suam, & nostram patefaciemus opinionem.

Primò notandum est igitur ex dictis suprà in 3. Physicorum, Motum accipi posse dupliciter, scilicet largè, & strictè. Primo modo sumitur vt se extendit ad omnem mutationem cuiuscumque subiecti, siuè tale subiectum sit in actu formali, siuè solum in actu entitatiuo; siuè huiusmodi mutatio sit successiua, siuè instantanea, & sic generatio, & corruptio etiam possunt dici motus. Secundo modo accipitur pro mutatione continua, successiua alicuius subiecti in actu completo, & formali existentis inter extrema contraria, & hoc modo generatio, & corruptio, cum fiant in instanti, nequeunt dici motus, verùm dumtaxat mutationes, vt mutatio à motu secernitur, calefactio verò, & frigefactio dicuntur propriè motus, acquiruntur enim in aqua, non totæ simul,

sed partes post partes in tempore vnius, vel dimidiæ horæ, & de hoc motu tantum est sermo in præsenti quæstione.

Secundò notandum ex Aristotele in hoc lib. 5. à t. 1. vsq; ad 3. quod mouens, mobile, & terminus motus sunt triplicia .s. per se, per accidens, & secundum partes, vt ibi expositum fuit; hic agimus de mouente, mobili, & termino ad quem motus, per se tantum, hoc est dictu, de mouente, qui secundum propriam naturam causat motum; de mobili, quod secundum se recipit motum, & non ratione alterius à se, vel ministerio alicuius suæ partis; similiter de termino ad quē, secundum propriam naturam terminante motum. Exemplum fit de igne in calefactione aquæ: ignis enim per se inducit calorem in aquam, ipsam calefaciendo; aqua illum recipit mediante calefactione, & tamdem calor per se, & non ratione alterius à se, terminat calefactionis motum in aqua, dum est totaliter calida.

Tertiò notandum ex Scoto in 2. d. 2 q. 10. sub I. Primò, seu primum dupliciter sumi posse, vno modo, vt dicit primitatem totalitatis, & sic opponitur ei, quod est secundum aliquas partes, vt paries dicitur primò albefieri, aqua primò calefieri, hoc est, secundum omnes sui partes, vndè si aliqua pars parietis non esset albefacta, vel aliqua pars aquæ calefacta, non posset dici paries primo albefieri, nec aqua calefieri primò, primitate totalitatis, quia toti deesset aliqua pars. Alio modo sumitur, pro primitate adæquationis, & causalitatis, & sic id dicitur primum, quod est alicui adæquatum, conuertiturque cum eo, & sic homo dicitur primò risibilis; siquidem risibilitas est adæquata homini, conuertiturque cū illo, adeò quod si remoueatur à quocunque, non est homo, non propterea remouebitur ab ipso; hic sumitur primū pro primitate totalitatis tantum, quia sic accipitur etiam ab Aristotele in t. 1. 5. & 6. cum dicit mobile, mouens, & terminum primo moueri, mouere, ac terminare motum.

Quartò notandum est ex Aristotele hic in t. 19. ac alibi, contrarietatem sumi posse tripliciter, scilicet largè, strictè, ac strictissimè. Contrarietas primo modo reperitur inter duo extrema incompossibilia, siuè talia sint positiua, siuè priuatiua, siuè mutuo se expellant ab eodem, siuè non, & sic etiam substantiæ inest cōtrarietas, quippè vna substantia est incompossibilis cum altera in eodem. Cōtrarietas strictè, reperitur inter illa, in quibus est aliqua latitudo, vel distantia intensionis, vel extensionis, aut spatij localis, & sic qualitas remissa, & intensa; quantitas maior, & minor; & spatium sursum, & deorsum dicuntur adinuicem contrariari. Contrarietas tamdem strictissimè est oppositio duarum formarum, ab eodem subiecto, propria virtute, mutuò se expellentium, & hæc reperitur tantum inter quatuor primas qualitates, vt diximus in Logica cap. de Qualitate; & in Postprædicamentis cap. de Oppositis.

Quintò notandum est pro fundamento nostræ opinionis, quod adhoc, vt ad aliquod prædicamentum sit motus, quatuor requiruntur; primò, vt ibi possit esse contrarietas, vel tertio, vel saltem secundo modo accepta. Secundò exigitur, quod illud propria acquisitione acquiratur, & sic ad relationem intrinsecùs aduenientem non est motus; non enim acquiri potest nisi prius acquisito aliquo nouo absoluto, vel in fundamento, vel in termino; nam pater nequit dici talis, nisi prius præcedat absolutum filij. Tertiò requiritur, quod acquiratur per veram acquisitionem physicam, & sic ad passiones, & operationes immanētes, vt sūt intellectiones, & volitiones, non est per se motus, cum non efficiantur physicè, sed tantum eliciantur à suis principijs, aut emanatiuè à subiectis. Quartò necessariò exigitur, quod huiusmodi terminum non necessariò concomitetur motus, & proindè ad actionem, passionem, & quando, nequit esse motus per se, quia, vt diximus in 3. Physicorum, hæc omnia necessariò concomitantur motum, & è conuersò.

Ex his fit prima conclusio. Ad substantiam, relationem intrinsecus aduenientem, actionem, passionem, & quando,

nequit esse per se motus. Prima, & secunda pars est Scoti in 2. d. 1. q. 5. F. & G. contra Mastrium, Poncium, & Antonium Andream citatos, & hoc loquendo de substantia, quia de relatione tenent cum Magistro. Tertia, & quarta pars sunt eiusdem in 4. d. 13. q. 1. & d. 43. q. 5. & quol. 13. vbi docet, actionem, passionem, & motum esse vnum, & idē concomitanter, ac proindè sequi, non posse esse motum ad actionem, & passionem, quin ad motū esset motus, quod est contra Philosophum in hoc 5. Physic. t. 10. Quinta etiam pars colligitur ex eodem in 4. d. 48. q. 2. H. vbi, cum sustineat tempus, & motum esse idem realiter, nō potest dicere, ad quando esse motum, alioquin ad idem realiter terminaretur motus per se, quod est impossibile. Probatur igitur prima pars de substantia, quia vbi non est contrarietas saltem secundo modo, nequit ibi esse motus physicus per se; sed in substantia non est contrarietas strictè sumpta; ergo nec per se motus physicus, continuus. & successiuus. Maior patet in 5. not. Minor probatur, quia substantia non habet latitudinem graduum, secundum quam possit intendi, & remitti, & per consequens alterari; nec maiorem, aut minorem extensionem, ratione cuius possit augeri, aut diminui; nec maiorem, aut minorem distantiam localem; siquidem hæc habentur in substantia per accidens tantum, aut ratione qualitatis, aut quantitatis, quibus supponitur carere substātiam, ergo in substantia non est contrarietas secundo modo; multò minus contrarietas strictissimè sumpta, ac proindè, neque, vt sic, terminare poterit motum per se. Secunda pars, de relatione intrinsecus adueniente, probatur, quia relatio intrinsecus adueniens non producitur de nouo, nisi productis extremis, vel saltem altero extremorum de nouo, vt patet de relatione similitudinis, quæ non insurgit, nisi ponantur vel duo alba, vel saltem alterum de nouo; ergo huiusmodi relatio non terminat per se motum productionis, sed tantum per accidens, ratione vnius, vel vtriusque extremi de nouo per aliquem motum, vel mutationem, acquisitui. Tertia, & quarta pars probatur, quia actio, & passio sunt concomitanter eidem motui, vt dicit Aristoteles 3. Physicorum t. 22. sed ad motum non est motus; ergo neque ad actionem, & passionem erit motus. Quinta pars probatur, quia Quādo non est sine tempore, cum fundetur in illo, nec tempus est absque motu, cum sint idem realiter, vt probatum est cum Scoto in præcedenti lib. 4. disp. 3. q. 1. ergo ad Quando non potest esse per se motus.

Secunda conclusio. Ad quantitatem, qualitatem, & vbi, est per se primo motus physicus, continuus, & successiuus. Est Aristotelis in hoc 5. lib. tex. 10. & 18. quem secutus est Scotus in 2. d. 1. q. 5. G. Probatur, quia ad illa prædicamenta habet terminari motus, in quibus est cōtrarietas, vel secundo, vel tertio modo, & quæ propria actione physica acquiruntur, & quæ non necessariò concomitatur motus; sed quantitas, qualitas, & vbi sunt huiusmodi; ergo ad illa terminatur per se motus physicus, continuus, & successiuus. Maior patet ex 5. notab. Minor similiter quo ad primam partem, liquet ex 4. not. Quo ad secundam etiam patet, quia quantitas per augmentationem, qualitas per alterationem, & vbi per motum localem acquiruntur. Et pariter quo ad tertiam est nota illa minor, quia cessante motu manet quantitas, qualitas, & vbi acquisita; ergo signum est, quod non concomitantur necessariò motum, alioquin non possent separari.

Tertia conclusio. Ad Situm, & Habitum est aliquo pacto motus, non quidem per se primo, sed per accidens, ratione Vbi. Probatur, quia ad Vbi est per se motus; sed Situs concomitatur Vbi, saltem pro materiali; similiter Habitus cōcomitatur locum pro formali, quod est Vbi formaliter sumptum; ergo ad Sitū, & Habitum est motus per accidens. Maior patet ex præcedenti. Minor similiter, quia motus localis fit in loco, secundum quod mobile dicit ordinem suarum partium ad partes loci; sed in tali ordine, ac mutua correspondentia, consistit ratio Situs; ergo Situs concomitatur Vbi, ad

quod est per se motus. Habitus etiam, cũ dicat respectum habentis ad rem habitam, vel è conuersò rei habitæ ad habentẽ, nequit fieri sine motu locali, ac proindè etiam ad habitum per Vbi poterit esse motus localis.

Quarta conclusio. Si mutari solùm dicatur illud, quod aliter se habet ad se nunc quàm prius, tunc motus est tantũ ad illa tria prædicamenta, vt docet Aristoteles; si verò sumatur mutari, vt est quid commune ad aliter se habere ad se, & ad alterum, vera est opinio Simplicij, quod motus sit ad omnia prædicamenta, tàm absoluta, quàm respectiua. Est Scoti in 2. d. 1. q. 5. sub F. & G. & in 3 d. 1. q. 1. sub K. Probatur, quia motus terminatur ad omnes illas formas, quæ per ipsum acquiritur; sed per motum continuum, & successiuum acquiruntur tantum formæ absolutæ quantitatis, & qualitatis, quæ habent esse ad se, & forma relatiua Vbi, quæ est ad locatum; per motum autem communem ad se, & ad alterum, acquiruntur nedum formæ ad se, continuæ, & successiuæ, sed etiam formæ ad se instantaneæ, ac permanentes, & ad alterum, seu relatiuæ; ergo sicut motus continuus, & successiuus terminatur ad illa tria prædicamenta, ita motus communis terminabitur non tantum ad illa, verùm etiam ad reliqua prædicamenta. Maior patet, quia motus est acquisitio termini ad quem, sed terminus ad quem est forma acquisita per motum; ergo motus terminatur ad formas per ipsum acquisitas. Minoris prima pars patet, quia in illis formis tantum est contrarietas, quæ est causa successionis. Secunda pars minoris, quia motus sumit suam specificationem à terminis per ipsum acquisitis; ergo sicut motus ad se est acquisitiuus tantum formarum ad se, & ad alterum solum formarum ad alterum, ita motus communis ad motum ad se, & alterum, erit acquisitiuus quarumque formarum, siuè ad se, siuè ad alterum, & sic motus huiusmodi per se erit ad omnia prædicamenta, & non tantum ad aliqua.

Objicitur primò contra primam conclusionem, probando dari motum per se ad substantiam, quia mutatio successiua est motus per se primo; sed ad substantiam potest esse mutatio successiua; ergo &c. Minor probatur, quia nullum agens creatum agit in instanti; sed substantia fit ab agente creato, vt est notum apud omnes; ergo non fit in instanti, verùm in tempore; atqui quod fit in tempore, fit successiuè; ergo substantia fit successiuè. Maior probatur, quia si agens creatum ageret in instanti; ergo agens increatum ageret in minori mensura, cum sit fortius illo in infinitum, sicque daretur mensura minor instanti, quod est falsum.

Resp. Negando minorem, ad cuius probationem negatur maior, & cum probatur, quod agens increatum, cum sit fortius, ageret in minori mensura, quam sit instans, dico fore verum, si instans esset mensura diuisibilis, & daretur mensura minor instanti; cum autem non repetiatur, quæ sit minor, sequitur etiam ipsum agere solum in instanti.

Objicitur secundo, quia ignis est substantia; sed ignis successiuè acquiritur in stuppa, vt patet per experientiam, quia forma ignis non tota simul introducitur in ea, sed paulatim per partes; ergo ignis successiuè acquiritur.

Resp. Minorem esse veram per accidens ratione dispositionum contrariarum, quas prius necesse est expelli à stuppa, antequam introducatur forma ignis; nam si tota stuppa esset disposita qualitatibus cõuenientibus formæ ignis, & esset ei adæquatè approximata, ignis in instanti introduceret propriam formam, & non successiuè.

Objicitur tertiò contra secundam partem eiusdem conclusionis, quia similitudo est relatio intrinsecus adueniens; sed ad similitudinẽ est per se motus; ergo &c. Minor probatur, quod acquiritur per motum continuum, & successiuum, ad id est per se motus continuus, & successiuus; sed similitudo est huiusmodi; ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quod aliter se habet nunc quam prius, successiuè mutatur; sed per similitudinem simile aliter se habet nunc, quam prius successiuè; siquidem albedo, quæ

de

de nouo acquiritur, ad fundandam relationem similitudinis, non fit tota simul in instanti, sed successiuè acquiritur prius secundum vnam partem, deindè secundum aliam, in tempore; ergo simile aliter se habet per similitudinem successiuè.

Resp. Negando minorem; ad probationem iterum negatur minor, ad cuius probationem dico, minorem, & eius probationem esse veram per accidens, ratione fundamenti, quod successiuè acquiritur in subiecto, non autem per se, ac proindè concedimus ad relationem esse motum per accidens, & secundariò, non tamen per se, & primariò, sicut nos dicimus.

Obijcitur quartò contra secundam conclusionem, probando ad quantitatem non esse per se motum, quia quantitas est coæua materiæ primæ; sed materia prima non acquiritur per motum, cum sit à Deo creata in instanti; ergo nec quantitas sibi coæua. Maior probatur, quia si quantitas efficeretur ab agẽte naturali, vel ab vno tantum, vel ab omnibus; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Minor probatur: Non ab vno, vt patet, quia tale non esset semper, vt posset illam producere; Nec ab omnibus, quia cuilibet daretur principium effectiuum quantitatis; & tunc quæro, an huiusmodi principium esset quantitas, vel qualitas, vel substantia; sed nullum est dicendum; ergo &c. Minor probatur: Non quantitas, tum quia non est actiua, tum quia posset quæri à qua produceretur, & sic daretur processus in infinitum; Vel daretur quantitas ineffectibilis; Neque tale principium esset qualitas, cum hæc à toto genere sit posterior qualibet quantitate; Neque à substantia, quia hæc non est per se productiua alicuius, sed solum medijs accidentibus; ergo cum à nullo principio esset producibilis, restat vt sit coæua materiæ, & refugiat motum per se continuum, & successiuum.

Resp. Negando maiorem; ad probationem dico, huiusmodi principium esse virtutem substãtialem agentis creati, in cuius potentia continetur; & cum probatur, quod substantia non sit actiua sine præuijs accidentibus, verum est dispositiuè, falsum formaliter, quia sic est per se actiua, nedum ad formam substantialem, verùm etiam ad formas accidentales, & sic per motum augmentationis agit ad formam quantitatis de nouo acquirendæ.

Obijcitur quintò ad qualitatem non dari motum per se physicum, quia si daretur, vel esset ad omnem qualitatem, vel ad aliquam, & ad aliquam non; sed nullum horum dici potest; ergo &c. Minor probatur: Non ad omnem, quia multæ qualitates sunt, quæ non acquiruntur per motum; Nec ad aliquam, & aliquam, quia non est maior ratio de vna, quam de alia, ergo dicendum est ad nullam.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, motum alterationis esse posse ad omnem qualitatem physicè acquirendam, & ad has tantum dari per se motum dicimus.

Obijcitur sextò: Quod ad vbi non sit per se motus, quia si aliquis esset, maximè localis; sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Cõsequentia ex Aristotele in t. 10. & 18. liquet manifestè. Falsitas probatur, quia terminus motus localis est locus, tum quia ab ipso denominatur; tum etiam, quia differentiæ motus localis sunt loca sursum, & deorsum, antè, & retrò, dextrũ, & sinistrũ; ergo Vbi non est per se terminus motus. Consequentia patet, quia Vbi, & locus distinguuntur genere, motus autem est ad vnum terminum genere, ex eodem Aristotele in hoc 5. Physic. t.

Resp. Negando falsitatem; ad probationem dico, antecedens cum sua probatione esse verum de termino intrinseco, non tamen de extrinseco, qualis est Vbi; & cum probatur motum debere esse ad vnum terminum genere, verum est extrinsecè, cum hoc tamen stat, vt simul habeat alium intrinsecum, vt est locus.

Obijcitur septimò contra tertiam conclusionem: Ad relationem non est per se motus, ex Aristotele 5. Physicorum t. 10. & sequentibus; sed Situs, & Habitus, per Doctorem subtilem in 3. d. 1. q. 1. sub K,

ac

ac alibi, sunt relationes extrinsecus aduenientes; ergo &c.

Resp. primò maiorem esse veram de relationibus tertij generis, quæ acquiri nequeunt per se, sed tantum per accidens, nimirum ad acquisitionem saltem vnius extremorum, falsam de relationibus sex generum, quæ acquiri possunt, nullo absoluto de nouo acquisito; modò Situs, & Habitus sunt relationes illorum sex generum, & non tertij generis, & ideò nō inconuenit ad illas esse motum, saltem secundariò, & in ordine ad Vbi, ad quod est per se motus localis, vt dicit Aristoteles ibidem.

Vel dicendum secundò cum Scoto in 2. d. 1. q. 5. sub F. & G. maiorem esse veram de motu ad se, de quo locutus est Aristoteles, non tamen de motu ad alterum, quia sic terminatur per se ad quascumque relationes; siquidem formę sunt denominantes mobile ad alterum, sicut formæ absolutæ illud denominant ad se.

Objicitur octauò contra quartam conclusionem: Ad illa non est per se motus, ad quæ non datur per se actio; siquidem actio, & motus se comitantur; sed ad nullas relationes datur per se actio, cùm omnes habeant esse per resultantiā ex positione extremorum, siuè necessariò, vt sunt relationes intrinsecus aduenientes, siuè non necessariò, cuiusmodi sunt extrinsecus aduenientes, vt passim docuit Scotus; ergo ad relationes non datur per se motus, neque ad alterum.

Resp. Maiorem esse veram de per se motu ad se, quia hunc necessariò comitatur actio physica; falsam tamen de motu communi ad motum ad se, & ad alterum, quia ad hunc sufficit, vt mobile per formam, in se quouis modo receptam, aliter se habeat nunc, vel ad se, vel ad alterum, quam prius se habebat; hanc autem mutationem causat in fundamēto etiam relatio in ordine ad terminum, quemadmodum calor in aqua in ordine ad se; igitur etiam ad relationem datur per se motus ad alterum; neque hoc est contra Aristotelem, cum ipse, vt inquit Scotus, in 2. d. 1. q. 5. sub G. locutus fuerit dumtaxat de mobili, aliter se habente ad se, & non ad alterum.

De vnitate, & pluralitate motus.

SVMMA II.

HÆc Summa continet duo tantum capita, in quorum primò explanat in t. 21. quosdā terminos, ad intelligentiā eorum, quæ mouentur, spectantes, nēpè quid importet Simul, Separatum, Tangere, Inter, Continuum, Consequenter, & Contiguum: In secundò autem ostendit quotupliciter motus dicatur vnus, vel plures.

Quo ad primum in t. 22. dicit, illa esse simul, quæ in eodem loco proprio, & nō communi existunt, vt materia, & forma. Separatim illa dicuntur esse, quæ habent locum proprium diuersum, vt duo corpora. Tangere illa appellantur, quorum superficies sunt simul absque vllo intermedio. Inter verò est medium, ad quod mobile prius peruenit, quam ad extremum oppositum transire contingat, vt aer est inter ignem, & aquam.

In tex. 23. declarat, quid sit esse continuè, dicens, id moueri continuè, quod sine temporis interruptione mouetur, quamuis parum spatij intertumpi contingat, vt Cithearedus police tangens primam cordam, & medio, vel auriculari, vltimum, dicitur continuè fieri sonus, quia etiamsi inter cordam primam, & vltimam medient aliæ tangendæ, cùm tempus non fuerit interruptum ad tactum primæ, & vltimæ, dicitur talis motus continuus.

In t. 24. declarat qualia sint contraria secundum locum, inquiens: Illa sunt contraria, quæ maximè distant penes lineam rectam; cum enim linea recta sit omniū breuissima, quæ ab vno puncto in alium duci possunt, & mensura debeat esse finita, & breuis, secundum lineam rectam dignoscenda, & mensuranda est locorū distantia, & oppositio.

In t. 25. ostendit, quid sit consequenter se habere, dicens: Illa consequenter se habent, quorum vnum est post aliud

ac

ac inter ipsa non est aliquid eiusdem generis, vt duæ domus, inter quas non sit alia domus media, quamuis intercedat cursus, dicuntur consequenter se habere. Similiter Luna Februarij dicitur cõsequenter ad Lunam Ianuarij, quia inter eas non mediat alia Luna &c.

In t. 26. docet quæ sint contigua, dum dicit: Illa sunt contigua, quæ consequenter se habent, & se tangunt, vt duo corpora se tangentia, interque non mediat aliud corpus. Differt autem contiguum à continuo, nam vbi est contiguitas, ibi sunt duo termini se tangentes, vt superficies duorum corporum se tangunt; vbi verò est continuitas ibi est vnus terminus tantum, vt duæ partes lineæ continuatæ per punctum.

In t. 27. docet, illa posse vnum continuum fieri, quæ apta sint esse vnum totum secundum contactũ, vt duæ aquæ; è contrà, quæ vnum totum fieri nequeunt, non erunt vnum continuum, vt lignum, & aqua: Deindè subiungit, res etiam continuari clauo, glutine, aut influ, sed istam non esse propriè continuitatem, sicut illa, quæ est inter duas aquas, vnicum per se terminum habentes.

In t. 28. Comparat, quæ Consequenter se habent ad Tangere, & dicit, omnia, quæ se tangunt, consequenter se habere, non verò è conuersò, nam numeri consequenter se habent, sed non se tangunt. Comparat etiam continuum ad tangere, dicens, omne continuum tangere, non tamen omne quod tangit continuum esse; siquidem partes continui copulantur aliquo termino communi; at quæ se tangunt non sic copulantur, sed solum simul sunt absque vllo intermedio.

In t. 29. Duas ponit differentias inter punctum, & vnitatem. Prima: Punctus est in his, quæ nata sunt; vnitas verò in his, quæ se habent consequenter: Secunda: Puncti requirunt aliquod medium, quia in continuo duo puncti immediati esse non possunt, vt in linea; At duæ vnitates sunt immediatæ, vt patet in binario.

In t. 30. epilogat iam dicta, inquiens: Quid igitur est simul, separatim, & quid Tangere, & quid Consequenter, & quid Inter, & quid Continuum, & Contiguum, & quomodo differant, iam dictum est.

Quo ad secundum in t. 31. inuestigat motuum vnitatem dicens, motum esse vnum genere, vel specie: Motus dicitur vnus genere, qui est ad vnum prædicamentum, & sic omnes alterationes sunt eiusdem generis, & distinguuntur genere ab augmentationibus, quia istæ ad quantitatem, illæ verò ad qualitatem spectant. Motus autem dicitur vnus specie, qui est ad terminum vnius speciei, & sic omnes dealbationes sũt vnius speciei, omnes denigrationes alterius speciei &c.

In t. 32. & 33. docet prætereà, vltra vnitatem termini, ad vnitatem specificam motus localis requiri etiam spatij vnitatem: vndè quamuis idem mobile motu recto, ac circulari tenderet ad eũdem terminum specie, illi motus non essent eiusdem speciei, quia circularis, & linea recta, per quas mobile transiret, non sunt eiusdem speciei, immò differunt specie.

In t. 34. concludit motum vnum simpliciter, esse vnum vnitate numerica: Tria autem requiruntur, vt motus sit vnus numero, nempè vnitas numeralis mobilis, temporis, & termini ad quem.

In t. 35. docet ad vnitatem genericã, & specificam motus non necessariò requiri vnitatem temporis, sed termini: Item ad contiguitatem motus non requiri vnitatem termini, sed sufficere vnitatem temporis.

In t. 36. & 37. proponit duas dubitationes, quarum prima est talis: An si Socrates hodie valetudinem consequatur, & iteratò post aliam ægritudinem sanetur alio tempore, sit eadem sanatio numero?

Respondit, si idem numero postquam est corruptum, redire posset, fore eamdem sanationem numero, sed quia non potest idem numero redire, ideò non erit eadem numero, sed tantum eadem specie sanatio; siquidem prior est corrupta. Deindè proponit aliam dubitationem

nem huic similem, sed quia intactam relinquit, ideò omittitur.

In t. 38. probat, non sufficere vnitatē termini ad vnitatem motus, à simili de actu, & habitu, à quo possunt esse plures actus, sed terminus est veluti habitus, motus autem veluti actus; ergo vnitas termini nequit arguere vnitatem motus, sicut nec vnitas habitus vnitatem actus.

In t. 39. probat, vnitatem numericam motus ex continuitate, quia continuum, & vnum numero sunt vnum, & idem; sed omnis motus est continuus, tum quia partes copulantur aliquo termino communi; tum etiam quia est diuisibilis in partes eiusdem rationis, tum denique quia motus est de numero continuorum ex 3. Physicorum t. 2. ergo omnis motus erit vnus numero.

In t. 40. ait, quod ad motus contiguitatem, satis est temporis contiguitas, licet motus sint omninò diuersi; patet ex diffinitione contigui, relata in t. 26.

In t. 41. dicit, ad continuitatem motus, exigi vnitatem termini ad quem, temporis, & mobilis, patet etiam ex tex. 27.

In t. 42. dicit, eum motum dici vnum, qui est perfectus, idest qui venit ad suū terminum; qui autem non peruenit, est quidem vnus, sed non ita perfectus, & hanc vnitatem sumit motus à quantitate.

In t. 43. motus dicitur etiam vnus, qui est irregularis, licet non sit ita vnus, sicut regularis; siquidem si diuidatur, non habet partes vniformes, sed difformes in velocitate, & spatio, & huiusmodi regularitas, & irregularitas reperitur in omni specie motus.

In t. 44. ostendit, quod irregularitas motus oritur ab irregularitate spatij, & ex eo quod mobile velocius mouetur in vna parte medij, quam in alia. Non tamen hinc inferas velocitatem, & tarditatem, esse differentias specificas motus, sicut nec grauitatem, aut leuitatem mobilis causare motus specie diuersos; siquidem omnes sunt differentiæ accidentales motus, non verò essentiales, & quidditatiuæ.

Denique in t. 45. comparat motum regularem, & irregularem adinuicem, dicens, motum irregularem minus vnū esse, quam regularem, & probat, quia ille motus est minus vnus, qui habet maiores partes, quam alius, sed irregularis, cum sit velocior, habet maiores partes, quam regularis; ergo irregularis est minus vnus. Maior probatur, quia quātò magis aliquid est diuisibile in partes, tantò minus est vnum, quia magis recedit ab vnitate, quam diuisibile in minores partes.

Rursus infert, Motus specie differentes non esse continuos; & rationem reddit, quia motus continuus potest esse regularis; at motus specie differentes nequeunt esse regulares, quia non habent partes vniformes; ergo motus specie differentes, non sunt continui, licet benè contigui, quia possunt mensurari eodem tempore, vt alteratio, & latio, seu localis; non tamen coaptari possunt, vt fiant continui, quia deficit vnitas termini ad quem, & etiam mobilis. Et hæc de textu huius Summæ secundæ.

De vnitate, ac pluralitate motuum.

DISPVT. II.

Diuisionem motus in suas species, & indiuidua, consequitur vnitas, & pluralitas motuum, nedum genere, sed etiam specie, & indiuiduo; siquidem passiones necessariò comitantur sua subiecta: cæterùm, quia Doctores non conueniunt in assignandis principijs, à quibus oriantur huiusmodi passiones, ideò hanc disconuenientiam disputationi tradendam iudicauimus, vt hinc veritatem Scoticam pro viribus vindicari, ac tutari valeamus. Quæritur ergo primò, à quo sit petenda vnitas, siuè generica, siuè specifica, ac indiuidualis motus. Secundò, an possit dari eiusdem numero naturalis reproductio.

Vtrum

Vtrum vnitas motus petenda sit tantum à termino ad quem, vel etiam à mobili, spatio, ac tempore?

QVÆSTIO I.

Triplicem vnitatem, & pluritatem attendi posse in quolibet motu, nempè genericam, specificam, & indiuidualem, neminem ignorare arbitramur, ideircò secundum omnes exagitanda est præsens difficultas. Circa quam varia sunt Doctorum placita, nam Albertus de Saxonia 5. Physicorum asserit in quæst. 6. tria requiri ad vnitatem specificam motus, scilicet vnitatem specificam termini ad quem, termini à quo, & medij: ipsum sequuti sunt etiam Burlæus, & Venetus ad tex. 33. Sampsonius quæst. 6. & alij moderni apud nostrum Mastrium disp. 15. q. 7. n. 73.

Alij vltra vnitatem horum trium, addiderunt, exigi etiam vnitatem specificam mobilis, seu subiecti, ac agentis. Sic Auersa q. 26. sect. 12. quem secutus est ex nostris Poncius disp. 13. q. 3. conc. 2. & 4.

Cæterùm D Thomas 1. p q. 23. art. 1. ad 3. & Scotus in 1. d. 2. q. 7. T. & d. 13. q. vn. A. & Q. & in 3. d. 14. q. 1. E. & in 4. d. 43. q. 1. D. docent, vnitatem genericam, & specificam extrinsecam motus, nō desumi nec à termino à quo, nec à mobili, seu subiecto, nec ab agente, nec à tempore, sed tantum à termino ad quem, D. Thomā sequuntur communiter omnes discipuli, quemadmodum veri Scotistæ Magistrum, & ex alienis nonnulli, quos refert, & sequitur Rauius in 5. Physic. cap. 4. q. 1.

Circa vnitatem numericam autem nullam reperi controuersiam; omnes .n. tuentur cum Aristotele, non sufficere vnitatem termini ad quem, verùm exigi etiam vnitatem temporis, ac mobilis.

Pro resolutione, & clariori notitia totius controuersiæ primò notandum est: Vnitatem esse duplicem .s. intrinsecam, & extrinsecam. Prior habetur à propria differentia formali cuiuslibet rei, quæ si erit generica, & ipsa vnitas erit generica; si specifica, specifica; si indiuidualis, & indiuidualis erit vnitas. Ex quo infertur, vnitatem intrinsecam esse quadruplicem, scilicet transcendentalem, consequentem entitatem transcendentalem; Genericam, quæ consequitur entitatem genericam; Specificam, quæ nimirum consequitur entitatem specificam, vel subalternam, vel specialissimam; Et numericam, quæ consequitur entitatem indiuidualem. Vnitas autem extrinseca, quæ habetur ratione alicuius extrinseci, siuè prioris, vt vnitas accidentis à subiecto, & scientiæ ab obiecto; siuè posterioris, vt vnitas subiecti ab accidente, & vnitas motus à termino, & hanc pariter posse esse Genericam, Specificam, Et indiuidualem iuxta entitates, quas extrinsecè consequitur. Ex quo infertur secundò, quod motus habet priorem vnitatem à sua propria differentia intrinseca, quæcumque sit illa; posteriorem verò, saltem genericam, & specificam, à termino ad quem, qui supplet vices differentiæ aut genericæ, aut specificæ, nobis incognitæ.

Secundò notandum est: Terminum motus esse duplicem .s. à quo incipit, & ad quem desinit motus; & vterque est duplex .s. formalis, & concomitans; terminus à quo formalis est priuatio formæ, seu termini ad quem per motum acquirendi; concomitans verò est forma, quæ in motu deperditur, vt in calefactione aquæ, terminus à quo formalis est priuatio caliditatis acquirendæ in aqua; concomitans verò est frigiditas opposita caliditati, quæ per motum calefactionis deperditur in aqua. Terminus ad quem pariter est duplex, scilicet formalis, seu vltimatus, & est ille, qui ab agente, vel mobili vltimatè intenditur; & Concomitans, siuè non vltimatus & est, qui secundariò, & non vltimatè intenditur vel à mouente, vel appetitur a mobili, vt in cale-

factio-

factione, terminus ad quem formalis, & vltimatus est caliditas in esse quieto, quæ intenditur ab igne calefaciente; non vltimatus, & concomitans est ipsa caliditas in fieri, quæ dicitur forma fluens in fluxu, nempè in motu calefactionis. Ad propositum, calefactionis motus non potest sumere suam speciem, vel genus à termino a quo vel formali, vel concomitanti, siquidem prior, cum sit quid priuatiuum non potest dare esse positiuum motui; posterior verò cum deperdatur per motum, & opponatur termino, qui per motum fluit, & acquiritur, non poterit dare esse motui calefactionis, opposito motui frigefactionis, in quo fuit acquisita frigiditas; restat igitur, vt calefactio sumat suam speciem à caliditate, vel in fieri, vel in facto esse, vt a termino ad quem terminatur, aut vltimatè, at non vltimatè, seu concomitantet.

Tertiò notandum est ex Doctore subtili in 1.d.2.q.7. sub T. quod hæc propositio: Motuum differentium specie sunt termini differentes specie, non est immediata, sed dependet à duabus prioribus, quarum altera si desit, falsificatur pariter talis propositio. Prima propositio: Motuum differentium specie sunt fluxus, seu formæ fluentes differentes specie. Secunda propositio: Forma fluens, vel secundum quam est fluxus, est eiusdem rationis specificæ cum forma terminante: Ex his infertur, quod motus calefactionis, & frigefactionis sint differentes specie ratione suorum terminorum ad quos, tum quia per primam propositionem, formæ fluentes .f. caliditas in fieri, & frigiditas in fieri sunt differentes specie: tum quia per secundam propositionem, caliditas in fieri, & in facto esse; similiter frigiditas in fieri, & in facto esse sunt vtrobiq; eiusdem speciei: Ex opposito duæ calefactiones, vel duæ frigefactiones sunt motus eiusdem speciei, quia duæ caliditates, & duæ frigiditates siuè in fieri, siuè in facto esse sunt eiusdem speciei; cęterùm generatio vniuoca, & æquiuoca muris, non sunt motus eiusdem speciei, quamuis mus genitus vniuocè, hoc est, ex semine; & mus genitus æquiuocè, hoc est, ex putri materia, sint termini eiusdem speciei, quia natura muris, quouis modo geniti, cum sit quid absolutum, non est eiusdem speciei cum generatione vniuoca, vel æquiuoca, quia sunt quid respectiuum.

Quartò notandum est: Vnitatem numericam motus dupliciter considerari posse vno modo intrinsecè, alio modo extrinsecè. Primo modo motus habet suam vnitatem numericam à sua differentia indiuiduali, sicut motus vnus specie habet suam vnitatem specificã à differentia formali. Secundò modo, dicit Aristoteles in t. 35. motum habere vnitatem numericam, ab vnitate numerica mobilis, termini ad quem, & temporis; siquidem, vt inquit Sulmonensis hic q.2. conclus. vltima, motus attendi potest, vt ens est, vt successiuus, & vt continuus est; vt ens est, exigit vnitatem mobilis, seu subiecti; nam accidens vnum numero requirit subiectum vnum numero, alioquin vel migraret de subiecto in subiectũ, vel esset simul in duobus subiectis, quod est impossibile, vt aliàs diximꝰ: vt ens successiuum est, exigit vnitatem termini ad quem, seu formæ successiuè acquisibilis per motum ipsum; & vt cõtinuus, requirit vnitatem temporis, nam si esset interruptio temporis discõtinuarentur etiam partes motus, cùm idem realiter sint motus, & tempus; & consequenter partes huius cum partibus illius. Et quamuis hæc vnitas temporis non requiratur necessariò ad vnitatem identitatis numericam motus, cum ista non dependeat essentialiter ab ea, immò possit fieri motus vnus numero sine vnitate numerica temporis, vt dicit Aristoteles in t.36. & probat Scotus in 4.d.43. q.1. I. & K. Et d. 48. q. 2. I. tamen exigitur hæc vnitas numerica temporis ad vnitatem motus continui, sine qua non potest esse; non quidem ratione dependentiæ essentialis motus à tempore, cum hæc nulla sit; siquidem tempus est posterius natura motus, verùm dumtaxat ratione identitatis temporis cum motu, vndè sequitur necessariò, quod si motus sit vnus numero, manifestetur talis ab vnitate nume-

numerica temporis necesse est; nam mensuratum nequit dignosci cuius sit quantitatis, tantæ, vel tantæ absque mensura.

Quintò notandum est: Vnitatem motus adhuc dupliciter attendi posse, vel quo ad perfectionem, vel quo ad regularitatem. Vnitas perfectionis in motu habetur ab vnitate perfectionis termini ad quem, vt calefactio perfecta à caliditate perfecta. Vnitas autem regularitatis attẽditur ab vnitate velocitatis in partibus motus; ex quo innuitur differentia inter regularitatẽ, & vniformitatem motus, ac inter irregularitatem, & difformitatem eiusdem: Nam ille motus est regularis, qui est eiusdem velocitatis in omnibus suis partibus, vt est motus Solis: ille motus autem dicitur vniformis, secundum quem mobile æqualiter mouetur, vt motus lapidis deorsum. Motus autem ille dicitur irregularis, qui est velocior in fine, quam in principio, vel medio, vt motus naturalis lapidis versus centrum, quo enim magis appropinquat centro, cò velocius mouetur, vt illud acquirat: ille autem dicitur difformis, secundum quem mobile inæqualiter mouetur secundum suas partes, vt motus corporis sphærici; siquidem partes circumferentiales velocius cientur, quam circumcẽtrales: Ex his habetur, quod ille motus est vnus vnitate regularitatis, cuius partes sunt eiusdem velocitatis; ille verò est vnus vnitate vniformitatis, secundum quem mobile mouetur æqualiter in omnibus suis partibus, nullo habitu respectu ad velocitatem, & tarditatem.

Ex his fit prima conclusio. Vnitas intrinseca, seu entitatiua motus non habetur à termino ad quem motus, sed solùm à propria differentia essentiali, & quiditatiua eiusdem. Est communis. Probatur prima pars, tum quia terminus ad quem est realiter distinctus à motu, vt probatum est in 3. Physicorum: tum etiam quia terminus est quid permanens, motus autem essentialiter successiuus, vt ibidem ostendimus; sed nihil distinctum realiter ab aliquo potest illi tribuere esse intrinsecum, nisi maneat in illo; quod dicitur propter partes essentiales totius physici, quæ distinguuntur realiter ab eo, & quia remanent in ipso, dicuntur sibi intrinsecæ, quod tamen non est de motu, & termino, cum ad acquisitionem eius perfectam, cesset motus, vt docet Aristoteles 2. de Gener. & Corrupt. t. 52. similiter nullum permanens potest dare esse intrinsecum successiuo, cum sint opposita; ergo vnitas intrinseca, & entitatiua motus nequit haberi à termino ad quem. Secunda pars probatur, quia passio habetur à principijs intrinsecis subiecti; sed vnitas intrinseca, & entitatiua est passio cuiuslibet entis, & consequenter etiam motus, qui est ens; ergo dependet ab eius principijs intrinsecis, ex quibus præcipuum est differentia essentialis, & quiditatiua.

Secunda conclusio. Vnitas extrinseca motus, siuè generica, siuè specifica habetur ab vnitate specifica termini ad quem, non autem à termino à quo, nec à mobili, nec à motore, nec à tempore. Est Scoti, ac D. Thomæ in locis supracitatis in principio quæstionis. Probatur primò auctoritate Aristotelis in tex. 35. huius lib. 5. Physicorum. Secundò ratione, quia vnitas motus extrinseca habetur ab eo, quod specificat, & manifestat motum; sed terminus ad quem est huiusmodi; ergo &c. Maior patet, quia de ratione vnitatis extrinsecæ est manifestare rem, cui inest ab extrinseco, vt patet de subiecto, & accidente; siquidem cum ignoramus res ab intrinseco, curamus vt innotescant nobis pèr extrinseca. Minor probatur, quia alteratio dignoscitur alia genere, ab augmentatione, quia illa ad qualitatem, hæc verò ad quantitatem terminatur; similiter calefactio per caliditatem, & frigefactio per frigiditatem, ad quas terminantur, innotescunt, & manifestantur nobis. Secunda pars probatur, quia terminus à quo formalis motus est priuatio termini ad quem, per ipsum motum acquirendi, concomitans verò ferè semper differt specie à termino ad quem; sed priuatio, cum sit non ens, nequit dare vnitatem enti positiuo, vt est motus; similiter differens specie non potest dare esse specificum

ficum alicui; ergo motus, cùm sumat vnitatem à termino ad quem, non poterit illam sumere etiam à termino à quo. Tertia pars probatur, quia calefactio est eiusdem rationis in ligno, & in ferro; sed lignum, & ferrum differunt specie; ergo calefactio non sumit vnitatem specificã, vel genericam à mobili, seu subiecto. Maior patet ad sensum. Minor similiter est notissima. Quarta pars probatur similiter, tum quia motor non est de diffinitione motus, nec quiditatiua, nec quiditatiua; ergo vnitas specifica motus, quæ oritur ex diffinitione, non pendet ab vnitate specifica motoris, vel agentis; tum etiam quia calor productus ab igne, & à Sole est eiusdem rationis; similiter descensus ferri, & lapidis sunt eiusdem rationis, quamuis mouentia sint alterius speciei; ergo vnitas motus non pendet necessariò ab vnitate motoris. Quinta pars de tempore probatur, quia calefactio, & sanatio facta hodie est eiusdem speciei cum calefactione, & sanatione facta nudiustertius, vel cras facienda, vt notum est apud omnes; ergo &c.

Tertia conclusio. Ad vnitatem numericam motus continuatiuam exigitur necessariò vnitas numerica mobilis, termini ad quem, & etiam temporis particularis, quamuis hæc non sit necessaria ad vnitatem identitatis eiusdem motus. Colligitur ex Scoto in 4. d. 43. q. 1. I. & K. & d. 48. q. 2. I. & est expressa quo ad primam partem in hoc 5. Physicorum t. 35. Et quo ad secundam in t. 36. Probatur prima pars, quia motus est ens successiuum, & continuum; sed ex eo quod est ens exigit necessariò vnitatem mobilis, seu subiecti; & quia est ens successiuũ requirit vnitatem termini ad quem; & quoniam est etiam continuum ens, exigit vnitatem temporis; ergo ad vnitatem numericam continuatiuam motus requiritur necessariò vnitas mobilis numerica, termini ad quem, & temporis. Consequentia patet. Minor probatur, quo ad omnes partes, & primò de vnitate mobilis, quia vnum accidens numero nequit habere vnitatem, nisi ab vno subiecto numero; siquidem à quo habet esse, ab eo & vnitatem habere debet; sed vt ens est, accidens est, & eius subiectũ est mobile, ex Aristotele 3. Physicorum t. 18. ergo motus vnus numero, vt ens est, exigit necessariò vnum mobile numero. Secundò probatur de vnitate termini, quia de ratione successiui, est quod acquirat partem post partem; sed partes motus nequeunt acquiri sine partibus formæ fluentis, seu termini ad quem, ob necessariam connotationem adinuicem; ergo vnus motus, vt successiuus est, debet habere vnum terminum talis successionis. Tertiò probatur de vnitate temporis, quia in re continua nequit fieri interruptio; sed motus est res continua, ex 3. Physicorum t. 1. ergo nequit fieri interruptio; at fieret interruptio, si non esset vnitas temporis, cùm sint idem realiter tempus, & motus; ergo ad vnitatem numericam continuam motus, requiritur etiam vnitas temporis continuata. Secunda pars probatur, quia vnitas identitatis motus est prior quouis tempore, saltem natura; ergo potest esse independenter ab vnitate temporis numerica. Antecedens patet, quia tempus fundatur in motu, sicut motus in magnitudine, ex Aristotele in 4. Physicorum t. 113. ergo & vnitas temporis fundatur super vnitatẽ motus, ac proindè hæc est prior natura illa.

Quarta conclusio. Vnitas perfectionalis motus attenditur solum ex vnitate perfectionis termini ad quem; vnitas autem regularitatis, vel vniformitatis motus, ex vnitate temporis maiori, vel minori, aut æquali. Colligitur ex Scoto in 4 d. 48. q. 2. sub H. Probatur: A quo res habet esse, ab eo habet esse vnum, & perfectum; siquidem hæc consequuntur quamlibet entitatem, tamquam passiones transcendentales; sed motus habet in mobili à termino ad quem, seu à forma fluente, cuius partes connotat; nam si partes formæ non fluerent successiuè, nec fluxus formæ esset; atqui fluxus formæ est motus, vt probauimus in 3. Physicorum; ergo motus habet suum esse, & vnitatem perfectionis à termino ad quẽ. Secunda pars probatur, quia ille motus est vnus vnitate regularitatis, cuius omnes partes sunt eiusdem velocitatis, ve tardi-

tarditatis; sed vnitas velocitatis, vel tarditatis nequit haberi absque vnitate temporis parui, vel magni; ergo vnitas regularitatis motus pendet ab vnitate temporis parui, vel magni. Maior patet ex notab. vltimo. Minor probatur ex Aristotele 4. Physicorum tex. 96. vbi diffiniens velox, & tardum, inquit: Velox enim est, quod in pauco tempore multum mouetur. Tardum autem, quod in multo parum; ergo vnitas velocitatis, vel tarditatis partium motus necessariò pendet ab vnitate tẽporis parui, vel magni. Tertia pars probatur: Nam ille motus dicitur vniformis, secundum quem mobile æqualiter moueri dicitur; sed mobile nequit moueri æqualiter per aliquem motum, nisi partes eius æqualiter mensurentur tempore; ergo vniformitas motus pendet necessariò ab æqualitate temporis, mensurantis æqualiter partes motus. Maior patet ex eodem notab. vltimo. Minor similiter, quia mensura est certificatiua mensurati; sed partes temporis mensurant partes motus; ergo æqualitas, vel inæqualitas partium motus pendet ab æqualitate, vel inæqualitate temporis, ac proinde tota ratio vniformitatis in motu pendet à tempore, mensurante vniformiter, vel saltem manifestante vniformitatem partium motus.

Obijcitur primò contra secundam conclusionem, quia motus rectus, & circularis sunt ad vnum terminum specie; sed tales motus non sunt eiusdem speciei, immò differunt specie, ex Aristotele 7. Physicorum t. 21. 22. quia sunt incomparabiles; ergo motus non specificantur à termino. Maior patet, quia motus localis factus per lineam arcualem est circularis; & per cordam est rectus, & tamen terminantur ad idem vbi, per vtrumque acquisibile, vt experientia constat; ergo motus circularis, & rectus terminantur ad vnum terminum specie.

Resp. ex Scoto in 1. dist. 2. q. 7. sub T. quod axioma Aristotelis, nempè quod vnus motus specie est ad vnum terminũ specie, est verum, quando fluxus, vel forma fluens est eiusdem speciei cum forma terminante, falsum autem si sint alterius speciei; cùm igitur linea recta, & circularis, non sint eiusdem speciei cum vbi terminante, vel cum terminantibus, si plura sint; siquidem vbi sunt relatiua, & rectum, & curuum sunt absoluta, cum sint passiones lineæ, quæ est quantitas; sequitur tales motus non esse eiusdem speciei, quamuis termini sint eiusdem speciei.

Vel dicendum, argumentum nõ concludere contra nostram conclusionem; quandoquidem nõ dicimus, omnes motus terminantes ad vnum terminum specie, debere esse eiusdem speciei, sicut supponitur in argumento, sed solùm quod motus specie exigit terminum ad quem vnum specie, ita quod nequeat terminari ad plures terminos specie differentes, quæ sunt valdè diuersa, nec primum militat contra secundum, ideò conceditur totum argumentum, & negatur consequentia, cum non oriatur ex illis præmissis.

Obijcitur secundò contra secundam partem eiusdem conclusionis, quia ab eo motus habet vnitatem, à quo & variationem habet; sed motus variatur per terminum à quo; ergo ab eo etiam debet habere vnitatem. Maior patet. Minor probatur, quia si non haberet variationem à termino à quo, nulla esset differentia inter motum, & mutationem; sed consequens est falsum per omnes, quia motus fit in tempore, & mutatio in instanti; ergo & antecedens. Consequentia probatur, quia omnes Peripatetici dicunt, ob nihil aliud distingui motum à mutatione, nisi quia terminus à quo motus est quid positiuum, mutationis verò negatiuum.

Resp. Negando minorem; ad probationem negatur consequentia, ad probationem dico, motum, & mutationem sufficienter distingui, ex eo quod mutatio mensuratur instanti, motus verò tempore; quod autem subiungitur in probatione dicit, verum esse de termino à quo concomitante motus, nõ verò de formali, quia vtrobique dicit quid negatiuum, a quo motus nequit sumere suam

uam speciem positiuam, sicut nec à cōcomitanti positiuo, cum sint alterius speciei cum termino ad quem, qui dat speciem motui.

Obijcitur tertiò contra tertiam partē eiusdem conclusionis, ab eo debet specificari motus, quod ingreditur eius diffinitionem; sed mobile ingreditur diffinitionem motus, ex 3. Physicorum tex. 18. ergo &c. Maior patet, quia diffinitio dat speciem diffinito, & ipsum distinguit à quocumque, quod non est ipsum.

Resp Negando maiorem, quia etiam materia est de diffinitione hominis physica, & tamen non specificatur ab ea, sed solum ab anima rationali, per quam differt à cæteris animalibus. Ad probationem dico, veram esse de diffinitione inadæquata, hoc est de differentia, à qua dumtaxat sumit esse specificum diffinitum, non verò de genere, à quo accipit solum esse genericum, non autem specificum.

Obijcitur quartò contra quartā partē eiusdem conclusionis: Generatio vniuoca, & æquiuoca muris differunt solum penès agentia; sed etiam specie distinguuntur ex Scoto in 4. d. 43. q. 1. sub D. ergo motus accipit specificationem etiā ab agentibus, & sic à motore potius, quā à termino; immò ratione termini huiusmodi generationes sunt eiusdem speciei, cùm mus genitus vniuocè, & mus æquiuocè, sint eiusdem speciei.

Resp. ex Scoto in 1. d. 5. q. 2. E. Generationem, tàm vniuocā, quàm æquiuocam, esse duplicem. s. generationē mutationem, quæ dicit respectum agentis ad passum, seu transmutantis ad transmutatum, & generationem productionem, quæ formaliter importat relationē producentis ad productum; si generatio vniuoca, & æquiuoca sumantur primo modo, distinguuntur quidem specie, nō penès agentia formaliter, verùm penes terminos, seu transmutata, quæ sunt semen in vniuoca, & materia putrida in æquiuoca generatione, & si velimus cōcedere aliquo pacto distingui, etiam penes agentia, hoc erit tantum concomitanter, quatenus actiones, quæ concomitantur mutationes, distinguuntur specie: Si verò accipiantur secundo modo, tunc generatio vniuoca, & æquiuoca sunt eiusdem speciei, quia producta, scilicet mus genitus vniuocè, & mus genitus æquiuocè productus, vt dicit D. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 4. & 9. & nos alias probaturi sumus cum Scoto, sunt eiusdem speciei.

Formaliter igitur ad argumentum dico, maiorem esse veram concomitanter tantum, non autem formaliter, quia sic, vt mutationes sunt, distinguuntur specie ratione suorum terminorum ad quos ordinem habent dūtaxat, vt autem productiones sunt, sunt eiusdē speciei, quia etiam termini sūt eiusdem speciei, & sic explicandus est Doctor, cùm dicit in 4. d. 43. q. 1. D. esse mutationes differentes specie, & hic distinguenda est consequētia, motus nimirum specificari ab agentibus concomitanter, non autem formaliter, quia sic tantum à terminis sumunt speciem.

Obijcitur quintò cōtra quintam partem eiusdem conclusionis, quia motus regularis, & irregularis, vniformis, & difformis differunt specie; sed regularitas, & irregularitas, vniformitas, & difformitas desumuntur per ordinem ad tempus; ergo ad vnitatem motus specificam requiritur etiam vnitas temporis.

Resp. Negando maiorem; siquidem regularitas, & irregularitas, vniformitas, & difformitas sunt accidentia motus; modò accidentia non tribuunt esse specificum, quod est quiditatiuum.

Vel dicendum, iuxta vltimam conclusionem, maiorem esse veram de speciebus accidentalibus, non quiditatiuis, & sic motus per accidens posse accipere suas species, etiam à tempore, ratione velocitatis, & tarditatis, æqualitatis, & inæqualitatis, quæ sunt differentiæ accidentales diuersorum motuum.

Obijcitur sextò contra tertiam conclusionem, quia Aristoteles 5. Physicorum tex. 23. inquit: Motum primæ cordæ, & vltimæ in cithara, esse continuum, si fuerit vnico tempore factus; ergo ad vnitatem continuatiuam motus numericam, non requiritur vnitas mobilis,

bilis, sed sufficit vnitas temporis. Consequentia patet, quia corda vltima, & prima tacta fuit duo mobilia numero distincta.

Resp. Negando consequentiam; ad probationem dico, Aristotelem non esse ibi locutum de motu cordarum, quem constat non esse continuum, cum cordæ nõ sint continuæ, sed tantum contiguæ ratione temporis; non enim copulantur aliquo termino communi, verum tantum vniuntur extrinsecè in eodem tempore, sed de motu manus pulsantis cordas, qui dicitur continuè fieri, cum ibi sint vnitas mobilis, & vnitas temporis, ac termini ad quem numerica.

Objicitur septimò probando, non requiri vnitatem numericam temporis ad vnitatem numericam motus, quia Iosuè c. 10. stante cœlo pugnauit, & expugnauit inimicos: Deindè D. August. lib. 11. Confess. inquit: Stante cœlo moueri rotulam figuli; ergo ad vnitatem numericam huiusmodi motuum non fuit necessaria vnitas temporis. Consequentia patet, quia tempus, & motus cœli sunt idem realiter, vt superiùs ostendimus; ergo stante motu cœli, stabat pariter & tempus.

Resp. Negando consequentiam, nam tempus, in quo pugnauit Iosue, & mouetur rota figuli, non est tempus vniuersale identificatum realiter cum motu cœli, sed particulare, quo mensurantur motus particulares, independenter ab vniuersali, & hoc dicimus requiri vnum numero ad vnitatem motus numericam.

Objicitur octauò contra vnitatem termini numericam; nam mobile potest per horam calefieri, & in instanti terminante illam horam, potest incipere frigefieri; ergo erit vnus, & idem motus continuus numero, & tamen duo termini, nimirum calor, & frigus, ac proindè ad vnitatem continuatiuam motus, non requiritur vnitas termini ad quem. Antecedens probatur, quia non magis videtur repugnare tali mobili incipere frigefieri in tali instanti, quam in instanti alterius temporis, in quo mobile esset eodem modo affectum, sed in instanti alterius temporis posset incipere frigefieri; ergo similiter in instanti illo horam terminante, & sic frigefactio, & calefactio essent vnus motus continuus.

Resp. primò ex Scoto in quol. 12. art. 3. sub H. negando antecedens, aliter idem mobile posset moueri simul motibus contrarijs, quod est contra Aristotelem 8. Physic. tex. 61. 62. 63. & 79. Ad probationem nego maiorem, quia cum tale instans terminatiuum calefactionis sit vltimum, & intrinsecum eidem; extrinsecum verò frigefactioni, non posset in illo mobile incipere frigefieri; siquidem motus quicumque continuus exigit mutatum esse intrinsecum, & non sufficit extrinsecum, ac per consequens dum mobile existens sub calefactione vltima, inciperet frigefieri, erit alius motus, distinctus speciè, & sic discontinuus à calefactionis motu: non erit igitur vnus, & idem motus numero, sed alius, & alius non tantum numero, verùm etiam speciè distincti ad diuersos terminos speciè.

Vel dicendum secundò negando antecedens, & eius probationem, siquidem motus, cum mensuretur tempore, & nõ instanti, non potest dici, quod mobile existens sub calefactione, incipiat frigefieri in instanti terminatiuo eiusdem horæ, sed solum in tempore immediatè sequenti, sub quo solum incipit motus frigefactionis, nec consequenter, quod inter vtrumque motum detur mutatum esse terminatiuum motus calefactionis, & inceptiuum frigefactionis; nam vltimum vnius nequit esse primum alterius, nisi motus sint eiusdem actionis, non autem in contrarijs, vt sunt calefactio, & frigefactio.

Vtrum idem numero corruptum possit naturaliter, vel supernaturaliter in idem redire?

QVÆSTIO II.

HAnc quæstionem pertractant communiter Philosophi lib. 2. de Gen. & Corrupt. ad t. 70. & Theologi in 4. d. 43. cum agunt de resurrectione mor-

tuorum; nos autem hic exagitandam duximus, occasione t. 36. in quo mouet dubitationem: An si Socrates hodie valetudinem consequatur, & iteratò post aliam ægritudinem sanetur, alio tamen tempore, sit eadem numero sanatio; & respondit, fore eamdem numero, si cōtingat corruptum vnum fieri numero, si verò non, erit vna specie quidem, non autem numero: & quamuis in 2. de Gener. t. 70. videatur resoluere, quod hic dubitatiuè affert; tamen quia non desunt rationes, etiam ex eius doctrina desumptæ, quæ reditionem numeralem suadeant, & quia negatiua immediatè pugnat cum fide catholica, secundum quam credimus resurrectionem mortuorum in identitate numerali carnis, idcircò quæritur in præsenti, an huiusmodi reditio numerica sit possibilis, non solum supernaturaliter, sed etiam spectatis viribus naturæ.

Circa primam partem igitur, est opinio Durandi in 4. d. 43. q. 3. asserentis, implicare contradictionem, quod semel corruptum, nedum secundum se, sed etiam quoad omnes sui partes, possit iterùm idem reproduci: & notanter dicit, quoad suas partes, vt excipiat resurrectionem hominum, possibilem per diuinam potentiam, ex eo quod in corruptione hominis remanent materia, & forma eædem numero, & non corrumpuntur, quæ postea diuinitus reuniri possunt in identitate totius. Hanc eamdem sententiam docuisse videntur D. Thomas in 4. d. 44. q. 1, art. 2. ad 3. & in 3. par. q. 77. art. 5. Abulen. in cap. 22. Matth. q. 238. & Marsilius 2. de Gener. q. 18.

Oppositum tamen cōmuniter adstruitur nedum à Theologis in 4. d. 43. sed etiā à Philosophis, diuersis in locis, & præsertim in 2. de Gener. ad t. 70. citatum, Posse nimirum quodlibet indiuiduum, virtute naturali corruptum, per diuinam potentiam in idem reproduci. Ita D. Thom. lib. 4. contra Gent. cap. 81. opusculo 9. cap. 82. & quodlib. 4. art. 5. D. Bonau. in 4. d. 43. q. 5. Scotus q. 3. Paludanus q. 2. Capreol. q. 1. Henr. quol. 7. q. 16. Suarius tom. 2. super 3. p. disp. 44. sect. 6. Conimbric. 2. de Gener. cap. 11. q. 2. art. 2. Ruuius, Complut. & alij quos refert, ac sequitur noster Mastrius de Gener. disp. 5. q. 7. n. 154.

Circa secundam partem etiam est nō parua controuersia; nam Gotfredus de Fontibus quol. 6. Henr. quol. 4. q. 13. & Ægidius theor. 1. sustinent, non posse idem indiuiduum naturaliter reproduci. Platonici autem exaduersò, non solum de possibili, verùm & de facto, putant omnia in idem reuocanda naturaliter, peracto cursu triginta sex millium annorum. Scotus verò citatus, & Ricardus ibidem art. 3. q. 1. Ochamus q. 10. & communiter Scotistæ, quasi media incedentes via, negant, omnia indiuidua posse naturaliter reproduci, affirmant tamen de aliquibus, quibusdam seruatis conditionibus, vt infrà dicemus.

Pro declaratione tamen totius controuersiæ primò notandum est (quod sæpius superius etiam aduertimus) entia nimirum esse in duplici differentia; alia enim sunt permanentia, quorum esse haberi potest totum simul, vt sunt substantiæ, quantitates, scilicet linea, superficies, & corpus, ac qualitates, tàm spirituales, quàm corporales; alia verò sunt successiua, quorum esse nequit totum simul haberi, sed consistit in continuo fluxu partis post partem, vt sunt motus, & tempus; priora mensurantur æuo, posteriora verò tempore, siuè intrinseco, siuè extrinseco, vt superiùs ostensum fuit cum Scoto in 2. d. 2. q. 2. Vtraque tamen possunt dupliciter considerari, vno modo secundum suam entitatem absolutam, alio modo, quatenus earum durationes intrinsecæ, scilicet æuum, & tempus intrinsecum, dicunt relationem coexistentiæ ad durationem imaginariam: hoc secundo modo sumpta, implicat semel transacta iterùm eadem redire; nam cùm huiusmodi coexistentia correspondeat spatio, quod non redit, consequenter nec illa redire potest: cæterùm primo modo non implicat eadem redire, tum quia sunt priora ipsa coexistentia, tum etiam quia huiusmodi correspondentia

cum

cum sit extrinseca illorum entitatibus indiuidualibus, non repugnat illis existere absque posteriori, & accidentaria correspondentia, & aliam de nouo fundare ad talem, vel talem durationem imaginariam absque mutatione identitatis numeralis earumdem entitatum indiuidualium, siuè permanentium, siuè successiuarum.

Secundò notandum ex Scoto in 4. d. 13. q. 1. actionem posse multipliciter sumi, vno modo, vt dicit respectum extrinsecus aduenientem agentis ad passum, seu transmutantis ad transmutatum, & sic constituit quintum prædicamentum. Secundò modo pro actione productiua, & sic importat respectum, vel producentis ad productum, vel inducentis ad inductum, vel educentis ad eductum, & sic spectat ad prædicamentum Relationis, in quo reponuntur omnes relationes intrinsecus aduenientes, cuiusmodi sunt respectus iam dicti. Tertiò modo sumitur pro actione acta, & sic non distinguitur à termino ad quem motus realiter, sed tantum formaliter; siquidem importat formam fluentem, seu effectum agentis in fieri, non verò in facto esse. Ad propositum, cùm omnes istæ actiones concurrant ad fieri cuiuscumque rei naturaliter, si post corruptionem alicuius, diuinitùs illam eamdem numero redire contingat, non erit necesse simul redire cum illa actionem primo, & secundo modo acceptam; siquidem, cum sint posteriores entitate absoluta, sicut non faciunt ad illius productionem formaliter, sed tantum denominatiuè, sic nec ad eius reproductionem erunt necessariæ, itaut nequeat iterùm redire eadem numero, quin secum simul redeant huiusmodi actiones: benè tamen redibit necessariò actio tertio modo accepta; nam cùm huiusmodi non distinguatur realiter ab effectu in facto esse, nisi per fieri, consequenter si redeat res eadem numero in facto esse, & in fieri eamdem redire necesse erit.

Tertiò notandum ex eodem Scoto in 4. dist. 43. q. 3. sub F. quod illa, quæ corrumpuntur, sunt in duplici differentia; in quibusdam enim remanere potest tota materia, itaut nil eius deperdi contingat, etiam transactis multis transmutationibus, vt si ignis accensus in stuppa extingueretur sub vrinali, & ex tali cinere iterùm generetur stuppa, ignisque accenderetur, huiusmodi ignis esset naturaliter idem reproductus numericè: In quibusdam verò non remanet eadem materia tota, sed disperditur vel à vento, vel ab alio agente in diuersis transmutationibus, vt accideret si lignum accenderetur in monte, & fieret cinis, deindè nascantur herbæ, quæ denuò comburantur, & pars cineris iterùm dispergatur, ibi non remanet tota materia, cùm pars illius à vento sit dispersa; ad propositum, quę corrumpuntur priori modo, possunt naturaliter eadem numero redire; non quidem corrupta posteriori modo; quandoquidem Aristoteles 8. Metaph. t. 11. & 12. inquit: *Si materia, & efficiens sint idem, & effectus potest esse idem; si verò nec materia, nec efficiens sint idem, nec effectus poterit esse idem*; cùm igitur in corruptis priori modo, materia tota sit eadem, non autem in corruptis posteriori modo, sequitur in illis, non autem in istis, effectus idem.

Quartò notandum est ex eodem ibidem sub M. idem corruptum naturaliter reproduci posse in eamdem numero naturam, posse dupliciter intelligi; Vno modo immediatè, sine vlla præuia transmutatione, ita quod ex stuppa corrupta ab igne, iterùm fiat naturaliter eadem stuppa, & ex vino corrupto in acetum denuò redeat idem vinum virtute naturæ, & sic est impossibile; siquidem agens naturale non producit quicquam sine præuijs transmutationibus, sed solus Deus, qui non agit per motum, & mutationem, hoc potest efficere: Alio modo mediatè, idest mediantibus transmutationibus, itaut ex stuppa fiat ignis, ex igne cinis, ex cinere puluis, ex puluere herba, & iterũ ex herba generetur stuppa, & hoc modo, si remaneat in huiusmodi transmutationibus tota materia, est possibilis naturaliter reproductio in idem numero, vt dictum est in præce-

denti notabili ex Philosopho 8. Metaph. & ex Auerroe in Metaph. com. 11.

Ex his fit prima conclusio. Omnia entia, siuè permanentia, siuè successiua, tum corrupta, tum annihilata, possunt, virtute diuina, in idem numero redire, vel per reproductionem, vel per recreationem. Est Scoti contra Durandum, & alios citatos in prima sententia. Probatur, quia Deus potest facere ea omnia, quæ non dicunt repugnantiam; sed quod omne indiuiduum, tàm permanēs, quàm successiuum, semel corruptum, vel annihilatum, iterùm reproducatur, aut recreetur, nullam dicit repugnantiam; ergo &c. Maior patet. Minor probetur à Scoto loco citato, quia si adesset aliqua repugnantia, vel talis esset ex parte virtutis diuinæ, vel ex parte termini à quo, vel ex parte termini ad quem; sed nullum istorum est dicendum, ergo &c. Maior patet à sufficienti enumeratione eorum, quæ impedire possunt huiusmodi reproductiones. Minor probatur: Nō potest dici primum, quia omnipotentia Dei est semper æqualiter infinita, & potest in omnia possibilia, solumque impossibilia refugit, vt probat Scotus in 1. d. 43. q. vn. & quol. 9. Neque secundum, quia illud nihil, quod sequitur ad annihilationem, est eiusdem rationis cum nihilo, quod præcessit creationem; similiter illud nihil priuatiuum, quod sequitur corruptionem, est eiusdem rationis cum nihilo, quod antecessit generationem; ergo sicut nihil antecedens creationem fuit terminus à quo creationis, & nihil priuatiuum fuit terminus à quo productionis, ita poterit esse terminus à quo recreationis, & reproductionis eiusdem indiuidui, permanentis saltem: Neque tertium est dicendum, quandoquidem creaturæ possibiles ita sunt possibiles diuinæ omnipotentiæ postquam sunt corruptæ, aut annihilatæ, sicut antequam producerentur, vel crearentur; sed ante, nullam habebant repugnantiam ad produci, vel creari; ergo neque postea habebunt repugnantiam ad reproduci, vel recreari. Maior patet, quia quod est Deo possibile, per nullam actionem causæ secundæ potest fieri illi impossibile; ergo &c. Antecedens patet, quia possibilitas non pendet ab vlla creatura, sed solum ab intellectu diuino, vt probat Doctor subt. in 1. d. 43. q. vn. ergo quod est Deo possibile, per nullam actionem creaturarum poterit sibi fieri impossibile. Secunda pars de indiuiduis successiuis, quāuis ex dictis maneat sufficienter probata, tamen adhuc specialiter suadetur, quia motus, & tempus dicunt entitates absolutas, independenter à quouis extrinseco; ergo sicut possunt successiuè à Deo produci, ita ab ipso poterunt successiuè reproduci in identitate numerali. Antecedens patet, quia sunt quantitates successiuæ, vt superiùs ostensum fuit in 3. & 4. Physicorum. Consequentia patet ex dictis in 1. not. Alias rationes affert Doctor subt. ad probandam hanc conclusionem, & impugnandam opinionem Durandi, sed iam allatæ, vt potè fundamentales, sufficiunt.

Secunda conclusio. Non omnia possunt naturaliter reproduci. Est Scoti ibidē §. Tertia opinio &c. & sub E. Probatur: Si materia, & efficiens non sunt idem, nec effectus erit idem, ex Aristotele 8. Met. t. 12. sed in multis, immò vt plurimum in his, quæ corrumpuntur, materia non remanet tota eadem, sed diuiditur, dispergitur, & dissipatur, vt ostendimus in 3. not. ergo &c. Confirmatur, quia variata quiditate alicuius rei, variatur & ipsa res; sed materia est de quiditate compositi, vt probauimus in 1. Physicorum; ergo si contingit in corruptione variari materiam indiuidualem ratione alicuius extrinseci, necesse est, compositum indiuiduale variari numero, ac proindè non erit eiusdem rei reproductio, sed alterius noua productio.

Tertia conclusio. Multa tamen possunt naturaliter reproduci, non quidem immediatè, sed mediatè. Est Scoti ibidem. Probatur prima pars, quia si materia, & efficiens sunt idem, & effectus erit idem ex Aristotele 8. Met. t. 11. sed in multis, quæ corrumpuntur, materia potest manere eadem, & efficiens idem cum eadem virtute actiua; ergo & effectus erit idem. Maior declaratur, quia res

res dependet essentialiter à suis causis; ergo ipsis positis, ponitur eadem res; at quælibet res corruptibilis dependet essentialiter à materia, & efficiente; ergo si huiusmodi causæ in corruptione rei remanent eædem; ergo & res ab illis dependens erit semper eadem. Minor fuit declarata, & probata in 3. not. Secunda pars probatur, quia ordo præfixus à superiori agente, nec à tota natura potest immutari; sed Deus præfixit hunc ordinem, vt e. g. ex igne non fiat stuppa, sed solum mediantibus varijs transmutationibus, vt declaratum est in 4. not. ergo si contingat in aliquibus corruptis naturalis reproductio, talis non erit immediata, verùm duntaxat mediata. Confirmatur tota conclusio alia ratione Scoti, quia aut simpliciter est impossibile idem numero corruptum iterùm produci, seu reproduci, aut non; si primum dixeris; ergo nec per diuinam potentiam poterit fieri; sed consequens est impugnatum suprà in prima conclusione; ergo &c. Si secundum dicatur, ergo in causalitate eorum, in quibus istud fuit prius possibile, & nunc erit; sed prius fuit possibile in causalitate causarum naturalium; ergo & nunc erit. Confirmatur secundò: Non apparet repugnantia, cur idem numero corruptum non possit idem numero reproduci, nec ex parte agentis naturalis, nec termini à quo, nec termini ad quem; ergo idem numero corruptum poterit naturaliter reproduci. Consequentia patet, nam non apparet alia causa repugnantiæ nisi ex aliquo horum trium capitum. Antecedens probatur: Non ex parte agentis naturalis, quia post corruptionem vnius effectus, remanet in ipso virtus ad producendum alium effectum eiusdem perfectionis, vt patet per experientiam; ergo etiam ad reproducendum primum effectum numero; siquidem reproductio non exigit maiorem virtutem in agente, quam productio, dummodo adsint cætera necessaria. Neque ex parte termini à quo, quia illa priuatio, quæ sequitur ad corruptionem, est eiusdem rationis cum priuatione, quæ antecessit generationē; ergo sicut fuit terminus à quo in productione, erit etiam terminus à quo in reproductione. Neque etiam ex termino ad quem, quia sicut in productione fuit possibilis produci, ex eo quod continebatur virtualiter in potentia actiua agentis, ita in reproductione, ratione eiusdem virtualis continentiæ, erit possibilis reproduci: cùm igitur ex nullo capite repugnet, sequitur, semel corruptum, posse in idem numero naturaliter reproduci.

Quarta conclusio. Ex his duabus conclusionibus, remanet sufficienter explosa Platonicorum opinio, de reditione omnium indiuiduorum actuali post cursum triginta sex millium annorum. Est Scoti ibidem §. Hic sciendum est, vbi auctoritatibus Sacræ Scripturæ, & Sanctorum, præsertim D. Augustini lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 13. ostendit eiusdem opinionis falsitatem. Probatur, quia ad reditionem rerum numericam, requiritur, non tantum agentis, sed etiam materiæ identitas, vt probatum est cum Aristotele 8. Met. t. 11. & 12. atqui impossibile est, eamdem numero materiam remanere in omnibus corruptis, naturaliter loquendo, cursu triginta sex milliū annorum, quin vel diuidatur, vel dispergatur in diuersis locis, vel etiam in totum pereat; ergo impossibile est, omnia indiuidua semel corrupta, etiam post talem cursum, in idem numero redire, & in eodem loco, ac situ, vt illi imaginabantur.

Objicitur primò contra primam conclusionem, quia idem numero indiuiduum non potest redire, si est corruptū, nisi per eamdem numero actionem, seu mutationem, qua primò fuit productū; sed eadem numero actio, seu mutatio, postquam semel est transacta, nequit eadem redire, etiam per potentiam diuinam; ergo neque per diuinam potentiam, poterit redire idem numero indiuiduum, postquam semel est corruptum, & transactum.

Resp. Maiorem esse veram de actione acta, falsam de actione sumpta pro relatione agentis ad passum, & producentis ad productum; & sic distinguitur etiam minor, vt sit vera de actione for-

maliter, non materialiter accepta, quia sic, cum non sit aliud, quam terminus in fieri, potest, virtute diuina, redire idem numero, sicut & terminus in facto esse.

Obijcitur secundò: Si Angelus, semel annihilatus, denuò crearetur, haberet distinctam durationem ab illa quam prius habuit; sed duratio Angeli ab eius esse actuali non distinguitur; ergo Angelus recreatus haberet distinctum esse actuale, ac proindè non esset idem, verùm distinctus numero à priori.

Resp. Maiorem esse veram de duratione extrinseca Angeli, quæ est coexistentia ad tempus nostrum, falsam de intrinseca, & sibi propria, quæ dicitur æuum, quia cùm hæc sit eadem realiter cum existentia Angeli, si de nouo crearetur, non haberet distinctam durationem, sicut nec distinctum esse actualis existentiæ.

Obijcitur tertiò ex Aristotele 6. Ethicorum cap. 3. approbante dictum Agathonis: Hoc solo priuatur Deus, ingenita facere, quæ facta sunt .i. præterita non præterijsse, & esse præsentia; sed corrupta sunt præterita, & genita sunt præsentia; ergo impossibile est, semel corrupta denuò esse præsentia per reproductionem.

Resp. Maiorem esse veram de præteritis formaliter, nō tamen pro connotato, quia, vt inquit Doctor subt. in 2. d. 2. q. 1. ad 2. argum. pro prima opinione sub E. Deus potest facere Angelum nō fuisse, sed non, quod non præterijt, ita à simili dicendum est de corruptis, quamuis Deus nequeat facere, corruptum non transisse in præteritum, dum est formaliter corruptū, tamen facere potest, quod substantia subiecta corruptioni sit præsentia per nouam productionem, & sic præteritum pro connotato, non esse præteritum, sed præsens.

Obijcitur quartò contra secundam partem de successiuis: De ratione entium successiuorum est, vt partes sint in continuo fluxu secundum ordinem prioris, & posterioris; sed data reproductione motus, non seruaretur continuitas, nec ordo prioris, & posterioris in fluxu; ergo destrueretur ratio entium successiuorū. Maior patet. Minor probatur, quia data reproductione, supponitur interruptio; sed per hanc soluitur continuitas; ergo &c. Similiter si motus reproducitur, quæ erat prior pars, euadit posterior; ergo soluitur ordo prioris, & posterioris.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, minorem esse veram de interruptione vnius partis ab alia, non tamen de interruptione vnius motus ab alio motu, modo continuitas partium est de ratione entis successiui, non tamen continuitas motuum adinuicem. Ad secundam probationem nego quod in reditione motus, nō seruaretur ordo prioris, & posterioris, immò esset idem ordo seruatus in productione.

Obijcitur quintò contra tertiam conclusionem, tum quia Aristoteles 2. de Gener. t. 70. inquit: Quorum substantia perit, non reuertitur eadem numero: & in Prædicam. de Oppositis, subiungit: Quod à priuatione ad habitum non datur naturaliter regressus; tum etiam, quia non esset impossibilis resurrectio hominis ex viribus naturæ; siquidem possent seruari eadem materia tota, & idem agens, etiam post corruptionem; sed hoc est contra omnes Theologos in 4. d. 43. & auctoritatem Patrum, ac Sacræ Scripturæ; ergo conclusio nostra non est asserenda.

Resp. Negando consequentiam, quia nec auctoritates, nec inconueniens allatum, quicquam fauessunt, vndè ad primam dico, Aristotelem locutum fuisse de facto, vel vt in pluribus, ob difficultatem conseruandi eamdem numero materiam in corruptis, & eamdem numero actionem agentis, non verò de possibili, vt nos loquimur, siquidem huc respiciens in 8. Met. t. 12. dixit, si materia, & efficiens sint idem, & effectus erit idem. Ad secundam veram esse de priuatione perfecta, qualis reperitur inter cecitatem, & visum, non de imperfecta, vt inter materiam, & formam habendam. Ad tertiam nego consequentiam, quia arguere ab aliquibus corruptis, in quibus non est impossibilis physicè conseruatio

eiusdem

eiusdem materiæ, & virtutis agentis, ad vniuersale omnium indiuiduorum, est consequentia vitiosa; maximè in proposito de resurrectione hominum mortuorum, in quibus est naturaliter impossibilis remansio totius materiæ, ob diuersas transmutationes, quæ sunt necessariæ in generatione hominis.

Obijcitur sextò: Ad idē numero producendum, nedum requiritur identitas numerica materiæ, & efficientis, verùm etiam temporis, & actionis; sed post corruptionem in reproductione non esset saltem vnitas temporis, & actionis; ergo &c. Maior probatur, quia ideò ignis hunc, & non illum ignem; hoc, & non illo tempore; hac, & non illa actione producit, quia Deus sic præfiniuit; sed ordo præfixus à Deo nequit ab agente naturali mutari; ergo &c. Maior est Scoti in 1. d. 39. q. 1. dicentis, Deum determinare effectum, non solum quo ad speciem, sed etiam in indiuiduo, & quo ad omnes conditiones existentiæ, inter quas recenset tempus, & actionem. Minor primi syllogismi patet, quia tempus semper fluit, & actio concomitatur motum, & tempus.

Resp. Negando maiorem de tempore, & actione formaliter sumptis, ad probationem dico, esse veram de facto, non autem de possibili, quia sic; quemadmodum per diuersos motus, & actiones, potest acquiri idem locus, ita diuerso tempore, fieri potest idem numero effectus, vt accideret in reproductione naturaliter facta.

Obijcitur septimò contra quartam conclusionem: Illud Ecclesiastes cap. 1. Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est: Quid est, quod factum fuit? ipsum quod faciendum est; nihil sub Sole nouum, nec valet quisquam dicere: ecce hoc recens est: iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos; ergo de facto danda est naturalis reproductio, vel reditio numerica.

Resp. Negando consequētiam, siquidem auctoritas allata, secundum D. Augustinum relatum à Scoto in 4. d. 43. q. 3. B. intelligitur de identitate specifica, vel generica, non autem numerica: inquit enim: Absit ab his Salomonis verbis illos vt circuitus signatos esse credam, sed vel generaliter accipiendo, eadem præcessisse, quæ erunt, non autem eadem secundum numerum; ex quo infertur, nihil genericum, aut specificum esse sub cœlo nouum, sed tantum numericum. Si quis cupiat plura argumenta contra supradictas conclusiones, videat Recentiores, & præsertim diligentissimum Mastrium de Gener. & Corrupt. q. 7. art. 1. & 2. nobis iam recensita sufficiunt.

De contrarietate motuum, & quietum.

SVMMA III.

HÆc Summa tertia diuiditur in tria capita, in quorum primò ostendit quinam motus opponantur: In secundò, quæ quietes aduersentur inter se, & cum motibus: Et tertiò soluit quasdam dubitationes contra oppositiones motuum, & quietum.

Quo ad primum in t. 46. determinat quot modis possit accipi motuum contrarietas, & primò si terminus à quo vnius sit terminus ad quem alterius motus, tales sunt contrarij, vt motus a sanitate, & motus ad sanitatem. Secundò motus, quorum termini à quibus sunt contrarij, & ipsi sunt contrarij, vt, motus à valetudine, & motus ab ægritudine. Tertiò, quorum termini ad quos sunt contrarij, motus sunt contrarij, vt motus in valetudinem, & motus in ægritudinē. Quartò si terminus à quo vnius sit contrarius termino ad quem alterius, vt motus à caliditate, & motus ad frigiditatem. Quintò, quorum termini à quibus, & ad quos sunt contrarij, vt motus à sanitate in ægritudinem, & motus ab ægritudine in sanitatem.

In t. 47. cum tradere intendat, quinam motus propriè aduersentur, excludit quartum modum contrarietatis, eo quia in ipso non reperitur contrarietas; nam vnus, & idem motus non potest esse sibi contrarius; at motus à contrario in contrarium vnus est, vt motus ab albo in nigrum; ergo non est sibi contrarius.

In t. 48. excludit secundum modum, & pro-

& probat in terminis à quibus non consistere contrarietatem; nam vndè motus sumit denominationē, indè accipit speciem, & cōtrarietatem; sed motus à termino ad quem sumit denominationem; ergo & contrarietatem; igitur in terminis à quibus non est constituta contrarietas motuū; ac proindè concludit duos modos, scilicet tertium, & quintum habere contrarietatem requisitam ad motum; primum autem modum potiri cōtrarietate ad mutationes requisita.

In tex. 49. reducit tertium modum ad quintum, & generaliter colligit, motus illos esse contrarios, qui sunt ex contrarijs in terminos contrarios.

In t. 50. ostendit inductiuè in motibus esse contrarietatem; in alteratione enim ægrotari, & sanari aduersantur; similiter discere, & decipi contrariantur ratione scientiæ, & deceptionis: in motu locali, latio sursum contrariatur lationi deorsum, secundum longitudinem, & dextra, & sinistra secundum latitudinem; antè, & retrò secundum profunditatem.

In t. 51. ostendit insuper reperiri contrarietatem etiam in mutationibus, vt generatio, quæ tendit ad esse, contrariatur corruptioni, quæ vergit in non esse; similiter abiectio opponitur acceptioni.

In t. 52. declarat, motus esse contrarios, quando à terminis contrarijs fit accessus ad medios, vt ex fusco in album, numquam ex nigro; & ex albo in fuscum, tamquam in nigrum; siquidem fuscum, comparatum ad album habet rationem nigri, & comparatum ad nigrum habet rationem albi, sicque respectu diuersorum habent medij termini rationem contrariorum, ac proindè motus ad illos, & ab illis, erunt ex contrarijs in cōtrarios. Ex quo infert, quod contrarietas propria motuum est, quæ est de contrario in contrarium tantum, & non alio modo.

Quoad secundum, declarata motuum diuersitate, nunc in t. 53. incipit ostendere oppositionem quietis cum motu. Est autem aduertendum, motum contrariari motui simpliciter, hoc est perfecta contrarietate, quietem verò aduersari motui priuatiuè, puta quietem eiusdem generis opponi motui, vt quietem in loco motui in loco, quietem in qualitate, motui in qualitate &c.

In t. 54. inquit, sicut in motu est terminus à quo, & ad quem, ita in quiete vtrumque terminum reperiri, cuius rei gratia duas statuit conclusiones. Prima. Quies, quæ est in termino ad quem, non aduersatur motui in termino à quo; & illam probat, nam nihil opponitur ei, cuius est perfectio; sed quies in termino ad quem est perfectio motus in termino à quo; ergo ei non opponitur, sed sola quies in termino à quo, aduersatur tali motui. Secunda conclusio: Quies opponitur quieti, sicut enim se habent habitus adinuicem, ita priuationes; sed motus, qui est ab ægritudine in valetudinem, aduersatur motui, qui est ab valetudine in ægritudinem; ergo & quietes, quæ sunt in huiusmodi terminis.

In t. 55. quærit an sicut quies opponitur motui, ita & mutationi aduersetur? Respondet negatiuè, quia vnum tantū vni opponitur; cùm igitur quies opponatur motui, non poterit opponi mutationi. Quid ergo aduersabitur mutationi? Respondet, immutationem esse mutationi oppositam, vt immutatio, quę est sub ente, opponitur mutationi sub non ente.

Quoad tertium dubitando inuestigat aliam cōtrarietatem in motibus, & mutationibus, nempè secundum naturalitatem, & violentiam, vt in motu lapidis sursum est violentia, & deorsū est naturalitas; vndè in t. 56. mouet dubitationē, cur ista cōtrarietas reperiatur in motu locali, & non in alijs motibus, & mutationibus? quandoquidem in motu alterationis sanatio, & ægrotatio æqualiter dicuntur secundum, & præter naturam: similiter dicendum est de augmentatione, & diminutione; & de generatione, & corruptione.

Vndè in t. 57. incipit respondere propositæ dubitationi dicens, quod si id, quod violenter fit, vocari potest præter naturam, in quolibet motu, ait, reperiri hanc contrarietatem, quod probat inductiuè discurrendo per singulos; siquidem corruptio corruptioni est contra-

ria,

lia, nam quæ fit ab extrinſeco, gladio, vel igne dicitur violenta, naturalis autem, quæ accidit in ſenectute ob defectum caloris naturalis. Similiter generationũ alia eſt violenta, vt generatio roſæ in hyeme, cum fiat arte, & induſtria; alia verò naturalis, vt generatio roſæ veris tempore. Augmentationes pariter, & diminutiones ſunt aliæ violentæ, & aliæ naturales; quæ enim citò creſcunt, vel decreſcũt ob eximium, vel debile alimentum, ſunt violentæ; quæ autem paulatim augentur, vel diminuuntur naturales vocantur.

In t. 58. oſtendit etiam in motu alterationis dari violentiam, & naturalitatem, vt e. g. ſanari in diebus criticis .i. iudicatorijs, eſt ſecundum naturam, quia in illis diebus natura pugnat, vt morbum vincat, ſanari autem in alijs diebus eſt violentum, & præter naturam.

In t. 59 dicit, quod contrarietas ſecũdum ſpeciem attenditur ſecundum terminos ad quos; & cum dantur duo motus, quorum vterque eſt naturalis, vel violentus, ſunt in diuerſis ſubiectis, vt motus ignis ſurſum, & terræ deorſum; cùm verò datur contrarietas ſecundum violentum, & naturale, duo motus contrarij poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, vt ſi lapis moueatur ſurſum, & deorſum.

In t. 60. infert dari etiam quietes ſecundum naturam, & præternaturas, cõtrarias; nam quando quies eſt naturalis motus eſt violentus; cum verò quies eſt violenta motus eſt naturalis; ſiquidem, quia motus lapidis deorſum eſt naturalis, eius quies ſurſum eſt ei violenta; & per oppoſitum, quia eius quies deorſum eſt naturalis, motus ſurſum eſt ei violentus.

In t. 61. mouet primum dubium, an quies, quæ non ſemper eſt, cuiuſmodi eſt violenta, generetur? Reſpondet talem quietem non generari, & probat, quia ſi generaretur, produceretur motu violento; ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Minorem probat, quod mouetur ad quietem, velociùs mouetur in fine motus; at quod violenter mouetur, tardius mouetur in fine; ergo non mouetur propter quietem. Secundò probat, Res non propriè quieſcit, niſi ſit in loco naturali; ergo motus nõ eſt ad quietem illius rei, quæ non eſt in ſuo loco; ergo quies violenta non generatur, ſed per accidens producitur.

In t. 62. mouet ſecundum dubium: Non videtur quies à termino à quo contraria motui ad terminum ad quem, alioquin eſſent duo contraria ſimul; nã dum res mouetur, eſt ſub vtroque termino, e. g. ſub nigredine cum ſit alba; ſed hoc eſt impoſſibile; ergo nequit dari quies à termino à quo, contraria motui ad terminum ad quem. *Reſp.* contraria in gradibus remiſſis poſſe ſimul eſſe, & ſic non eſt inconueniens dari quietem imperfectam, hoc eſt remiſſam, quæ ſit ſimul cum motu ad terminũ ad quem, patet, quia cum aqua ex frigida ſit calida, non ſtatim abijcit frigiditatem, ſed aliquantiſper manet ſub ea in gradu remiſſo, etiam dum ſit actu calida.

In t. 63. epilogat capitulum de cõtrarietate motuum, & quietum; vndè aliqui inferunt propterea duos textus ſequentes non eſſe Ariſtotelis.

In t. 64. mouet tertium dubium: An motus violenti terminentur in quieté, hoc eſt, an detur quies non naturalis? Reſpondet dari quietem violentem, ad quam terminatur violentus motus, tum quia motus violentus eſt finitus; ergo terminatur in quietem: Tum etiam, quia ſi datur motus naturalis, & violentus; ergo debent dari quietes eis oppoſitæ.

In t. 65. quærit quomodo vnus motus habeat duos motus contrarios? Reſpondet habere vnum, tamquam naturalem; alterum, tamquam violentum, e.g. motui lapidis deorſum naturali, contrarius eſt motus ignis ſurſum, & violentus motus eiuſdem lapidis ſurſum, & ſic vnus motus habet duos motus contrarios. Quod dictum eſt de contrarietate motuum, idem pariter dicendum eſt de oppoſitione quietum. Et hæc de textu huius Summæ tertiæ, & totius libri quinti Phyſicorum.

De

De contrarietate motuum, & quietum.

DISPVT. III.

QVamuis ex his, quæ diximus in textu, satis liqueat, quonam pacto, motus, & quietes sint contrarij, nihilominus cum non planè constet, vndè sumi possit motuum, & quietum contrarietas, propterea huiusmodi difficultas in præsenti discutienda est, cui insuper addendum, an motus, qui fit de contrario in cõtrarium, sit tantum vnus, vel plures.

Vtrum contrarietas motuum desumenda sit à terminis à quibus, vel tantum à terminis ad quos?

QVÆSTIO I.

CIrca hanc quæstionem videtur esse eadem controuersia, quæ de vnitate specifica motus superiùs tacta fuit; contrarietas enim est duarum vnitatum specie incompossibilis in eodem mobili existentia; quamobrem Albertus de Saxonia lib. 5. Physicorum q. 6. & Burlæus q. 2. sustinent, motuum contrarietatem sumi debere, non tantum à terminis ad quos, sed etiam à terminis à quibus positiuis. Oppositum defendit Villanerda noster lib. 5. Physicorum cap. 2. q. 1. nempè contrarietatem motuum sumi debere à terminis à quibus priuatiuis, non autem positiuis.

Cæterùm communis opinio docet, desumendam esse dumtaxat à terminis ad quos, nullo modo autem à terminis à quibus, nec priuatiuis, nec positiuis. Ita Doctores omnes citati in præcedenti disput. q. 1. asserentes, vnitatem specificam attendi tantum à termino ad quem motus.

Pro cuius declaratione primò notandum est, contrarietatem motus dupliciter spectari posse, & ab intrinseco, & ab extrinseco. Primò modo motus sunt contrarij ex suis rationibus formalibus, secundum quas fiunt incompossibiles, eo modo, quo calor, & frigus in summo ratione oppositionis formalis se mutuò expellunt ab eodem subiecto, & de hac contrarietate non est sermo in proposito. Secundò modo motus sunt oppositi ratione suorum terminorum, vel à quibus tantum, vel ad quos dumtaxat, vel ab vtrisque simul, & de hac contrarietate solummodò procedit præsens quæstio.

Secundò notandum, vel potiùs recolendum memoriæ, quod etiam superiùs aduertimus, nempè duplices esse terminos, à quibus incipiunt motus, s. positiuos, & priuatiuos, seu formales, & concomitantes, vt in motu alterationis cum ex frigido fit calidum, terminus à quo positiuus, & concomitans, est frigiditas, quæ in calefactione, e.g. aquæ paulatim, & successiuè deperditur; priuatiuus verò, & formalis, est priuatio caliditatis per calefactionem acquirendæ; oppositum dicendum est, cum ex calido fit frigidũ; siquidem caliditas est terminus à quo positiuus, & concomitans, quæ in frigefactione aquæ successiuè abijcitur; priuatio verò frigiditatis de nouo acquirendæ vocatur terminus formalis, à quo incipit motus frigefactionis in aqua. Ex his infertur, quod cùm termini à quibus positiui, seu concomitantes sint omninò extrinseci motibus, calefactionis, e.g. & frigefactionis; formales verò, & priuatiui sint non entia positiua, sicut non possunt præbere illis esse specificum, consequenter nec contrarietatem, quæ exigit extrema ambo realia, & positiua.

Ex his fit prima conclusio. Contrarietas per se motuum non attenditur penès terminos à quibus, siuè positiuis, siuè priuatiuis. Est contra primam, & secundam opinionem. Probatur, quia ab illis terminis motus habent sumere suam contrarietatem, à quibus accipiũt vnitatem specificam, ac denominationem; sed à terminis à quibus tum positiuis, tum priuatiuis non sumunt specificationem, ac denominationem; ergo ab illis nequeunt accipere contrarietatem. Maior patet, quia contrarietas est repugnantia duorum extremorum, quæ

sub eodem genere posita maximè à se inuicem distant, & mutuò se expellunt ab eodem susceptibili, cui vicissim in sunt, ex Aristotele in Postprædicam. cap. de oppositionibus; ergo contraria debent distingui specie sub eodem genere, ac proindè ab illis motus sumere habent contrarietatem, à quibus sumunt vnitatem specificam. Minor probatur, quia termini positiui sunt omninò extrinseci motui; tum quia idem motus dealbationis potest fieri à diuersis terminis à quibus positiuis, scilicet à nigredine, à rubedine, à flauedine, quæ specie differunt; ergo à terminis à quibus positiuis motus non possunt accipere vnitatem, & denominationem specificam. Nec à priuatiuis, quia vnitas specifica motus est realis, & positiua; ergo nequit habere esse specificum à termino priuatiuo; siquidem nemo dat, quod non habet.

Secunda conclusio. Motus contrarij sumũt speciem contrarietatis tantum à terminis ad quos contrarijs. Est communis, tum veterum, tum recentiorum. Probatur, quia vnitas specifica motus desumitur dumtaxat ab vnitate specifica termini ad quem, vt probauimus in præcedenti disp. 2. q. 1. concl. 1. ergo & contrarietas ab eodem tantum sumi debet. Consequentia patet, quia contrarietas est repugnantia duorum extremorum specie differentium; igitur ab eo sumi debet, à quo vtrumque extremorum accipit esse vnum specie, ab alio distinctum specificè.

Tertia conclusio. Mutationes etiam sumunt suam contrarietatem à terminis ad quos. Est expressè Aristotelis in tex. 46. & 51. Probatur, quia generatio, & corruptio sunt mutationes contrariæ; sed non sunt huiusmodi, nisi generatio tendat ad esse, & corruptio ad non esse, quæ sunt termini ad quos contrarij, sumendo contrarietatem largè iuxta primum modum ex quinque positis in tex. 46. huius lib. 5. ergo contrarietas mutationum desumenda est ex terminis ad quos.

Obijcitur primò contra primam conclusionem: Tum quia motus magis specificatur, ac denominatur à termino ad quem, quam à termino à quo, ex Aristotele 5. Physicorum t. 4. & 48. ergo secundum Aristotelem sumitur specificatio & contrarietas etiam à terminis à quibus; licèt minus, quam à terminis ad quos: Tum etiam, quia motus locales, specie differentes, terminantur ad idem vbi, vt docet Scotus in 1. d. 2. q. 7. T. & in 4. d. 43. q. 1. D. ergo sumunt contrarietatem, sicut specificationem, solum à terminis a quibus, & non à terminis ad quos, vel promiscuè ab vtrisque secundum Doctorem subtilem.

Resp. Negando consequentiam; siquidem ly magis non sumitur comparatiuè, sed tantum positiuè, vt sit idem ac simpliciter, ac secundum quid, minus; quod optimè liquet ex adductis exemplis in t. 48. dum inquit: Sanatio, qui in sanitatem, & ægrotatio, qui in ægritudinem contrariantur; vbi apparet, quod sumit contrarietatem tantum ex terminis ad quos, & non ex quibus; & probat, dum subiungit: Forsitan igitur accidit eos, qui in contraria, & ex contrarijs esse, sed ipsum esse fortè non idem. Ad secundum pariter neganda est consequentia; quandoquidem omnes motus locales sunt eiusdem speciei essentialis, nã omnia vbi, secundum Scotum in 1. d. 2. q. 7. sub T. sunt eiusdem rationis specificæ. & solum differunt accidẽtaliter ratione diuersarum positionum, vt patet de motu sursum, & deorsum, qui solùm dicuntur differre specie, pro quanto locus sursum, & deorsum maximè distant, & nõ ratione vbi sursum, & deorsum, quia sic sunt eiusdem speciei: vndè inferimus, quod etsi aliqui motus locales differant specie accidentaliter, eorum contrarietas accidentalis non erit desumenda à terminis à quibus, sed à terminis ad quos accidentalibus.

Dices: Comparationem fieri in eadem specie, incomparationem autem in diuersitate specierum ex Aristotele 7. Physicorum; sed motus rectus, & circularis, ex eodem ibidem t. 21. sunt incomparabiles; ergo differunt specie per se, & non tantum per accidens, ac proindè, cùm non sint ad diuersa vbi specie, sequitur, huiusmodi differentiam, & contrarieta-

rietatem desumendam esse à terminis à quibus, & non à terminis ad quos.

Resp. Motum circularem, & rectum esse quidem incomparabiles, non tamen vt motus locales sunt, & per se, quia sic, cum terminentur ad idem vbi, sunt eiusdem speciei, & per consequens comparabiles, verùm vt circularis, & rectus, ratione lineæ rectæ, & circularis super quibus fiunt, vnde si differunt specie, & sint contrarij, hoc erit tantum accidentaliter, & non essentialiter.

Obijcitur secundò, quia ab eo sumunt motus contrarietatem, à quo sumunt speciem contrariam; sed motus accipiūt vnitatem specificam à terminis à quibus priuatiuis; ergo quando motus sunt cōtrarij secundum speciem accipiunt contrarietatem à terminis à quibus priuatiuis. Minor probatur, quia motus per se versantur inter terminum positiuum, & priuatiuum, vel negatiuum; ergo sicut positiuus notificat contrarietatem specificam positiuè, ita priuatiuus priuatiuè; sed priuatio est principium motus; ergo erit etiam principium motus specifici, & contrarij.

Resp. Negando minorem; ad probationem nego consequentiam; nam aliud est motum exigere præsuppositiuè terminum à quo priuatiuum, & aliud ab eo sumere suam speciem: primum enim conceditur, quia sicut mobile nequit accedere ad alterum contrariorum, nisi ab altero recedat, ita nequit acquirere formam positiuam, si non habeat priuationem illius; at secundum negatur, quia cum esse specificum, vt fundat contrarietatem cum altero sibi opposito, necessariò debeat esse quid positiuum, non poterit esse, nisi à positiuo, & sic à termino ad quem, & non à termino à quo priuatiuo.

Vtrum motus, quo mobile mouetur de contrario in contrarium, sit tantum vnus, vel plures?

QVÆSTIO II.

Circa propositam quæstionem sunt tres Expositorum sententiæ, apud Toletum lib. 5. Physicorum cap. 5. q. 4. & Ruuium cap. 6. q. 2. quarum prima est Auerrois, Alberti Magni, & D. Thomæ in Comment. ad t. 47. lib. 5. Aristotelis, asserentium esse plures motus formaliter, & vnum tantum subiectiuè; siquidem sunt duo contraria in eodem subiecto, scilicet albedo, & nigredo, & cum recedit ab albedine est vnus motus, qui dicitur recessus, cùm autem accedit ad nigredinem est alius motus, vocatus accessus; quia verò vterque est subiectiuè in eodem mobili, dicuntur vnus motus subiectiuè.

Secunda sententia est Pauli Veneti ibidem, sustinentis esse tantum vnicum motum, quia est vnicus tantum fluxus ad vnum terminum ad quem quamuis etiam posset dici ratione duarum formarum contrariarum, quarum altera est terminus à quo, & altera terminus ad quem.

Tertia sententia tandem docet esse duas mutationes, ex quibus coalescit vnus motus, quarum altera potest appellari corruptio, secundum quid, quatenus nimirum procedit ab esse albi ad non esse eiusdem albi; altera verò dici potest generatio secundum quid; incipit enim à non esse nigri, & tendit ad esse nigri, & ex his coalescit vnus totalis motus, qui est à contrario in contrarium.

Quid autem sit dicendum secundum Scotum, quibusdam de more adnotatis, aperiemus in conclusionibus.

Primò est igitur notandum ex Toleto citato, quod in quolibet motu sunt duo termini, quorum alter est extrinsecus ipsi motui, & vocatur à quo incipit motus extrinsecè; nam quod abijcitur, & deperditur est extrinsecum; alter verò est ipsi intrinsecus, quia per motum acquiritur ipsi mobili, in eoque manet etiam cessante motu, & appellatur ad quem, & ab eo dumtaxat sumitur vnitas, & contrarietas specifica motus, vt superiùs ostendimus.

Secundò notandum est, quod in quolibet motu sunt duæ mutationes, & tres motus, vt in dealbatione prima mutatio est ab esse termini à quo, vt puta nigri, ad non esse eiusdem, & vocatur corruptio secu-

secundum quid, seu accidentalis; siquidem est transitus de esse ad non esse. Secunda est à non esse termini ad quem ad esse eiusdem, nempè à non esse albi ad esse album, & talis appellatur generatio secundum quid, seu accidentalis. Has duas mutationes consequuntur tres motus, primus quorum est remissionis termini à quo, & est à magis nigro ad minus nigrum. Secundus est intensionis termini ad quem, & hic procedit à minus albo ad magis album. Tertius motus dicitur totalis, qui extrinsecè procedit à termino à quo, vt puta à nigro, ad terminū ad quem, nimirum ad album.

Ex his fit prima conclusio. Mutatio prima, quæ est in termino à quo, distinguitur realiter à mutatione secunda, quæ est in termino ad quem. Est Scoti in 2. d.2.q.7. D. & colligitur etiam ex 4. d.10. q.1. F. & G. in simili de duobus corporibus seinuicem expellentibus ab eodem loco. Probatur: Tum quia generatio, & corruptio realiter distinguuntur, saltem negatiuè, ex eo quod vna ad esse, & alia ad non esse terminantur; sed mutatio in termino à quo est corruptio, & in termino ad quem est generatio; ergo realiter distinguuntur: Tum etiam, quia terminus à quo, & ad quem, cum sint contrarij, realiter distinguuntur; ergo etiam mutationes in ipsis habent realiter distingui.

Secunda conclusio. Motus remissionis termini à quo, & intensionis termini ad quem, realiter distinguuntur. Probatur, quia termini à quo, & ad quem sunt realiter distincti; ergo & motus, qui fiunt in eis, erunt realiter distincti.

Tertia conclusio. Motus totus, totalisque, procedens à termino à quo, & tendens in terminum ad quem, vt calefactio à frigiditate in caliditatem, consistit in acquisitione, & intensione termini ad quem. Est Scoti pluribus in locis, quos citauimus in 3. Physicorum de natura, & quiditate motus. Probatur, quia motus, ex Aristotele 3. Physic. tex. 6. est actus entis in potentia, prout in potentia; sed mobile non est in potentia ad id quod deperdit, cum sit actu sub eo, ergo est in potentia ad id quod acquirit, & sic ad terminum ad quem, & non à termino à quo positiuo, à quo per deperditionem recedit.

Quarta conclusio. Motus totalis à cōtrario in contrarium, est vnus realiter, duo tamen ratione, hoc est, secundum diuersam considerationem. Est Aristotelis in tex. 47. & Scoti in 2. d. 2. q. 7. D. Probatur prima pars, quia motus realiter, & essentialiter respicit tantum terminum ad quem, tum quia est actus entis in potentia, vt in potentia, tum etiam quia à solo termino ad quem accipit esse specificum, vt superiùs ostensum est; sed in motu à contrario in contrarium, est tantum vnicus terminus ad quem; ergo tantum vnicus motus realiter. Secunda pars probatur, quia in motu, cuius termini sunt positiui, mobile recedit à termino à quo, & accedit ad terminum ad quem, vt puta ab albo in nigrum; sed talis recessus, & accessus sunt motus; ergo motus, qui est in mobili est secundam rationē, & considerationem est duplex. Et sic intelligendus est Aristoteles, dum in t. 47. inquit: Motum à contrario in contrarium, esse vnum re, diuersum tamen ratione.

Quinta conclusio. Ex his infertur, quod idem mobile, nequit simul moueri motibus cōtrarijs. Est Aristotelis t. 62. & Scoti ibidem. Probatur, quia termini motus sunt incompossibiles, ex Aristotele 5. Physicorum t. 26. ac alibi, ergo & motus, qui sunt inter terminos, erunt incompossibiles; sed huiusmodi motus essent contrarij; ergo sunt incompossibiles in eodem mobili simul, ac proindè non poterit simul moueri motibus contrarijs. Secundò probatur, quod mouetur aliquo motu accedit ad eius terminū ad quem, & recedit à termino à quo; sed incompossibile est, idem simul accedere ad duo contraria, & ab eis simul recedere; ergo impossibile est, quod idem simul moueatur motibus contrarijs. Minor patet ex diffinitione contrariorum, per quam implicat ambo consistere simul in eodem subiecto.

Obijcitur primò contra quartam cōclusionem: Vbicumque sunt duo fluxus realiter distincti, ibi sunt duo motus realiter

liter distincti; sed in mobili de contrario in contrarium sunt duo fluxus realiter distincti; ergo duo motus. Maior patet ex dictis in 3. Physicorum, vbi probauimus, motum esse fluxum formæ, & non formam fluentem. Minor probatur, quia cum ex albo fit quid nigrum, ibi est fluxus albedinis, à quo mobile recedit successiuè, & fluxus nigredinis, ad quem accedit pariter successiuè; ergo etiam duo motus.

Resp. Maiorem esse veram de fluxu termini ad quem, non autem de fluxu termini à quo: nam cum motus sit actus entis in potentia, vt in potentia, & mobile non sit in potentia ad terminum à quo, sed tantum ad terminum ad quem, consequenter dicendum est, fluxum ad terminum ad quem duntaxat esse motum; alium verò ab esse ad non esse termini à quo, fore mutationem, & non motum.

Obijcitur secundò contra quintam conclusionem, quia Scotus in 1. d. 17. q. 6. §. Contra istam opinionem &c. dicit, contraria posse simul consistere in eodem subiecto in gradibus remissis, non verò in intensis, patet de aqua tepida, quæ est simul aliqualiter calida, & aliqualiter frigida, ergo simul poterit moueri ad caliditatem, & frigiditatem, quæ sunt contraria, & sic motibus contrarijs.

Resp. Negando consequentiam, quia aliud est idem quiescere sub formis contrarijs in gradibus remissis, & aliud simul moueri ad illas formas; primum enim dicit Scotus, & nos cum illo concedimus; at secundum negamus; siquidem motus, cum sit acquisitio termini ad quem, & huiusmodi formæ nequeant simul acquiri, consequenter nequit mobile duobus motibus contrarijs ad illas cieri, sed tantum ad vnam mouebitur, & alteram per mutationem deperdet.

Et hæc de 5. Physicorum libro.

De Physico auditu, seu Physicorum Aristotelis.

LIBER SEXTVS.

Visis, in superioribus tribus libris, quiditate, passionibus, tum intrinsecis, tum extrinsecis, ac insuper vnitate, & contrarietate motus, tam in vniuersali, quàm in particulari, in hoc Aristoteles agere intendit de partibus integrantibus eius, non solùm, vt continuus, & successiuus est, sed etiam quatenus extenditur ad subiectum mobile, hoc est, de diuisibilitate quantitatiua, tum motus, tum mobilis, nimirum an motus sit diuisibilis, vel indiuisibilis quantitatiuè, & an afficiat subiectum diuisibile, vel etiam indiuisibile. Hic liber partitur in quinque Summas: In prima ostendit continuum non componi ex indiuisibilibus: In secunda motum, & quietem non mensurari instanti, sed tempore: In tertia peragit de diuisione motus: In quarta de ordine partium eiusdem: Et in quinta confutat errores quosdam circa ipsum motum.

De compositione continui, vt relucet in Magnitudine, Motu, & Tempore.

SVMMA I.

Hæc prima Summa diuiditur in tria capita, in quorum primò ostendit nullum continuum componi ex indiuisibilibus: In secundò demonstrat, ad diuisionem magnitudinis sequi diuisionē temporis, & è contra: Et in tertiò, quod finitum, & infinitum reperiuntur in magnitudine, ac in tempore.

Quo ad primum in tex. 1. ponit hanc conclusionem: Nullum continuum componitur ex indiuisibilibus; & probat illam pluribus argumentis.

Primò sic: Si continuū componeretur ex indiuisibilibus, aut talia indiuisibilia essent continua, aut contigua, aut consequenter se habentia; sed nullum istorum

rum est dicendum; ergo &c. Minoris prima pars probatur, quia continua sũt, quorum vltima sunt vnum; at indiuisibilia, vt puncta, non habent vltimum; ergo &c. Minor probatur: Omne quod habet vltimum, habet partem, & partẽ; sed punctũ non habet partes; ergo &c. Secunda pars probatur: Nam contigua sunt, quorum vltima se tangunt; sed pũcta non habent vltima; ergo nequeunt se tangere. Deindè, omne quod aliquid tangit, aut tangit pars partem; aut pars totum, aut totum totum; sed duo priora nequeunt admitti, cum punctum non habeat partes; ergo si punctum tangit aliquid, tunc totum tangit totum; sed contigua non se tangunt nisi secundum vltima; ergo puncta nequeunt dici contigua: vel si totum tangeret totum, illa non essent extra seinuicem situaliter, & per consequens nullam inducerent extensionem. Tertia pars probatur, quia si consequenter se haberent, vel medium inter ipsa esset punctum, vel linea: Non punctum, quia inter consequenter se habentia, nequit esse medium eiusdem rationis: Nec linea, quia tunc non componeretur præcisè ex indiuisibilibus, sed etiam ex aliquo diuisibili, quod negatur.

In t. 3. probat tertiò eamdem conclusionem: Si continuum esset compositum ex indiuisibilibus, vtique in ipsa diuideretur; siquidem vnumquodque resoluitur in ea, ex quibus coalescit; sed hoc est impossibile, quia de ratione continui, vt dictum est in 3. lib. Physicorum, est diuidi in semper diuisibilia; ergo si continuum diuideretur in indiuisibilia, iam non diuideretur in semper diuisibilia.

In t. 4. inquit easdem rationes, quibus probatur continuum in magnitudine non componi ex indiuisibilibus, probare etiam de continuo in motu, & tempore; siquidem in ratione continuitatis conueniunt.

In t. 5. subiungit hæc tria, nempè magnitudinem, motum, & tempus se habere per ordinem, nedum secundum se tota, verum etiam secundum suas partes, vndè infert, quod si magnitudo non constat ex indiuisibilibus, nec motus, nec tempus ex illis constare poterunt, neque è contrà, si motus, aut tempus non componuntur ex indiuisibilibus, nec magnitudo ex illis coalescere poterit.

A t. 6. vsque ad 10. format aliam rationem, qua quartò probat conclusionem principalem, si magnitudo componitur ex indiuisibilibus; igitur & motus coalescit ex illis; sed motus non componitur ex indiuisibilibus; ergo nec magnitudo. Sequela maioris probatur, quia magnitudo, & motus sunt æquales, nedum secundum totum, sed etiam secundum cuiusque partes; quandoquidem si supra magnitudinem compositam ex indiuisibilibus, nempè A B C fieret motus, cuilibet parti magnitudinis correspondebit aliqua pars motus, vt puta D E F, & supra totam magnitudinem, fieret æqualiter totus motus; ergo si magnitudo constat ex indiuisibilibus, & ex illis pariter constare etiam debebit motus. Minor probatur, quia prius est mobile moueri, quam motum esse; siquidem simul moueri, ac motum esse repugnat eius successioni; sed prius, & posterius nequeunt esse in indiuisibili; ergo motus nequit componi ex indiuisibilibus, ac proindè nec magnitudo. Minor patet, quia prius, & posterius innuunt partem priorem, & posteriorem; sed indiuisibile caret partibus; ergo prius, & posterius non possunt esse in indiuisibili.

In t. 10. format aliam rationem, desũptam ex parte temporis; Tẽpus non constat ex indiuisibilibus; ergo nec magnitudo. Consequentiá probatur, quia tempus mensurat motum, & motus magnitudinem; siquidem nequit fieri motus, nisi in aliquo tempore, & super aliqua magnitudine; ergo qualiter se habet tẽpus erga motum, & motus erga magnitudinem, taliter etiam se habere debet tempus in ordine ad magnitudinem, & è conuersò; si igitur tempus non constat ex indiuisibilibus, nec magnitudo constare poterit ex illis.

Quo ad secundum in t. 11. vsque ad t. 16. incipit probare antecedens, tempus nempè non constare ex indiuisibili-

bus, & prius supponit tria tamquam certissima. Primum: Velocius mobile in eodem tempore maius spatium pertransire, quàm aliud quod tardius moueatur. Secundum: Velocius mobile in minori tempore æquale spatium pertrãsire, ac tardum. Tertium: Quod etiam in eodem tempore transeat maius spatium. Ex his probat, tempus esse diuisibile in partes diuisibiles, quia mobile velocius in minori tempore transit æquale spatium, quod tardius in maiori; ergo tempus est diuisibile. Antecedens declaratur, demus velocius mobile, tempore vnius horæ, pertransire magnitudinem viginti vlnarum; tardius verò, in eadem hora, ex illis pertransire tantum quindecim, tunc sequitur, quod mobile velocius in minori tempore quàm sit hora pertransit magnitudinem quindecim vlnarum, quam tamen tardius mobile nequit pertransire, nisi in maiori tempore, nempè in vna hora integra; ergo mobile velocius in minori tempore transit æquale spatium magnitudinis, quod tardius in maiori tantum pertransit. Consequentia patet, quia vbi datur maius, & minus, ibi est diuisibilitas; siquidem indiuisibile additum indiuisibili, non facit maius, sicut nec demptum, minus; sed in tempore datur maius, & minus; ergo in tempore est diuisibilitas, & partes diuisibiles.

In t. 17. affert aliam rationem ad probandum magnitudinem esse diuisibilem, quia tempus est continuum, sicut & magnitudo; sed omne continuum est diuisibile in semper diuisibilia; ergo & magnitudo. Maior patet, quia tẽpus, & magnitudo æqualiter diuiduntur: si enim mobile dimidio tempore tantam magnitudinem transit, & in minori, vel maiori; minorem, vel maiorem transibit; ergo quo modo tempus est continuum, & diuisibile, eo pariter modo, & magnitudo erit continua, ac diuisibilis.

Quo ad tertium in t. 18. comparat magnitudinem, & tempus ad finitum, & infinitum; nam cum magnitudo, & tempus sint quantitates continuæ, æqualiter habent participare passiones quantitatis, scilicet finitum, & infinitum, vndè si tẽpus est finitum, & magnitudo erit finita; si tempus est infinitum actu, vel potentia, & magnitudo erit sic infinita. Vocat autem infinitum actu, quod caret extremis terminis; infinitum verò potentia, infinitum diuisione.

In t. 19. soluit rationem Zenonis, qua probabat non dari motum, & erat talis. In quolibet spatio sunt infinita puncta, & partes infinitæ; sed infinita non possunt pertransiri; ergo nullum spatium transitur. Minor probatur, quia infinitum non transitur nisi tempore infinito; sed infinitum tempus nõ datur; ergo infinita non possunt transiri; ergo non cõtingit aliquid moueri in aliquo tempore per aliquam magnitudinem.

Resp. negando consequentiam, quia æquiuocat de infinito in potentia, & in actu; siquidem, cùm dicit magnitudinem esse infinitam, accipit infinitum in diuisione, seu potentia; cùm autem negat dari tempus infinitum, sumit pro infinito in actu, & sic committit fallaciam æquiuocationis, modò non est inconueniens magnitudinem potentia infinitam, pertransiri tempore actu finito, infinito tamen in potentia.

In t. 20. ponit hanc conclusionem: Magnitudo actu finita nequit transiri tempore actu infinito; & probatur, sicut se habet totum tempus ad totam magnitudinem, ita pars temporis ad partẽ magnitudinis; ergo si assignetur pars magnitudinis, talis debet mensurari parte determinata temporis, & sic finito tempore, & non infinito actu, quia in infinito actu nulla pars est assignabilis.

In t. 21. probat secundò eamdem conclusionem, ferè eodem argumento: Si totum in magnitudine infinito tempore pertransitur; ergo pars finito tempore erit pertransita; sed partes totius sunt, & faciunt totum finitum; ergo & partes temporis erunt finitæ, & sic finito tempore finita magnitudo erit pertransita, & non infinito actu.

In t. 22. probat è conuersò: Magnitudinem infinitam actu pertransiri non posse tempore actu finito, quia si sumatur aliqua pars temporis, respondebit sibi

tio, æqualis pars in magnitudine: si verò iteratò accipiatur alia, & alia pars, tamdem finietur tempus, magnitudine nondum finita; ergo signum est, quod magnitudo infinita pertransiri non possit tempore finito.

Hinc deducit, nullum continuum componi posse ex indiuisibilibus, non tantum ob rationes iam allatas, sed etiā propter sequentem, positam in textu 23. quæ sic formatur.

Si vllum continuum componeretur ex indiuisibilibus, sequeretur indiuisibile posse esse diuisibile; sed hoc est contra rationem indiuisibilis; ergo &c. Probat sequelam maioris ex velocitate, & tarditate mobilium: supponantur namque duo mobilia, quorum alterum sit velocius altero in duplo, amboque moueantur super magnitudine trium indiuisibilium, nempè A B C, tunc mobile tardius in æquali tempore mediatatem illius magnitudinis tantum percurret, scilicet vnum indiuisibile cum dimidio alterius indiuisibilis; ergo indiuisibile B diuideretur in duo dimidia, & sic esset diuisibile, quod est contra naturam indiuisibilis. Concludendum est igitur, quod nullum continuum constat ex indiuisibilibus dumtaxat, vt dicebant Stoici.

De natura, & compositione continuorum.

DISPVT. I.

HAnc disputationem de Continuis, tanti videntur facere Doctores, vt nullus inueniri possit, qui eam silentio pertransierit. Huius rei causam fuisse non dubito, quia ab horum intelligentia pendet, non solùm perfecta ratio quantitatis, vt à discreta secernitur, sed etiam quod sine horum cognitione nequit haberi adæquata ratio motus, & temporis; quandoquidem ambo, cum sint de numero continuorum, vt tradit Aristoteles 3. Physicorum t. 1. Et 4. Physicorum t. 99. non possunt perfectè concipi, quin percipiatur ratio continuitatis, in quo sit. Cæterùm quia de continuo, vt est præcipua species quantitatis, sat, luculenterque egimus in Logica, nunc præstat disserere de eodem, quatenus facit ad exactam intelligentiam motus, & temporis, ac eorumdem partium: vndè prius disputabimus, an in continuo dentur indiuisibilia realia actu, vel potentia; postea an huiusmodi indiuisibilia sint partes, ex quibus coalescat continuum; vel an in ipso dentur etiam partes diuisibiles indiuisibilibus copulatæ.

Vtrum in quolibet continuo dentur actu indiuisibilia?

QVÆSTIO I.

INdiuisibilia esse in duplici differentia, nimirum substantialia, & accidentalia, prænotandum est. Substantialia, vt Angeli, quibus repugnat diuidi in partes integrales. Accidentalia, vt punctum in linea; linea in superficie, & superficies in corpore mathematico; nam quamuis puncto dumtaxat repugnet simpliciter diuidi in partes integrales; tamen etiam linea, & superficies dicuntur indiuisibiles; illa secundum latitudinem, & profunditatem; hæc verò tantum secundum profunditatem. Accidentalia adhuc sunt duplicia, quædam continuatiua partium alicuius continui, vt puncta in linea; mutata esse in motu; & instantia in tempore; quædam verò terminatiua, vt puncta terminantia lineam; & superficies corpus mathematicum, & sic de cæteris. De omnibus indiuisibilibus accidentalibus, quæ communiter indiuisibilia quantitatiua à Doctoribus appellari solent, procedit proposita quæstio, cum quæritur, an dentur actu, vel potentia; vel realiter, & positiuè, aut solùm negatiuè, & per imaginationem in continuo quolibet, tàm permanenti, quàm successiuo.

Noster Ochamus in 2. d. 4. Et de Sacramentis Eucharistiæ cap. 1. & 2. Durandus in 2. d. 2. q. 4. Gregorius q. 2. art. 1. Perrerius lib. 10. de Quant. cap. 6. & nonnulli Recentiores, negant, dari huiusmodi indiuisibilia in continuo, dicuntque esse non entia, ac negationes entium diuisibilium, quibus non conceditur vlterius protendi, vel secundum longitudinem, vel latitudinem, aut profunditatem.

Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 16. q. 6. sect. 5. & aliqui Moderni, quamuis concedant indiuisibilia, terminantia partes cuiuslibet continui, negant tamen dari indiuisibilia continuatiua earumdem; putant partes in continuo melius vniri seipsis, quam per indiuisibilia copulari.

Communis tamen opinio, post Aristotelem, & eius Expositores Philoponum, Themistium, Simplicium, & Auerroem ex Antiquis, docet in quolibet continuo dari indiuisibilia quantitatiua, vera, realia, & positiua, non tantum terminatiua, sed etiam continuatiua, seu copulatiua partium integrantium eorumdem continuorum. Ita Alensis lib. 3. suæ Metaph. cap. 5. D. Th. opusc. 36. cap. 2. Scotus in 2. d. 1. q. 3. & d. 2. q. 4. & 9. Capreol. q. 2. art. 3. Soncinas 5. Metaph. q. 20. ac reliqui Thomistæ, ac Scotistæ, quibus & nos libenter subscribimus.

Pro declaratione igitur, & fundamento communioris sententiæ primò notandum est ex Aristotele in Logica cap. de Quanto, Et 5. Metaph. cap. 13. tex. 18. Quantitatem diuidi in magnitudinem, & multitudinem, seu in continuam, & discretam. Continua est, cuius partes copulantur aliquo termino communi, qui sit principium vnius, & finis alterius, & hæc diuiditur in permanentem, & successiuam. Permanens est triplex, scilicet linea, cuius partes copulantur punctis; superficies, cuius partes copulantur lineis; & corpus, cuius partes vniuntur superficiebus. Successiua verò diuiditur in motum, & tempus; nam prioris partes copulantur mutatis esse; & posterioris, instantibus. Discreta autem est, cuius partes nullo termino communi copulantur, & partitur in duas species, quæ sunt numerus, & oratio; nam decem vnitates, quæ integrant numerum denarium, nullo communi termino vniuntur, sed semper discretæ sunt. Ex his infertur, quod si per copulari, & non copulari aliquo termino communi, essentialiter, & quiditatiuè differunt quantitas continua, & discreta, quæ sunt vera entia realia, per se vnitatem habentia; necessariò concludendum est, in continua dari terminos communes, quibus caret discreta, qui sint reales, veros, & positiuos, alioquin non differrent verè, & realiter; sed solùm per intellectus imaginationem. Hos autem terminos, nos vocamus indiuisibilia quantitatis; igitur ea dari in continuo necessariò inferendum est contra primam, & secundam opinionem.

Secundò notandum est ex Aristotele in 5. Physicorum t. 26. & 6. Physicorum t. 1. 2. 3. & 4. latam esse differentiam inter Contigua, & Continua; nam Contigua sunt, quorum vltima se tangunt; vt sunt duæ tabulæ iuxta se positæ, quæ secundum superficies, ipsas terminantes, se tangunt: Continua verò sunt, quorum vltima sunt vnum, ideò vniuntur per aliquod, quod sit principium vnius partis, & finis alterius; hoc autem ab Aristotele vocatur indiuisibile continuatiuum partium continui. Ex his inferuntur duo necessaria. Primò, quod cùm contigua sint duo corpora se tangentia secundum vltima indiuisibiliter, & non diuisibiliter, aliter se penetrarent, & non tantum se tangerent, in quolibet corpore cōtinuo danda sunt indiuisibilia, terminantia partes eius potis, vera, & realia, sicut secundum illa realiter se tangunt, & non se penetrant. Secundò, quod cum continuum, & contiguum conueniant in habere partes realiter, differant verò in habere illas vt simul, & vnum, dicendum est, continuum, quod habet partes, vt vnum, exigere aliquod realiter vniens huiusmodi partes adinuicem, & in

& in ratione vnius; non quidem diuisibiles, quia & ipsum esset alteri vnibile; igitur indiuisibile, ac proindè dari in continuo indiuisibile reale, realiter vniens eius partes in vnitate continuitatis, vt distinguuntur à partibus contigui.

Tertiò notandum est: Aliquid esse ens reale, posse dupliciter intelligi, vno modo in esse realis existentiæ, alio modo in esse realis subsistentiæ. Illud dicitur esse reale primo modo, quod habet esse independenter ab opere intellectus, siuè existat in se, siuè in alio, & sic omnia accidentia absoluta, & relationes reales sunt entia realia; siquidem priora habent esse in subiectis; posteriores verò in fundamentis independenter ab opere intellectus. Illud verò est reale secundo modo, quod habet esse præter opus intellectus in se, seiunctim à quocumque alio, & est incommunicabile vt quo, & vt quod, & sic tantum primæ substantiæ, seu suppositâ in genere substantiæ, vt Petrus, Paulus, hic lapis, hæc planta, &c. sunt entia realia. Ad propositum, indiuisibilia quantitatiua sunt entia realia in esse existentiæ, cùm tribuant quantitati esse reale continuitatis, non tamen in esse subsistentiæ, quia non habent esse seiunctum à quantitate continua.

Ex his sit prima conclusio. In quolibet continuo indiuisibilia actu, secundum esse existentiæ, tàm continuatiua, quàm terminatiua sunt necessariò ponenda. Est Scoti in 2. dist. 1. q. 3. & dist. 2. q. 4. C. & D. & q. 6. D. præsertim tamen q. 9. sub L. vbi arguit contra primam opinionem Nominalium. Probatur prima pars, quia quantitas continua continet in sui diffinitione indiuisibilia continuatiua; sed quodlibet continuum est quantitas continua; ergo quodlibet continuum habet indiuisibilia continuatiua. Maior patet, quia quantitas continua est, cuius partes copulantur aliquo termino communi, qui est finis vnius partis, & principium alterius. Minor patet, quia omnia continua aut sunt permanentia, & sic sunt linea, superficies, & corpus; aut successiua, & ita sunt motus, ac tempus, quæ omnia sunt species quantitatis continuæ, vt tradit Aristoteles in Prædicam. cap. de Quanto; ergo quodlibet continuum est quantitas continua. Secundò probatur: Si non darentur huiusmodi indiuisibilia continuatiua in quolibet continuo, non esset differentia inter continuum, & contiguum; sed hoc est contra Aristotelem 5. Physicorum tex. 26. & in hoc 6. Physicorum tex. 1. ergo &c. Sequela maioris probatur, quia tunc partes continui non essent vnum, sed tantum simul se tangerent; siquidem non haberent, quo vnirentur in idem, sed semper essent tantum simul. Nec valet dicere, quod vnirentur seipsis, quia sic possemus dicere etiam de partibus contiguis, & ita nulla esset differentia inter contigua, & continua, quod est falsum, in sententia Aristotelis: cùm igitur differant inter se, per habere, & non habere indiuisibilia continuatiua, dicendum est, dari in continuo huiusmodi indiuisibilia, quibus differat à contiguo. Secunda pars probatur, quia omnia finita actu debent habere terminos claudentes eorum finitatem; per hos enim differunt finita ab infinitis actu, in quibus non dantur termini; sed omnia cōtinua sunt actu finita, licèt, potentia, infinita sint, vt docet Aristoteles 6. Physicorum tex. 18. ergo debent habere terminos, quibus actu finiantur; atqui huiusmodi termini non possunt esse partes diuisibiles, quia cum & ipsæ sint diuisibiles in alias partes in infinitum, nequeunt esse vltimæ, seu terminantes; ergo indiuisibiles, & sic in quolibet continuo dantur actu indiuisibilia terminatiua. Secundò probatur ex Doctore subt. in 2. d. 2. q. 6. D. dantur duo corpora physica se tangentia, scilicet locans, & locatum, sed nequeunt se tangere nisi per superficies vltimas indiuisibiles; ergo corpora physica, quæ sunt continua, terminantur per indiuisibilia. Maior, & minor sunt Aristotelis 4. Phys. t. 40. & 41. vbi dicit, locum esse superficiem vltimam corporis continentis; & locatum vltimam superficiem corporis

locati, seu contenti.

Secunda conclusio. Huiusmodi indiuisibilia, tàm continuatiua, quàm terminatiua, actu posita in quolibet continuo, sunt vera, realia, & positiua. Est Scoti in 2.d.2.q.9. sub L. contra Ochamum, & cæteros Nominales. Probatur ab ipso multipliciter, sed nobis sufficiet vna, aut altera ratio; primò igitur sic probatur: Quod est de diffinitione entis veri, realis, & positiui, debet esse ens reale, & positiuum; sed indiuisibilia continuatiua, & terminatiua sunt de diffinitione continuorum, quæ sunt realia, & positiua; ergo sicut continua sunt entia vera, realia, & positiua, talia erunt etiam indiuisibilia, ipsa continuantia, ac terminantia. Maior patet. Minor probatur, quia secundum Aristotelem 1 Poster. cap. 4. puncta sunt de diffinitione lineæ: & in Prædicamentis cap. 2. linea est de diffinitione superficiei, & superficies de diffinitione corporis; sed linea, superficies, & corpus sunt continua, realia, & positiua; & puncta sunt indiuisibilia simpliciter, superficies, & linea secundum quid; ergo indiuisibilia, tàm continuatiua, quàm terminatiua sunt de diffinitionibus continuorum. Confirmatur, quia si punctus non est nisi priuatio longitudinis; & linea latitudinis, & superficies profunditatis; ergo erunt priuationes priuationum, & in corpore erit tantum vna dimensio realis, & positiua, nempè profunditas; sed vtrunque consequens est falsissimũ, & contra Geometriam; ergo & antecedens. Primum consequens probatur, quia sicut punctus est priuatio longitudinis, quæ est linea, ita linea est priuatio latitudinis, quæ est superficies, & superficies est priuatio profunditatis, quæ est corpus, atque adeò sunt priuationes priuationum; ex quo sequitur secundum consequens, quod corpus positiuè non sit, nisi profunditas, quod est contra eius diffinitionem, quæ includit etiam longitudinem, & latitudinem. Falsitas probatur, quia oppositio priuatiua non est inter priuationem, & priuationem, sed inter habitum .i. formam, & eius carentiam, ex Aristotele in Postprædicam. cap. de Oppositis: Rursus Geometria tradit diffinitiones horum indiuisibilium per entia positiua, quæ ab ea per se considerantur, vt docet Aristoteles 1. Post. cap. 4. 5. & 6. ergo &c. Confirmatur secundò, quia de priuatiuis non demonstrantur passiones positiuæ; sed de linea demonstrantur rectitudo, & curuitas, ex eodem Aristotele ibidem; ergo &c. Maior patet, quia priuatiua non sciuntur, nisi per positiua sibi opposita; ergo de priuatiuis nequeunt demonstrari passiones positiuæ. Secundò probatur, quia mutata esse in motu, & instantia in tempore sunt entia realia, & positiua; sed huiusmodi sunt indiuisibilia continuatiua, & terminatiua continuorum; ergo sunt entia realia, & positiua. Maior probatur, quia mensura, & mensuratum debent esse vnigenea; sed instantia mensurant mutata esse, & instantia sunt realia, & positiua; ergo &c. Maior patet ex Aristotele 4. Physic. t. 131. Minor probatur, quia instantia mensurant generationes, corruptiones, illuminationes, & cæteras mutationes, quæ sunt entia realia, & positiua, vt docet Aristoteles 6. Physic. à t. 41. vsque ad 45. & alibi; sed generationes, corruptiones, & huiusmodi sunt entia realia positiua; ergo & instantia quibus tales mutationes mensurantur sunt positiua.

Tertia conclusio. Indiuisibilia quantitatiua, tàm continuatiua, quàm terminatiua partium continui distinguuntur realiter ab illis. Probatur primò sic à meo Magistro, quia illa, quorum vnum potest esse sine alio, distinguuntur realiter; sed linea v. g. potest esse absque punctis; & superficies sine lineis; ergo distinguũtur realiter. Maiorem supponimus veram ex vna conditione requisita ad distinctionem realem. Minor probatur, quia partes lineæ copulatæ adinuicem, habent tantum vnum punctum, si autem diuidantur habebunt duo puncta, quorum vnum erit terminus vnius, & alterum alterius partis; ergo tales lineæ prius erant sine illorum alteratio, vel etiam absque vtroque, quia præexistens corrumpitur per diuisionem eiusdem lineæ, & ambo de nouo resultant. Idem dicendum est de lineis in superficie. Secundò proba-

probatur, quia omne absolutum prius distinguitur realiter à suo posteriori, cum possit esse sine illo, ex Scoto in 2. d. 12. q. 2. sub A. sed quantitas est quid absolutum, prius suis indiuisibilibus; quandoquidem resultant ex ipsa; ergo huiusmodi indiuisibilia sunt realiter distincta à partibus quantitatis continuæ.

Quarta conclusio. Probabilius tamen est, huiusmodi indiuisibilia continuatiua non distingui realiter à quantitate continua. Probatur, quia quæ sunt de diffinitione alicuius, non distinguuntur realiter ab eo; sed huiusmodi indiuisibilia continuatiua sunt de diffinitione cōtinui, vt patet ex Aristotele cap. de Quātitate, tùm in Prædicam. tùm 5. Metaph. t. 18. ergo &c. Confirmatur, quia secundum eumdem Philosophum 1. Poster. cap. 4. puncta cum linea faciunt vnum per se primo modo; ergo cum sint de perseitate lineę non possunt abinuicem separari. Confirmatur secundò, quia linea sine punctis continuatiuis nō esset linea; ergo spectant ad eius essentiam, ac proindè nequeunt abinuicem separari. Antecedens probatur, quia linea sine punctis continuantibus non esset continua; ergo sine indiuisibilibus non esset linea. Idem dicendum est de cæteris continuis, quod non distinguantur realiter à suis indiuisibilibus continuantibus, propterea soluenda sunt argumenta probantia præcedentem conclusionem.

Ad primum igitur negatur minor; ad probationem dico, procedere de punctis terminatiuis, quæ concedimus realiter distingui, cùm Deus posset facere lineam sine punctis terminantibus, & tunc esset infinita negatiuè; non verò de punctis copulantibus, quia talia sunt de essentia continui, & Deus non posset facere lineam, quæ fuisset continua, sine punctis, alioquin destrueret rationem continui, & euaderet contiguum: & hæc responsio confirmatur ab Aristotele in 4. Physicorum t. 121. dum inquit: *Vt in Mathematicis lineis; non enim idem semper, vnumque punctum est intellectu: diuidentium enim aliud est*, supple, terminatiuum: *quatenus autem est vnū, idem penitus est*: non enim potest esse vna pars alteri continua, quin semper idem sit punctum easdem copulans. Idemque omninò astruit de Nunc temporis.

Ad secundum dico, minorem esse veram de indiuisibilibus terminatiuis, à quibus saltem diuinitùs seiungi potest, non tamen de copulatiuis, quia hæc sunt simul cum quantitate cōtinua, sicut pars indiuisibilis constitutiua cum suo constituto.

Obijcitur primò contra primam conclusionem: Si darentur indiuisibilia actu in continuo, darentur accidentia sine subiecto; sed hoc est impossibile; ergo nō dantur actu in continuo. Minor patet, quia naturaliter accidens nequit existere extra subiectum. Sequela maioris probatur, quia si huiusmodi indiuisibilia, cum sint accidentia, haberent subiectū, aut esset diuisibile, aut indiuisibile; sed neutrum dici potest, ergo &c. Maior patet. Minor probatur: Non potest dici diuisibile, quia illa nō haberent proportionem cum subiecto, quæ tamen necessariò requiritur: Nec indiuisibile, quia tale vel esset substantia, vel quantitas continua, vt puncta in linea, lineæ in superficie, & superficies in corpore; sed hæc omnia sunt diuisibilia; ergo non essent in eis, vt in subiectis indiuisibilibus, ac proindè neutro modo &c.

Resp. Negando sequelam maioris; & ad probationem dico, quod adæquatè essent subiectiuè in indiuisibilibus substātialibus, continuantibus partes alicuius substantiæ corporeæ: inadæquatè verò in tota substantia, entitatiuè diuisibili, in qua totum continuum esset adæquatè subiectiuè.

Obijcitur secundò: Si darentur actu huiusmodi indiuisibilia in continuo, sequeretur, in diuisione, aliqua fieri de nouo, & in reunione partium, e.g. aquę, illa deperdi, & vnum de nouo generari; sed hoc est impossibile; ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quia illa, quæ de nouo fierent, aut haberent esse per creationem, aut per generationem, aut per diuisionem; & quæ desinerent, per oppositas mutationes, nempè aut per annihilationem, aut corruptionem, aut vnio-

nem; sed nullum istorum admitti potest; ergo &c. Maior patet à sufficienti enumeratione. Minor probatur: Non possunt admitti primum, & secundum, quia termini creationis, & generationis, similiter annihilationis supponunt esse subsistentiæ, quo carent huiusmodi indiuisibilia: Nec tertium, & quartum, quia diuisio, & coniunctio sunt motus locales, quibus repugnat vt per eos producantur entitates quantitatiuæ, quales essent huiusmodi indiuisibilia; ergo &c.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, huiusmodi indiuisibilia fieri, ac desinere esse per diuisionem, & reunionem; siquidem in diuisione lineæ corrumpitur punctum, copulatiuum illarum partium, & de nouo reducuntur de potentia ad actum alia duo puncta terminantia illas partes actu diuisas, ac separatas; similiter in reunione corrumpuntur puncta terminantia, & generatur vnum punctum recopulans illas partes, quæ prius erant diuisæ, vt patet in reunione partium aquæ in vnum totū. Et cùm probatur, quod diuisio, & reunio sunt motus locales, per quos repugnat gigni, seu fieri aliquo pacto huiusmodi accidentia quantitatiua, dico cum Scoto in 4.d.12.q.4. I. esse falsum; siquidem diuisio non est propriè mutatio, sed tantum reductio partium in actu, quæ prius erant in potentia diuisibiles in toto, hoc est reductio ad actum distinctum, quia prius erant in toto continuatæ, per quam licet non possit fieri generatio simpliciter, fit tamen secundum quid, reducendo in actu distincto illa indiuisibilia, quæ prius in continuo actu erant indistincta.

Obijcitur tertiò contra secundam cōclusionem: Non sunt multiplicanda entia absque necessitate; sed nulla necessitas cogit ponere indiuisibilia esse entia, vera, realia, & positiua; ergo &c. Maior est Aristotelis 1. Physic. t.50. Minor probatur, quia si esset aliqua necessitas, maximè esset propter vnionem, & terminationem partium quantitatis; sed sine ipsis quantitas esset vna, & terminata; ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quia sumatur linea, vt abstrahit à punctis, vel habet partes vnitas, & terminatas, vel non; si dixeris habere, igitur habetur intentum, quod puncta non sunt necessaria; si autem dixeris non habere, sequitur esse infinitam, & ad esse partes absque resultantia totius, quæ repugnant; ergo dicendum est, lineam absque punctis esse vnam, & finitam, ac terminatam.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, lineam sine punctis esse vnam vnitate entitatis, non tamen vnitate continuitatis, quia hæc nequit haberi sine punctis copulantibus partes adinuicem; similiter si desint puncta terminatiua linea erit quidem finita priuatiuè, non tamen positiuè, quia hæc finitas exigit puncta, quibus finiatur, ac terminetur.

Obijcitur quartò: Si indiuisibile est ens verum, reale, & positiuum, vel est substantia, vel accidens; sed neutrum istorum dici potest; ergo dicendum est, non esse ens, verum, reale, ac positiuum. Maior patet, quia ens reale, verum, & positiuum diuiditur sufficienter per substantiam, & accidens. Minor probatur: Non substantia, quia non per se existit: Nec accidens, quia nulli inhæret, & nullum informat; ergo non est accidens. Antecedens probatur: Si alicui inhæret, & illud informaret, huiusmodi maximè esset linea; siquidem in nullo reperitur extra lineam; *sed lineam non informat punctum, cum sit indiuisibile, & illa diuisibilis*; nam inter accidens informans, & subiectum informabile debet esse proportio; ergo punctum non inhæret lineæ informatiuè.

Resp. Negando minorem; immò est accidens, inadæquatum tamen: Ad probationem dico, huiusmodi indiuisibile non esse in continuo per inhæsionem, & informationem, sed vt partem integralem inadæquatam in suo toto; per informationem verò esse adæquatè in indiuisibili substantiæ; inadæquatè verò in tota substantia entitatiuè diuisibili, in qua subiectatur quantitas continua,

Obij-

Obijcitur quintò contra quartam conclusionem: Quæ possunt adinuicem separari, distinguuntur realiter, vt patet; sed puncta, quæ sunt indiuisibilia lineæ, possunt ab ea separari; ergo &c. Minor probatur, quia si linea diuidatur in duas partes, non remanet amplius punctum continuatiuum illarum partium, & tamen partes remanent; ergo punctum fuit separatum ab illis, ac proindè erat distinctum ab eis realiter.

Resp. Aliud esse, indiuisibile posse à partibus quantitatis seiungi, & aliud à continuo, ipso remanente; primum conceditur, vt probat argumentum, secundum verò negatur, quia punctum, e. g. non separatur, nisi per corruptionem, ac per destructionem continui.

Formaliter igitur ad argumentum. Minor est vera cum sua probatione de linea, & eius partibus, vt quantitates extensæ sunt, non vt continuæ sunt, quia vt sic, cùm indiuisibilia includantur in diffinitione continui, vt continuum est, formaliter, non possunt separari, verum dumtaxat corrumpi ad destructionem continuitatis.

Vtrum continuum componatur ex solis indiuisibilibus, vel ex solis diuisibilibus, aut ex vtrisque simul?

QVÆSTIO II.

Stoici, quorum Antesignanus fuit Zeno, tradiderunt, continuum constare ex solis indiuisibilibus quantitatiuis; nempè lineam ex solis punctis, superficiem ex solis lineis, & corpus ex solis superficiebus. Hanc eamdem opinionem ex nostris, vt refert Marginista Scoti in 2. d.2.q.9. Gerardus de Odonis recēsuit, & post ipsum nōnulli Moderni sequuntur.

Nominales ex opposito, quos secuti sunt aliqui Recentiores apud Mastrium disp.9.q.2.n.29. docent, continuum coalescere ex solis partibus diuisibilibus.

Peripatetici autem, secuti Aristotelem in hoc 6. Physicorum à tex. 1. vsque ad 23. mediam tenentes viam admittunt in continuo, nedum indiuisibilia, verùm & diuisibilia, ac proindè asserunt ex vtrisque componi. Ita Scotus in 2.d.2.q. 9. sub T. D. Thomas 5. Met. lect. 15. in expositione diffinitionis Quanti; quos secuti sūt Suarez, Ruuius, Masius, Hurtado apud Mastrium citatum, & communiter Thomistæ, ac Scotistæ, excepto vno Poncio, qui neutri parti se adhærere posse profitetur, quamuis examinet difficultates pro vtraque opinione, iudicans illas insolubiles.

Alij denique, cum putent continuum esse entitatem simplicem, carentem partibus actu, dicunt, ex nullis cōponi posse, neque indiuisibilibus, neque diuisibilibus, cum hoc tamen, vt asserant, esse diuisibile in infinitas partes, quas tantum in potentia continet Ita Commentator, Simplicius, Philopponus, & D.Thomas, relati à Ruuio lib. 5. Physic. tract. de compos. Continui sub n. 38.

Pro declaratione tamē opinionis Scoti, quam esse Aristotelis iudicamus, primò notandū est: Continuum dupliciter spectari posse .s. metaphysicè, & physicè. Primo modo importat tantum quantitatem; extensionemque partium copulatā termino, vel terminis indiuisibilibus, & abstrahentem à sensibilibus, & sic etiā cōsideratur à mathematico, cùm & ipse abstrahat à sensibili materia. Secundo modo includit in se quædam accidentia sensibilia, & præsertim mobilitatem, & sic attinet ad Philosophū naturalem, qui de motu, & mutationibus potissimùm agit. In proposito est sermo de cōtinuo, prout est mathematicæ, & physicè considerationis, non verò metaphysicæ, quia sic abstrahit à ratione compositionis ex partibus integrantibus, & solum admittit compositionem essentialem metaphysicam, nempè ex genere, & differentia.

Secundò notandum est: Partes esse in duplici differentia; aliæ .n. sunt essentiales, quæ componunt totum essentiale, siuè physicum, vt materia, & forma; siuè metaphysicum, nempè genus, & differentia; aliæ verò sunt integrales, quæ constituunt totum integrale; & hæ sunt duplices, nimirum etherogeneæ, hoc est alterius rationis à suo toto, vt manus,

bra-

brachia, pedes, crura, thorax, quæ componunt corpus physicum; & homogeneæ, idest eiusdem rationis cum suo toto, vt partes aquæ, quæ recipiunt prædicationem à tota aqua; siquidem valet dicere, hæc pars aquæ est aqua, illa pars aquæ est aqua, & sic de cæteris. Partes integrales, adhuc sunt duplices .s. substantiales, de quibus exemplificatum est; & accidentales .s. quantitates, quæ integrant totum quantitatiuum, siuè continuum, vt partes lineæ, vel superficiei, aut corporis mathematici; siuè discretum, nempè vnitates integrantes numerum; & qualitates, vt sunt gradus caloris, vel albedinis integrantes totum calorem, & totam albedinem. Hic est sermo de partibus integralibus accidentalibus, homogeneis, quantitatiuis, non discretis, sed continuis, & de continuo quantitatiuo, vt sunt linea, superficies, corpus, motus, & tempus.

Tertiò notandum est, quòd cùm de ratione continui sit esse diuisibile in partes proportionales vsque in infinitum, supponitur, quod huiusmodi partes sint in ipso actu; siquidem diuisio cùm sit reductio partium de esse indistincto ad esse distinctum, ac separatum, exigit illas partes actu in diuiso: Hoc autem potest intelligi dupliciter, vel in actu existentiæ tantum, itaut habeant esse in continuo independenter ab opere intellectus, indistinctè tamen, & coniunctim adinuicem, & cum toto; vel in actu subsistentiæ, hoc est distinctè, ac separatim abinuicem, & à toto. Primo modo, sed non secundo, habent esse in continuo, alioquin ipsum non esset diuisibile, verum actu diuisum in infinitas partes, & sic esset infinitum in actu; quod repugnat, vt probatum est in 3. Physicorum disput. 3. q. 1.

Quartò tandem adnotanda sunt, quæ obseruauimus in præcedenti quæstione, tùm de Indiuisibili, tùm de quanto continuo, & qua ratione differat à quanto discreto, & contiguo, quia etiam hic apprimè faciunt ad fundamentum sententiæ Scoticæ, & aliorum Peripateticorum.

Ex his igitur sit prima conclusio. Continuum non constat ex solis indiuisibilibus, vt linea ex solis punctis; superficies ex solis lineis; corpus ex solis superficiebus; motus ex solis mutatis esse; & tempus ex solis instantibus. Est Aristotelis in hoc 6. Physicorum à t. 1. vsque ad 23. inclusiuè, vbi illam probat diuersis rationibus; & etiam Scoti in 2. d. 2. q. 9. sub B. à quo pariter ostenditur diuersis rationibus, desumptis ex Geometria, quarum vna, vel altera sufficiet. Probatur igitur primò sic: Si continuum constaret ex solis indiuisibilibus, sequeretur, partem fore æqualem toti; sed hoc est contra primam animi conceptionem, nempè, omne totum est maius sua parte; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur: Nam sint duo circuli concentrici, quorum vnus sit in alio, & consequenter vnus sit maior altero; maior sit B, minor autem D, & tunc protrahantur duæ lineæ rectæ ex punctis duobus immediatis circuli maioris, vsque ad centrum A, quæro, cùm tales lineæ secent circulum minorem, vel secant in vno puncto, vel in duobus immediatis: Si in duobus immediatis; ergo tot sunt puncta in circulo minori, quot in maiori; sed minor habet rationem partis, & maior totius; ergo pars esset æqualis toti: Si autem secent in vno puncto, tunc protrahatur linea recta à B vsque ad D, igitur causabit duos angulos rectos, quorum vnus erit maior alio; sed anguli recti sunt æquales; ergo minor est æqualis maiori; atqui minor habet rationem partis, & maior totius; ergo pars esset æqualis toti; quod est contra experientiā. Secundò probatur sic: Si continuum esset compositum ex solis indiuisibilibus, sequeretur, quod diameter esset commensurabilis, & æqualis costæ, vel lineas paralellas concurrere; sed consequens vtrumque est falsum, & contra ipsorum diffinitionem; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia sumatur quadratum, in quo sint costæ, & diameter, sumanturque duo puncta vnius costæ immediata, & ab ipsis protrahantur duæ lineæ rectæ ad duo puncta immediata alterius costæ, tunc clarum est, huiusmodi lineas seccare dia-

me-

metrum, vel igitur ipsum secant in vno, vel in duobus punctis immediatis, aut mediatis; si in vno puncto, ergo costa est maior diametro, quod est contra sensum: si verò in duobus punctis immediatis; ergo quot sunt puncta in diametro, tot sunt in costa, & sic costa est æqualis diametro: si autem talia puncta sint mediata, ab illo puncto medio protrahatur linea ad costam, quæ non terminabitur ad punctum medium, cum illa sint immediata ex supposito; ergo ad alterum illorum, & sic tales lineæ, cum sint paralellæ concurrerent, & se tangerent, quod est contra earum naturam. Tertiò probatur ratione desumpta ex natura indiuisibilis: Si continuum constaret ex solis indiuisibilibus, nõ esset extensum, nec in se, nec in ordine ad locum; sed hoc est contra naturam continui; ergo & id, ex quo sequitur erit falsum. Minor patet, quia de ratione quantitatis continuæ est habere partes extra partes in se, & extendi in ordine ad locum, & situm; sed continuum, est quantitas continua; ergo &c. Maioris sequela probatur, quia indiuisibile additum alteri indiuisibili non facit aliquod maius, neque extensum; ergo si continuum constaret ex solis indiuisibilibus non esset maius in se, neque extensum loco. Antecedens probatur, quia ea, quæ sunt extensa habent partes extra partes; sed indiuisibilia non habent partes extra partes; ergo non faciunt aliquod maius, neque extensum. Maior patet, quia extendi in subiecto, est effectus quantitatis, cuius ratio formalis est habere partes extra partes; ergo ea, quæ sunt extensa, habent partes extra partes. Minor similiter est nota; quandoquidem, dato opposito, non essent amplius indiuisibilia, sed essent diuisibilia; ergo dicendum est, continuum non posse constare ex solis indiuisibilibus.

Secunda conclusio. Continuum non componitur ex solis partibus diuisibilibus, exclusis indiuisibilibus, vt dicunt Nominales, sed ex vtrisque simul, vt docet Scotus in 2. dist. 2. q. 9. sub L. & M. Probatur prima pars, quia si continuum componeretur ex solis partibus diuisibilibus, excludendo indiuisibilia, iam non essent differentia inter se contiguum, & continuum, sed hoc est contra Aristotelem 5. Physicorum t. 26. & in hoc 6. Physic. à t. 1. ergo &c. Sequela maioris probatur, quia etiam contigua constarent ex solis partibus, quarum vltima sunt simul, sicut essent partes continui; ergo nulla esset differentia inter illa. Nec valet dicere, quod continui partes superaddunt vnionem à seipsis, non sic contigua; quandoquidem non potest admitti hæc vnio, nisi adsit fundamentum, & ratio fundandi in partibus continui; relatio enim exigit hæc de necessitate; atqui non magis videtur hæc ratio fundandi in partibus continui, quàm in duobus contiguis, si excludantur indiuisibilia; ergo non magis fingi potest hæc vnio in partibus continui, quàm in partibus contiguis. Secunda pars probatur, quia quantitas continua est, cuius partes copulantur aliquo termino communi .i. aliquo indiuisibili, vt docet Aristoteles in Prædicamentis cap. 2. sed continuum est quantitas, seu includit quantitatem continuam; ergo habet partes copulatas adinuicem aliquo termino cõmuni indiuisibili. Minor probatur, quia continuum est diuisibile in partes proportionales vsque in infinitum; sed diuisibilitas est passio quantitatis, seu quanti ex Aristotele 5. Metaph. cap. 13. t. 18. ergo continuum, aut est quantitas, aut includit quantitatem continuam.

Tertia conclusio. Partes proportionales, & indiuisibilia, ex quibus coalescit continuum, sunt actu infinita in esse existentiæ, non tamen in esse subsistentiæ. Colligitur ex Scoto in 2. d. 2. q. 9. sub H. & I. Probatur prima pars, quia continuum est diuisibile in semper diuisibilia in infinitum; sed est diuisibile in ea, quæ actu continet; ergo quæ actu continet sunt infinita; at, quæ actu continet sunt partes proportionales, & indiuisibilia illas copulantia, vt probatum est in præcedentibus; ergo partes proportionales, & indiuisibilia continuatiua sunt actu infinita. Maior est Aristotelis in hoc 6. Physic. t. 4. ac alibi. Minor probatur, quia quantum est diuisibile in ea,

quæ

quæ actu continet ex eodem 5. Metaph. cap. 13. tex. 18. sed continuum est quantum, ex eodem in Prædicamentis cap. 2. ergo continuum est diuisibile in ea, quæ actu continet. Secunda pars probatur, quia quæ continentur in continuo non sunt actu diuisa, ac separata, verùm diuisibilia, & separabilia; sed quæ habent esse subsistentiæ sunt actu diuisa, & separata, quia singulum est hoc aliquid; ergo quæ continentur in continuo non sunt infinita in esse subsistentiæ, sed tantum in esse existentiæ. Maior probatur: Nam quæ continentur actu in continuo sunt eius partes integrales; sed quæ habent esse diuisum, ac separatum, non sunt partes integrales, sed quædam tota integralia, cum sint hoc aliquid, ex eodem Aristotele 5. Met. tex. 18. ergo quæ continentur actu in continuo non sunt actu diuisa, ac separata, ac proindè partes, & indiuisibilia, ex quibus coalescit continuum, non sunt infinitæ in esse subsistentiæ, sed tantum existentiæ.

Quarta conclusio. Huiusmodi partes proportionales, in quas continuum est diuisibile in infinitum, distinguuntur abinuicem, & à continuo realiter. Est Scoti in 2. d. 2. q. 9. F. Probatur, quia illa, quæ sic se habent, quod existentia vnius non est existentia alterius, distinguuntur realiter; sed partes proportionales continui sic se habent à seinuicem, & cum toto continuo; ergo distinguuntur realiter. Minor patet, quia sic existentiæ, sunt singularia, & singularia distinguuntur realiter; ergo &c. Minor probatur, quia partes sunt naturaliter priores toto; ergo existentia partium est prior naturaliter existentia totius, ac proindè existentia partium non dependet ab existentia totius, & sic existentia partium non est existentia totius, nec è conuersò, adeò vt vna poterit esse sine alia. Confirmatur, quia sicut existentia partium essentialium, ex eo quod sunt priores toto naturaliter, distinguitur naturaliter ab ipso toto, & ab eius existentia; ergo etiam existentia partium integralium, cum sint priores toto integrali, erit distincta realiter ab existentia totius integralis: Quod etiam existentia vnius partis sit distincta realiter ab existentia alterius, probatur, quia partes, dum sút in toto, sunt aliquid extra nihil, alioquin ex illis non componeretur aliquod totum reale, sicut de facto componitur continuum, quod est quoddam totum reale; sed quod est aliquid realiter extra nihil, est singulare existens propria existentia reali; ergo existentia vnius partis est distincta realiter ab existentia alterius. Minor patet, quia essentia, & existentia pariformiter sumpta, siuè in communi, siuè in particulari, sunt idem realiter, vt docet Scotus in 2. d. 3. q. 6. ergo si essentia partium sit alia, & alia (aliter totum non constaret ex partibus, sed esset quoddam simplex incompositum) etiam existentia vnius erit alia ab existentia alterius, & ita erunt distinctæ realiter à seinuicem, & à toto continuo, quod constituunt.

Quinta conclusio. Ex his sequitur, quod continuum non est entitas actualis simplex, & solum in potentia diuisibilis in partes, vt dicebāt Auctores quartæ opinionis. Est Scoti ibidem. Probatur insuper hac efficaci ratione, quia partes continui diuisæ sunt entitates, numericè, & realiter distinctæ; ergo etiam sic erant in continuo, ac proindè non erat simplex entitas, sed composita. Antecedens est notum, & ab omnibus concessum. Cōsequentia probatur, quia relatio adueniens alicui fundamento, nec corrumpit illud, si est, nec generat, si non est; siquidem, cùm sit posterior naturaliter fundamento, nec potest dare esse, nec aufetre; sed vnio, & diuisio sunt relationes aduenientes partibus; ergo sicut vnio non potest corrumpere entitatem partium in continuo, sic nec diuisio illas generare extra cōtinuum; Atqui partes diuisæ, vt est compertum apud omnes, sunt entitates, numericè, ac realiter actualiter distinctæ; ergo etiam dum erant vnitæ in continuo sic debuerunt esse actu distinctæ.

Obijcitur primò contra primam conclusionem, quia continuum diuiditur in indiuisibilia; ergo ex ipsis componitur. Consequentia patet, quia quodlibet resoluitur in ea, ex quibus componitur.

Auc-

Antecedens probatur, quod est diuisum in quantum potest diuidi, non est amplius diuisibile, sed indiuisibile; sed continuum potest esse diuisum in omnes suas partes; ergo potest diuidi in indiuisibilia. Minor patet, quia omnis potentia potest reduci ad actum, sed continuum, per te constat ex partibus diuisibilibus; ergo potest diuidi in omnes suas partes, vt nequeat amplius diuidi, & sic erit ex partibus indiuisibilibus.

Resp. Negando antecedens præcisè, excludendo partes diuisibiles; ad probationem nego minorem; ad cuius probationem dico, maiorem esse veram de potentia completa, perfecta, ac determinata, non tamen de incompleta, & imperfecta, quia hæc non est reducibilis tota ad actum, immò facta vna reductione, semper diuisibile est in potentia ad aliam, & aliam diuisionem vsque in infinitum; huiusmodi est potentia ad diuidi in continuo; siquidem, cum reductione duarum partium in actum stat semper potentia ad alias, & alias diuisiones in infinitum, sicque manifestè constat, ipsum constare ex partibus diuisibilibus, continuatis tamen per indiuisibilia.

Obijcitur secundò, quia corpus perfectè sphæricum, si voluetur, aut trahatur per planum, semper tanget illud in punctis; ergo signum est, totum planum, quod est continuum, ex solis punctis esse compositum. Consequentia patet, quia contactus physicus certificat nos de compositione corporis, si est diuisibilis, & corpus erit ex diuisibilibus; si indiuisibilis, ex indiuisibilibus quoque erit compactum corpus, vt docet Aristoteles 1. de Anima cap. 1. t. 13. Antecedens est per se notum in Mathematica, vt demonstrat Euclides lib. 3. prop. 16. ergo &c.

Resp. ex Doct. subt. in 2. d. 2. q. 9. sub T. antecedens esse verū adæquatè, inadæquatè tamen tangeret in linea super qua moueretur, & sic non sequitur, planum esse compositum ex solis indiuisibilibus, immò ex diuisibilibus, copulatis per indiuisibilia: Corpus enim perfectè sphæricum in quocumque instanti temporis, & mutato esse motus, tangeret quidem in puncto indiuisibili; cæterùm in tempore, ac motu sibi correspondente, tangeret etiam diuisibile inadæquatè saltem.

Obijcitur tertiò contra secundam conclusionem: Indiuisibilia, vt sunt pūcta, lineæ, & superficies, non spectant ad compositionem continui, cum solum potentia sint in eo secundum Aristotelem 3. Met. t. 17. ergo continuum non componitur ex partibus diuisibilibus, & indiuisibilibus simul.

Resp. Negando consequentiam; nam Aristoteles loquitur tantum de indiuisibilibus terminatiuis, quæ tantum potentia sunt in continuo, & fiunt in actu per diuisionem, non tamen de copulatiuis, quæ vbique admittit, vt videre est in 4. Physicorum t. 104. & 121. in 5. Physicorum t. 26. & 6. Physicorum à tex. 1. vsque ad 23. ac alibi. Quod autem hæc expositio sit consona Philosopho, liquet ex his, quæ habet propè finem illius textus: inquit enim: At puncta, lineas, & superficies neque fieri, neque corrumpi contingit, cum quandoque sint, quādoque verò non sint. Cùm enim tangant, aut diuidantur corpora, quandoque vna, cum simul tangunt, quandoque duæ cum diuiduntur, fiunt: quare neque iam compositis, sunt, sed corruptæ sunt, & diuisis, sunt, cùm antea non essent: punctum namque indiuisibile, non est diuisum in duo &c. En quomodo apertè loquitur de indiuisibilibus terminatiuis, quæ solum potentia sunt in continuo, & fiunt in actu, cum diuiditur, & non de copulatiuis, quæ, cum diuisibilibus, actu sunt in eodem continuo.

Obijcitur quartò contra tertiam conclusionem: Si continuum haberet partes diuisibiles in infinitum, sequeretur alterum ex duobus, vel vnum infinitum esse maius altero, vel partem esse æqualem toti; sed consequens vtrumque est falsum; ergo & antecedens. Consequentia probatur: Sumatur enim linea bipedalis, & tunc quæritur an sit maior linea pedali, vel non: Si dicatur maior, cū vtraq; habeat infinitas partes propor-

tiona-

tionales, vnum infinitum erit maius altero: si verò dicatur, esse æqualem; ergo cum pedalis habeat rationem partis respectu bipedalis, pars erit æqualis toti, quod est omninò falsum.

Resp. negando vtramque sequelam; ad probationem dico, huiusmodi lineas dupliciter considerari posse, & vt formaliter infinitas, & vt materialiter; priori modo, vna non est maior alia, sed sunt æquales, nec vna habet rationem totius, & alia partis; sed ambæ sunt tota diuisibilia æqualiter in infinitas partes formaliter; at posteriori modo, sunt inæquales, & vna poterit habere rationem totius, & alia partis; siquidem vna magnitudo, secundum partes eiusdem quantitatis, est maior alia; at sic consideratæ neutra est infinita formaliter, ac proindè nequit inferri vnum infinitum esse maius alio, vel partem esse æqualem toti.

Obijcitur quintò: *Si partes integrales continui essent aliquo pacto actu infinitæ, sequeretur, nullum spatium continuum posse pertransiri; sed hoc est contra experientiam; ergo dicendum, huiusmodi partes non esse actu infinitas, neque quoad existentiam.* Sequela maioris probatur, quia infinitum actu nequit pertransiri, vt habet Aristoteles 3. Physicorum, ac alibi; sed per nos huiusmodi partes, existentes actu in continuo, sunt infinitæ; ergo continuum non posset pertransiri.

Resp. negando sequelam maioris; ad probationem dico, esse veram de infinito in actu, habente partes infinitas in esse subsistentiæ, quia sic, cum singulæ partes essent infinitæ, occuparent spatiū infinitum, ac proindè esset impertransibile, non tamen de infinito habente partes actu infinitas in esse existentiæ tãtum; nam cum tales sint vnitæ in continuo, se habent vt finitæ in quantitate, atque adeò fit, vt continuum ex illis compositum, non occupet spatium plusquam finitum, & sit pertransibile.

Obijcitur sextò contra quintam conclusionem: Aristotelis 8. Physicorum tex. 68. inquit: *In continuo esse quidem infinita dimidia, potentia, non actu*; ergo secundum Aristotelem, continuum habet partes, quatenus est in potentia ad diuidi, non verò secundum suam entitatem, quia sic non est compositum, sed simplex.

Resp. negando consequentiam; neque auctoritas Aristotelis citata cogit; siquidem loquitur de infinitis dimidijs secundum esse subsistentiæ, quæ solum habere possunt esse per diuisionem, & ad quæ continuū est in potentia, & non in actu; nos autem dicimus esse in illo infinitas partes proportionales abinuicem realiter distinctas actu, non verò actu diuisas, & sic facimus continuum compositum, non autem simplicem entitatem, vt opinantes dicebant.

Contrà, quia tunc sequeretur, continuum non esse vnum per se, sed aggregatum per accidens; sed consequens est falsum, cum diffiniatur, & diffinitio non est, nisi vnius per se, vt est manifestum apud omnes; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia Aristoteles 7. Met. tex. 49. inquit: *Quæ enim duo sic actu sunt, numquam vnum actu sunt; sed si potentia duo sunt, erunt vnum, vt duplum ex duobus dimidijs potentia*: actus namque separat; ergo si continuū continet infinitas partes actu, quamuis in esse existentiæ, non poterit esse vnum per se; siquidem actus separat, & non vnit sicut potentia.

Resp. negando sequelam maioris; ad probationem dico, Aristotelem, ibi loqui de duobus actu subsistentibus, inter se diuisis, ac seiunctis, ac de vnitate per se totius essentialis; talia namque vniri non possunt, vt fiat per se vnum, cum hæc vnitas, vt ipse docet in t. 43. eiusdem libri, & in 8. Met. t. 15. coalescit ex per se actu, & per se potentia: non autem de duobus actu existentibus, quæ habent rationem partium integralium, quia talia non exigunt potentialitatem adinuicem, verum dumtaxat in ordine ad totum integrale, quod componunt: talia enim quamuis singularia sint, & à seinuicem realiter distincta, vniri possunt in vnitate per se totius integralis, vt probauimus in 1. lib. Physicorum: modò continuum est vnum vnitate totius integralis,

lis, ac proindè non inconuenit, vt habeat partes actu existentiæ infinitas, licèt non subsistentiæ.

Obijcitur septimò: Si continuum non esset simplex entitas, sed constaret partibus actu, non tantum potentia, infinitis, sequeretur dari infinities infinita clausa terminis; sed hoc est contra rationem infiniti; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia quælibet pars continui est continua, igitur quælibet pars continet infinitas partes; ergo continuum esset infinities infinitum, atqui continuum clauditur indiuisibilibus terminantibus partes; ergo infinitum esset finitum, ac terminatum, quod repugnat eius rationi formali.

Resp. Concedendo sequelam maioris, & eius probationem, & distinguendo minorem: nam quod infinitum careat terminis, verum est de infinito in actu, & etiam in potentia ratione suarū partium diuisibilium, quia non est assignabilis nec prima, nec vltima pars; falsum tamen de continuo infinito, quia cum de ratione eius sit, vt partes copulentur, & terminentur indiuisibilibus, data quacumque diuisione, semper eius partes erunt copulatæ, ac terminatæ, aliter non essent continuæ.

Vel dicendum breuiter, minorem esse veram de extremis quoad numerum, quia hæc tantum repugnant infinitis, in quibus nec primum, nec vltimum dari potest; falsam tamen de extremis quoad positionem: nam sicut quælibet magnitudo exigit extrema indiuisibilia, terminatiua partium continui, ita etiam infinitum in magnitudine, quoad diuisionem illa necessariò requirit.

De mensura motus, & quietis, vt facit ad eorum diuisionem.

SVMMA II.

HÆc secunda Summa, in qua Aristoteles præmittit necessariò sciēda ad diuisionem motus, & quietis, diuiditur in duo tantum capita; in quorū primò, ostendit indiuisibilitatem ipsius Nunc, seu instantis temporis: In secundò verò probat non posse in illo fieri motum, ac quietem.

Quoad primum igitur in tex. 24. ponit hanc conclusionem: Nunc temporis, quod est terminus præteriti, & initium futuri, vt dixerat in 4. Physicorum tex. 121. est indiuisibile. Declarat ipsam, quia, Nunc est ita finis præteriti, vt totaliter ipsum distinguat à futuro; & sic est initium futuri, vt adæquatè illud separet à præterito; siquidem secundum se totum indiuisibiliter est terminus vtriusque; ergo inferendum est, ipsum esse indiuisibile, alioquin, prout est in futuro haberet in se aliquid præteriti, & vt in præterito retineret sibi aliquid futuri, quod est valdè absurdum.

In t. 25. & 26. probat primò indiuisibilitatem ipsius Nunc; nam istud Nunc est vnū, & idem præteriti, & futuri; ergo est indiuisibile. Antecedens probatur, quia si non est vnum, & idem vtriusque, ergo erunt duo, vnum præteriti, & alterum futuri; igitur, cùm non possint esse sibi immediata, inter illa erit tēpus medium, at omne tempus diuiditur in præteritum, & futurum; ergo illud mediū, cùm sit finis præteriti, & initium futuri, erit in præterito, & in futuro, & sic futurum erit in præterito, & præteritum in futuro, quod repugnat rationi formali vtriusque, vt igitur occurratur vtrique inconuenienti, dicendum est, nunc medium inter præteritum, & futurum, esse vnum, & idem, & sic indiuisibile.

In t. 27. probat secundò huiusmodi indiuisibilitatem, nam quod est terminus per se alicuius, non est diuisibile, alioquin non esset per se terminus, & adæquatus, sed inadæquatus; sed Nunc, medians inter præteritum, & futurum, est terminus vtriusque, cum sit finis vnius, & initium alterius, per se, & adæquatus; ergo non est diuisibile, sed indiuisibile.

In eodem textu probat tertiò, quia idem numero Nunc est in tota sua duratione; sed si esset diuisibile, non esset vnum, & idem numero Nunc in tota duratione; ergo non est diuisibile, sed indiuisibile. Maior supponitur probata

in 4. Physicorum tex. 103. Minor probatur, quia constaret ex præterito, & futuro, quæ in tota duratione temporis, sunt diuersa.

In t. 28. concludit igitur, Nunc esse vnum, & idem indiuisibile, alioquin nec esset vnum, nec per se terminus præteriti, & futuri, sed aliquid præteriti esset in futuro, & è conuersò, aliquid futuri in præterito, quæ sunt valdè inconuenientia, & absurda.

Quoad secundum in t. 29. probat hanc conclusionem: Nullus motus est in Nunc temporis, sed in ipso tempore: Nam si motus posset fieri in nunc, ergo motus velox, & tardus possent fieri in instanti; sed hoc est falsum; ergo &c. Sequela maioris patet, quia vterque est motus verus. Minor probatur, quia nunc esset diuisibile, & non indiuisibile ipsum nunc; sed est falsum, vt probatum est; ergo &c. Maior declaratur sic, mobile tardum si transit spatium A, in instanti, mobile velox transibit illud idem in minori mensura, quam sit nunc, & instans, & sic nunc, & instans esset diuisibile, quod est falsum.

In t. 30. probat aliam conclusionem: Quies non posset fieri in nunc, sed necessariò in tempore: tum quia illud tantum potest quiescere, quod est aptum moueri, vt ostendit in 4. Physicorum t. 118. sed nihil potest moueri in nunc temporis, verùm in tempore dumtaxat; ergo nec quiescere poterit esse in nunc, sed solum in tempore.

In t. 31. probat secundò eamdem conclusionem, quia tunc idem simul quiesceret, & moueretur in eodem nunc; sed hoc implicat contradictionem; ergo &c. Maior probatur: Supponendo aliquid in medietate vnius signati temporis moueri, & in alia quiescere; tunc sic; inter has duas medietates intercedit nunc illas adinuicem copulans, si ergo quies fieret in nunc, cum tale sit finis prioris medietatis, in qua esset motus, & principiũ posterioris, in qua esset quies; sequitur idem simul moueri, ac quiescere in eodem nunc temporis, quod implicat.

In eodem tex. probat tertiò eamdem conclusionem, quia id dicitur quiescere, quod similiter se habet secundum se, ac suas partes, nunc, & prius, sed in ipso nunc non datur prius, cùm sit indiuisibile, ergo in ipso nihil potest quiescere.

De diuisione motus.

SVMMA III.

Diuiditur ista Summa, in qua peragitur de diuisione ipsius motus, in tria capita; in quorum primò ostendit indiuisibile moueri non posse: In secundò manifestat quasdam diuisiones motus: Et in tertiò docet easdem diuisiones esse temporis, motus, mutati esse, mobilis, & spatij, in quo fit motus.

Quoad primum igitur, ponit hanc conclusionem: Indiuisibile moueri non potest, & probat illam in t. 32. nam omne quod mouetur habet partem in termino à quo, & partem in termino ad quem; sed indiuisibile nequit habere partem, & partẽ, alioqnin non esset indiuisibile, sed diuisibile; ergo &c. Maior probatur, quia cùm mobile est totum in termino à quo, vel ad quẽ, nõ mutatur, sed quiescit; ergo vt mutari possit, necessariò exigit, vt sit partim in termino à quo, & partim in termino ad quem.

Quoad secundum ponit diuisionem motus ex duplici capite, & ex parte mobilis, & ex parte temporis. Ex parte mobilis in t. 33. dicit, motum diuidi in motum totius, & motum partium; & probat primò, quia sicut se habent partes totius mobilis ad totum mobile, ita partes motus ad totũm motum, sed partes mobilis ita se habent, vt vna non sit alia, & simul sumptæ faciunt totum; ergo idem dicẽdum est de partibus motus, quod vna non sit alia, & quod totus motus componitur ex illis, ac proindè sit diuisibilis in partes.

In t. 34. probat motum partium esse motum totius, quia si non est motus totius, vel erit partium per se, vel alterius mobilis; non partium per se, quia mouentur cum toto; nec alterius mobilis, quia si totus motus esset alterius mobilis, ergo etiam partes eius essent alterius mobi-

mobilis; sed partes non sunt alterius, ergo nec totus motus, quare sequitur, quod si partes sint totius motus mobilis, motus erit diuisibilis in illis.

In t. 35. probat huiusmodi motum esse motum totius mobilis, quia iam probauerat in tex. præcedenti, non esse motum alterius mobilis; nam si hic motus conflatus ex partibus non esset motus totius mobilis, hoc ideò esset, quia partes non sunt æquales toti; sed hoc esse non potest; ergo &c. Minor probatur, quia huiusmodi inæqualitas, aut esset secundum excessum, aut defectum; sed neutrum dici potest; ergo &c. Minor probatur: Non secundum excessum, quia sic nec esset partium, nec totius, cum partes non excedat totum, nec excedantur ab eo: Nec secundum defectum, quia sic nullius mobilis erit, quod non est dicendum, siquidem accidens nequit esse sine subiecto; concluditur ergo huiusmodi motum, esse motum totius mobilis.

In t. 36. ponit alteram diuisionem ex parte temporis, nempè motum diuidi in partes, sicut partes temporis, quibus mensurantur; & probatur, quia sicut totus motus mensuratur toto tempore, ita pars parte; ergo sicut totum tempus diuiditur in partem maiorem, & minores, ita totus motus in motum maiorem mensuratum maiori, & in minorem mensuratum minori tempore.

Quoad tertium docet, diuisiones easdem reperiri in omnibus, quæ sunt in motu, scilicet in motu, tempore, moueri, idest moto, seu mota concretiuè sumpto, & in quo fit motus, nempè in termino ad quem; & primò in tex. 37. ostendit reperiri in motu, & tempore, quia hæc se consequuntur, ita quod totus motus est in toto tempore, & pars in parte; ergo motus diuiditur ad diuisionem temporis, & è conuersò, tempus ad diuisionem motus.

In t. 38. ostendit sic diuidi pariter ipsum moueri ad diuisionem motus; nam totum moueri est secundum totum motum, & pars ipsius moueri secundum partem motus; igitur si motus est multus, & res mota, seu motum erit multum, si paruus, & parua est res mota.

In t. 39. probat eandem diuisionem etiam in termino ad quem, quia termini motus sunt diuisibiles, sicut motus, & mobile, patet inductiuè, quia vbi diuiditur ad diuisionem motus localis, & mobilis; quantitas ad diuisionem augmentationis, aut diminutionis; qualitas ad diuisionem alterationis; sed vbi, quantitas, & qualitas sunt termini ad quos, ergo huiusmodi termini diuiduntur ad diuisionem motuum, & mobilis, præcipuè tamen ratione mobilis, cùm sit radix, & fundamentum omnis diuisionis.

De diuisione motus, & mobilis.

DISPTT. II.

DE motus quiditate, vnitate, ac diuisione specifica satis egimus in 3. & 5. libro Physicorum, nunc occasione textus Aristotelis agendum est de eiusdem diuisione integrali, quam sortiri potest per ordinem ad mobile, & ad tempus. Et quamuis in 3. lib. disput. 1. quæst. 3. disputauimus aliqualiter etiam de diuisione integrali eiusdem ex parte temporis, an nimirum successio sit de quiditate motus per ordinem ad quodcumque agens, vel tantum respectu agentis naturalis, & creati; tamen quia inibi insolutam difficultatem reliquimus de motu locali, ideò in præsenti eamdem exagitare intendimus sub hoc titulo: An motui locali repugnet posse fieri in Nunc temporis: Deindè an exigat mobile diuisibile; aut etiam indiuisibile possit moueri localiter.

Vtrum motui locali repugnet posse fieri in Nunc temporis?

QVÆSTIO L.

Circa hanc difficultatem, non est vna omnium Expositorũ Aristotelis sẽtentia, vt videre est apud Toletum lib. 6. c. 3. q. 3. siquidem aliqui putant, motum quemcumque transire posse in mutationem instantaneam, ac proindè aliquid moueri posse, etiam localiter, in vno, & eodem Nunc temporis. Ita sentiunt Gregor. in 2. d. 6. q. 3. art. 2. Maior in 4. d. 49. q. 8. ac alij apud Durandum ibidem dist. 43. q. 4. Huic opinioni videtur fauere etiam Doctor subt. in 4. d. 43. q. 5. sub C. loquens signanter de motu locali.

Alij verò, quamuis concedant motũ alterationis, & augmentationis, saltem supernaturaliter, posse accidere in eodem instanti temporis, negant tamen de motu locali; siquidem iudicant, successionem esse sibi essentialem, ac ita intrinsecam, vt ne quidem per Dei potentiam absolutam possit impediri. Sic Antonius Ruuius lib. 6. Physic. cap. 3. q. vn. Antonius Roccus q. 3. Catharensis q. 2. att. 1. Toletus cit. q. 3. & Mastrius disp. 15. de Motu q. 6. art 5. n. 67. vbi citat pro hac opinione Doctorem subtilem in 2. d. 2. q. 11. & 12. & in 3. d. 2. q. 3. & d. 4. 5. Potest dici &c.

Quid autem sentiendum nobis sit de vera mente Scoti, quibusdam adnotatis, nostram, & suam aperiemus sententiam in conclusionibus infraponendis.

Primò igitur notandum est ex Doctore subt. in 2 d. 2. q. 9. sub Z. quod in motu, ab alio est necessitas successionis, ab alio possibilitas eiusdem, & ab alio velocitas, & tarditas: nam possibilitas successionis prouenit ex distantia mediorum, quæ reperiuntur inter terminum à quo, & ad quem, vt ab hoc gymnasio vsque ad plateam fieri potest motus successiuus, quia intercedunt plura media, quæ in transitu mobilis sibi succedunt, vt experientia constat: Necessitas autem successionis oritur ob distantiam terminorum à quo, & ad quem, non absolutè, nec in comparatione ad agens quodcumque, sed solum in ordine ad agens creatum, & finitæ virtutis, à quo mobile nequit immediatè transferri de vno ad alium terminum; defectu cuius, cogitur transire priùs vnam partem, postea aliam, & aliam successiuè, quousque perueniat ad terminum intentum ab agente: cæterùm si fiat comparatio ad agens increatum, & infinitæ virtutis, cui nihil resistere potest, tollitur huiusmodi successio; potest enim statim ponere mobile in termino ad quem, ita quod nec propter formam appositam termino à quo, quam mobile iam habet; nec propter media naturaliter ordinata, quia illa potest habere pro non medijs, impediri potest, quin immediatè ponat mobile in termino ad quem: Velocitas tamdem, ac tarditas sumitur ex maiori, vel minori densitate medij: vndè si medium est densius, mobile tardiùs mouetur; si verò rariùs, velociùs cietur, & hoc respectu eiusdem mobilis; quia respectu diuersorum, forsan aliundè desumenda erit, nempè ex maiori, vel minori grauitate, aut leuitate, vt dicemus in lib. 8. Physicorum.

Secundò notandum ex eodem in 2. d. 2. q. 11. & 12. aliquod mobile moueri posse localiter in instanti dupliciter intelligitur, vno modo mutatione includente totam realitatem motus, itaut mobile habeat omnia vbi, intermedia inter terminum à quo, & ad quem, quo pacto haberet si moueretur præcisè successiuè; alio modo mutatione includente realitatem termini motus, nempè quod mobile habeat tantum vltimum vbi, sicut habet cum terminatur motus localis successiuus: si mobile intelligatur mutari mutatione primo modo sumpta, neque virtute Angelica fieri potest huiusmodi motus in instanti, cùm non possit habere plura vbi, æqualia simul in eodem instanti; at secundo modo, saltem Angelus poterit moueri in instanti localiter, quia, vt inquit Doctor q. 11. citata sub C, & q. 9 sub Z, quod terminus motus non statim inducatur, prouenit ex imperfe-

perfectione virtutis ipsius agentis momentis, quam non debemus attribuere Angelo, nisi aliqua necessitas appareat. Cæterùm si huiusmodi mutationes, & præsertim, quæ includit totam realitatem motus (de qua est difficultas) attendantur per ordinem ad agens, seu mouens increatum, dicendum est cum eodem Scoto, nedum in citatis quæstionibus nona, & vndecima, sed in 12. sub F. & in 3.d.4. q.vn.§. Potest dici &c. motū localem posse fieri in instanti; siquidem potest habere media pro non medijs, & ordinem pro non ordine, & exēplificat de corpore Christi descendēte in Sacramento Altaris; de sanguinibus B.V.Mariæ adductis ad locum generationis, & in 4. d.43. q. 5. de pulueribus ad resurrectionem necessarijs, quæ omnia probabiliter sustinet fieri posse in instanti temporis, mutatione tamen includente realitatem termini motus, non tamen totam realitatem motus: nam sicut repugnat illa media vniri ad vnum vbi totale, conficiendum in eodem instanti, sicut vnirentur si fieret acquisitio eorumdem continua, & successiua; sic pariter repugnat, quod mobile quodcumque habeat omnia illa media vbi pro medijs, simul cum vbi vltimato in vno, & eodem instanti, ac proindè fieri motum secundum totam suam realitatem, etiam spectata absoluta Dei potentia de mente Scoti repugnantiam inuoluit.

Tertiò notandum, vt colligitur ex eodem Scoto in præcitatis locis, latam esse differentiam inter huiusmodi mutationes instantaneas, nempè includentem totam realitatem motus, & includentem tantum realitatem termini motus; siquidem prior, cùm in se contineat omnes partes motus, & sibi solùm deficiat successio, ablata per virtutem infinitam, vincentem resistentiam formæ contrariæ, aut distantiam extremorum, potest vtique vocari motus, quamuis non mensuretur tempore, sed instanti; at posterior, cùm nihil realitatis motus in se habeat, verùm contineat dumtaxat acquisitionem instantaneam termini ad quem, quamuis forma acquisita sit diuisibilis, & ponatur à Deo immediatè in passo diuisibili, nihilominus vocari non potest motus, sed simplex mutatio, vt ab ipso distinguitur: & licet esset inter terminos positiuos, saltem concomitanter, tamen, quia terminus positiuus à quo nihil conferret ad positionem termini ad quem, cùm esset impedita eius actio à virtute infinita, posset dici mutatio à non subiecto in subiectum, & sic essentialiter distincta à motu propriè dicto. Ex quo infertur, quod quando Doctor dicit, motum localem posse fieri à Deo in instanti, mutatione quidem includente realitatem termini, non verò realitatem motus, idem est, ac si diceret mutationem localem posse fieri ab ipso in instanti, non verò motum localem.

Ex his fit prima conclusio: *Si motus localis sumatur strictè, sinè pro mutatione successiua, siuè pro mutatione instantanea, includente totam realitatem motus, repugnat, etiam virtuti diuinæ, fieri in Nunc temporis.* Est Scoti in quol. 7. sub L. §. Secundum scilicet de positione &c. licèt loquatur secundum opinionem Philosophorum, quam, cùm non retractet vt Theologus, sicut facit alia multa in eadem quæstione; dicendū est, asserere de mente propria. Probatur, quia quod est essentialiter successiuum, necessariò debet fieri in tempore; sed motus localis est essentialiter successiuus; ergo necessariò fieri debet in tempore. Maior patet, quia successiuum necessariò habet partem post partem, quæ per nullam potentiam possunt esse simul, alioquin destrueretur ratio successiui, & fieret permanens; sed nunc temporis, seu instans non habet partem post partem, cum sit omninò impartibile, vt probat Aristoteles in hoc 6. Physicorum à t.24. vsque ad 28. ergo &c. Minor probatur, quia quantitas continua essentialiter diuiditur per successiuum, & permanens; sed motus localis est essentialiter quantitas continua, cùm sit eius species, & non est permanens, nec potest esse talis; ergo est essentialiter successiua. Maior patet ex Philosopho in Prædicam. cap. 2. Et 5. Metaph.

cap. 13. t. 18. Minoris secunda, & tertia pars probatur, quia motus localis fit inter duo vbi (quorum vnum est terminus à quo, & alterum terminus ad quē) habentia infinita vbi intermedia; sed ista nequeunt simul vniri ad faciendum vnum vbi totale, & vltimatum, quinimò vnum succedit alteri vsque in infinitum, si mobile semper impueniur; ergo motus localis, per quem acquiruntur huiusmodi vbi, non est quantitas permanens, sed necessariò successiua. Maior patet, quia mobile locale mouetur super magnitudine, in qua sunt infinitæ partes pertransibiles, quarum vnaquæque fundat vnam relationem vbi, seu loci formaliter sumpti; ergo inter duo vbi possunt esse infinita vbi intermedia. Minor probatur, quia relationes sunt entitates simplices, vt simplicitas opponitur compositioni physicæ, siuè essentiali, siuè integrali, vt est omnibus manifestum; ergo illa vbi, cum sint relationes extrinsecus aduenientes, non poterunt vniri in vno vbi totali. Secundò probatur, quia tunc mobile moueretur, & non moueretur, quod est contradictio. Sequela probatur: Moueretur quidem, quia in eodem instanti esset in termino ad quem, idest in vbi vltimato; non moueretur autem, quia in illo instanti eodem esset in vbi à quo, & in vbi intermedijs, vt in suis locis, in quibus prius erat; ergo moueretur, & non moueretur in vno, & eodem instanti, quod nec Deus facere potest, cum implicet contradictionem.

Secunda conclusio. Si verò accipiatur motus localis, vt tantum includit realitatem termini, & non motus, potest, virtute diuina, fieri in vno, & eodem Nunc temporis. Est Scoti in 2. d. 2. quæst. 12. F. & in 3. dist. 4. q. vn. §. Potest dici &c. sub B. & C. & in 4. dist. 43. quæst. 5. sub C. Probatur, quia in eodem instanti, corpus Christi naturale fit præsens infinitis hostijs consecratis, & hoc virtute diuina, vt probat Doctor in 4. dist. 10. q. 6. concl. 5. & 6. similiter idem corpus in eodem instanti, virtute Spiritus Sancti, fuit compactum ex sanguinibus Beatæ Virginis Mariæ, ad eius vterum delatis: & resurrectio fiet in instanti ex pulueribus in vnum delatis à Deo, vt docet idem Doctor in 3. & 4. in præcitatis locis; sed hæc non potuerunt fieri absque mutatione locali; non quidem includente totam realitatem motus, quia talis implicat; ergo mutatione instantanea, includente tantum realitatem termini ad quem motus. Secundò sic, si quid obstaret, quominus posset Deus ponere in instanti mobile in termino ad quem, maximè esset distantia inter terminum à quo, & ad quem; ex ista enim oritur necessitas successionis in motu, vt docet idem Doctor in 2. dist. 2. q. 9. sub Z, sed hæc ratio nihil officit, quia illa distantia, etsi foret infinita, subesset infinitæ potentiæ Dei; ergo illa non impediret motum in instanti terminatum ad vltimum vbi illius distantię.

Tertia conclusio. Huiusmodi mutatio, includens tantum realitatem termini ad quem, non esset motus propriè dictus, sed mutatio instantanea, distincta essentialiter à motu. Est Scoti in 2. dist. 2. q. 12. sub F & in 4. dist. 43. q. 5. sub C, vbi hanc mutationem vocat motum localem generaliter, prout quando generatum succedit corrupto &c. Probatur, quia mutatio à non subiecto in subiectum distinguitur essentialiter à motu ex Aristotele 5. Physicorum t. 9. sed mutatio includens in instanti tantum realitatem termini ad quem, est à non subiecto in subiectum; ergo distinguitur essentialiter a motu propriè dicto. Minor probatur, quia licèt huiusmodi mutatio localis esset inter terminos positiuos, concomitantes terminum à quo, & ad quem formaliter, tamen, quia in comparatione ad virtutem infinitam, nihil faceret terminus à quo, vt mobile non ponatur immediatè in termino ad quem, tunc huiusmodi mutatio esset solum à priuatione termini ad quē, vt à termino à quo, & sic à non subiecto in subiectum, ac proindè mutatione distincta realiter, & essentialiter à motu propriè dicto.

Ex his apparet qualis fuerit mens Doctoris subtilis circa motum localem, in compa-

comparatione ad Deum: non enim fuit problematicus, aut non sibi constans, vt non benè inferebamus contra Mastrium in 3. Physicorum disp. 1. q. 3. conclusione vltima; immò constans eius sẽtentia fuit, quod repugnet, etiam diuinæ potentiæ causare motum localem propriè dictum in vno, & eodem nunc temporis; & si varijs in locis hoc videatur concedere, non est intelligendus de motu, sed de mutatione locali, vt à motu distinguitur; vndè illa distinctio de motu, includente totam realitatem motus, & includente tantum realitatem termini motus, qua vtitur Mastrius, videtur esse de terminis non supponentibus, cùm non possit assignari motus in ordine ad Deum, qui fiat in instanti; licèt benè mutatio instantanea, vt distinguitur à motu.

Obijcitur primò contra primam conclusionem: Mouens alicuius virtutis mouet in tanto tempore; ergo mouens maioris virtutis in minori tempore; ergo mouens infinitæ virtutis mouebit in instanti, ac proindè saltem à Deo poterit fieri motus localis in instanti.

Resp. negando vltimam consequentiam, loquendo de motu locali, includente totam realitatem ob implicantias allatas in probatione conclusionis, atque adeò, nec à Deo fieri poterit, cùm eius virtus non se extendat ad ea, quæ implicant contradictionem.

Obijcitur secundò ex Doctore subtili in 2. d. 2. q. 12. Angelus potest se mouere de extremo ad extremum, & simul habere omnia vbi intermedia ordine naturæ, licèt non durationis, in eodem instanti temporis; ergo multò magis poterit Deus de sua potentia absoluta mouere aliquid in instanti, & habere media, omnia inter vbi distantia, ordine naturæ, & sic esset motus instantaneus secundum totam suam realitatem.

Resp. Negando vltimam consequentiam; siquidem ordo naturæ, cum sit tantum potentialis, & non actualis, non sufficit ad inferrendum, in motu instantaneo Angeli, vel à virtute Dei causato, esse totam realitatem motus; non enim vbi intermedia essent ibi realiter, & actualiter, sed tantum in potentia, in quantum mobile posset acquirere prius vnum vbi intermedium, quam aliud, si moueretur in tempore, & non in instanti.

Obijcitur tertiò: Vbi nulla est resistentia in agente, etiam in natura res statim ponitur in esse, sed Deus nullam pati potest resistentiam circa motum localem alicuius mobilis; ergo poterit statim illum causare in mobili. Maior est Scoti in 2. d. 2. q. 9. sub Z. Minor probatur, quia si adesset aliqua resistentia, maximè esset distantia extremorum: ex ipsa enim oritur necessitas successionis in motu, vt diximus cum eodem Scoto in 1. not. sed hæc nihil officit virtuti diuinæ, quæ habet omnia media pro non medijs, & ordinem pro non ordine, vt docet idem Doctor in 2. d. 2. q. 12. sub F. ac alibi; ergo &c.

Resp. Negando minorem de motu locali propriè accepto; ad probationem concedo sequelam maioris, & nego minorem; & cùm probatur Deum habere omnia media pro non medijs, & consequenter distantiam pro non distantia extremorum, dico, ex hoc non inferri motum secũdum suam realitatem posse fieri à Deo in eodem instanti, sed tãtum mutationem instantaneam, in qua nullum intercedit medium, sed mobile statim ponitur in termino ad quem: ex quo sequitur, quod huiusmodi repugnantia non est ex parte Dei per se, verùm duntaxat ex parte motus localis, includentis necessariò successionem causatam ex distantia extremorum.

Vtrum indiuisibile separatum possit moueri per se?

QVÆSTIO II.

Indiuisibilia esse in duplici differentia, nempè substantialia, vt sunt Angeli, & Animæ rationales; & accidentalia, quæ & quantitatiua appellantur, vt sunt puncta in linea, lineæ in superficie, & superficies in corpore, iam superiùs

adnotauimus, de quibus omnibus non procedit proposita quæstio, sed tantum de quantitatiuis; siquidem, quandoquidem certissimum est ex fide, Angelos, & Animas moueri localiter per se, cùm per se sint etiam in loco diffinitiuè; ita est valdè dubiũ, an data hypothesi, quod punctum sit separatum à linea possit moueri per se motu continuo, & successiuo de vna ad aliam partem spatij, seu magnitudinis: vndè

Prima opinio asserit, indiuisibile quantitatiuum, si per aliquam potentiã daretur ab ea separatum, non posse quidem naturaliter moueri, benè verò per potentiam Dei absolutam. Ita plures Moderni, quos sine nomine recenset Ruuius lib. 6. Physic. cap. 10. q. vn.

Secunda opinio, quam communiter sequuntur antiqui Aristotelis interpretes in hoc lib. 6. Physicorum ad tex. 86. & post ipsos D. Thomas lect. 22. Albertus Magnus tract. 2. Ægidius ad t. 18. Iandunus q. 16. Sotus q. 4. negat absolutè indiuisibile quantitatis per se moueri posse, vndè ei concedunt cum Aristotele in t. 86. tantum motum localem per accidens, cum est in continuo.

Tertia opinio est Scoti in 2. dist. 2. q. 9. respondendo ad tertium argumentum princip. sub lit. T. & V. Gregor. Arimin. ibidem q. 2. art. 1. & omnium Scotistarum, qui sustinent partem affirmatiuam, nedum supernaturaliter, verum etiam de potentia naturali, supposito, quod per aliquam potentiam posset indiuisibile separari à continuo. Hanc eamdem sententiam sequuntur nonnulli Recentiores, quos citat, & sequitur Mastrius disput. 15. q. 8. art. 1. Roccus autem lib. 6. Physic. q. 4. quamuis sit cum Scoto, loquendo de indiuisibilibus secundum quid, vt sunt linea, & superficies, in quibus saluatur sufficiens ratio diuisibilitatis, negat tamen id fieri posse, si sermo fiat de indiuisibilibus simpliciter, vt sunt vnitates, & puncta.

Pro huius opinionis Scoti maiori intelligentia, ac fundamento primò notandum est, aliquid moueri posse, dupliciter intelligitur, vno modo per se, alio modo per accidens; id mouetur per se quod seiunctum à quouis alio mouetur, vel moueri potest, vt hic liber; id verò mouetur per accidens, quod coniunctũ alteri cietur, & separatum per se moueri potest, vt punctum coniunctum partibus lineæ, mouetur per accidens, nimirum ad motum lineæ, quæ per se mouetur, separatum verò ab ipsa, si moueatur, per se mouebitur.

Secundò notandum est, aliquid esse per se mobile adhuc dupliciter spectari potest, vno modo, vt ly per se dicit perseitatem propositionis per se primi, vel secundi modi, & sic corpus naturale dicitur per se mobile, quia hæc est per se secundo modo, corpus naturale est mobile. Alio modo, vt ly per se dicit perseitatem tertij modi, quod idem est, ac non cum alio, & sic accidentia in Sacramento Eucharistiæ, dicuntur per se moueri, quia cum in nullo sint subiecto, per se .i. solitariè mouentur modò ad propositum indiuisibilia de genere quantitatis, si forent ab ea separata, non mouerentur per se primo, vel secundo modo, cum mobilitas non sit de illorum essentia, vel propria passio, sed tanto tertio modo, hoc est solitariè, & non cum alio coniuncta.

Tertiò notandum est ex Doct. subtili in 2. d. 2. q. 9. sub V. & Z. necessitatem successionis ex triplici capite posse attendi, nempè ex diuisibilitate mobilis, & distantia extremorum in comparatione ad agens creatum; ex diuisibilitate spatij, & ex eadem distantia; ac ex parte vtriusque simul. Successio ex primo capite oritur cum mobile est diuisibile, & spatium indiuisibile, vt si linea moueretur super puncto, ibi esset necessitas successionis ex diuisibilitate mobilis, quia transiret punctum prius secundum vnam partem, postea secundum aliam, & sic successiuè. Ex secundo capite accidit è conuersò, cùm nimirum mobile est indiuisibile, & spatium diuisibile, vt si punctum moueretur super lineam, esset successio tantum ex parte spatij, quia punctum transiret prius vnam partem spatij, quam aliam. Ex tertia demũ oritur successio, quando tàm mobile, quàm spatium est diuisibile, vt si linea vna,

vna, moueretur super alia, motus esset successiuus ex parte mobilis, & spatij, cum ambæ sint diuisibiles. Ex his sequitur, quod si indiuisibile de genere quantitatis moueretur super plano, talis motus esset successiuus solum ex parte spatij diuisibilis, non tamen ex parte mobilis, cum supponitur indiuisibile.

Quartò notandum ex eodem Doctore ibidem, quod quamuis quæstio communiter exagitetur de motu locali, nihilominus extendi potest etiam ad alios motus, nimirum augmentationis, diminutionis, & alterationis, nempè an puncta, lineæ, & superficies possint augeri vel diminui, aut alterari, quod idem est, ac si quæratur, an possint moueri, vel esse subiecta motuum augmentationis, diminutionis, & alterationis; vndè pro resolutione, memoriæ reuocandum est, quid sit augmentatio, diminutio, & alteratio, de quibus egimus in 3. & 5. Physicorum.

Ex his igitur sit prima conclusio. Indiuisibilia quantitatiua, siuè simpliciter, vt sunt puncta in linea, siuè secundum quid, cuiusmodi sunt lineæ in superficie, & superficies in corpore, si per aliquam potentiam, possent separari à quantitate, & separata per se conseruari, possent moueri per se localiter, motu continuo, ac successiuo. Est Scoti in 2.d.2.q.9. sub T. vbi eam probat multipliciter, nobis tamen sufficiet vna, aut altera ratio. Probatur igitur sic, quia illud mouetur per se localiter continuè, ac successiuè, quod separatum à quocumque alio mobili, prius transit vnam partem spatij, quam aliam vsquequo perueniat ad extremũ; sed indiuisibilia de genere quantitatis, si separata consistant, vt supponitur, sunt huiusmodi; ergo &c. Maior patet ex notabilibus. Minor probatur: Nam si sumatur corpus perfectè sphæricum, & rotundum, appliceturque perfecto plano, mouebitur localiter, designando super ipso lineam rectam, tangendo ipsū semper in puncto; sed secundum tale punctum transibit prius vnam partem lineæ rectæ, & postea aliam; ergo secundum talem punctum mouebitur continuè, ac successiuè; igitur etiam si tale punctum per se esset separatum, poterit sic localiter moueri. Hæc vltima consequentia probatur, quia ordo præfixus à superiori agente circa aliqua est necessarius cuicumque agenti inferiori volenti operari circa illa, vt probat Doctor subt. in 2.d.2.q.12. sed in spatio diuisibili est ordo vnius partis prioris ad aliam posteriorem; ergo si punctum moueretur super ipso, necessariò prius deberet transire vnam partem spatij diuisibilis, quam aliam, & sic continuè, & successiuè. Secundò probatur, quia si quid obstaret quominus mobile indiuisibile moueri possit motu continuo, ac successiuo, id potissimùm esset, quia continuum constaret ex indiuisibilibus; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Sequela maioris patet, quia tale indiuisibile semper tangeret spatium in indiuisibili; ergo describeret totum continuum esse compositũ ex punctis. Minor probatur, quia signetur punctus in linea supposita, super quam alia linea mouetur, talis punctus suppositus describeret totam lineam motam, tangendo puncta continuè eiusdem lineæ motæ, & tamen non sequitur, lineam motam esse compositam ex punctis; ergo è conuersò punctus separatus moueretur super linea supposita, quamuis adæquatè tangeret lineam semper in puncto, non propterea faceret lineam suppositam, ex punctis duntaxat compositam. Confirmatur, quia punctum vnitum continuo potest moueri super spatio diuisibili, vt dicit etiam Aristoteles in t. 86. ergo etiam sic poterit moueri, si fuerit separatum per se. Consequentia probatur, quia eadem inconuenientia, quæ videntur obstare, ponendo punctum separatum per se moueri posse, sequuntur etiam de puncto per se vnito, vt ostendit Doctor loco citato soluendo rationes Aristotelis; ergo si non obstant puncto vnito, nec puncto separato obstare poterunt.

Secunda conclusio. Indiuisibilia simpliciter, vt sunt puncta, si forent separata à quantitate, non possent moueri motu augmentationis, vel diminutionis. Est Scoti ibidem sub V. Probatur, quia si possent moueri motu augmentationis,

vel diminutionis, iam non essent indiuisibilia, sed diuisibilia; atqui consequens infert contradictionem; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia diuiderentur in seipsa, & eorum augmentum, vel decrementum, quod repugnat.

Tertia conclusio. Indiuisibilia tamen secundum quid, vt linea, & superficies, licet moueri non possint iisdem motibus, ea parte, qua indiuisibilia sunt, nihilominus ex alia parte, qua diuisibilia sunt, possunt augeri, vel diminui. Colligitur ex eodem ibidem. Probatur prima pars eodem modo, quo praecedens, quia aliter non essent indiuisibilia. Secunda pars etiam patet, quia linea secundum longitudinem potest augeri, vel diminui, sic superficies secundum latitudinem.

Quarta conclusio. Vtraque indiuisibilia, siuè secundum quid, siuè simpliciter, si separata existerent, moueri possent motu alterationis. Est Scoti ibidem. Prima pars de superficie videtur clara; posset enim recipere in se albedinem, & nigredinem; caliditatem, & frigiditatē, vt in hostia consecrata. Secunda, & tertia pars de linea, & puncto probatur, quia quicquid potest in se recipere plures gradus qualitatis, potest moueri ad illos motu alterationis; siquidem motus est actus entis in potentia, vt in potentia, hoc est, quatenus est receptiuum eius; sed linea, & punctum sunt huiusmodi; ergo &c. Minor probatur, quia diuisibilitas gradualis non exigit extensionem quantitatiuam; ergo licèt punctus non habeat talem extensionem, non repugnabit sibi habere pluries gradus. Antecedens patet: Nam in eadem parte, loco, & situ albedinis sunt plures gradus, & consequenter diuisibilitas gradualis; ergo signum est, quod non exigit extensionem quantitatiuam. Antecedens patet, quia suscipere magis est suscipere maiores gradus; & minus, minores, in eodem loco, & situ seinuicem penetrantes, vt probauimus in Logica cap. de Qualitate disp. 8. q. 2. ergo in eadem parte, loco, & situ sunt plures gradus, ac proindè diuisibilitas gradualis non repugnabit puncto, multò minus lineae, & sic moueri poterunt motu alterationis.

Obijcitur contra primam conclusionem, ex Aristotele in hoc 6. libro Physicorum t. 32. omne mobile debet esse partim in termino à quo, & partim in termino ad quem; sed indiuisibile nequit esse huiusmodi, alioquin esset diuisibile, & haberet partes; ergo indiuisibile nequit moueri localiter.

Resp. Maiorem esse veram, vel ex parte spatij, vel ex parte mobilis, aut ex parte vtriusque, modò indiuisibile, quamuis non sit partim in termino à quo, & partim in termino ad quem ex parte mobilis, est tamen ex parte spatij, quia prius transit vnam partem spatij, quam aliam.

Obijcitur secundò, quia secundum Aristotelem ibidem t. 89. omne, quod mouetur prius transit spatium minus se, postea aequale, & denium maius se; sed indiuisibili nihil reperitur minus; ergo indiuisibile moueri nequit.

Resp. Maiorem esse verā de eo, quod mouetur motu recipiente successionem ex parte mobilis, & spatij, non tamen si recipiat eam tantum ex parte spatij, quia ad talem sufficit, vt prius transeat vnam partem spatij, & postea aliam, quod benè congruit etiam mobili indiuisibili.

Obijcitur tertiò ex eodem ibidem: Si indiuisibile moueretur, sequeretur lineam, e. g. esse compositam ex punctis dumtaxat; sed hoc est falsum, vt ostensum fuit suprà de continuo; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia omne, quod mouetur, prius tangit vnam partem spatij, quàm aliam, & omnes continuè; sed indiuisibile nequit tangere partem, & partem continuè, sed tantum indiuisibiles; ergo omnes partes spatij, e. g. lineae erunt indiuisibiles, & sic ex punctis.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem dico, tale indiuisibile in quolibet instanti temporis, & in quolibet mutato esse motus tangeret in spatio sibi aequali .i. in puncto indiuisibili; in tempore autem, & in motu sibi correspondente, tangeret spatium diuisibile, non quidem adaequatè, sed inadaequatè, vt diximus superiùs de corpore perfectè sphaerico, quod nimirum adaequatè tangeret

geret semper planum in puncto, inadæquatè verò in spatio diuisibili.

Obijcitur quartò contra quartam cõclusionem ex Ruuio cit. n. 17. si punctum moueretur motu calefactionis cõtinuo, & successiuo; ergo reciperet in se motum diuisibilem, saltem ex parte termini, idest caloris diuisibilis; sed hoc est impossibile, quia accidens diuisibile exigit subiectum diuisibile, ac quantum; ergo non potest esse in puncto, quod est indiuisibile.

Resp. Consequens esse verum de diuisibilitate intensiua, non extensiua; & cùm probatur, quod accidens diuisibile exigit subiectum diuisibile, dico, esse verum de diuisibilitate extensiua, falsum de intensiua, quia sic accidens diuisibile gradualitar secundum intensionem recipi potest in subiecto indiuisibili, cuiusmodi est punctum.

Contrà, quia si punctum moueretur motu calefactionis, vel moueretur per latitudinem caloris, vel solum discurreret per indiuisibilia eius; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Minor probatur: Non potest dici primum, quia latitudo caloris dicit extensionem, quæ requirit subiectum diuisibile, & extensum: Nec secundum, quia tunc calor non esset continuus, & sic nec motus in puncto receptus, quod esset contra conclusionem.

Resp. Quod punctum tunc moueretur per latitudinem gradualem caloris, non modo extensiuo, sed intensiuo, quatenus omnes illos gradus reciperet in se penetratiuè; & cùm probatur, quod latitudo dicit extensionem, verum est in ordine ad subiectum diuisibile, cæterùm in subiecto indiuisibili importat intensionem; alioquin nulla esset differentia inter suscipere magis, & minus, & maius, ac minus, quod esse falsum nemo ignorat. Si quis desiderat habere plura argumenta contra has conclusiones, cõsulat diligentissimum Mastrium citatum; nobis enim sufficiunt proposita, vt potè difficiliora.

De ordine partium motus.

SVMMA IV.

HÆc Summa quarta, in qua Philosophus agit de ordine, quẽ habere debent adinuicem motus, diuiditur in quatuor capitula: In primò ostendit, in motu non dari primum, sed tantum vltimum: In secundò ea, quæ sunt in motu sese præcedere: In tertiò demonstrat, finitatẽ, & infinitatem reperi eodẽ modo in motu, & tẽpore, quo in magnitudine: In quartò tamdem docet, ea, quæ ostensa sunt de motu, verificari etiam de quiete.

Quoad primum in t. 40. ponit hanc conclusionem, nempè, Quod mutatum est, non est in termino à quo, sed in termino ad quem; & probat, quia motus est à termino à quo ad terminum ad quem; ergo quod est mutatum per motum est in termino ad quem. Consequentia probatur, quia quod mutatur relinquit terminum à quo, & acquirit terminum ad quem; ergo quod est mutatum, est in termino ad quem.

In t. 41. probat eamdem conclusionem in mutationibus generationis, & corruptionis, nam quod genitum est, habet esse, & quod corruptum est, non esse; sed esse est terminus ad quem generationis, & non esse, corruptionis, vt patet ex ipsarum diffinitionibus; ergo quod est genitum, & corruptum, est in termino ad quem; ergo quod est mutatum per generationem, & corruptionem, est in termino ad quem, & non à quo.

In t. 42. probat eãdem conclusionẽ in alijs motibus, quia cum aliquid est mutatum localiter, est alicubi, non in termino à quo, cùm illum reliquerit; ergo in vbi, quod est acquisitum, & sic in termino ad quem. Similiter, quod mutatum est per alterationem, nempè per calefactionem, est in calore acquisito, & non in frigore, quod dereliquit. Idem dicendum est de motu augmẽtationis, & diminutionis, ait in t. 43. ergo concludendũ est, quod omne mutatum, est in termino ad quem, & non in termino à quo.

In t. 44. ponit aliam conclusionem, nempè

nempè illud in quo primò mutatum est, esse indiuisibile, & impartibile temporis, & probat illam per oppositum, quia si illud esset diuisibile, & diuidatur in duas partes, quæro, an quod mutatum est, sit mutatum in altera parte, vel in vtraque, si in altera; ergo totum non est primo mutatum; si in vtraque, hoc est contra suppositum; dicimus enim illud mutari in toto, & tamen non esset primo mutatum in toto, sed primo in vna, deindè in altera, & demum in toto, quod est contra suppositum, quia aliquid mutari primo, est mutari ratione sui, & non ratione suarum partium.

In t.45. infert ex dictis; ergo quod generatur, & corrumpitur in indiuisibili, idest in instanti genitum, & corruptum est.

Deindè in eodem textu notat, terminum in quo aliquid mutatum est primo, esse duplicem, alterum versus finem in quo completur, & perficitur mutatio; alterum autem versus principium in quo aliquid incipit mutari. An autem vterque terminus, siuè vtrumque mutatum esse, reperiatur in motu, respondet in sequenti textu per vnam conclusionem.

In t.46. ponit hanc conclusionem: Non datur in motu primum mutatum esse, seu primus terminus versus principium, sed tantum primus versus finem, hoc est vltimum in motu. Probatur, quia primum in tempore, in mobili, ac magnitudine non datur; ergo nec primum in motu. Consequentia patet, quia omnia hæc sunt quanta, continua, & se consequuntur. Antecedens probatur, quia si daretur primum in tempore, in mobili, & in magnitudine, tunc illud esset, vel diuisibile, vel indiuisibile, sed neutrum est dicendum; ergo &c. Minor probatur: Non indiuisibile, quia tunc duo nunc temporis essent sibi immediata, quod est falsum, vt ostensum est superiùs de continuo.

In t. 47. probat secundam partem minoris, quia si esset diuisibile, tunc diuidatur in duas partes, & quæram, vel in vtraque est motus, vel in neutra, vel in altera tantum. Si in vtraque; ergo illud non est totum primum in quo est motus, cum etiam in parte sit motus. Si in neutra; ergo in toto non erit motus: si in altera tantum, ergo illud totum non erit simpliciter primum, quod est contra suppositum.

In t. 48. probat secundò non dari primum in motu ex parte mobilis, quia mobile est diuisibile in infinitas partes; sed in infinito non datur primum; ergo in mobili non datur prima pars, ac proindè nec in motu, quia etiam motus diuiditur in infinitas partes, sicut mobile.

In t. 49. idem probat ex parte magnitudinis, quia etiam magnitudo est diuisibilis in infinitum; igitur non dabitur prima pars, & sic neque in motu, quia motus diuiditur ad diuisionem magnitudinis in infinitum; sed in infinito non datur primum; ergo neque in motu.

Probatur denique secunda pars conclusionis, nempè dari primum in motu versus finem; tum quia mutatio non durat in infinitum, sed aliquando terminatur, & completur; tum etiam, quia sicut in continuo datur terminus indiuisibilis terminans, qui non est continuum, ita etiam in motu, qui est de genere continuorum, debet dari terminus, qui non sit motus, & sic verũ est dicere, motus nunc non est, & immediatè ante hoc fuit, vel erat; ergo concludendum est dari in motu vltimum mutatum esse, non autem primum.

Quoad secundum, in quo nititur ostẽdere ordinem partiũ motus versus principium, ponit hanc conclusionem: Partes motus sic ordinantur, vt non detur prima, sed quamlibet præcedit mutatum esse; similiter non datur primum mutatum esse, sed quodlibet præcedit pars motus vsque in infinitum. Antequam tamen probet hanc conclusionem, supponit quædam necessaria.

Et primum, quod ponit in t. 50. nempè, quod omne quod mutatur in aliquo tempore adæquato, mutatur. Mutari autem in tempore contingit dupliciter, vno modo non primo, idest secundum aliquam partem, vt si quis dicatur mutari in die, quia mouetur in hac hora, quæ est pars vnius diei. Alio modo primo,

mo, & adæquatè in toto tempore, vt si quis mutatur in die, intelligitur mutati in qualibet eius parte; siquidem ly primo, seu secundum totum dicitur illud quod indifferenter se habet ad quamlibet eius partem.

In t. 51. probat, quod illud quod primo fit in tempore fiat in qualibet eius parte, nam si diuidatur totum tempus in duas partes, vel motus in neutra erit, vel in altera, vel in vtraque: Non est dicendum motum in neutra esse, quia in toto quiesceret, quod est contra suppositum: nec in altera, quia non primo motus esset in toto tempore, sed solum inadæquatè in vna parte; ergo concludendum est esse in vtraque, quod est intentum, nimirum illud, quod mouetur primo in toto tempore, moueri etiam in qualibet eius parte.

In t. 52. ex his probat primam partem conclusionis, nimirum quamlibet partem motus præcedere semper aliquod mutatum esse, & primo ex spatio, & tempore, quia motus proportionatur tempori, & spatio supra quod fit, ita quod mobile mouetur per totum in toto tempore, & spatio; ergo in dimidio illius temporis, & spatij mutatum est, & sic ante motus medietatem præcessit mutatum esse. Rursus diuidatur illa medietas in alias duas partes, & istæ in alias vsque in infinitum, sequitur, ante quamcumque partem semper præcedere aliquod mutatum esse, quod sit finis præcedentis, & initium sequentis.

In t. 53. & 54. ponit alias duas rationes ad probandam eamdem primam partem conclusionis; ita se habent partes motus ad mutatum esse, sicut partes temporis ad nunc, & partes continui ad indiuisibile continuatiuum; sed quamlibet partem temporis in ascendendo præcedit suum nunc, & quamcumque partem continui suum indiuisibile; ergo etiam quamlibet partem motus debet præcedere suum mutatum esse. Maior patet, quia illa tria proportionantur; siquidem motus fit in continuo, & in tempore; ergo & mutatum esse in indiuisibili continui, & nunc temporis.

In t. 55. & 56. probat secundam partem conclusionis, nempè, quod quælibet pars motus habeat præcedere mutatum esse; nam cum motus non incipiat in aliquo indiuisibili, sed in tempore, necesse est dari partem motus, in qua incipiat motus in tali tempore. Ratio igitur conficitur sic, omnis motus propriè sumptus fit in tempore; sed quodlibet tempus est diuisibile in infinitum; ergo sicut ante quamcumque partem temporis datur nunc continuatiuum partis sequentis cum præcedenti, ita quamcumque partem motus debet sequi mutatum esse continuatiuum partis præcedentis cum sequenti. Consequentia patet, quia motus diuiditur ad diuisionem temporis.

In t. 57. probat idem de motu locali, quia quando mobile mouetur super spatio, termini motus non sunt contigui, alioquin duo indiuisibilia, essent sibi inuicem immediata; ergo datur medium diuisibile in infinitum, ac proindè ante mutatum esse, quod est in termino ad quem præcedit pars motus, & sic in infinitum.

In t. 58. probat idem in motibus non continuis, scilicet in generatione, & corruptione, quia quantitas continua, in qua fiunt motus generationis, & corruptionis, non formaliter, sed dispositiuè, est diuisibilis in infinitum; ergo sicut in continuis non datur prima pars, sed posterior copulatur cum priori vsque in infinitum, ita & in motibus fiet eiusmodi copulatio, quod mutatum esse coniungat semper priorem cum posteriore.

In t. 59. infert conclusionem vniuersalem, nempè, quod in omni motu continuo, & diuisibili, motus præcedit mutatum esse, & mutatum esse partem motus vsque in infinitum, & ratio est, quia in nullo continuo, propter diuisibilitatem in infinitum, dari potest prima pars; ex quo infertur vicissitudo inter fieri, & factum esse, vt se mutuò præcedant, & sequantur vsque in infinitum.

Quoad tertium, in quo pertractat de finitate, & infinitate motus, à tex. 60. vsque ad 66. per sex conclusiones recapitulat ea, quæ superiùs dixit Summa 1. cap. 3. à t. 18. vsque ad 23. de finitate, & infini-

infinitate in magnitudine, ac tempore, & ideò ne contingat idem sæpius repeti, omnes hos textus duximus omittendos.

Quoad quartum a t. 67. vsque ad 74. omnia, quæ de motu hactenus dicta sunt, applicat ad quietem, probando motus quietem non posse consistere in indiuisibili, nec in ea dari posse primum, sicut nec in motu, quæ pariter omittuntur, breuitati, ac necessitati solum studentes.

De ordine partium motus.

DISPTT. III.

Diuisionem motus in partes sequitur ordo earumdem partium, quomodo nimirum se præcedere, & consequi debeant in toto motu. At quia partes motus sunt in duplici differentia; siquidem aliæ sunt diuisibiles, & aliæ indiuisibiles, quæ mutata esse appellantur; similiter diuisibiles, aliæ sunt eiusdem quantitatis, & aliæ eiusdem proportionis, ideò de omnibus quærenda sunt saltem duo. Primò, an detur primum indiuisibile, seu mutatum esse, à quo incipiat motus; & vltimum, in quo desinat. Secundò, an in motu sit assignanda prima, & vltima pars quantitatiua, aut proportionalis. Hæc præstabimus in præsenti disputatione, soluendo quæstiones, vt nostrum est, iuxta mentem Doctoris subtilis.

Vtrum detur primum indiuisibile, seu mutatum esse, à quo incipiat motus; & vltimum, in quo desinat?

QVÆSTIO I.

Circa vltimum mutatum esse motus nulla est controuersia: omnes .n. agnoscentes per experientiam, quemlibet motum duratione finiri, ac terminari in quietem, consequenter concedunt dari aliquod indiuisibile, in quo sit verũ dicere, motus nunc non est, & immediatè ante hoc erat: cæterùm circa primum, quamuis videatur Aristoteles expressè locutus, negando illud dari posse in motu, non tamen omnes acquiescunt eius sententiæ, vt videre est apud Ruuiũ lib. 6. Physicorum cap. 4. q. vn. & Mastrium disput. 14. q. 2. art. 2. n. 29. & alios Recentiores: nam

Aliqui concedunt cuicumque motui primum mutatum esse, in quo incipiũt, sicut datur vltimum, in quo desinunt. Ita Themistius in 6. Physicorum ad t. 48. & Vallesf. controu. 46. ad Tyrones.

Alij verò distinguunt de motu; siquidem alter incipit à contraria qualitate, vt motus calefactionis, qui incipit à frigiditate, & terminatur in calorem; alter verò incipit à gradu minori eiusdem qualitatis, & terminatur in maiori, vt est motus intensionis; similiter motus augmentationis, qui incipit à minori quantitate, & motus localis, qui semper incipit ab aliquo vbi per alium motum acquisito; & dicunt, quod in prioris ordinis motibus non potest dari primum mutatum esse initiatiuum, & de talibus intelligendus est Aristoteles; in motibus autem posterioris ordinis necessariò admittendum est aliquod indiuisibile, à quo incipiant. Ita Sotus hic q. 5. quem videntur secuti nonnulli ex Modernis, quos refert, & sequitur Mastrius loco supracitato, à quibus non videtur dissentire nec etiam Poncius disp. 18. q. 3. conc. 3.

Alij tamdem, secuti Aristotelem in hoc 6. sum. 4. cap. 1. à t. 40. & sequentibus, negant dari primum mutatum esse, initiatiuum cuiuscumque motus. Ita Auerroes, Simplicius, Philopponus, Ammonius, D. Thomas in Comment citati capitis Aristotelis, & alij, quos citat, ac sequitur Ruuius loco cit. sub n. 80.

Quid autem sit dicendum secundum Scotum, non est adeò clarum, siquidem in 2. d. 2. q. 9. N. sequitur hanc tertiam opinionem, & in q. 12. eiusdem distinctionis in fine, adhærere videtur secundæ opinioni: vndè, quibusdam de more adnotatis, in conclusionibus nostram aperiemus sententiam, quid respondendum sit de mente eiusdem, & secundum veritatem.

Primò notandum igitur, ex Doctore subtili

subtil in quol. 12. propè finem, instantia, in quibus omnia incipiunt, & desinunt suo modo, esse quadruplicia, nempè primum esse rei, & primū non esse rei, vltimum esse rei, & vltimum non esse rei. Rerum inceptio fit per primum instans esse rei intrinsecè, extrinsecè verò per vltimum instans non esse rei: Desitio autē rerum fit per primum instans non esse rei extrinsecè, intrinsecè autem per vltimum esse rei: nam illud incipit esse intrinsecè in instanti, de quo verum est dicere, hoc nūc est, & immediatè ante hoc non fuit: extrinsecè verò illud incipit, de quo verum est dicere, hoc nunc non est, & immediatè post hoc erit: illud autem desinit intrinsecè in instanti, de quo verum est dicere, hoc nunc est, & immediatè post hoc non erit: id verò definit extrinsecè, de quo verum est dicere, hoc nunc non est, & immediatè ante hoc fuit. Ex his eliciuntur sex regulæ ad cognoscendum inceptionem, & desitionem omnium rerum, tùm permanentium, tùm successiuarum, & quæ durant tantum per instans.

Prima regula. Permanentia incipiunt intrinsecè per primum instans sui esse, quia verum est dicere, hæc substantia nunc est, & immediatè ante non fuit; ergo incipit.

Secunda regula. Permanentia desinunt per primum instans sui non esse extrinsecè; verum est enim dicere: Hæc substantia nunc non est, & immediatè ante hoc fuit: non enim habent vltimum in esse, vel non esse, aliter producerentur, & corrumperentur in tempore; siquidem post instans, vel ante illud est tempus, cum duo instantia nequeant esse sibi inuicem immediata.

Tertia regula. Successiua incipiunt per vltimum instans sui non esse, quia verum est dicere, motus nunc non est, & immediatè post hoc erit; ergo incipit, &c.

Quarta regula. Successiua desinunt per primum sui non esse extrinsecè, quia verum est dicere: motus nunc non est, & immediatè ante hoc fuit: in his enim nec datur primum, aut vltimum instans sui esse, alioquin haberent esse in instanti, quod tamen est falsum, & contra eorum naturam, quæ consistit in habere partem post partem.

Quinta regula. Instantanea incipiunt intrinsecè per primum instans sui esse; valet enim dicere, mutatum esse in motu nunc est, & immediatè ante non erat; ergo incipit, &c.

Sexta regula. Instantanea per vltimum sui esse intrinsecè desinunt; siquidem sequitur, mutatum esse in motu nunc est, & immediatè post hoc non erit: Ratio autem vtriusque regulæ, quia in his, quæ durant tantum per instans, non est dare primum in non esse, nec vltimum, quia tunc durarent plusquam per instans: nam post, & antè instans datur tempus, vndè esset verum dicere mutatum esse in motu nunc non est, & prius erat, quod est falsum, quia ly prius dicit tempus; similiter non valet: mutatum esse nunc non est, & immediatè post hoc erit, quia etiā, ly post, signat tempus, & sic mutatum esse mensuraretur tempore, & non instanti, quod est falsum, & contra naturam instantaneorum.

Secundò notandum ex sæpè dictis superiùs cum Aristotele, quod hæc tria .s. magnitudo, motus, & tempus aliqualiter conueniunt, & aliqualiter disconueniunt. Conueniunt quidem, quod sicut magnitudo est diuisibilis in semper diuisibilia, ita motus, & tempus: & sicut magnitudo habet partes copulatas per indiuisibilia, vt linea per puncta, superficies per lineas, & corpus per superficies, ita partes motus copulantur per mutata esse, & partes temporis per nunc, seu instantia, quæ sunt indiuisibilia, vndè sequitur, quod sicut totus motus correspondet toti magnitudini, & partes partibus, & indiuisibilia indiuisibilibus, ita totum tempus toti motui, partes partibus, & indiuisibilia indiuisibilibus respondere debent. Disconueniunt autem, quia magnitudo, vt e. g. linea, nedum habet puncta intrinseca continuatiua partium, verùm & extrinseca terminatiua eiusdem lineæ, motus autem habet tantum mutata esse continuatiua partium adinuicem, non

verò

verò terminatiua, alioquin sicut linea incipit, & desinit in indiuisibili, quod est aliquid eiusdem, sic etiam motus inciperet à mutato esse, & in mutato esse, quod esset aliquid motus, desineret: & sicut mutatum esse mensuratur instanti, ita motus mensuraretur instanti, quod est omninò falsum; siquidem quemadmodum antè, & post instans semper datur tempus, ita antè, & post mutatum esse datur motus vsque in infinitum. Ex quo infertur, quod sicut non datur primum instans initiatiuum temporis, sic nec dari debet primum mutatum esse inceptiuum motus.

Secundò notādum ex eodem ibidem, & in 2. d. 2. q. 9. sub N, & O, quod dari vltimum mutatum esse motus, potest dupliciter intelligi, vno modo intrinsecè, itaut sit verum dicere, quod detur aliquod mutatum, in quo sit motus; & hoc est impossibile; implicat enim motum fieri in instanti, vt superiùs ostendimus; alio modo extrinsecè, ita quod sit verum dicere, nunc in hoc mutato esse non est motus, tamen immediatè ante hoc fuit, & sic benè datur vltimum mutatum in motu.

Tertiò notandum ex eodem ibidem, dari vltimum mutatum in motu extrinsecum, adhuc dupliciter spectari posse, vno modo quod sit aliquod indiuisibile inexistens motui, sicut terminus terminato, vt punctus inexistit lineæ; & sic dari nequit, quia in motu, cum sit diuisibilis in infinitum, sicut dari vltimam partem proportionalem est impossibile, ita implicat dari vltimum mutatum, quod sit terminus motus: alio modo, quod tale non sit aliquid motus, sed instans, in quo mobile, & forma acquisita per motū, sint in esse quieto, aut immutato, & sic datur vltimum in motu, quod pro tanto appellari potest mutatum esse, pro quanto ipsum immediatè præcessit motus, licèt reuera nihil sit motus, sed solum initium temporis sequentis, mensurantis quietem, vel immutationem mobilis. Ex hoc infertur, quod sicut hoc modo assignatur vltimum terminatiuum motus extrinsecè, ita dari etiam potest aliud instans initiatiuum motus extrinsecum, & tale erit vltimum instans immutationis mobilis: ab ipso enim extrinsecè potest incipere moueri mobile ad formam oppositam ei, sub qua quiescit per totum tempus antecedens; cæterùm huiusmodi instans non poterit respectu motus sequentis vocari mutatum esse, quia nondum anteceßit motus, secundum quem aliquid dicatur esse mutatū, sicut dictum est de instanti terminatiuo motus, sed solum appellari potest indiuisibile initiatiuum motus ab extrinseco.

Ex his sit prima conclusio. Non datur primum mutatum esse in motu, quod sit inceptiuum motus, sed benè vltimum, quod sit eiusdem terminatiuum ab extrinseco. Est Aristotelis 6. Physic. t. 46. vbi illam probat, & Scoti in 2. d. 2. q. 9. sub N. à quo pariter suadetur sic: *Si daretur primum mutatum esse in motu*, cum tale sit indiuisibile, sequeretur quod in ipso, ignis e. g. causaret in aqua vnum gradum caloris; ergo etiam alium sibi æqualem posset immediatè in eadem mensura .s. in instanti causare; sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia probatur, quia eamdem virtutem, quam haberet ignis in causando primum gradum, haberet etiam in ordine ad secundum; sed primum causaret in instanti; ergo etiam secundum. Minor probatur, quia tunc vel motus cōponeretur ex indiuisibilibus, vel dato quod ignis non posset immediatè producere gradum æqualem in secundo instāti, oporteret quiescere in toto tempore intermedio, & sic motus esset compositus ex mutatis esse, & quietibus, quod vtrumque repugnat motui & vt motus est, & vt continuus est. Secunda pars probatur, quia in instanti terminatiuo motus, habet mobile terminum eius, ac proindè tunc esset indiuisibiliter in aliquo, sicut prius erat diuisibiliter; sed hoc esset mutari, vel mutatum esse; ergo &c. Tertia pars probatur, quia mutatum esse, ex parte finis ipsius motus, non est aliquid intrinsecum motui, sed quoddam instans, in quo verum est dicere, nunc mobile non mouetur, sed ante prius mouebatur; atqui tale instans est intrinsecum motui; ergo datur vltimū

muta-

mutatum esse, quod est extrinsecum motui. Maior patet ex dictis in 3. notab. Minor similiter, quia instans est indiuisibile temporis, quod tamen dicitur mutatum esse extrinsecum, quia ipsum immediatè antecessit motus.

Secunda conclusio. Datur indiuisibile inceptiuum motus, quod tamen nequit dici mutatum esse: & similiter datur indiuisibile terminatiuum motus, quod appellari potest etiam mutatum esse extrinsecum eiusdem. Est Scoti ibidem sub N. & O. Probatur prima pars, quia mobile existens per horam in esse quieto, vel immutato, sub forma acquisita per motum calefactionis, potest in vltimo instanti moueri ad frigiditatem; sed in tali instanti, verum erit dicere, nunc non est motus frigefactionis, & immediatè post erit; ergo motus frigefactionis incipit ab illo instanti extrinsecè. Consequentia patet, quia terminus à quo est quodammodo inceptiuus motus, quo mobile acquirit terminum ad quem; sed tale instans se habet, vt terminus à quo, cùm ab ipso incipiat motus frigefactionis; ergo &c. Secunda pars probatur, quia illud dicitur mutatum, quod antecedit, vel sequitur immediatè moueri, seu motum; sed tale instans non sequitur motum frigefactionis, aliter nō esset inceptiuus eiusdem, nec ipsam antecedit ipsum, vt copulatiuum illius cum alio motu, cùm sit instans terminatiuum vnius partis temporis; ergo nequit vocari vllo pacto mutatum esse motus frigefactionis. Tertia pars probatur, quia postquam mobile acquisiuit successiuè totam formam, intentam ab agente, cessat motus, ex Aristotele 2. de Gener. & Corrupt. t. 52. & incipit quiescere, seu immutari sub illa forma acquisita indiuisibiliter, sub qua prius erat diuisibiliter; sed tale indiuisibile primum quietis, & immutationis, est primum non esse motus; ergo datur indiuisibile extrinsecum terminatiuū motus. Quarta pars probatur, quia illud indiuisibile, in quo verum est dicere, nunc non est motus, & immediatè ante fuit motus, est mutatum esse motus, vt patet; sed primum instans non esse motus, & esse quietis, ac immutationis est huiusmodi; ergo tale instans, saltem extrinsecè, vocari debet mutatum esse motus præcedentis. Minor patet, quia in primo instanti immutationis mobilis verum est dicere, nunc non est motus, & immediatè antè hoc fuit; ergo tale instans dici potest mutatum esse extrinsecum motu.

Obijcitur primò contra primam conclusionem, quia omne continuum habet duos terminos, inter quos clauditur tota eius extensio; sed motus est de numero continuorum secundum Aristotelem 3. Physic. t. 1. ergo &c. atqui termini motus sunt mutata esse; ergo sicut conceditur, ab eodem Aristotele, mutatum esse versus finem motus ipsum terminans, & concedere debet aliud mutatum esse versus initium, per quod incipiat esse.

Resp. Maiorem esse veram de continuis permanentibus, non tamen de successiuis, quorum esse consistit in cōtinuo fluxu vsque in infinitum; modò cum motus si de numero continuorum successiuorum, & non permanentium, propterea nequit habere terminos intrinsecos, sed sufficiunt extrinseci, vt dicimus in vltima conclusione.

Obijcitur secundò: Omne finitum, sicut habet terminum sui esse, sic debet habere principium; sed omnis motus, saltem sublunaris, est finitus; ergo quemadmodum clauditur fine, ita debet claudi principio; atqui finis clauditur per mutatū esse, ex Aristotele in hoc 6. Physic. t. 46. ergo etiam initium debet claudi mutato esse. Maior probatur, quia ex ea parte, qua careret termino, esset infinitum, & æternum, quæ pugnant cum esse finito. Minor similiter est nota, quia omnis motus est inter terminos à quo, & ad quem; ergo omnis motus sublunaris est finitus.

Resp. Maiorem esse veram de principio, & fine, vel intrinseco, vel extrinseco; modò motus sublunaris, quamuis non habeat principium, & finem ab intrinseco, habet tamen illa ab extrinseco; & hæc non sunt mutata esse inexistentia motui, sed duo instantia temporis, in quibus verum est dicere: nunc non est

motus,

motus, & immediatè post erit; & nunc non est motus, & immediatè antea erat. Ad subsumptum Aristotelis, dico, esse verum de mutato esse extrinseco, quod est primum instans non esse motus, non verò de intrinseco; quia tale non datur in motu, sicut nec vltima pars proportionalis eiusdem.

Obijcitur tertiò contra secundam conclusionem: Sicut motus incipit, ita desinit in instanti extrinsecè; ergo sicut instans initiatiuum motus non potest dici primum mutatum esse motus, ita nec terminatiuum poterit dici mutatum esse vltimum motus; vel è conuersò si instans terminatiuum vocari potest vltimum mutatum in motu, & initiatiuum poterit dici primum mutatum esse motus.

Resp. Negando consequentiam: non enim est par ratio de primo, & vltimo instanti; siquidem vltimum instans, quod est primum immutationis, seu quietis mobilis, ideò vocari potest vltimum mutatum esse, quia ante ipsum immediatè præcessit motus, cæterùm cùm primum non antecedat motus, & omne mutatum præexigat moueri, propterea primũ, etiamsi possit dici instans initiatiuum motus extrinsecè, non tamen potest dici primum mutatum esse motus.

Obijcitur quartò, quia motus intensionis, & remissionis incipiunt à terminis à quibus, qui sunt aliquid vtriusque; ergo saltem aliqui motus habent indiuisibilia initiatiua. Consequentia patet, quia omnis motus incipit à termino à quo, vel intrinseco, vel extrinseco. Antecedens probatur, quia motus intensionis incipit ab vltimo gradu qualitatis minoris, vt à termino à quo; & motus remissionis è conuersò fit ab vltimo gradu qualitatis maioris; sed huiusmodi gradus sunt intrinseci motui, sicut sunt intrinseci formis fluentibus per motus huiusmodi; ergo huiusmodi motus incipiunt ab indiuisibilibus, qui sunt aliquid vtriusque.

Resp. Negando antecedens; ad probationem dico, maiorem esse veram extrinsecè, non verò intrinsecè, & ideò negatur minor; nam huiusmodi gradus non sunt indiuisibilia motus, sed formæ per motum acquisitæ, & sicut forma fluens, & motus distinguuntur realiter, sic & indiuisibilia vtriusque realiter distinguuntur. Motus igitur intensionis, & remissionis incipiunt quidem extrinsecè ab indiuisibili temporis, in quo verum est dicere; nunc non est intensio, aut remissio, & immediatè post hoc erit, non verò ab aliquo mutato esse, quia tale semper præexigit moueri intensionis, & remissionis, quod tamen non datur antecedenter, sed semper post quodlibet mutatum esse. Hæc responsio colligitur ex his, quæ habet Doctor subtilis in 2. d.2. q.9. sub N. & O. nec diuersa habet in q. 12. eiusdem dist. 2. quamuis videatur dicere, dari mutationem instãtaneam, per quam initietur motus, quia, vt ibi dicit Lychetus, non loquitur de prima mutatione simpliciter, quam nullum moueri præcedat, sed de continuatiua partium motus, quia talis, sicut terminat partem præcedentem, sic initiat succedentem, & de hac non est locutus Aristoteles, quum negauit dari primum mutatum esse motus, sed de mutatione simpliciter prima, sicut euidentius apparebit ex dicendis in quæstione sequenti.

Vtrum sit dabilis prima, & vltima pars in quolibet motu?

QVÆSTIO II.

Quamuis ista difficultas possit facillimo negotio solui ex dictis in præcedenti; quandoquidem mutata esse sunt copulatiua partium motus, tamen quia eadem controuersia videtur inter Doctores de prima, ac vltima parte motus, sicut de prima, ac vltima eiusdem mutatione indiuisibili, eam lubet seorsim pertractare, vt ex resolutione huius, euidentior illa appareat.

Primò notandum est igitur discrimen inter continua permanentia, ac successiua: nam permanentia, ex eo quod omnes partes eorum possunt esse simul in esse quieto, possunt habere primam, & vltimam partem terminatam, vt patet de

de linea, & superficie; successiua verò, quia eorum partes consistunt in continuo fluxu vnius post aliam, & numquam possunt esse simul, ob id nequeunt habere primam, & vltimam partem; siquidem primum, & vltimum cum sint passiones rerum finitarum, non possunt reperiri in successiuis, quæ sunt infinita secundum diuisibilitatem. Ex quo infertur, quod motus, cum sint ens successiuum, & in infinitum diuisibilis, non potest habere, nec primum, nec vltimũ sibi intrinsecum, ac proindè nec partem primam, nec vltimam.

Secundò notandum tamen, quod partes motus sunt in duplici differentia, aliæ enim sunt æquales, & eiusdem quantitatis, aliæ verò inæquales, & eiusdem proportionis; motus secundum priores spectatus, est finitus, habetq. partes determinatas, mensurabiles duratione finita, vnius horæ, vel vnius diei, aut plurium, & cõsequenter inter ipsas est assignabilis prima, & vltima: cæterùm si penès posteriores attendatur, est infinitus, vt potè constans ex partibus proportionalibus in infinitum diuisibilibus; & quia in infinito nequit dari primum, aut vltimum, consequenter nec in motu sic considerato, poterit assignari pars prima, vel vltima proportionalis.

Ex his fit prima conclusio. Si motus attendatur secundum partes proportionales, nequit determinari pars prima, aut vltima. Est Aristotelis in hoc 6. Physicorum tex. 33. & Scoti in 2. dist. 2. q. 9. sub F. N. & O. Probatur, quia in infinito non datur primum, aut vltimum; sed partes proportionales motus sunt infinitæ, cum sint partes alicuius continui, quod est diuisibile in semper diuisibilia; ergo &c. Maior patet: Nam si in infinitum daretur primum, aut vltimum, non esset ampliùs infinitum, sed finitum, ac terminatum; ergo in infinito non est dabile primum, vel vltimum.

Secunda conclusio. Si verò spectetur motus, vt coalescit ex partibus æqualibus, & eiusdem quantitatis, est dabilis pars prima, & vltima. Est Aristotelis, & Scoti in citatis locis. Probatur, quia in rebus finitis, ac terminatis datur primum, & vltimum; sed partes secundum quantitatem in motu, sunt finitæ, ac terminatæ; ergo inter illas assignabilis est pars prima, & vltima motus. Minor probatur, quia si fiat motus per totum diem naturalem, tunc sicut tale tempus est diuisibile in horas 24. vt in partes æquales, ita & motus; siquidem proportionabiliter diuiduntur ex Aristotele in hoc 6. Physic. t. 36. ergo quemadmodũ assignantur prima, & vltima hora in toto illo tempore, ita assignari debent prima, & vltima pars in motu facto in tali tempore.

Obijcitur primò contra primam conclusionem: Motus commensuratur magnitudini, cum fiat super illa; sed in ipsa est assignabilis prima, & vltima pars; ergo etiam in motu. Confirmatur, quia cuiuslibet habentis principium secundum continuationem, datur prima pars; sed motus omnis, præter cœlestem, habet principium secundum continuationem; ergo eiusdem est assignabilis saltem prima pars.

Resp. Minorem esse veram de parte quãtitatiua, nõ verò proportionali, quia sic nec magnitudinis, cum sit continua, & consequenter diuisibilis in infinitum, assignari potest aliqua determinata pars proportionalis.

Ad confirmationem similiter dico, maiorem esse veram de parte eiusdem quantitatis, non verò eiusdem proportionis, quia in quouis continuo talis est inassignabilis, cum etiam ipsa sit in infinitum diuisibilis.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem, quia non datur primum, & vltimum inexistens motui, vt ostendimus in præcedenti quæstione; ergo non est danda prima, & vltima pars motus. Consequentia patet, quia in tantum dabilis est prima, & vltima pars in motu, in quantum motus est finitus, & terminatus ex vtraque parte; sed nequit esse finitus, & terminatus, nisi claudatur primo, & vltimo inexistenti sibi, vt patet à simili de linea, quæ non posset dici finita, ac terminata, nisi esset clausa duobus punctis sibi inexistentibus; ergo &c.

Resp. Negando consequentiam; ad probationem dico, maiorem esse veram intrinsecè, aut extrinsecè, modò quāuis motus non sit finitus, & terminatus intrinsecè per mutata esse, seu per indiuisibilia sibi inexistentia, est tamen finitus, & terminatus per indiuisibilia temporis extrinsecè; & hoc sufficit vt partes quantitatiuæ motus dicantur terminatæ: nec est simile de partibus motus, & lineæ, quia cum istæ possint esse simul cum cæteris, benè possunt terminari per indiuisibilia sibi inexistentia; at illæ cùm sint in continuo fluxu, nequeunt finiri intrinsecè, verùm tantum extrinsecè per instantia temporis, à quibus extrinsecè incipiunt, & desinunt esse.

Obijcitur tertiò, quia in tantum in partibus proportionalibus motus non est dabilis prima, aut vltima, in quantum sunt continuæ, & diuisibiles in infinitum; sed etiam partes quantitatiuæ motus sunt continuæ; ergo si in illis non datur prima, & vltima, nec in istis dari debet. Maior patet, quia ideò sibi repugnat primum, & vltimum, in quantum sunt in infinitū diuisibiles; sed non essent sic diuisibiles, nisi essent continuæ; siquidem continuum est diuisibile in infinitum; ergo in tantum non est dabilis in proportionalibus partibus prima, & vltima, in quantum participant de continuitate. Minor similiter, quia continuitas est de essentia motus; sed quælibet pars quantitatiua motus, est motus, cum sint homogeneæ; ergo etiam partes quātitatiuæ motus sunt continuæ, ac proindè diuisibiles in infinitum.

Resp. Maiorem non esse veram absolutè, sed cum additione, nimirum quia sunt diuisibiles inæqualiter secundum quantitatem, quia sic, dumtaxat euadūt infinitæ potentialiter; modò partes quātitatiuæ, quamuis continuæ, cum in sui diuisione sortiantur æqualitatem, hinc fit, vt totum per diuisionem finiatur, & consequenter partes sint numero determinatæ, ac proindè in illis sit assignabilis prima, & vltima.

De quibusdam erroribus Antiquorum circa motum.

SVMMA V.

Ista quinta, & vltima Summa huius libri 6. diuiditur in tria capita, in primò quorum recenset errorem Zenonis, negantis dari posse motum: In secundò refert alium errorem quorumdam, asserentium impartibile posse moueri: Et in tertiò ostendit nullam magnitudinem esse infinitam.

Quoad primum in t. 75. proponit errorem Zenonis, negantis motum, quem quatuor rationibus, ex ipsius fundamētis desumptis, probat, & prima ratio est talis. Quod in quolibet instanti temporis quiescit, non mouetur in illo tēpore; sed id, quod dicitur moueri, vt puta sagitta, in quolibet instanti temporis quiescit; ergo non mouetur. Maior patet, quia moueri, & quiescere opponuntur priuatiuè; ergo quod quiescit non mouetur. Minorem probat, quod est in loco sibi æquali, non mouetur; sed sagitta in singulis instantibus, est in locis sibi æqualibus; ergo &c. sed quod non mouetur, quiescit; ergo id quod dicitur moueri, in singulis instantibus quiescit.

In t. 76. respondet ad prædictam rationem, quod Zeno supponit vnum falsum, cui ratio innititur, nempè tempus componi ex solis instantibus; siquidem coalescit ex partibus diuisibilibus, copulatis tamen per instantia, & in illis dicitur sagitta moueri, ideò quamuis sagitta non moueatur, dū quodammodo quiescit in instanti, mouetur tamen successiuè ab illo instanti ad partem, in qua successiuè transit vnam partem spatij, & postea aliam, & aliam quousque perueniat ad terminum ad quem.

In t. 77. proponit secundam rationem Zenonis, in qua supponitur diuisibilitas spatij in infinitas partes, & formatur sic. Mobile nequit peruenire ad terminum transiens per spatium, nisi prius

prius transeat medietatem illius, nec medietatem, nisi prius transeat dimidium medietatis, & sic in infinitum; sed infinitum nequit pertransiri; ergo mobile numquam poterit peruenire ad terminum, & sic nec moueri.

Respondetur huic rationi ab Aristotele, sicut fecit alteri simili eiusdem Zenonis supra in t. 19. distinguendo de infinito in actu, & in potentia; illud .n. pertransiri non potest, sed negatur postea, quod spatium habeat infinitas partes in actu, quas sit necesse pertransiri, priusquam mobile perueniat ad terminum; cæterùm infinitum in potentia, cum coalescat ex partibus proportionalibus, nondum actu diuisis, quæ secundum quantitatem sunt actu finitæ, benè potest pertransiri à mobili finito.

In t. 78. affert tertiam rationem pro Zenone, quæ appellatur Achilles vel ob eius validitatem, vt quibusdam Expositoribus placet, vel quia in ea agitur de velocissimo, cuiusmodi erat Achilles, vt interpretantur Themistius, & Simplicius, quomodocumque autem res se habuerit, parum refert; ratio enim sic formatur: Si daretur motus, super aliquo spatio vtique daretur, & tunc sequeretur, tardum non posse vnquam apprehendi à velocissimo cursore; sed hoc est impossibile, & contra experientiam; ergo melius dicendum est non dari motum. Sequela maioris probatur, supponendo spatium diuidi in duas partes, & quod tardum incipiat moueri à medietate spatij, velocissimum verò à principio illius, tunc sic: Si velocissimum habet apprehendere tardum debet peruenire, non solum ad terminum à quo mouetur tardum, verùm & illud transire, antequam tardum moueatur in terminum; sed hoc est impossibile; ergo &c. Minor probatur, quia spatium distans inter velocissimum, & tardum, habet infinitas partes pertransibiles; sed tales nequeunt pertransiri antequam tardum moueatur ad terminum; ergo nunquam velocissimum poterit pertingere, & apprehendere tardum.

In t. 79. soluit hanc rationem, dicendo Zenonem supponere vnum falsum, nempè quod spatium distans inter velocissimum, & tardum habeat infinitas partes quantitatiuas, quas pertransiri sit necesse; siquidem huiusmodi partes sunt actu finitæ, & solum infinitæ in potentia, hoc est, quatenus diuidi possunt in infinitum, & ideò in minori tempore pertransiri poterunt à velocissimo, ac proindè tardum poterit ab eo pertingi, antequam ad terminum perueniat.

In t. 80. repetit eamdem rationem, ac solutionem, quam primo loco posuit pro Zenone, & ideò illam omitto.

In tex. 81. proponit quartam rationem Zenonis, quæ variè ab Expositoribus percipitur, vt aduertit hic Toletus; breuiter tamen sic efformandam censeo, cum eodem Toleto, ac Rocco: Si daretur motus, sequeretur, quod maius tempus æquaretur minori, vt puta duplum dimidio; sed hoc est valdè absurdum; ergo & id, ex quo sequitur. Consequentiam probat, supposito hoc principio: Cum duo mobilia æquè velocia, æquale spatium transeunt, tempora vtriusque motus sunt æqualia; ex quo sic arguitur: Tempus æquale dicitur illud, in quo transitur æquale spatium, cum altero mobili, quod æquali velocitate moueatur; sed hic sunt duo mobilia æqualia, & transeunt spatium æquali velocitate, & tamen vnum transit in eodem tempore dimidium spatium, aliud verò integrum, seu duplum, & ex supposito, est idem tempus, & æqualis velocitas, ergo tempus duplum erit æquale dimidio. Minor declaratur exemplo: Sint tres equi, quorum vnus sit lapideus, & duo animati, eiusdem tamen longitudinis, ac velocitatis: lapideus maneat in medio spatij secundum longitudinem situatus; animati verò iuxta ipsum moueantur in se inuicem, vnus contra alium; alter nimirum ex parte caudæ, & alter ex parte capitis quousque pertingant suis capitibus medii equi lapidei, tunc ambo moueantur æquali velocitate, vnus contra alium, certum est, quod ambo se tran-

ſeunt totaliter, & tamen tantum medietatẽ equi iacentis vterque percurrit, alter nimirum à medio ad caput, & alter à medio ad caudam; ſed ex hoc, quod vnus equus tranſit alium, tranſit totum ſpatium; ex hoc verò, quod ambo tranſeunt tantum medietatem equi iacentis, partem dumtaxat ſpatij eodem tempore percurrunt, ergo vnus tranſit eodem tempore totum ſpatium, & alius dimidium, ac proindè maius tempus æquabitur minori, & duplum dimidio.

In tex. 82. reſpondet huic rationi, negando conſequentiam, ad probationem negat minorem; & cùm probatur per exemplum de tribus equis, ſeu tribus corporibus, dicit Philoſophus non benè fieri comparationem; ſiquidem mobilia debent ſemper comparari vel ad equum quieſcentem, vel ad ſeinuicem; ſi enim fiat comparatio ad primum, ſemper medietatem ſpatij tranſeunt, quod in dimidio temporis fieri poterit ab vtroque; ſi verò ad ſecundum, vnus non tranſibit alium in dimidio temporis, ſed erit neceſſarium tempus integrum, ſiuè duplum, & ſic non ſequetur tempus duplum fore æquale dimidio, quia neque ſpatium iacens, & motum ſunt æqualia.

In t. 83. ponitur quinta ratio ad tollendum motum: *Si datur motus, moueatur mobile à contradictorio in contradictorium*, vt puta à non albo in album, non mouebitur dum eſt in termino à quo, nec dum eſt in termino ad quem, quia ſub vtroque quieſcit; ergo ſub neutro mouebitur, & nullo modo mouebitur, quia neutrum extremum eidem mobili competet.

Reſp. Ariſtoteles, quod poſſumus loqui de motu ſucceſſiuo, & de inſtantaneo; ſi de priori fiat ſermo, verum eſt, quod mobile non mouetur, nec quando totum eſt in termino à quo, nec quando totum eſt in termino ad quem, ſed cum partim eſt in vno, & partim in alio, & ſic falſum eſt, quod neutrum contradictorium ei competat; ſiquidem habet partem de vtroque; cum actu mouetur, habebit poſtea alterum totum, cum totaliter acquiſierit terminum ad quem. Sin autem de poſteriori loquamur, in eodem inſtanti acquirit terminum ad quem, & ſic dicitur mutari, quia aliter ſe habet nunc, quàm prius ſe habebat, & ſic patet, quod ratio nihil concludit.

In t. 84. adducit ſextam rationem ad eliminandum motum circularem, quia ſi daretur talis motus, ſequeretur idem poſſe ſimul moueri, & quieſcere; ſed hęc inferunt implicantiam contradictoriã; ergo &c. Sequela maioris probatur: Mouebitur quidem, ex ſuppoſitione quod detur huiuſmodi motus; quieſcet verò, quia ſphæra numquam mutat locum, nec ſecundum totum, nec ſecundum partem; ergo &c.

In tex. 85. reſpondet *negando ſequelam maioris*; ad eius probationem *dicit*, ſphæram mutare locum ſecundum partes; nam ſi octaua ſphæra moueatur ſub nona circulariter, eius partes non ſemper habebunt eamdem correſpondẽtiam cum eiſdem partibus nonæ, vt patet in motu rotæ, vel alterius circuli.

Quoad ſecundum, vt confutet errores Antiquorum circa diuiſibilitatem motus, proponit vnam quæſtionem, nempè, ſi diuiſibilia quantitatiua per ſe ſeparata à continuo poſſint per ſe moueri motu continuo, ac ſucceſſiuo, ſicut dicebant illi de athomis, quæ per ſe mouebantur localiter, cum ex *illis* fiebant corpora: vndè in tex. *86. ſtatuit* hanc concluſionem: *Indiuiſibilia de genere quantitatis, nequeunt per ſe moueri, ſed tantum per accidens ad motum continui*, & probat illam tripliciter.

In tex. 87. proponit primum argumentum in motu quocumque. *Si indiſibile poſſet moueri per ſe motu continuo, hoc eſſet in tempore; ſed hoc non poteſt fieri; ergo &c.* Minorem probat, quia aut moueretur in termino à quo, aut in termino ad quem, aut vt eſt partim in vno, & partim in alio; ſed nullum iſtorum eſt *dicendũ*; ergo &c. Minorem probat: Non poteſt dici primũ, aut ſecundum, quia mobile, vt eſt in terminis,

minis, ac tempore, non mouetur, sed quiescit in illis: Nec tertium, quia tunc indiuisibile haberet partes, quod sibi repugnat.

In t. 88. quia quis posset dicere, tempus componi ex instantibus, atque adeò indiuisibile in illis posset moueri, reijcit hanc euasionem, tùm quia falsum est, tempus componi ex solis instantibus, vt supra ostendit; tùm etiam quia eo admisso, adhuc indiuisibile non moueretur: non enim esset motus aliquis, sed omnia mutata esse in singulis instantibus, atque ita motus vel non esset, vel componeretur ex illis, quod superiùs reprobatum est.

In t. 89. affert secundum argumentum pro conclusione: Quicquid mouetur per spatium maius se, debet prius transire minus, & postea æquale, antequam perueniat ad maius; sed indiuisibile nequit transire minus se, alioquin indiuisibili esset aliquid minus; ergo indiuisibile nequit moueri motu continuo.

In tex. 90. adducit tertiam probationem: Si indiuisibile moueretur, vtique in tempore moueretur; sed hoc esset impossibile; ergo &c. Maior patet, quia omnis motus fit in tempore. Minor probatur, quia tunc daretur tempus minus quocumque motu, atqui hoc est falsum; quia tempus, & motus æquiparantur; ergo &c. Maior probatur: Moueatur enim indiuisibile ab vno in aliud indiuisibile, si fiat motus, tunc erit in tempore, quod est diuisibile, & motus ille indiuisibilis, cùm in puncto non sit motus diuisibilis; ergo dimidium talis temporis erit minus tempus tali motu, qui minimus est; siquidem totum tempus erat æquale toti motui; ergo dimidium talis tẽporis debet esse minus tali motu, quod est contra naturam vtriusque.

Quoad tertium ostendit nullam mutationem esse infinitam, vt dicebat Heraclitus, quia omnis motus fit a b vno extremo in aliud, siuè talia sint cõtradictoria, siuè cõtraria; sed inter extrema actu, nequit esse distantia infinita, patet in quantitatibus, in quibus datur terminus magnitudinis, & paruitatis; ergo motus augmentationis, & diminutionis non sunt infiniti.

In tex. 92. idem demonstrat in motu locali, qui fit secundum voluntatem, quia ille motus est impossibilis, cuius mutatum esse est impossibile; sed in motu sine determinatis extremis (vt esset infinitus) nequit dari mutatum esse; ergo &c. Minor probatur, quia mutatum esse est extremum motus; sed infinitum caret extremis; ergo & mutatis esse, & consequenter motu.

In t. 93. concludit omnem mutationem esse finitam, nàm nullus motus esse potest absque mutatis esse; sed mutata esse sunt finita; ergo nullus motus erit infinitus, sed omnis finitus.

In t. 94. denique dicit, etiam infinitatem saltem per accidens, hoc est ratione temporis, posse reperiri in mutationibus contiguis, quando nimirum vna succedit alteri, vt puta generatio alterationi, corruptio generationi, huic augmentatio, augmentationi latio, & huic iterùm generatio, & sic in infinitũ; cæterùm non esset propriè infinitas in mutatione, quia huiusmodi mutationes non facerent vnam continuum, cum sint alterius speciei, sed esset solum infinitas per accidens, ratione infinitæ durationis. Datur benè infinitas in motu circulari, quamuis componatur ex infinitis circulationibus, vt demonstrabitur in lib. 8. Physicorum. Et hæc de textu huius sexti libri Physicorum dicta sint satis: Similiter Quæstiones iam solutæ sufficiant, nè ab incepto proposito recedamus.

De Physico áuditu, seu Physicorum Aristotelis.

LIBER SEPTIMVS.

Expensis in tribus superioribus libris, nedum quæ erant necessaria ad manifestandam quiditatem, quantitatem, & qualitatem motus, verùm etiam principijs, tùm intrinsecis, tùm extrinsecis eiusdem, modò Aristoteles intendit ostendere qualem ordinem, & dependentiam habeant eã omnia ad vnum primum Motorem: quandoquidem, cùm in mutationibus, & mouentibus nõ detur processus in infinitum, necesse est assignari vnum primum motum, & vnũ pariter mouens primum, à quo cætera habeant dependentiam, non tantum in fieri, sed etiam in conseruari. Et quamuis hæc omnia luculentiori calamo descripserit in sequenti octauo Physicorum libro, adeò vt quibusdam Interpretibus, hic septimus visus fuerit supposititius, ni dicam superfluus, nihilominus cum in hoc quasi isagogicè procedat, non erit abs re de eisdem prius, quasi perfunctoriè, & postea seriò disquirere. Diuiditur autem iste Liber in quatuor Summas, in quarum prima declarat, omne, quod mouetur, habere motorem: In secunda ostendit non esse processum in infinitum in mouentibus, & motis: In tertia ostendit primum mouens, & primum mobile: Et in quarta declarat quinam motus sint, vel non sint comparabiles adinuicem.

De dependentia mobilis à mouente.

SVMMA I.
Cap. Vnicum.

In hac Summa, in qua Aristoteles agit de comparatione motus, & mobilis ad motorem, ponit in tex. 1. hanc conclusionem vniuersalem .s. omne, quod mouetur, ab alio mouetur; & eam probat inductiuè: nam quæ mouentur, aut à principio extrinseco mouentur, vt proiecta; aut à principio intrinseco, vt viuentia; in his, quæ extrinsecè cientur, clarum est vnumquodque ab alio moueri, si quidem dum proijcitur lapis sursum, eius motus principium est manus, quæ est lapidi extrinseca: in his verò, quæ ab intrinseco, non ita planum est alterum ab altero moueri; verùm & in his probatur veritas propositionis: supponendo, quod moueri primo, est totum moueri, non ratione alicuius partis, vt cum mouetur homo, solo pede moto, non dicitur moueri totus primo, sed dum mouetur secundum omnes partes, tunc dicitur moueri primo. Ex hoc probat intentum in tex. 2 omne quod mouetur à seipso primo, non dependet in suo motu ab altero, ita quod si alterum cesset moueri, cesset, & ipsum, immò poterit moueri, si quodcumque aliud quiescat; sed omne mobile est diuisibile; ergo si diuidatur in partes, vel altera quiescente, mouebitur totum, vel necessariò quiescet; si dixeris moueri, infero; ergo non mouebitur primo, cum moueatur solum ratione vnius partis; si verò dixeris non moueri, sed quiescere, quia vna pars quiescit; ergo non mouebitur à se primo, cum in suo motu dependeat ab illa parte quiescente; sequitur igitur, non à se primo moueri, sed in suo motu ab alio dependere.

Vel formetur ratio sicut facit Toletus: omne quod mouetur, cuius si aliqua pars quiescit, totum quiescit, non mouetur à se, sed ab alio; at omne quod mouetur est tale, vt cesset moueri, ac quiescat, si eius aliqua pars quiescat; ergo omne quod mouetur, non à se, sed ab alio mouetur.

Non dari processum in infinitum in mouentibus, & motis.

SVMMA II.
Cap. Vnicum.

Probata propositione vniuersali, nẽpè, omne quod mouetur ab alio moueri, ex illa infert particularem, quod nimirum localiter mouetur ab alio moueri, & quamuis hoc ab illo, & illud ab alio,

alio, ac deinceps aliud ab alio contingat moueri, non propterea datur processus in infinitum in mouentibus, & motis, sed peruenitur ad vnum primum mouens, quod ab alio non moueatur.

In t. 4. vt probet dari vnum primum mouens, prius supponit duo. Alterum, quod mouens simul tempore mouet, & mobile mouetur; siquidem factuū esset dicere, mouens mouere, & nihil moueri, vndè infertur, quod existentibus infinitis mouentibus, & motis essentialiter ordinatis, omnes illi motores simul moueant, & mobilia simul moueantur. Alterum, quod motus cuiuscumque mobilis est finitus, & vnus numero; siquidem finitur tempore, loco, ac extremis determinatis. Ex his sic argumentatur, si in mouentibus, & motis esset processus in infinitum; ergo motus infinitus fiet tempore finito; atqui consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequens probatur, quia motus, e. g. B fit in tempore finito, motus. C similiter, & cum mobilium motus possint esse eodem tempore, sequitur motum aggregatum ex omnibus his motibus esse infinitum, & nihilominus fieri in tempore finito.

In t. 5. dicit motum posse dici vnum tripliciter .s. numero, quia finitur vno numero termino, à quo, & ad quem, & tempore non interrupto per quietem; Specie, quia est ad terminum ad quem vnius speciei, vt ex albo in nigrum, Et genere, quia fit ad terminū vnius prædicamenti, vt conclusū fuit in lib. 5. Phys.

In t. 6. facit aliam suppositionē, quod motus finitus fit in tempore finito, & ex hoc infert, quod cum motus infinitorū mobilium possint esse simul in eodem tempore, ex illisque fieri vnum motum, sequitur motum infinitum esse in tempore finito, quod tamen est impossibile.

In t. 7. oppugnat rationem iam factā, dicens, repugnare quidem motum infinitum esse in tempore finito, at cum plures sint motus, & mobilia non repugnare, possunt enim multa simul eodem tempore moueri; ergo cum mobilia sint multa, motus non erit vnus, ac proindè non potest inferri motum infinitum esse in tempore finito.

In t. 8. ostendit Aristoteles rationem suam esse validam, nec obiectionem iam positam quicquam contra ipsam facere; quandoquidem omnia mobilia, ex eo quod continua sunt, aut saltem se tangunt, possunt fieri vnum continuum ratione magnitudinis; ergo vnus erit motus, ac proindè cum sint infiniti motus, vnus infinitus motus, vndè sequitur, vnum motum infinitum esse in tempore finito, quod est omninò falsum.

In t. 9. deducit ex dictis conclusionē, nimirum non esse procedendum in infinitum, sed deueniendum ad vnum primum mouens, quod cætera moueat, & à nullo moueatur.

Quoniam verò in tex. antecedenti, visus est supponere, quod illa mobilia possint continuari, respondet tacitæ obiectioni, quæ in contrarium afferri posset, quod sua ratio non valeat, cum procedat ex suppositione, dicens, licitam esse suppositionem, cum id, quod petitur est possibile, in proposito autem illa mobilia contineri, est possibile; ergo arguere ex suppositione huius possibilis, ad inferendum vnum impossibile, nempè quod vnus motus infinitus esset tempore finito, non erit vitiosum, vt prætenditur. **Possibili in esse posito, non sequitur inconueniens inferre impossibile.**

Deindè declarat, quomodo mouens, & motum possint esse simul, idest vt inter ipsa non sit aliquod medium, quod contactum impediat; hoc enim commune est in omni, quod mouetur, & mouet. Hoc autem demonstrat inductiuè in omni motuum genere in sequenti Summa.

De simultate mouentis, & moti.

SVMMA III.

HÆc tertia Summa diuiditur in duo capita, in quorum primò probat, quod dicitur in Summa: In secundò ostendit quæ sint illa, in quibus repetitur propriè passio, & alteratio.

Quoad primum in t. 10. incipit ostendere in omni motuum genere, verum esse, quod mouens, & motum sint simul, & primò probat in motu locali: nam omne, quod mouetur localiter, aut mo-

uetur ab intrinseco, aut ab extrinseco principio; sed in vtroque mouens est simul cum motu; ergo in omni motu locali. Minorem probat quoad primam partem: Quæ enim ab intrinseco mouentur principio, simul habent partes, quarum vna est mouens, & altera mota; sed partes alicuius totius sunt simul; ergo &c.

In t. 11. probat secundam partem eiusdem minoris, sed prius distinguit quatuor motus locales, qui posteà reducuntur ad duos, prouenientes à principio extrinseco. Motus igitur locales sunt quatuor .s. Pulsio, Tractio, Vectio, & Vertigo. Pulsio est motus, quo aliquid à se, vel ab alio in aliud pellitur; à se, vt cũ quis se proijcit in terrã; Ab alio, vt quãdo pila proijcitur à baculo: Huius autem motus duæ sunt species, nempè Impulsio, & Expulsio. Impulsio est motus, in quo mouens non deest ei, quod mouetur, sed ipsum semper comitatur in toto motu. Expulsio verò est motus, in quo mouens deest ei, quod mouetur, vt non semper illud comitetur cum pellitur, vt proiectio lapidis. Tractio est motus oppositus, quando aliquid ad se, vel ad aliud trahit, nec mouens separatur ab eo, quod mouetur. Vectio est motus, quo aliquid mouetur ad motum alterius, supra quod vehitur, vt lapides, qui supra currum feruntur. Vertigo est motus circularis cõpositus ex pulsu, & tractu, vt cum dolium vertitur, vel rota.

Posteà subiungit Vectionem non distingui ab alijs motibus, nã quod vehitur, proprio motu non fertur, sed alieno; similiter non distinguitur vertigo à tractione, & pulsione: ex vtraque enim constat, quod enim circulariter fertur, secundum vnam partem recedit à mouente, & pulsio dicitur; & secundum alteram accedit, & tractio vocatur. Itaque patet ex his motibus localibus, mouens esse simul cum motu, præsertim ex Pulsione, & Tractione, ad quas alij motus reducuntur.

In t. 12. declarat idem in motu alterationis, nam omnes qualitates, secundum quas fit alteratio propriè dicta, sunt sensibiles; sed secundum illas non potest alterari remotum, nisi prius alteretur propinquum, sicut calefaciens nequit calefacere distans, nisi calefaciat quod est proximum, ergo &c.

In t. 13. declarat idem de motu augmentationis, & diminutionis: augmentatio enim fit per appositionem nutrimenti ad id, quod augetur; & diminutio per ablationem; igitur augens, & minuens simul sunt cum aucto, & diminuto.

Quoad secundum. Cùm supra probãs alterantem debere esse simul cum alterato, dixerit, alterationem fieri secundũ qualitates sensibiles, nunc ponit hanc conclusionem: Ad qualitates tertiæ speciei tantum est per se alteratio, Quam primò confirmat in t. 14. Ad solas qualitates actiuas, & passiuas est per se alteratio, sed solæ qualitates tertiæ speciei sunt huiusmodi; ergo &c.

Deindè probat intentum inductiuè, alteratio non est ad qualitates, nec primæ, nec secundæ, nec quartæ speciei; ergo est per se tantum ad qualitates tertiæ speciei.

In t. 15. probat, ad qualitates quartæ speciei non esse per se alterationem, quia ad illas qualitates est per se alteratio, quæ per se primò, & propria acquisitione acquiruntur; sed qualitates quartæ speciei non sunt huiusmodi; siquidem figura præsupponit debitam partium positionem, forma verò, seu pulchritudo debitam earumdem proportionem. Rursus qualitates, ad quas est alteratio, prædicantur vicissim de subiecto; sed qualitates quartæ speciei non prædicantur hoc pacto, non enim dicimus statua est æs, neque æs est statua.

In t. 16. demùm idem confirmat, quia res, cum fit, nõ dicitur alterari, est enim alteratio perfectorum, & existentium, sed cum res accipit formam, vel figuram fit; ergo per formam, vel figuram non alteratur, aliàs esset antequam fieret, quod est impossibile.

In tex. 17. probat ad qualitates primæ speciei non esse per se alterationem, & primo ad habitus corporales, nam tales habitus sunt ad aliquid; ergo ad illos non est per se alteratio. Antecedens patet:

Sani-

Sanitas enim est ad aliquid, cum consurgat ex certa temperie qualitatum primarum, dicere autem hos habitus esse ad aliquid, non est aliud, quàm ipsos acquiri ex habitudine multorum inter se.

In tex. 18. idem explanat in habitibus moralibus, nam quod fit ad productionem alterius, non acquiritur per alterationem; sed tales habitus acquiruntur per actus, & operationes potentiarum; siquidem ex frequentatis actibus fit habitus; ergo &c.

Idem confirmat in t.19. Cum res perficitur non alteratur; sed homo per virtutes morales maximè perficitur; ergo secundum illas non alteratur.

In t. 20. de habitibus intellectualibus idem quoque explicat: scientia enim, sapientia, & cæteri habitibus sunt ad aliquid, vt patet; ergo ad ipsas non est alteratio.

Deindè: Id non acquiritur per alterationem, quod acquiritur per quietem; sed habitus intellectuales acquiruntur per quietem; ergo &c. Minorem probat, quia anima in sedendo, & quiescendo fit sapiens, & prudens: Vndè pueri, ebrij, & ægroti, quia in ipsis multæ accidunt perturbationes, & excitationes, non sunt apti ad scientiam, & prudentiam.

De comparatione mouentis, & moti, siuè agentis, ac passi.

DISPTT. I.

Occasione textus Aristotelici, vbi protulit illam propositionem vniuersalem: Omne, quod mouetur ab alio moueri debere, inuestigare debemus, num veritatẽ contineat in omnibus mouentibus, & motis, tàm viuentibus, quàm non viuentibus, tum organicis, tum inorganicis; at quia eamdem repetit, ac efficacius probat in sequenti libro 8. à t. 29. & sequentibus, inductinè in omnibus, propterea eò remittimus quæstiones, quæ hic disputari possent, duabus tantum contenti, ne in totum hos textus suis difficultatibus viduare videamur: Quærimus igitur primò circa textum 9. & 10. An necesse sit, mouens, & motũ; aut agens, & passum esse semper simul. Secũdò circa tex. 14. An alterationis motus sit tantũ ad qualitates tertiæ speciei.

Vtrum mouens, & motum; agens, & patiens sint necessariò simul, dum mouent, ac mouentur; agunt, & patiuntur?

QVÆSTIO II.

Hvius quæstionis partem affirmatiuam communiter tuentur veteres Aristotelis Interpretes, Themistiu, Philopponus, & alij, quos posteà secuti sunt D. Thomas hìc, & 1. p. q. 8. art. 1. & contra Gent. cap. 68. vbi Caietatus, & Ferrarien. D. Bonau. in 1. d. 1. q. 1. art. 1. Alber. Magn. d. 37. art. 1. Durand. d. 17. q. 1. Capreol d. 37. q. 1. Ægidius hìc, & in 1. d. 1. art. 1. q. 1. Tolet. lib. 7. Physic. q. 2. Ruuius q. 1. cap. 2. & Thomihæ passim.

Negatiuam autem sustinet Scotus in 1. d. 37. q. vn. (vbi Mayronius, Bassolius, Gabriel, & Ochamus sequuntur) in 2. d. 9. q. 1. B. & d. 14. q. 3. ad 1. argum. princip. K. Doctorem subt. secuti sunt, nedum eius discipuli, sed multi ex Modernis, etiam ex alienis, quorum aliquos citant, & sequuntur Mastrius disp. 7. q. 4. art. 3. & Poncius disp. 19 q. 2. per totam.

Pro huius sententiæ declaratione, ac fundamento primò notandum est, mouens, & agens esse duplex .s. physicum, & metaphysicum. Primum dicitur esse illud, quod communicat cum passo in materia, vt sunt omnia corpora sublunaria, quæ constant ex materia, & forma. Secundum est, quod non communicat cum passo in materia, vt est Cœlum in sententia Aristotelis, & omnes substãtiæ immateriales, tàm creatæ, vt Angeli, & Animæ rationales, quàm increatæ, cuiusmodi est Deus. Hic est sermo de omnibus mouentibus.

Secundò notandum est, vt colligitur per oppositum ex Doct. subt. in 2. d. 9. q. 1. & 2. sub B. & C. simultatem esse duplicem .s. localem, & immediationis. Simultas localis reperitur inter illa, quæ

sunt

sunt in eodem loco adæquato, & sic materia, & forma, dum sunt in composito, sunt simul, cum occupent eumdem locum cum toto: Simultas immediationis est in his, quæ sunt contigua, & se tangunt, quamuis non sint in eodem loco adæquato, vt calamus, & manus scribentis: Simultas localis non exigitur inter mouens, & motum, sed tantum immediationis, vt dicit etiam Aristoteles hic sub t. 9. Contactus autem est duplex .s. mathematicus, & virtualis. Contactus mathematicus est in his, quæ secundum superficies vltimas se tangunt, vt duæ manus se tangentes. Contactus verò virtualis est in his, quæ etsi secundum superficies vltimas nimis à seinuicem distent, attamen virtus vnius habet efficaciam respectu alterius. vt Sol, & rana, hoc modo sunt simul; licet enim secundum superficiem Sol sit in Cœlo, & rana in terra; nihilominus virtus Solis attingit eam, cum ex putri materia illam producat. Ad propositum, Prima opinio asserit, esse necessarium in omnibus mouentibus, & motis contactum mathematicum, secunda opinio docet sufficere virtualem.

Tertiò notandum ex eodem ibidem sub B. quod mouentia, quæ agunt in distans, sunt in triplici differentia; quædam enim agunt in medium, & extremum eadem actione, vt Sol calefaciens terram, quæ est extremum, eadem actione calefacit aerem, qui est medium, & hoc, quia medium, & extremum sunt receptiua actionis eiusdē rationis: quædam verò sunt, quæ agunt in medium, & extremum diuersis actionibus, & hoc, quia medium, & extremum non sunt receptiua actionis eiusdem rationis, vt color immutans visum agit in aerem medium, & in visum extremum, & tamen causat in visu speciem sensibilem, & notitiam intuitiuam sui, in medio verò tantum speciem causat sui, & hoc, quia medium non est receptiuum alterius effectus .s. visionis intuitiuæ: quædam tandem agunt in extremum, nihil causando in medio, cum tale medium non sit receptiuum alicuius actionis à tali agente procedentis, vt Angelus distans alloquitur alterum Angelum distantem, causando in eius intellectu speciem, vel notitiam sui, aut alterius obiecti, aut vtramque, & nihilominus nil agit in aere m dio, cùm aer non sit receptiuus alicuius actionis spiritualis, ab Angelo procedentis.

Quartò notandum ex eodem ibidem, & in 1. dist. 37. q. vn. §. Respondeo &c. quod agens naturale dupliciter considerari potest, vno modo per se, quatenus est tale agens respectu talis passi, vt Sol prout est productiuus argenti, vel auri in visceribus terræ, & sic agens naturale potest agere in distans, nō agendo quicquam in medio, ac proindè non est necesse, vt huiusmodi agens sit simul, simultate immediationis cum passo: alio modo consideratur per accidens, quatenus est productiuum plurium effectuum ordinatorum, siuè secundum vnam virtutem actiuam, siuè secundum plures, quibus pollet, vt Sol, quatenus est calefactiuus, & illuminatiuus aeris; ac mineralium, aliorumque mixtorum productiuus, & sic nequit agere in distans, seu remotum, nisi prius agat in proximum, seu medium; vndè infertur, quòd hoc modo, saltem per accidens, hoc est ratione instrumentalis actionis, nimirū illuminationis, & caliditatis in aere causatæ, est simul cum effectu in terra producto: Dixi autem saltem per accidens, quia huiusmodi actio in medio, cum sit accidentalis, non est productiua mineralium, aut aliorum corporum, quæ sunt substantiæ; siquidem, vt aliàs ostendimus in 2. Physicorum, nullum accidens potest producere substantiam.

Ex his sit prima conclusio. Agens per se, vt tale agens est, non est semper, aut necessariò simul cum passo, contactu mathematico, seu simultate immediationis formalis. Est Scoti in 1. d. 37. q. vn. §. Respondeo agens creatum &c. & in 2. d. 9. q. 1. B. & C. & d. 14. q. 3. ad primum principale sub K. & in 4. d. 44. q. 2. Q. Probatur à Doctore multipliciter, nobis tamen sufficiet vna, aut altera ratio: sit ergo prima ratio. Sol in suo Orbe existens transmutat putridam terræ materiam de vna forma in aliam, plu-

resque

resque substantias se solo producit, vt de mineralibus in visceribus terræ, de ranis in luto, de muribus in putri materia, & alijs; sed non est præsens huiusmodi passis per contactum mathematicum, vt est de se clarum; ergo in talibus casibus, agens, & passum, mouens, & motum non sunt simul simultate immediationis formalis.

Dices: Sol, quamuis sit absens substantialiter, est tamen præsens per suam caliditatem, per quam huiusmodi effectus producit, sicque existens in medio, quod est immediatum formaliter illis, dicitur esse simul cum huiusmodi passis mathematico contactu.

Contrà: Nullum accidens potest effectiuè producere substantiam, cùm sit illa imperfectius à toto genere; sed huiusmodi caliditas est accidens, & tales formæ sunt substantiæ; ergo quamuis Sol diceretur præsens per talem caliditatem in aere, nihil faceret huiusmodi præsentia respectu talium actionum; siquidem se gereret ac si non esset, cum producat per suam substantiam, & non per caliditatem.

Secundò probatur conclusio à Scoto, quia omne generans gignit corpus naturale, & non tantùm superficiem; sed non est præsens immediatè, nisi secundum superficiem, & in superficiem ipsius geniti agit; ergo generans, vbi non est nec per essentiam, nec per contactū mathematicum, præsens agit. Tertiò posset probari de Angelo alloquente Angelum distantem, nil causando in medio, sed tantum speciem, vel notitiam obiecti imprimendo in intellectu alterius Angeli. Quartò idem posset ostendi de Deo, quamuis per impossibile non esset vbique, posset velle aliquod obiectum distans, & sic dicerentur, tàm Angelus, quàm Deus agere in distans; verùm quia huiusmodi propositiones sunt potius Theologicæ, quàm Philosophicæ, omittuntur, contenti duabus prioribus, quæ sunt de agentibus naturalibus, ac physicis.

Secunda conclusio. Mouens, siuè agens quodcumque necessariò debet esse simul cum passo, seu cum moto, contactu, & simultate virtuali. Est Scoti ibidem, & præsertim in 4.d.44.q.2.Q. Probatur, quia contactus virtualis consistit in eo, vt agens, seu mouēs attingat productionem effectus; sed implicat aliquid sine tali contactu produci, alioquin fieret, & non fieret; ergo talis contactus in quolibet agente, & passo est necessarius.

Obijcitur primò contra primam conclusionem ex Aristotele t.9 & 10. huius libri, vbi dicit, & probat in omnibus motibus, & mouentibus simultaneam immediationem; ergo conclusio nostra est contra Aristotelem.

Resp: Negando consequentiam; ad Aristotelem, dicit Doctor subt. in 2.d.9. q. 2. sub C. intelligendum esse de immediatione mathematica, aut virtuali; de priori quidem quando inter mouens, & motum mediat aliquid receptiuū actionis eiusdem rationis cum passo, vt accidit in omnibus motibus, de quibus ibi exemplificat; de posteriori autem, quādo medium interiectum non est receptiuum actionis eiusdem rationis, vt ostendimus de Sole in ordine ad formas substantiales, quas producit, similiter de generante, de Angelo alloquente alium Angelum, & multis alijs; siquidem huiusmodi sunt immediata motis, & passis virtualiter, non tamen mathematicè.

Contrà, quia Aristoteles loquitur tātum de immediatione mathematica; ergo malè recurrit Scotus ad virtualem. Antecedens probatur, quia Aristoteles 4. Physicorum, docet ex eo naturam abhorrere vacuum, vt corpora cœlestia possint esse contigua inferioribus, illisq. communicare suas virtutes. Et lib. 1. Metheor. cap. subiungit, hunc mundū de necessitate esse continuum quodammodo superioribus lationibus, vt omnis ipsius virtus indè gubernetur, ex quibus patet, esse locutum de contiguitate mathematica huiusmodi mouentium, & motorum, & non solum de virtuali.

Resp. Negando antecedens; ad primam probationem dico, plures posse assignari causas, cur natura abhorreat à vacuo, nempè propter ordinem Vniuersi,

uersi, qui consistit in contiguitate partium inferiorum cum superioribus; tum ob necessariam respirationem animantium perfectorum; cæterùm potissima censetur illa, per quam demonstratur in corporibus cęlestibus duplex virtus agẽdi in hæc inferiora, altera in medio, & altera in extremo; siquidem, dato vacuo, ostenderetur benè, corpora cœlestia posse agere in extremis, in quibus possent producere effectus; & sic habere virtutem illos producendi etiam distantes, non tamen demonstraretur altera virtus actiua calefaciendi, & illuminandi medium, & ob id dicendum est, naturam respuere vacuum, & non vt mouens, & motum; agens, ac passum, qua talia exigant in agẽdo, & mouendo immediationem mathematicam suppositorum, vt supponitur in argumento.

Ad secundam per idem dicimus, esse necessariam contiguitatem corporum inferiorum cum superioribus, vt possint ab eisdem recipere illam duplicẽ actionem, & substantialem, quatenus per se agentia sunt; & accidentalem, vt proxima sunt, cum vt sic se habeant tamquam media instrumẽtalia respectu effectuũ, simpliciter dependentium ab agentibus superioribus.

Obijcitur secundò, quia non potest vi agentis, vel mouentis naturalis fieri trãsitus de vno ad aliud extremum absque transitione medij, vt docet Scotus in 2. d. 2. q. 12. siquidem ordo præfixus à superiori agente nequit immutari ab inferiori; ergo repugnat cuicumque agenti agere in remotum, non agendo prius in medio, alioquin actio transiret de extremo ad extremum sine medio.

Resp. Antecedens esse verum, quando medium est receptiuũ actionis eiusdem rationis cum extremo, vt patet de motu, de quo loquitur Scotus loco citato, non tamen de medio non receptiuo, aut de agente mouẽte per duas formas, quarum altera immediatè respiciat extremum absque medio, de quo nos sumus locuti cum eodem Doctore in conclusione.

Obijcitur tertiò, quod agit per virtutem in se retentam, & non in medio diffusam, necessariò agit immediatione suppositi; sed per Scotũ, inquit Ruuius, Sol nõ diffundit suam virtutem per medium, dum mineralia, e. g. producit; ergo deberet esse agens immediatione suppositi, quod est omninò falsum. Maior probatur, quia virtus agentis debet attingere effectum; sed nequit ipsum attingere, nisi vbi est effectus; ergo si non diffunditur per medium, debet hoc agens esse illi immediatum immediatione suppositi.

Resp. Negando maiorem; potest .n. agens esse distans quoad suppositum, & tamen eius virtus esse præsens passo, ex ipso educendo formã, absque hoc, quod diffundatur in medio. Ad probationem nego consequentiam, quia in maiori, & minori fit sermo de contactu virtuali, & in conclusione de mathematico, & sic committitur fallacia æquiuocationis.

Obijcitur quartò contra secundam conclusionem, quia in tantum asseritur necessitas contactus virtualis inter agẽs, & passũ, in quantum reperiuntur plura agentia in distans, nihil agendo in medium; sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela maioris patet, ex eo enim quod videntur effectus quorumdam agentium, quorum tamen actiones nequeunt recipi in medio, arguimus huiusmodi agentia esse immediata illis effectibus, quoad virtutem, quamuis distent quoad supposita; siquidem nihil gignit seipsum. Minor probatur, quia etsi torpedo stupefaciat manum piscatoris, non est certum quod huiusmodi qualitas stupefactiua prius non recipiatur in rete, & per ipsum transeat ad manum piscatoris: similiter, quod magnes trahat ferrum, & electrum paleas in distantia, suadet hos effectus prodire potius ab his agentibus per virtutem occultam, prius receptam in medio, & consequenter per contactum mathematicum, quam per solum virtualem; ergo ex huiusmodi effectibus non possumus tutò arguere necessitatem contactus, virtualis potius, quàm mathematici.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, virtutem stupefactiuam torpe-

torpedinis non prius recipi in rete, quam in manu piscatoris; tum quia rete non est medium capax huiusmodi stupefactionis; tum etiam, quia illa virtus migraret de subiecto in subiectum, quod est falsum; meliùs ergo, & securius dicitur, huiusmodi effectum attingi immediatè à virtute torpedinis in distans. Per idem satisfit ad aliam experientiam de magnete, & electro; tum quia aer medius non est receptiuus huiusmodi qualitatum attrahentium; tum etiam, quia huiusmodi qualitates migrarent de subiecto in subiectum, quousque peruenirent ad ferrum, & paleas, quod est contra Philosophum 6. Physic. t. 32. & 89.

Vel dicendum, necessitatem contactus virtualis non desumi ex parte agentium, vel in distans, vel in proximum passum, verùm dumtaxat ex parte effectus in esse ponendi, cum nihil possit produci, nisi virtus productiua fuerit illi coniuncta. Vtraque responsio est bona, sed posterior est melior priori, cum per ipsam totaliter eneruetur difficultas erga conclusionem.

Vtrum motus alterationis sit tantùm ad qualitates tertiæ speciei?

QVÆSTIO II.

Circa hanc quæstionem nulla inter Doctores reperitur controuersia, ideò paucis notatis pro declaratione terminorum, mox deueniemus ad resolutionem difficultatis.

Primò notandum ergo ex Aristotele in lib. Prædicam. cap. 4. de Quali, qualitatem in quatuor species, seu modos partiri. Prima dicitur habitus, & dispositio, sub qua continentur omnes qualitates, tàm corporales, quàm spirituales, prout sunt de facili, vel de difficili amouibiles à subiectis. Secunda est naturalis potentia, vel impotentia, sub qua continentur omnes habilitates, & inhabilitates insitæ à natura, quibus ipsa fit potens, vel impotens ad operandum, vel non operandum, aut resistendum, vel non resistendum contrarijs. Tertia est passio, & passibilis qualitas, ad quam reducuntur omnes qualitates sensibiles, idest, quæ à sensibus externis percipiuntur, cuiusmodi sunt omnes colores, qui visu; omnes soni, qui auditu; omnes sapores, qui gustu; omnes odores, qui olfactu; & omnes qualitates tangibiles, quæ sensu tactus, percipiuntur, vt caliditates, frigiditates, humiditates, & siccitates. Quarta tamdem est forma, vel figura, in qua reponuntur omnes pulchritudines, & turpitudines rerum, tàm naturalium, quàm artificialium. Quæritur igitur, an alterationis motus sit ad omnes huiusmodi qualitates recensitas in his quatuor speciebus; vel tantùm ad illas, quæ sub tertia specie clauduntur, vt probat Aristoteles in textu.

Secundò notandum. Alterationis nomen multipliciter accipi posse, nempè largissimè, largè, strictè, & strictissimè. Alteratio largissimè, seu latissimè sumpta significat quamcumque mutationem, per quam res fit de nouo altera, vt alterum est differentia accidentalis, contradistincta ab essentiali; quæ facit aliud, vt notat Porphyrius cap. de Differentia, & sic comprehendit sub se omnem mutationem accidentalem, per quam acquiritur de nouo aliqua forma accidētalis in subiecto, siuè talis sit qualitas, siuè quantitas, aut relatio. Alteratio verò largè accepta est mutatio acquisitiua nouæ qualitatis, siuè in tempore, siuè in instanti; siuè sit corporalis, siuè spiritualis; siuè sit absoluta, siuè relatiua; siuè habeat contrarium, siuè non; siuè sit perfectiua subiecti, siuè corruptiua eiusdem, & ità se extendit ad qualitates omnes primæ, tertiæ, ac quartæ speciei, non verò secundæ, cum tales non fiant, nec acquirantur de nouo, sed sint inditæ à natura in generatione cuiusque rei naturalis. Alteratio autem strictè, seu propriè considerata, importat acquisitionem nouam cuiuscumque qualitatis corporalis, & sensibilis absolutæ, cui inest contrarietas, siuè huiusmodi qualitates prærequirant acquisitionem alterius, siuè non; siuè sint actiuæ ratione sui, siuè ratio-

ratione aliarum qualitatum, ex quarum commixtione fiunt, & sic ad qualitates primæ, & quartæ speciei non est motus alterationis, cum tales non sint per se sensibiles, vel corporales, aut absolutæ, sed benè ad omnes qualitates tertiæ speciei, cum tales sint per se sensibiles, corporales, fiantque, ex commixtione qualitatum per se actiuarum. Alteratio tamdem strictissimè, & proprijssimè considerata, est mutatio acquisitiua successiuè qualitatis sensibilis, corporalis, absolutæ, per se actiuæ, vel passiuæ, propria acquisitione acquisibilis, & sic tantùm ad qualitates primas, est per se motus alterationis, cum tales sint per se sensibiles, actiuæ, & passiuæ, & propria acquisitione acquirantur.

Ex his fit prima conclusio. Alteratio largè accepta terminatur ad omnes qualitates primæ, tertiæ, ac quartæ speciei, non verò secundæ. Probatur, quia alteratio hoc modo sumpta est acquisitio noua cuiusuis qualitatis, siuè corporalis, siuè spiritualis, siuè absolutæ, siuè relatiuæ, siuè per se sensibilis, siuè non; sed qualitates primæ, tertiæ, & quartæ speciei sunt huiusmodi; ergo etiam ad illas terminatur alteratio. Maior, & minor sunt notæ ex notabilibus. Secunda pars probatur, quia alteratio quæcumque est mutatio acquisitiua noua; sed qualitates secundæ speciei, cùm consequantur naturam, seu compositum naturale in generatione, sunt semper antiquæ, nec de nouo acquisibiles, aut deperdibiles, cum sint identificatæ suis subiectis; ergo ad illas nequit terminari motus alterationis. Maior, & minor innotescunt ex notabilibus.

Secunda conclusio. Alteratio strictè sumpta terminatur ad omnes qualitates secundæ, & tertiæ speciei. Probatur, quia ad illas qualitates est alteratio strictè, quæ sunt per se sensibiles, corporales, absolutæ, fiuntque ex commixtione primarum qualitatũ contrariarũ; sed tales sunt omnes qualitates secundæ, & tertiæ speciei, vt patet ex notab. 2. ergo ad omnes tales terminatur alteratio strictè sumpta.

Tertia conclusio. Ad solas qualitates primas est per se primò, strictissimè, & proprijssimè alteratio. Probatur, quia alteratio hoc modo accepta est mutatio acquisitiua nouæ qualitatis per se sensibilis, absolutæ, actiuæ, vel passiuæ, propriaq. acquisitione acquisibilis; sed omnes quatuor primæ qualitates sunt huiusmodi; ergo ad illas dumtaxat est per se primo, & strictissimè alteratio. Maior patet ex 2. not. Minor probatur, quia qualitates primæ speciei non sunt per se sensibiles, quinimò spirituales, & non corporales, vt patet in t. 18. & 19. huius 7. libri: qualitates quartæ speciei sunt relatiuæ, vt probat Aristoteles *ibidem* tex. 15. qualitates verò secundæ tertiæ speciei fiunt ex commixtione harum quatuor qualitatum primarũ, vt alibi ostendimus, & hæ non fiunt ex *alijs*, *sed per* se acquiruntur; ergo ad has tantummodo terminatur strictissima alteratio.

Obijcitur primò contra has conclusiones probando, alterationem propriè acceptam terminari ad qualitates primæ speciei, quia omnes qualitates, quæ possunt propria acquisitione acquiri, sunt per se terminus alterationis propriè acceptæ; sed qualitates primæ speciei, sunt huiusmodi; ergo &c. Minor probatur, quia Angelus de nouo potest aliquid cognoscere, & per consequens cognitionem habitualem acquirere; & non propter acquisitionem alicuius alterius cognitionis, sed per propriã; ergo ad qualitatem primæ speciei terminatur per se alteratio.

Resp. Maiorem esse veram de qualitatibus sensibilibus, & per se actiuis, non tamen de spiritualibus, cuiusmodi sunt cognitiones, tùm Angelicæ, tùm intellectuales humanæ, quia tales, quamuis terminare possint alterationem largè, non tamen strictè sumptam, de qua loquitur Aristoteles in tex. 14. & in fine tex. 20.

Obijcitur secundò: Ad relationes extrinsecus aduenientes est per se motus, ex Scoto in 3. d. 1. q. 1. K. sed formæ, & figuræ sunt relationes extrinsecus aduenientes, vt dicit idem Doctor in 4. d. 12. q. 4. F. ergo ad illas est per se motus, non nisi alterationis, cum sint etiam qualitates de quarta specie; ergo &c.

Resp.

Resp. Maiorem esse veram de motu locali, non tamen de motu alterationis propriæ acceptæ, licèt posset concedi de alteratione largè sumpta, vt est dictum in conclusione prima.

Obijcitur tertiò contra tertiam conclusionem: Ad illas qualitates non est strictissimè alteratio, quæ acquiruntur ad acquisitionem alterius; sed quatuor primæ qualitates sunt huiusmodi; siquidem ex motu locali alicuius cursoris, acquiritur in eodem calor, & siccitas; ergo tales acquiruntur ad acquisitionẽ alterius, nempè vbi, quod terminat per se motum localem.

Resp. Maiorẽ esse veram si tales qualitates acquirantur necessariò ad acquisitionem alterius, non tamen si contingenter, & per accidens; modò calor, & siccitas, etiamsi per motum localem acquiri possunt ad acquisitionem diuersorum vbi, tantum per accidens sic acquirũtur, cum sine ipso possint acquiri, & communiter acquirantur per se in motu alterationis.

Obijcitur quartò: Ad illas qualitates terminatur per se alteratio propriè, in quibus est contrarietas; sed in qualitatibus primæ speciei reperitur contrarietas; siquidem virtus, & vitium; sanitas, & ægritudo, quæ spectant ad primam speciem qualitatis, sunt contraria, vt patet per Aristotelem in Prædicam. cap de Qualitate, ergo &c.

Resp. Maiorem esse veram, si in illis sit contrarietas prima, vel secunda, non tamen si sit contrarietas largè, accepta nimirum pro disconuenientia; modò inter virtutem, & vitium; sanitatem, & ægritudinem, cum sint formaliter ad aliquid, vt docet Aristoteles loco citato, & in hoc 7. Physicorum tex. 17. non est contrarietas propriè, & consequenter, nec alteratio propriè, sed tantum largè accepta, vt diximus in prima conclusione.

De proportione, & comparatione motuum.

SVMMA IV.

ISta quarta Summa diuiditur in duo capita, in quorum primò ostendit, quinam motus sint, vel non sint comparabiles: In secundò verò demonstrat quomodo mouentia, & ea, quæ mouentur proportionentur in motu.

Quoad primum in t. 21. mouet hanc quæstionem: An quilibet motus possit cuilibet cõparari, & videtur quod non; primò, quia si id fieri posset, sequeretur motum rectum, & circularem esse per se comparabiles; sed hoc est falsum; ergo &c. Minor probatur, supposito hoc principio, nempè motus tempore æquali transeunt æquale spatium; tunc sic: Si motus super recto, & super circulo cõparentur, sequeretur, quod æquale spatium pertransiret æquali tempore, quod tamen esse nequit, quia linea recta, & circularis essent æquales, quod est absurdum. Secundò probat eamdem partem, quoniam latio, & alteratio essent motus æquales; sed etiam hoc consequens est falsum; ergo &c. Probat minorem, quia æquales motus in vno tempore transeũt æquale spatium; at qualitas non dicitur æqualis spatio; ergo alteratio in qualitate non transibit æquale. Minor patet, quia æqualitas, & inæqualitas sunt relationes fundatæ super quantitate, & non super qualitate.

In t. 22. reijcit quamdam responsionem, quæ dari posset primo argumento, nempè, quod motus per circulum, & motus per rectum sunt benè comparabiles, non tamen æquè veloces, verùm vnus velocior altero, & sic non sequitur, rectum adæquari curuo; hoc nihil est, quia potest contingere esse æquè veloces; ergo si forent comparabiles, sequitur fore etiam æquales in velocitate, & tarditate, quod tamen est falsum.

In t. 23. arguit secundò contra eamdem responsionem, quia estò motus non essent æquè veloces, tamen si detur maior, & minor motus circularis, dabitur etiam

etiam æqualis, & ita rectum, & obliquum poterunt æquari.

In t.24. respondet ad quæstionem per hanc conclusionem. Non omnes motus sunt comparabiles; & probat, quia tunc recta linea, & circularis essent æquales; sed hoc est falsum; ergo &c Minor patet ad sensum, quia si linea circularis distendatur, vel recta in circulum redigatur, constabit planè alteram altera esse longiorem.

Deindè in eodem textu ponit primã conditionem comparabilium, nimirum, quod illud, in quo fit comparatio, debeat esse vniuocum; defectu cuius dicit, vinum, & stylum non benè comparari in acuto, quia acutum in stylo dicit ordinem ad penetrationem celerem corporis duri, in vino verò in ordine ad gustum; corda autem vltima benè comparatur cum penultima in acuto, quia acutum in vtraque ordinatur ad auditũ tantum, & sic ad vnum, & non ad plura; ex quo infert, quod cum velocitas, & tarditas non vniuocè conueniant motui facto super lineam rectam, & super circularem, sed tantum æquiuocè, propterea motus rectus, & circularis non possunt esse comparabiles in velocitate, ac tarditate.

In t.25. ostendit, hanc conditionem vniuocationis non sufficere ad comparationem, quia dantur plura vniuoca, in quibus non fit bona comparatio; probat, quia aqua, & aer vniuocantur in multo, & pauco; dicitur enim multa, vel pauca aqua, multus, vel paucus aer, & tamen aqua, & aer non sunt comparabiles, cum non sint æquales, propterea

In tex. 27. ponit secundam conditionem comparabilium, & est, quod comparabilia sint susceptiua eiusdem accidentis, in quo habent comparari, hoc est conueniant in aliquo susceptiuo immediato, vndè cygnus, & lac benè comparantur in albedine, quamuis cõparabilia sint diuersa, quia albedo, in qua fit comparatio, recipitur in superficie, quæ est eiusdẽ rationis in cygno, & lacte. Cæterùm quia in t.28. nec istæ duę conditiones videntur sufficere, alioquin æquale, dulce, & album, essent vnum, & comparabilia, cum susceptiuum immediatum sit idem; superficies enim est immediatum susceptiuum dulcedinis, albedinis, & æqualitatis, quod tamen est falsum, ideò

In t. 29. assignat tertiam conditionẽ, nempè, quod comparatio fiat in specie specialissima; siquidem in genere latent æquiuocationes, supple physicè, non enim dicimus album esse magis coloratum, quàm nigrum, neque hominem esse magis animal, quàm equum, quia color, & animal sunt genera, in quibus nequit fieri comparatio, sed exigitur, vt forma, in qua fit comparatio, & susceptiuum immediatum habeant vnitatem specificã speciei specialissimæ, vndè hæc est bona comparatio, nix est albior cygno, quia albedo est eiusdem rationis specificæ, nedum in susceptiuo immediato, nempè in superficie, sed etiam in cygno, & niue.

Ex his infert intentum, nimirum motum circularem, & rectum, alterationis, & lationis non esse comparabiles adinuicem in velocitate, & tarditate; siquidem non est eadem conuenientiã specifica spatij, temporis, & termini ad quem, quæ tamen requiruntur ad vnitatem specificam motus; nam recta, & curua linea distinguuntur specie; similiter mobile nequit eodem tempore transire spatium lineæ curuæ, & rectæ; termini etiam fluentes sunt alterius rationis specificæ; igitur *motus circularis, & rectus sunt incomparabiles. Idem* dicendum est de motibus alterationis, & locali; quandoquidem conueniunt tantum in motu, qui est genus, & non species specialissima, ideò nequeunt adinuicem comparari.

In t.31. ex eo enim quod dixerat, motuum comparationem fieri debere in specie specialissima, quia in ipsa non est pluralitas differentiarum, sed vnitas vniuocationis, infert ex opposito, in genere non posse fieri comparationes, cum in ipso lateant plures naturæ, & differentiæ, secundum quas fiunt æquiuocationes, impedientes comparationem.

Vt autem hoc melius patefiat, notat tria æquiuocationum genera: aliæ enim appel-

appellantur multum distãtes, quia æquiuoca conueniunt æqualiter in solo nomine, vt canis latrabilis, & marinus: Aliæ similitudinariæ, vt hæc vox homo respectu hominis viui, & picti: Aliæ denique propinquæ aut genere, aut similitudine eiusdem rationis, & sic animal dicitur æquiuocè de homine, & equo, similiter ridere de prato, & homine, & gubernator de nauta, & duce; siquidem conueniunt in quadam similitudine gubernij, licet differant, quia vnus regit nauim, alter exercitum; similiter homo, & equus conueniunt in natura animalis, differunt verò per rationale, & irrationale, & ideò animal videtur esse aliud in homine, & aliud in equo, & ratione huius nequit fieri comparatio in animali, quod est genus: est enim æquiuocum hoc tertio modo. Ex quo infert, veram vniuocationem esse tantum in specie vltima, & in ea solum fieri comparationem, nedum motuum, sed etiam aliarum rerum.

In t. 32. mouet vnum dubium: An duæ alterationes sint comparabiles? & respondet esse comparabiles, vt duæ sanationes possunt fieri in æquali, & inæquali tempore, & consequenter vnus poterit sanari velocius, & tardius altero: & quamuis posset dici, in alterationibus non reperiri æqualitatem, & inæqualitatem, quæ sunt passiones quãtitatis, & non qualitatis, in qua dumtaxat fiunt alterationes, tamen quia alteratio est motus, & motus est quantitas, benè, ac rectè dicitur æqualitatem, & inæqualitatem temporis posse conuenire alterationibus, & in ipso comparari.

In t. 33. mouet aliud dubium: An alterationes debeant comparari quoad æqualitatem .i. vt motus sunt; vel quoad similitudinem, hoc est ratione qualitatis ad quam fiunt? Respondet, posse fieri comparationem vtrobique, sed diuersimodè; nam erit comparatio quoad similitudinem ratione terminorum eiusdem speciei: quoad æqualitatem verò ratione subiectorum, & temporis; s.n. alterabilia sint æqualia, & tempus, in quo alterantur, æquale, & alterationes erunt æquales.

In t. 34. concludit comparationem posse fieri etiam in generationibus, non quidem ratione terminorum, qui cum sint substantiæ, non recipiunt æqualitatem, vel inæqualitatem, sed solùm ratione temporis, in quo fiunt; vndè si duo homines in eodem tempore generentur, erunt illæ generationes æquales; si verò in diuerso, inæquales erunt, & vna dicetur velocior altera.

Quoad secundum, ostensa in præcedenti comparabilitate motuum, in præsenti demonstrat eorum comparationem, ac proportionem, pro qua constituit septem regulas: vndè in t. 35. primò supponit in motu, quatuor concurrere, scilicet virtutem motiuam, seu mouens; resistentiam, quæ mouetur, seu mobile; tempus, & spatium, in quibus virtus motiua resistentiam mouet: secundò subinfert ex his

Primam regulã: Si aliqua virtus motiua mouet aliquam resistẽtiam per vnũ spatium in aliquo tempore, eadem virtus mouebit illius resistentiæ medietatẽ in eodem tempore per spatium duplum: e. g. Baiulus potest ferre viginti libras æris per vnum milliare vna hora; igitur tempore vnius horæ portabit etiam decem libras per duo milliaria.

Secundam regulam: Si virtus aliqua in aliquo tempore mouet mobile per aliquod spatium, eadem, aut æqualis virtus mouebit medietatem illius mobilis in dimidio tempore per æquale spatium: e. g. si in vna hora mouens potest portare decem libras carnis per milliare, in media hora portabit quinque libras per idem milliare. Ratio autem vtriusque est, quia vtrobique seruatur eadem proportio, nimirum spatij ad tempus, & mobilis ad mouens.

In t. 36. ponit tertiam regulam: Si aliqua virtus mouet aliquo tempore mobile per aliquod spatium, eadem, aut æqualis virtus mouebit idem mobile in dimidio illius temporis per dimidium spatium: e. g. si mouet quis lapidem vna hora per milliare, aliud mouens æqualis virtutis mouebit lapidem

pidem dimidia hora per medium milliare.

Quartam regulam subiungit in eodẽ textu: Si aliqua virtus mouet mobile per aliquod tempus in aliquo spatio, dimidiũ virtutis mouebit dimidium mobilis in eodem tempore per æquale spatium, v. g. si mouens vt sex mouet pódus quatuor librarum, in hora, per milliare; tunc mouens vt tria mouebit pondus duarum librarum, per idem milliare, & in eadem hora.

In t. 37. adducit quintam regulam: Si aliqua virtus mouet aliquod mobile per spatium, aliquo tempore, nõ oportet illam virtutem mouere duplex mobile in duplici tempore per idem spatium, quia mouens nequit aliquid mouere, nisi eius virtus excedat mobilis resistentiam: e. g. si quis potest portare pondus decem librarum vna hora per milliare, non sequitur, vt possit ferre pondus viginti librarum duabus horis per idem milliare.

In eodem tex. ponit sextam regulam: Si aliqua virtus moueat aliquod mobile per spatium in aliquo tempore, non est necesse medietatem illius virtutis mouere idem mobile in eodem tempore, per medietatem illius spatij: e. g. si mouens vt sex, mouet pondus vt quatuor, vna hora per milliare: mouens vt tria, non mouebit idem pondus, nec per minimam partem spatij in quouis tempore, quia minus non mouet maius.

In t. 38. tradit septimam regulam: Si vna virtus mouet vnum mobile, & altera aliud per aliquod spatium in aliquo tempore, aggregatum ex illis virtutibus mouebit aggregatum ex illis mobilibus in eodem tempore, & per idem spatium, cum maneat semper eadem proportio.

In t. 39. & vltimo quærit: an quæ dicta sunt hactenus de proportionibus motus localis, applicari valeant etiam motibus augmentationis, & alterationis? Respondetque affirmatiuè; siquidem in augmentatione est aliquid augens, & aliquid quod augetur, & in aliquo determinato tempore; similiter in alteratione est aliquid alterans, & aliquid alteratum, & in aliquo quanto tempore, sicut illud quod augetur, ac alteratur est quoque quantum, quæ autem alterata sunt secundum magis, & minus, quæ verò aucta secundum maius, & minus, aucta, & alterata sunt, vndè mutatis mutandis, possunt in vtrisque motibus assignari eædem regulæ proportionum, quæ positæ fuerunt de motu locali, quas si per extensum videre cupitis, consulite Toletum, à quo pariter accepi supradictas de motu locali. Et hæc de textu huius 7. libri Physicorum dicta sufficiant.

De comparatione, ac proportione motuum.

DISPVT. II.

HActenus disputationi tradidimus comparationem, quam habent adinuicem mouentia, & mobilia; modò, pro complemento huius libri, agere intendimus de comparatione, & proportione motuum inter se, circa quam, vnam, vel alteram difficultatem examinabimus, vt melius percipiamus quæ hactenus in textu breui paraphrasi compendiauimus.

Vtrum comparatio necessariò fieri debeat in specie specialissima; vel an etiam in genere?

QVÆSTIO I.

CIrca hanc quæstionem nõ vna adest Doctorum sententia; siquidem Vallesius controuersia 43. ad Tyrones, vt refert Ruuius lib. 7. Physicorum cap. 4. q. vn. n. 33. & 34. cùm asserat, omnes motus eiusdem generis esse comparabiles, quamuis sint diuersarum specierum, sustinet comparationem non semper fieri in specie athoma, seu specialissima, verùm quandoque fieri potest etiam in genere.

Alij

Alij verò distinguunt de comparatione physica, metaphysica, & logica, dicuntque, comparationem physicam necessariò fiendam esse in specie specialissima, cum hæc tantum sit vniuoca, & in genere latent æquiuocationes physicæ; cæterùm logicam, & metaphysicam, aiunt, fieri posse etiam in genere, cum secundum metaphysicos, & logicos etiam genus sit vniuocum.

Alij denique pariter diuidunt comparationem in propriam, & impropriam, docentque priorem esse dumtaxat in specie specialissima; posteriorem autem in quolibet ente, tàm reali, quàm rationis; siquidem dicimus, ens reale esse perfectius ente rationis, materiam primam esse perfectiorem priuatione, & Deum esse magis bonum, quàm Diabolus sit malus, ac cætera huiusmodi.

Quid autem secundum Scoti mentem nobis dicendum sit, aliquibus obseruatis, nostram aperiemus sententiam in conclusionibus infra statuendis, ac probandis.

Primò igitur notandum est, comparationem esse duplicem, nempè simplicem, & compositam. Simplex est, quæ fit in vna forma simplici, quatenus magis, & minus; vel maius, aut minus, vel perfectè, aut imperfectè, seu æqualiter, vel inæqualiter èst participata, vt est cõparatio albi ad album, vel vnius numeri ad alium, vt binarij ad quaternarium; siquidem prior fit in albedine, quæ est vna forma, à duobus albis participata; posterior verò fit in proportione dupla, quam participant binarius, & quaternarius. Composita est illa, secundum quam comparantur aliqua secundum plures formas, vt vnum lac comparatur ad aliud secundum albedinem, & dulcedinem; & duo numeri ad alios duos secundum duas proportiones, vt sicut se habent duo ad quatuor, ita tria ad sex, & huiusmodi comparatio vocatur ab Aritmetico proportionalitas, hoc est, duarũ proportionum habitudo. Hic est sermo de comparatione simplici, quia hæc dũtaxat spectat ad Physicum.

Secundò notandum ex Alberto Magno hic tract. 2. cap. 2. Comparationem simplicem esse triplicem .s. physicam, metaphysicam, & logicam. Comparatio physica est, quæ fit in vna forma physica, idest indiuisibili formaliter, & diuisibili tantum materialiter, & hæc fit tantum in specie specialissima; siquidem hæc dumtaxat est indiuisibilis formaliter, alioquin non esset vltima, & diuisibilis materialiter, hoc est per differentias indiuiduales. Metaphysica est, quæ fit in vna forma metaphysica, hoc est, formaliter diuisibili, & hæc fit in natura generica, quatenus perfectius, vel imperfectius à suis speciebus participatur ratione differentiarum, per quas diuiditur, & in illas descendit, & sic dicimus, hominem esse perfectius animal, quàm equus. Logica verò est, quæ fit in forma logica, seu intentionali, & hæc pariter fieri potest, nedum in specie, verùm etiam in genere; siquidem ratio prædicabilitatis perfectiori modo participatur à genere, quàm à specie specialissima, & vna species magis, quàm altera participat prædicari de pluribus differentibus numero, vt patet de homine, & phœnice, vel Sole. Hic est sermo de omnibus iuxta diuersitatem opinionum, quas supra retulimus.

Tertiò notandum est: Comparationem posse fieri inter aliqua, dupliciter intelligitur, vno modo secundum determinatã quantitatem excessus; alio modo secundũ indeterminatam excessus quãtitatem. Comparatio primo modo fieri potest tantum inter indiuidua vnius speciei, quæ vel suscipiunt magis, & minus, vel sunt perfectiora, & imperfectiora adinuicem secundum determinatos gradus, non tamen inter species, cum vna non excedat aliam secundũ determinatos gradus, verùm indeterminatè vsque in infinitũ, vndè si species imperfectior secundum infinitos gradus augeretur, nũquam excederet, vel attingeret perfectionem speciei perfectioris; siquidem si gradus infiniti intra limites suæ speciei adderentur equo, vel leoni, numquam pertingere possent ad perfectionem hominis. Comparatio autem secundo mo-

do fieri potest in omnibus rebus suo modo, hoc est, vel physicè, vel metaphysicè, vel logicè; quandoquidem vnaquæque res excedit aliam, vel ab ea exceditur si adinuicem comparentur, alioquin frustra esset comparatio inter illas. Hic est sermo præcipuè de comparatione secundum determinatum excessum, quia hæc solum fit in specie vltima, siue athoma.

Quartò notandum ex Aristotele in textu à t. 24. vsque ad 29. & colligitur ex Scoto lib. 1. Poster. q. 12. & 13. Ad comparationem physicam quinque conditiones requiri. Prima, quod comparabilia sint saltem duo, idem .n. ad se comparari nequit. Secunda, quod comparentur in aliquo tertio, quod suscipiat magis, & minus, aut saltem maius, & minus, defectu cuius, comparationes factæ in alijs prædicamentis à qualitate, & quantitate, quæ tantum suscipiunt magis, ac maius, & minus, non erunt physicæ, sed vel metaphysicæ, aut logicæ. Tertia, quod tale tertium sit vniuocum, defectu cuius ens reale nequit comparari ad ens rationis, quia ens commune vtrique non est vniuocum, sed æquiuocum. Quarta, quod susceptiuum immediatum illius tertij, in quo debet fieri comparatio, sit eiusdem rationis in vtroque comparabili, cuius defectu acuties in vino nequit comparari acutiei vocis, quia immediatum susceptiuum non est eiusdem rationis; siquidem acuties in vino recipitur in superficie, in voce autem in quadam qualitate sensibili. Et quinta tandem, quod tale tertium sit species specialissima, ob cuius defectum album nequit nigro comparari, quia color communis est genus, & non species athoma.

Quintò notandum denique pro solutione argumentorum, comparationem tripliciter posse sumi, primo modo latissimè, & secundum talem, nedum entia entibus, verùm & non entibus comparari possunt: dicimus enim ens reale positiuum esse perfectius priuatiuo, vel negatiuo, sed valdè impropriè. Secūdo modo minus latè, & secundum talem entia cōparantur entibus, siuè realia realibus, siuè etiam rationis, & sic solemus dicere, primas intentiones esse perfectiores secundis. Tertio modo propriè, nempè pro illa, quæ fit in aliquo vniuoco, siuè logico, siuè metaphysico, siuè physico, & de hac tantum loquimur, & præsertim de illis, quæ fit in vniuoco physico, quod est species specialissima.

Ex his fit prima conclusio. Comparatio metaphysica fieri potest, nedum in genere, verùm etiam in quolibet vniuoco transcendentali. Est communis, & maximè Scotistis, qui admittunt vniuocationem cum analogia perfectionis, non tantum in ente, ad omnia entia realia, sed etiam in quolibet genere erga suas species. Probatur, quia comparatio metaphysica fit in aliquo tertio vniuoco metaphysicè ad sua inferiora; sed genus erga suas species, & ens reale respectu omnium entium realium, sunt vniuoca metaphysicè, cum importent, vltra voces, etiam conceptus omnibus communes, vt latiùs ostendimus in Prædicamentorum libr. disp. 1. q. 3. ergo comparatio metaphysica fieri potest, non tantum in genere, sed etiam in quolibet transcendenti vniuoco, cuiusmodi est ens.

Secunda conclusio. Comparatio logica fieri potest in omnibus, quæ sunt eiusdem generis generalissimi. Hæc pariter debet esse communis, & potissimùm Scotistis, cùm adstruant, vniuocationem logicam reperiri in quolibet genere generalissimo. Probatur, quia ad comparationem logicam sufficit, vt comparabilibus applicari possint singula vniuersalia, quæ sunt vniuocà logicè, vt probauimus in Vniuersalibus; sed omnia, quæ continentur in vnoquoque genere generalissimo possunt participare aliquod illorum quinque Vniuersalium; ergo talia possunt adinuicem comparari logicè. Maior patet ex secundo notab. Minor probatur, quia illa, quæ continentur in quolibet Prædicamento, aut sunt genere, aut species, aut indiuidua, aut differentiæ, aut propria; sed omnibus istis potest applicari aliquod illorum quinque vniuersalium, vt patet: Nam corpus, & corpus animatum

nimalium comparantur in genere, & specie subalterna; homo, & equus in specie specialissima: rationale, & irrationale in ratione differentiæ; & risibile, ac rugibile in ratione proprij; ergo omnia, quæ continentur in singulis generibus generalissimis, possunt adinuicem logicè comparari.

Tertia conclusio. Comparatio autem physica necessariò fieri debet in accidentibus, quæ sunt eiusdem speciei specialissimæ tantùm. Est Aristotelis in hoc 7 Physicorum tex. 29. & colligitur ex Scoto in 1. dist. 2. q. 7. T. & dist. 13. q. vn. A. & Q. & dist. 43. q. 1. lib. 4. sub D. expressius autem in Prædicamentis q. 6. & lib. 1. Poster. q. 12. & 13. Probatur primò auctoritate Aristotelis in citato textu; vbi dumtaxat loquitur de comparatione physica, vt patet ex conditionibus assignatis in tex. 24. 27. & 29. ac 31. in quibus euidenter excludit comparationem metaphysicam, quæ fieri potest in genere, dum inquit, in genere latere æquiuocationes diuersarum naturarum, non verò in specie specialissima. Secundò probatur ratione; quia ad comparationem physicam necessariò exiguntur illæ conditiones recensitæ in 4. notabili; sed huiusmodi conditiones non verificantur, nisi de accidentibus, quæ suscipiunt magis, & minus, vel maius, & minus, & quæ sunt species specialissimæ; ergo comparatio physica necessariò fieri debet in accidentibus, quæ sunt eiusdem speciei specialissimæ. Maior patet ex dictis in 4 not. Minor similiter, quia nec substãtiæ, nec relationes suscipiũt magis, & minus, vel maius, & minus per se, sed si quãdoq. suscipiunt huiusmodi excessus, vel defectus, hæc illis eueniunt per accidens, ratione quantitatis, aut qualitatis, vt aliàs ostendimus; ergo huiusmodi conditiones non verificantur, nisi de accidentibus, quæ suscipiunt magis, vel maius, & minus. Secunda pars probatur, quia comparatio physica nequit fieri, nisi in vniuoco physico, sed sola species specialissima est huiusmodi; ergo &c. Maior patet in tex. 24. Minor similiter, in tex. 31. vbi dicitur, in genere latere æquiuocationes, ob eius diuisibilitatem in varias naturas, quarum vna est alia perfectior, ratione propriæ differentiæ constitutiuæ; in specie autem minimè, cum dicat vnam tantum naturam, formaliter indiuisibilem, & solum diuisibilem materialiter per differentias indiuiduales, quæ non possunt variare conceptum specificum, vt alibi diximus; ergo huiusmodi accidentia, in quibus fieri debet comparatio physica, debent esse eiusdem speciei specialissimæ.

Quarta conclusio. Ex his infertur, omnes motus esse adinuicem comparabiles comparatione metaphysica; physica verò illos dumtaxat, qui sunt eiusdem speciei specialissimæ. Est Aristotelis in hoc 7. Physic. tex. 30. & 31. & sequentibus vsq. ad 35. Probatur prima pars, quia omnes motus vniuocantur in motu in communi, tamquam species in suo genere; ergo &c. Secunda pars similiter probatur, quia tãtum huiusmodi motus habent conditiones comparationis physicæ, vt patere potest inductiuè in omnibus; ergo &c.

Obijcitur primò contra primam conclusionem: Si quodlibet ens metaphysicè posset cuilibet enti comparari, sequeretur, creaturam posse ad Deum comparari; sed consequens est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Sequela maioris patet, quia ambo vniuocantur in ente reali. Minor probatur, quia comparatio est quædam proportio; sed creaturæ, cùm sit finita, ad Deum, qui est infinitus, nulla est proportio; ergo nec comparatio.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, minorem esse verã de proportione secundũ determinatum excessum, falsam autem secundum excessum indeterminatum, quia sic finiti ad infinitum est benè proportio; quandoquidem vocamus Deus omnium entium in infinitum perfectissimum.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem, quia duæ species eiusdem generis vltimæ nequeunt adinuicẽ comparari; sed data veritate conclusionis, sequeretur huiusmodi comparatio, vt patet; ergo &c. Maior probatur, quia si tales

si tales species vltimæ possent adinuicem comparari, vel hoc esset secundum excessum, vel secundum æqualitatem; sed neutrum horum est dicendū; ergo &c. Maior patet, quia omnis comparatio fit, vel secundum excessum vnius ad aliud, vel secundum æqualitatem in participādo formam, in qua fit comparatio. Minor probatur: Non secundum æqualitatem, quia species sunt sicut numeri, quibus est impossibilis æqualitas: Nec secundum excessum, quia æqualiter distant à genere; ergo &c.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, esse comparabiles secundū excessū; & cùm probatur, eo quod æqualiter distant à suo genere, verum est de æqualitate naturæ; siquidem vna non est prior altera, cum genus descendat æqualiter in illas per duas differentias oppositas, quæ sunt simul natura, non autem de æqualitate perfectionis, quia sic vna perfectius participat naturam generis ratione suæ differentiæ constitutiuæ, quam alia.

Obijcitur tertiò contra quartam conclusionem, quia motus est formaliter in genere quantitatis, vt ostendimus in 3. Physicorum; sed in quantitate non est magis, & minus; ergo nec in motu, ac proindè in motu nulla erit comparatio. Consequentia patet ex tertia conditione requisita ad comparationem.

Resp. Negando vltimam consequentiam; quandoquidem ad comparationē requiritur vel magis, & minus, vel maius, & minus; modò motus cum sit quātitas suscipit maius, & minus, & hoc sufficit, vt in motibus possit fieri comparatio, vel physica, vel metaphysica, vt probatum est in conclusione.

Obijcitur quartò contra tertiam conclusionem, quia in tantum asseritur, cōparationem physicam debere fieri in specie specialissima, in quantum ipsa sola est perfectè vniuoca suis indiuiduis comparabilibus; sed hæc ratio est falsa; ergo &c. Maior patet ex Aristotele in t. 31. Minor probatur, quia etiam genus est vniuocum ad suas species, cum dicatur de illis secundum idem nomen, & eandem rationem ab ipsis participatam, sicut species dicitur de suis indiuiduis, patet enim de animali respectu hominis, & leonis, quod quidditatiuè dicitur de illis, sicut homo de Petro, & Paulo &c.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, genus quidem esse vniuocum metaphysicè ad suas species; cum tamen huiusmodi vniuocatio admittat secum analogiam perfectionis maioris, & minoris, sequitur, quod non sit ita perfecta, sicut vniuocatio physica, quæ excludit huiusmodi analogiam; quapropter genus excluditur à comparatione physica, & perfectissima, & includitur sola species specialissima, vt potè, quæ sit perfectissimè vniuoca ad indiuidua.

Vtrum regula posita ab Aristotele in textu ad cognoscendum proportiones motuum sint rectè assignata, contineantque veritatem?

QVÆSTIO II.

Circa hanc perdifficilem quæstionē, nulla reperitur controuersia, quod viderim, idcircò quibusdam notatis ex Toleto, & Catharensi, respondebimus ad propositam difficultatem.

Primò igitur notandum est, quod sicut motus habetur in mobili ex victoria, quam mouens reputat de resistēria mobilis, ita velocitas, & tarditas motus attendi debet ex maiori, vel *minori victoria*, & excessu virtutis mouentis super mobili; & pariter ex maiori, vel minori resistentia mobilis ad motorem: ex his enim insurgit relatio proportionis inter mobilia, & mouentia, & pariter inter motus ad seinuicem. Hæc autem comparatio, siuè proportio potest fieri quadrupliciter, & primò sumendo proportionem penès virtutes motiuas, vt e. g. quod virtus motiua vt octo, in duplo velocius moueat, quàm virtus vt quatuor, & sic, talis proportio non rectè sumitur, quia motus non tantum attenditur penès virtutem mouentis, sed etiam penès virtutem passi, seu mobilis resistentis. Secundò modo accipiendo cōparationem, & proportionem penes resisten-

sistentias mobilium, ita quod resistentia vt quatuor in duplo velocius moueatur, quam resistentia vt octo, neque sic esset bona proportio, quia in motu, nedum reperitur resistentia maior, vel minor passi, aut mobilis, sed etiam virtus motiua agentis. Tertiò modo attendi posset proportio penes excessum virtutis mouentis super resistentiam passi, vt e. g. si fuerint duæ virtutes, quarum vna sit vt octo, & moueat pondus vt vnum; & alia sit vt quatuor, & moueat pariter pondus vt vnum; sicut prior excedit suam resistentiam in septem, ita posterior in tribus; & sicut septem ad tria est proportio dupla sexquitertia, sequitur, quod etiã vnus motus sit ita velocior altero, & neque sic sumenda est proportio in proposito; siquidem nedum illi septem gradus causant velocitatem motus, sed etiam ille octauus. Quartò modo posset sumi penes proportiones virtutis ad suas resistentias, & penes proportionalitatem talium proportionum adinuicem, vt puta, si vna virtus vt octo, moueat mobile, vt quatuor; & alia virtus vt quatuor, moueat aliud mobile vt duo, tunc octo ad quatuor est proportio quadrupla, & dupla pariter erit quatuor ad duo, horum proportio dupla ad quadruplam habet proportionalitatem duplam; ergo motus primæ virtutis erit in duplo velocior motu posterioris virtutis, scilicet virtutis vt quatuor, & sic sumitur in proposito comparatio, & proportio motuum ad motores, sicque intelligendæ sunt regulæ positæ ab Aristotele à t. 35. vsque ad 39.

Secundò notandum pro meliori, ac clariori intelligentia earumdem regularum ex Euclide lib. 5. suæ Mathem. latam esse differentiam inter proportionem, & proportionalitatem: Proportio enim est habitudo quantitatis ad quantitatem, vt in numeris, à quatuor ad duo est proportio dupla: Proportionalitas verò est habitudo vnius proportionis ad aliam, vt proportionis, quæ reperitur. e. g. inter quatuor, & duo, ad proportionem, quæ est inter quatuor, & octo, & è conuersò.

Tertiò notandum est ex eodem: Proportionem esse duplicem, nempè rationalem, & irrationalem. Proportio irrationalis est illa, quæ versatur inter quantitates incommensurabiles, vt inter diametrum, & costam figuræ quadrangularis, & hæc reperitur tantum in quantitatibus continuis; siquidem omnes quantitates discretæ sunt commensurabiles. Proportio autẽ rationalis est, quæ reperitur inter quantitates commensurabiles adinuicem, vt inter costam, & costam quadranguli, & hæc versatur in omnibus quantitatibus, tàm continuis, quàm discretis. Est autem duplex, scilicet æqualitatis, quæ est inter quantitates æquales, vt inter duo, & duo, inter quatuor, & quatuor; & inæqualitatis, quæ reperitur inter quantitates inæquales, vt inter duo, & quatuor; & hæc pariter est duplex, scilicet maioris inæqualitatis, cum videlicet quantitas maior comparatur ad minorem, vt octo ad quatuor; & minoris inæqualitatis, quando quantitas minor comparatur ad maiorem, vt quatuor ad octo. Proportionis maioris inæqualitatis sunt quinque species .s. multiplex, superparticularis, multiplex superparticularis, superpartiens, & multiplex superpartiens. Proportio multiplex est, quando numerus maior continet minorem plusquam semel superadæquatè, vt est proportio dupla, tripla, quadrupla, quintupla, & crescit in infinitum sicut numerus. Proportio superparticularis, est quando maior cõtinet minorem, & aliquam eius partem aliquotam, vndè si continet semel totum, & medietatem eius, est proportio sexquialtera, vt inter tria, & duo, quia tria continent duo, & dimidium, scilicet vnum, si continet tertiam partem, vt est inter quatuor, & tria, tunc est sexquitertia: si quartam partem, vocatur sexquiquarta, si quintam partem, sexquiquinta vsque in infinitum. Proportio superpartiens, est cum maior quantitas continet minorem semel, & aliquam eius partem non aliquotam, vt est inter septem, & quinque, & si tales partes non aliquotæ sint compositæ ex duabus partibus aliquotis triplicibus, seu tertijs; tunc talis proportio erit superbipartiens

tertias, vt est proportio quinque ad tria; nam quinque continent tria, & duas vnitates, quæ sunt duæ partes aliquotæ tertiæ trium; si verò maior continet tres partes quartas, vt sunt septem respectu quatuor, tunc ibi erit proportio, supertripartiens quartas, & sic in infinitum. Proportio multiplex superparticularis est, quando maior quantitas continet minorem plusquam semel, bis, vel ter, & insuper aliquam eius partem aliquotam, vt est numerus denarius respectu ternarij; ipsum enim continet ter, & alterius vnitatem, quæ est eius pars aliquota: Et si maior continet minorem bis, & eius dimidium, vocatur dupla sexquialtera, vt est inter quinque, & duo: Si bis, & tertiam partem, vt septem, & tria, appellatur dupla sexquitertia, & sic in infinitum. Proportio multiplex superpartiens est quando maior quantitas continet minorem plusquam semel, & aliquam eius partem non aliquotam, vt inter octo, & tria; siquidem octo continet bis tria, & vlterius vnam dualitatem, quæ est pars non aliquota trium; vndè si maior continet minorem bis, & duas tertias, erit proportio dupla superbipartiens tertias, vt octo, & tria; si duas quartas erit dupla superpartiens quartas, & sic infinitum. Proportio tamdem minoris æqualitatis etiam ipsa habet quinque species, quæ sunt eædem cum prioribus, addito tamen cuilibet, loco de ly super, sub, vt submultiplex, subsuperparticularis, subsuperpartiens, submultiplex, & sic de cæteris; & aduertendum, quod in eis numerus minor semper comparatur ad maiorem. Vlterius ita diuidi possunt proportionalitates; quandoquidem proportionalitas fundatur super proportione, igitur multiplicatis proportionibus, & proportionalitates multiplicari necesse erit: cæterùm, quia, vt primo aduertimus, velocitatem maiorem, vel minorem motuum attendi debere penès proportiones virtutum motiuarum, ad resistentias, & penès proportionalitates huiusmodi proportionũ adinuicem, ideò hæc doctrina de proportionibus, & proportionalitatibus erat necessaria, ad inuestigandam velocitatem, & tarditatem motuum.

Quartò notandum pro maiori intelligentia specierum proportionis, partes quantitatis esse in duplici differentia; aliæ enim dicuntur aliquotæ, & aliæ non aliquotæ. Pars aliquotá dicitur illa, quæ pluries sumpta reddit totum adæquatè, vt duo respectu quatuor, nam bis duo faciunt quatuor: Pars verò non aliquota est, quæ pluries sumpta non reddit totum adæquatè, vt duo respectu quinque; nam quotiescumque duo sumantur, numquam reddent adæquatè quinque, cum semper aliqua vnitas supererit sumenda: ex his infertur differentia inter proportionem, quæ dicitur superparticularis, & illam, quæ appellatur superpartiens; siquidem prior fit per partes aliquotas, posterior autem per non aliquotas.

Ex his fit conclusio. Regulæ positæ ab Aristotele à tex. 35. vsque ad 39. ad cognoscendas comparationes, & proportiones motuum, quoad velocitatem, & tarditatem, sunt benè, & conuenienter assignatæ. Probatur, quia illæ regulæ sunt rectè, ac conuenienter assignatæ, ex quibus eliciuntur veræ proportiones, ac proportionalitates; sed prædictæ regulæ sic se habent, quod ea vnaquaque elicitur aliqua vera proportio motus ad motum, & mobilis ad motorem; ergo sunt rectè, & conuenienter assignatæ. Maior patet, quia huiusmodi regulæ sunt positæ ad ostendendas proportiones, & comparationes motuum adinuicem, & mobilium ad motores. Minor remanet probata ex dictis in textu, & clariùs ostendetur soluendo argumenta contra huiusmodi regulas.

Objicitur primò contra primam regulam. Si talis regula esset vera, sequeretur, id, quod per aliquod spatium non potest moueri, adhuc per ipsum moueri posse; sed hoc est valdè absurdum; ergo & antecedens, ex quo sequitur. Sequela maioris probatur duobus suppositis. Primò, quod aliquis homo possit vnam libram ponderis ferre per vnum milliare, non tamen per cen-

cum

tum milliaria. Secundò, quod talis homo per vnum milliare possit portare centum libras ponderis; tunc sic: Per te, si vna virtus potest portare aliquod mobile per spatium in aliquo tempore, eadem virtus poterit portare dimidium mobilis illius per duplum spatium; ergo tertiam partem per triplum, quartam per quadruplum, & centesimam per centuplum; sed vna libra est centesima pars talis ponderis; ergo idem huiusmodi libram poterit portare per centuplum, hoc est per centum milliaria, & per suppositum talis nequit per centum milliaria ambulare; ergo id, quod per aliquod spatium moueri non poterat, per ipsum moueri poterit, quod est impossibile.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem dico, supponi vnum falsum, nempè ex parte resistentiæ spatij se tenere tantum illas centum libras pôderis; siquidem nedum tales resistunt, sed etiam proprium corpus sibi resistit, & ideò in resistentia, ipsum quoque connumerari debet, cum ab eo expoliari nequit in sensu composito.

Obijcitur secundò contra secundam regulam. Videmus per experientiam duos homines æqualis virtutis, vnum agere in duplum, nimirum portare duplum pondus, alterum verò dimidium, & tamen primum prius conficere motum, quàm secundum; ergo æqualis virtus non mouet dimidium mobilis in dimidio temporis per æquale spatium.

Resp. Antecedens esse verum, ratione alicuius impedimenti, vt puta negligentiæ, vel libertatis, non tamen ex defectu potentiæ actiuæ; si enim vterque ageret secundum vltimum suæ potentiæ, æqualem effectum, & motum conficerent.

Obijcitur tertiò contra tertiam regulam, quia huiusmodi virtus mouens, vel est animata, vel inanimata; sed neutra potest verificare regulam; ergo &c. Minor probatur: Non prior, quia motus animalis circa principiũ, & finem est tardius, in medio verò velocissim⁹, ergo &c. Neque posterior, quia aut mouetur naturaliter, aut violenter; si naturaliter, eius motus est velocior in fine, quàm in principio; si violenter è conuersò est velocior in principio; ergo non poterit conseruari eadem proportio velocitatis per diuisionem, vel medietatem.

Resp. Negando minorem, ad probationem dico, verificari posse de vtraque, reddendo singula singulis. Ad primam concedo ita accidere in motu animalis, sed negatur consequentia, quia non fit comparatio nuda ex parte virtutis mouentis, & resistentiæ mobilis; siquidem animalis motus retardatur in principio, & in fine ex impedimento proprij corporis, quod tamen non fuit consideratum ab Aristotele in sua regula. Ad secundum, admisso vtroque casu de motu naturali, & violento, iterùm negatur consequentia, quia maior velocitas in motu naturali non tantum pendet à virtute motiua mobilis, sed ab impulsu accidentis coniuncti mobili per motum, nempè velocitatis, quæ coniuncta cum corpore mobili, quò magis deorsum tendit, caussant maiorem velocitatem, vt explicabimus in sequenti libro 8. in motu verò violento deficit virtus mouentis propter impedimentum aliò tendentis, & sic patet, quod defectus non prouenit ex parte virtutis mouentis, verùm ex accidentibus, quæ concurrunt in huiusmodi motibus localibus.

Obijcitur quartò contra quartam regulam. Angelus mouet Cœlum; sed dimidium suæ virtutis non potest mouere dimidium Cœli in æquali spatio, & tempore; ergo si aliqua virtus mouet mobile per aliquod tempus in aliquo spatio, non sequitur, dimidium virtutis mouere posse dimidium mobilis in eodem tempore per æquale spatium. Minor patet, quia Angelus est indiuisibilis, sicut pariter eius virtus.

Resp. ab Auerroe apud Toletum hîc q. 5. regulam Aristotelis intelligendam esse de virtutibus motiuis corporeis, non autem de incorporeis, cuiusmodi sunt Angeli; siquidem in his, ob eorum indiuisibilitatem, nequit esse proportio

vnius ad alteram virtutem, nec virtutis ad resistentiam, quia hæc tantum in corporibus reperitur.

Verùm hæc responsio non placet Toleto, sicut hec Scoto placere debet, cum ponat resistentiam in Angelorum motu, ex parte spatij, & etiam diuisibilitatem virtualem in illis.

Respondetur igitur secundò, negando minorem; ad probationem dico, Angelos esse diuisibiles virtualiter, & gradualiter, cum actiuitas vnius sit perfectior actiuitate alterius, & ideò benè sequitur, vnum Angelum dimidio suæ virtutis posse mouere in eodem tempore, & per idem spatium dimidium Cœli, si tota eius virtus mouet totum Cœlum in eodem tempore, & spatio. Finis libri 7. Physicorum.

De Physico auditu, seu Physicorum Aristotelis.

LIBER OCTAVVS.

ACturus Aristoteles in hoc octauo, & vltimo Physicorum libro de vnitate, æternitate, ac infinitate primi Motoris, ac Mobilis, ad quos, cætera, quæ in superioribus libris tradidit, aut tamquam media ad suum finem, aut veluti effectus ad primum efficiens, ordinari videntur, ab vnius motus æternitate, ac infinitate illas inuestigare pertentat: nam cum motus ordinetur ad mobile, & tàm motus, quàm mobile habeat dependentiam à Motore, ostensa vnius primi motus æternitate, ac infinitate, etiam primi Motoris, & Mobilis vnitatem, æternitatem, ac infinitatem se demonstraturum facilè compromisit: relatiua enim se inuicem manifestant, ac notificant, vt testatur Philosophus idem in Prædicam. cap. de Ad aliquid, & Porphyrius in suis Vniuersal. cap. de Specie. Diuiditur autem hic liber in quatuor Summas, in quarum prima disputat, ac probat Motum esse æternum: In secunda ostendit primi Motoris æternitatem, immutabilitatem, & vnitatem: In tertia demonstrat primi mobilis æternitatem: Et in quarta agit de primi Motoris indiuisibilitate, & infinitate.

De Motus æternitate.

SVMMA I.

HÆc prima Summa diuiditur in duo capitula, in primò quorum probat motum esse æternum, tàm à parte antè, quàm à parte pòst: In secundo verò soluit rationes negantium motus æternitatem.

Quoad primum in t. 1. mouet hanc quæstionem: Vtrum motus aliquando factus fuerit, & aliquando sit corrumpendus: Vel vtrum motus numquam sit factus, & numquam corrumpendus; vel vt paucis rem perstringam: Vtrum motus sit perpetuus, tàm à parte antè, quàm à parte pòst, & consequenter sit æternus?

Proposita quæstione, antequam ipsã soluat de mente propria, refert aliorum opiniones de motus sempiternitate, quarum prima fuit Democriti, Leucippi, & Epicuri, qui ponentes infinitos mundos generari, & corrumpi successiuè in æternitate, admiserunt ex consequenti infinitos motus successiuè æternos; generationes enim, & corruptiones infinitorum mundorum absque motu fieri non potuissent. Secunda opinio, quam secutus fuit Aristoteles, ponit vnũ mundum semper fuisse, & consequenter vnum motum æternum. Tertia tamdem sententia fuit Anaxagoræ, & Empedoclis, ponentium quidem vnum mundum, at non semper fuisse, sed tempore incepisse, vndè ex consequenti isti negabant motus æternitatem, quin potiùs habuisse principium cum mundo.

In t. 2. impugnaturus hanc tertiam opinionem de mundi inceptione, ipsam prius declarat dicens, quod duobus modis intelligere potuerunt mundum incepisse. Primò, quod præcesserit chaos, ex quo mens. i. Deus, fecit mundum, ita ut nullus motus præcesserit, vt voluit Anaxagoras. Secundò, quod semper præcesserit alius, & alius motus, cum hoc

hoc tamen vt inter illos fuerit aliqua quies, vt Empedocles; qui ponebat quietem inter mundum, & chaos; nam ex eo per litem mundus, & ex mũdo per amicitiam iterùm chaos fiebat.

Deindè subdit Philosophus, quod qui posuerunt motum incepisse, debent cũ his sentire: non enim potest assignari alius modus inceptionis, nimirum esse factum ex nihilo, quia ex nihilo nihil fit.

In t. 3. ponit hanc conclusionem. Proposita quæstio de motus, & mundi æternitate est vtilis ad scientiam naturalem, & ad scientiam de primo rerum principio, quæ est pars metaphysicæ; siquidem data sempiternitate motus, physicus colligere potest dari quædam corpora naturalia, vt sunt cœlestia, sempiterna; & Metaphysicus inferre valet sẽpiternitatem primæ causæ: non enim effectus poterit esse sempiternus, & causa temporalis.

In t. 4. respondet de propria mente ad quæstionem, sed prius supponit vnũ, nimirum omni motu debere præfuisse mobile, quod probat per diffinitionem motus; nempè motus est actus mobilis; sed actus præsupponit id, cuius est actus, vt accidens subiectum, & forma materiam; ergo mobile debet præcedere motum. Deindè probat inductiuè, quia alteratio præsupponit alterabile, combustio combustibile, latio quod localiter fertur, & sic de alijs; ergo omni motui præsupponitur mobile.

In t. 5. statuit primam conclusionem responsiuam ad quæstionem: Motus sẽper fuit; eamque probat: nam si motus non semper fuit, sed aliquando cepit esse, ergo ante ipsum fuit mobile; sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia patet ex supposito. Falsitas probatur: Si mobile præcedit motũ, aut est factum, aut non est factum, sed æternum; neutrum est dicendum; ergo &c.

Non est dicendum primum, quod sit factum, quia ait t. 6. omne, quod fit, mediante motu fit; sed ante primum motum non est motus; ergo mobile præcedens motum non est factum.

Tex. 7. Nec est dicendum secundum, quia si mobile fuit æternum, sequeretur idem inconueniens, quod cum ante quiesceret, opportuit remoueri talem causam quietis; sed ista remotio est motus, vel concomitatur motum, ergo ante motum erit motus. Consequentia probatur: Nam si ab æterno fuit quies; ergo talis quies fuit ab aliqua causa impediente causata, sed non potuit remoueri tale impedimentum sine motu; ergo ante primum motum, fuit motus, quod implicat.

In t. 8. ponit quamdam cauillationem contra præfatum argumentum; posset enim quis dicere, quod mouens præcessit motum ab æterno; & ad probationẽ posset respondere, maiorem esse veram de mouente naturali, quod non potest non agere, sed necessariò agit, cuiusmodi est ignis, non tamen de agente libero, vt est Deus, qui potest agere, & non agere. Idem etiam respondet ad secundam partem .s. quod mobile non quiescebat ob impedimentum, sed ob libertatem agentis.

In t. 9. reijcit cauillationem dicens, quod sicut natura numquam agit in contraria, nisi ratione diuersarum dispositionum, vel intrinsecarum, vel extrinsecarum, ita etiam agens liberum non agit contraria, nisi secundum diuersas dispositiones intrinsecas, vel extrinsecas, quæ non possunt fieri sine motu.

In t. 10. affert secundam rationem pro conclusione: Nam tempus semper fuit; sed tempus nequit esse sine motu; ergo & motus semper fuit. Minor patet, quia tempus est mensura motus, eiusque passio; at passio non est sine subiecto, nec mensura sine mensurato; ergo &c. Maiorem probat dupliciter, primò auctoritate Antiquorũ, qui omnes, præter Platonem, concesserunt tempus esse perpetuum, & ingenitum.

In t. 11. secundò probat maiorem ratione: Si tempus est factum, & ipsum nunc est factum; sed consequens est absurdum; ergo &c. Consequens patet: Impossibile est tempus intelligi sine nunc; ergo si tempus est factum; ergo & nunc erit factum. Anteceden. pro-

bat, quia impossibile est continuum esse sine suis continuationis. Absurditas probatur, quia de ratione nunc, est esse principium futuri, & finem præteriti; sed per te in principio temporis, factum est tempus, & nunc, ergo nunc erat finis temporis præcedentis, & sic ante primum tempus, extitit tempus, quod est impossibile.

In t. 12. alteram iacit conclusionem; nempè, primum motum esse incorruptibilem, & perpetuum à parte post, quã sic probat: Si motus aliquando desineret, sequeretur, quod post vltimum motum motus esse potest; sed hoc implicat contradictionem, esset enim vltimus, & non vltimus; ergo &c.

Verùm antequam probet sequelam maioris, ponit hoc fundamentum, quod sicut ante motum est motiuum, & mobile, ita etiam post motum remanet motiuum, & mobile: hoc supposito

In t. 13. probat sequelam maioris, si motus cessaret; ergo post ipsum remaneret motiuum, & mobile; tunc vel huiusmodi sunt corruptibilia, vel incorruptibilia: si corruptibilia, igitur cum corruptio sit motus, post vltimum motum erit motum: Si incorruptibilia, ergo perseuerante principio motus, nimirum mouente, & mobili, ijsque non impeditis, erit motus, alioquin frustra esset illud principium.

Cæterùm quia Philosophiam catholicæ veritati consentaneam profitemur, tenemur diluere Aristotelis argumenta supradicta, pro æternitate motus.

Ad primum igitur dicimus, mobile non esse æternum, sed factum à primo Motore. Quando autem infertur, esse factum per alium motum, negatur; est enim factum per creationem, quæ non est motus, nec mutatio, cum nihil præsupponat, sed sit productio ex nihilo.

Ad secundum respondemus, nunc intermedia temporis habere rationem principij, & finis, non verò nunc initiatiua, & terminatiua, quod conspicitur in punctis lineam terminantibus, quorum neuter est simul principium, & finis, ac proindè dicimus nunc, in quo mundus incepit, non fuisse præteriti temporis finem.

Ad tertium dicimus, non esse necessarium, quod posito primo mouente, ac mobili, sequatur motus; siquidem primum mouens libere mouet, & contingenter ipsum mobile, ac pro sui libito potest mouere, & non mouere, nec propterea sequitur, mobile futurum frustra, quia dirigeretur eius quies ad primi motoris potentiam, ac libertatem ostendendam.

In t. 14. refellit quoddam dictum Empedoclis, qui supponebat vt quoddam principium, modò esse quietem, ac modò motum per litem, & amicitiã; at huius rei non reddebat causam, sed id aiebat prouenire ex natura rei, quod tamen erat necessarium probare.

In t. 15. reijcit aliud dictum, seu sententiam Anaxagoræ, qui simul supponebat, chaos, & motum incepisse, & hanc esse rei naturam; Tùm primò, quia natura est causa ordinis, & rationis, ac proportionis; sed dictum Anaxagoræ nullum ordinem, & nullam proportionem ponit; ergo &c. Maior patet, quia natura est semper ordinata in suis operibus, si non impediatur. Minor probatur, quia ab infinita quiete ad motum finitum nulla est proportio; tùm secundò: Naturæ opera, aut semper sunt, aut deficiunt ob aliquam causam; at quod motus inceperit post infinitam quietem nulla habetur causa; ergo malè dicitur, quod sic inceperit ex natura rei.

In eodem tex. confert Empedoclem cum Anaxagora, & ait melius sensisse Empedoclem, quam Anaxagoram, cum posuerit aliquem ordinem in tali variatione motus, & quietis.

Deindè refellit etiam doctrinam Empedoclis, quia Philosophi est demonstrare per causam, aut per inductionem, at iste neutro modo probat; ergo &c. Minorem probat, quia licet per inductionem probetur, litem, & amicitiam congregare, & disgregare, tamen quod tanto, vel tali tempore non probat inductiuè.

Demùm in hoc tex. reijcit responsionem, quam quis afferre potuisset ex sẽtentia Democriti, dicentis: Eorum, quæ semper

semper sunt, non esse assignandam causam; quandoquidem licet aliqua sint sine causa, vt sunt Deus, & principia, seu incomplexa, tamen quædam dătur, quæ semper sunt, & habent causam, vt passiones subiectorum semper sunt, & tamen habent causam, nempè rationes formales subiectorum, à quibus originantur. Ex hoc textu elici potest identitas realis passionis cum subiecto pro Scotistis, contra Thomistas.

Quoad secundum Aristoteles, postquam impugnauit opiniones Empedoclis, & Anaxagoræ, nunc conatur soluere eorum rationes, probantes inceptionem mundi, ac motus, vndè prius affert rationes, & postea soluit.

In t. 16. ponit primam eorum rationem: Omnis mutatio est à contrario in contrarium; sed nulla mutatio huiusmodi est infinita, quia contraria finita distantia distant; ergo &c.

In t. 17. affert secundam rationem, quæ sumitur ab experientia: Mouentur multa de nouo, quæ non mouebantur; ergo etiam hoc vniuersum de nouo potuit moueri. Antecedens probatur, quia aliàs quæ quiescunt, nunquam mouerentur, & è contrà.

Deindè in eodem tex. proponit tertiam rationem, sumptam à motu animalium, quæ non ab extrinseco mouentur, sed à seipsis; ergo idem dicendum est de toto vniuerso, quod sine alio motu præcedenti potuit incipere moueri.

In t. 18. soluit primam rationem dupliciter, & primò negat minorem, quia inter contraria posset esse motus in infinitum, si ab vno in aliud vicissim moueretur, vt ab albo in nigrum, & à nigro in album, & sic in infinitum, sed quia talis mutatio nō esset vnus motus, sed plures circulariter, ideò

Respondet secundò negando maiorem, quia datur motus cœli, qui non est inter contraria, & talis potest esse perpetuus, & infinitus.

In t. 19. soluit secundam rationem, dicendo, antecedens esse verum de ijs, quæ mouentur in particulari, & hoc hinc aliud extrinsecum prius mouetur, non tamen de motu vniuersi, quod nullum habet extrinsecum à quo moueri possit.

Et si quæratur, quare præsente causa motiua, accidit vt quædam aliquando moueantur, & aliquando non? dicit se assignaturum rationem, & discrimen in sequenti capite.

In tex. 20. respondet ad tertiam rationem de motu animalium, negando antecedens; siquidem animalia, quamuis appareant moueri à seipsis, non tamen ita est; nam mouentur à continente, nempè aere, cœlo, & cibis, quæ mouent corpus, appetitum, & phantasiam animalis, quibus motis, mouetur & ipsum animal à se localiter: & hæc est differentia inter animalia bruta, & homines; siquidem illa ducuntur ab obiectis exterioribus, hi verò ducunt semetipsos pro suo arbitrio in obiecta; possunt .ni mouere, & non mouere se, sicut sib placet.

Dices; ergo animalia non sunt principia actiua cuiusque motus?

Respondetur ita rem se haberi, vt declaratum est, cum reuera in primis motibus semper moueantur ab extrinseco, vt diximus.

De Mundi inceptione, ac desitione.

DISPVT. I.

MVndi nomine Vniuersum significari, est communis omnium Sapientum sententia. Cæterùm quia quinque enumerantur Mundi, scilicet Archetypus, Angelicus, Elementaris, Mundus magnus, & Mundus paruus; propterea obseruandum est, nos hic non sumere Mundum in latissima significatione, quatenus comprehendit etiam Deum, cùm certissimum sit, huiusmodi Mundū carere inceptione, & desitione: est .n. æternus, & infinitus, ac penitus independens ab alio, sed tantum hic est sermo de Mundo magno, prout in se continet omnia entia realia à Deo seiuncta, siuè talia sint corpora, siuè corporis ex-

per-

pertia; siuè viuentia, siuè non viuentia, quandoquidem his omnibus aliquo pacto competere potest inceptio, & desitio, catholicè loquendo. Verùm enim verò, quia Mundum terminare, vel non terminare inceptionem, siuè temporalem, siuè æternam, præsupponit necessariò virtutem inceptiuam, idcircò prius examinanda sunt aliqua circa virtutem effectricē Dei; deindè circa productionē aut æternam, aut temporalem quædam alia, ac demùm nonnulla concernentia eius desitionem, & sic erit finis huius primæ disputationis. Quæritur ergo circa virtutem effectricem Dei ad extra primò.

Vtrum Deus possit aliquid de nouo efficere, vel liberè, & contingenter, vel necessariò?

QVÆSTIO I.

CAtholici omnes, tùm Philosophi, tùm Theologi fatentur vnanimiter hanc veritatem, Deū nimirum agere ad extra omninò liberè, ac contingenter, & consequenter posse creare, & nō creare, sicut sibi placet: Cæterùm inquirendo de mente Aristotelis non conueniunt Doctores; nam D. Thomas lib. 3. de Cęlo cap. 10. Stapulensis lib. 1. Economic. ad cap. 3. Zimara in lib. 2. de Anima ad tex. 34. Toletus lib. 8. Physic. q. 3. & Conimbric. ibidem cap. 2. q. 6. art. 2. putant, Aristotelem agnouisse Diuinam Prouidentiam, per quam cuncta in suos fines diriguntur, ac proindè non negasse, Deum esse agens liberum, & contingens ad extra.

Ex opposito Scotus in 1. d. 8. q. 5. sub D. & quol. 7. sub L. & in 2. d. 1. q. 2. sub A. Henric. quol. 5. q. 4. Marsilius in 1. d. 42. & 44. Gregorius d. 42. Gabriel d. 43. q. 1. Ferrariensis 2. contra Gentes c. 23. & alij multi sustinent, Aristotelem non cognouisse liberam in Deo operandi facultatē ad extra, sed ipsum fecisse agens omninò necessarium.

Alij verò, quasi media incedentes via, censent, Aristotelem fuisse dubium circa Diuinam libertatem, & ad partem negantem potiùs inclinasse, quàm ad affirmatiuam. Ita nonnulli Moderni, quos secutus est Catharensis, & videtur etiam Sulmonensis, quamuis dubitatiuè loquatur; at quod ego sentiam, dicam in conclusionibus.

Pro declaratione totius quæstionis, ac fundamento opinionis Doctoris subtilis, primò notandum est ex eodem in 2. d. 1. q. 2. sub A quod creare, ex communi omnium Doctorum sententia, est aliquid de nihilo in effectu producere; at quia ly de nihilo, secundùm Anselmum in Monolog. cap. 8. est dictum multiplex, ideò dicit Scotus, quod potest tripliciter accipi, vel vt signat causam materialem, vel efficientem, vel ordinem prioris, & posterioris. Si primo modo accipiatur, facit sensum, quod ly nihil sit materia, de qua omnia creata sunt: Si secundo modo, signat, nihil, seu non ens fuisse causam effectricem omnium rerum: vtrumque autem esse falsum, perspicuè cernitur, quia nihil nullius causa esse potest; restat igitur vt ly de nihilo sumatur tertio modo, & tunc erit sensus, quod prius erat nihil id, quod per creationem postea in effectu productum est. Hoc autem potest dupliciter intelligi, iuxta duplicem acceptionem prioris, vel vt notat ordinem, siuè prioritatem naturæ, vel durationis; in priori sensu conceditur à Philosophis, & negatur à plerisque ex Theologis, in posteriori verò negatur ab illis, & præcipuè ab Aristotele, & cūceditur ab omnibus istis.

Secundò notandum ex eodem ibidē, aliquid posse dici prius natura alio dupliciter, vel positiuè, vel priuatiuè, aut negatiuè. Illud dicitur prius natura positiuè, quod inest alicui, & prior est entitas eius, quàm illa, quæ dicitur posterius in esse illi, vt patet de animali, & rationali in homine; & substantia, ac accidente; siquidem in homine intelligitur prius natura esse animalis, quam rationalis; & in composito prius natura est substantia, quàm accidens. Illud verò dicitur prius natura alio quasi priuatiuè, quod non inest ei, cui dicitur primo conuenire, inesset tamen, nisi per aliud extrinsecū impe-

impediretur, vt priuatio prius natura inesset materiæ, quàm forma, nisi ab aliquo agente formam reciperet, ita quod ad habendum priuationem in materia sufficit ipsa sola cum priuatione, vel negatione causæ extrinsecæ: ad habendum autem formam in materia requiritur causa extrinseca .s. agens educens, vel inducens illam in eadem. Hoc autem intelligas velim, quod licet aliquando materia sit sub forma, & interdum sub priuatione, non propterea sunt de eius essentia, sicut nec simul inexistunt ei, cũ vtraque dicat respectum ad agens extrinsecum. Ex quo infertur, quod nihil, positum in diffinitione creationis, præcedit in creatura eius esse reale secundum ordinem naturę negatiuè, seu quasi priuatiuè tantum, quia sibi inesset, si nõ impediretur à Deo dante sibi esse per creationem: hoc autem non esse, sicut nec esse, sunt formaliter de ratione intrinseca creaturæ, quia si primum, per nullam potentiam posset reduci ad esse: si secundum, nullo modo posset annihilari, quod vtrumque est manifestè falsum.

Tertiò notandum, cùm nihil, & aliquid contradicant, & nihil sit signum vniuersale negatiuum: Quòd ipsum potest negare vel omnem entitatem, communem ad causatum, & incausatum, vel entitatem vniuersalem causatam, vel denique omnem entitatem, siuè totalem, siuè partialem alicuius entis particularis. Primum non est dicendum, quia tunc omnia forent possibilia, & nullum ens actu existens, & sic effectus foret absque efficiente, quod est absurdum maximum, & contra Aristotelem 12. Metaph. t. 30. Nec secundum, quia non posset Deus nunc creare hominem de nihilo, quin destrueret vniuersum: vndè remanet tertium, quod nimirum ly nihil neget tantum entitatem, siuè totalem, siuè partialem particularis entis causati, ita quod nec ipsum causatum, nec aliquid inexistens illi, vt pars præfuerit, sed totum habeat esse posterius beneficio, & actione agentis.

Quartò notandum ex Doct. subt. in quol. 3. art. 1. Nihil esse duplex .s. quod opponitur enti communissimè sumpto, & quod negat ens determinatiùs acceptum. Nihil primum includit contradictionem, & excludit omne ens, tàm in intellectu, quàm extra; siquidem tale, cum nequeat esse extra mentem, non potest esse aliquid intelligibile, vel ens in anima; contradictorium enim cum contradictorio nequit constituere vnum intelligibile, neque sicut obiectum cum obiecto, neque sicut modus cum obiecto, & hoc dicitur verissimum nihil. Nihil autem secundum est illud, quod nec est, nec habere potest esse extra animã, & sic supponit ens, quod habere potest esse beneficio intellectus, cuiusmodi est ens rationis, & negat totum ens reale, siuè secundum essentiam, siuè secundum existentiam. Ad propositum ly nihil positum in diffinitione creationis, non est primum nihil, quia creatio, cum sit effectus omnipotentiæ, respicit ens possibile, & impossibile. Neque ly nihil potest negare tantum esse existentiæ, vt putauit Henricus, quia cum esse essentiæ sit simpliciter ens reale, sequeretur, creationem omnium rerum fuisse ab æterno, & non in tempore factam, quod est contra fidem; relinquitur igitur, vt ly nihil neget totum esse reale, tàm essentiæ, quàm existentiæ, & supponat creaturas tantùm in esse cognito, seu intelligibili, ab intellectu diuino in æternitate productas.

Quintò notandum, quod tàm nihil, quàm ens potest distingui per actum, & potentiam. Id, quod est nihil actu, & potentia, impossibile est esse, & fieri, quia implicat contradictionem, sicut chimera. Id verò quod est nihil actu, & aliquid potentia, cuiusmodi est creatura in mente diuina, tale potest fieri, & habere esse ad extra: est enim in potentia obiectiua, vt habet Aristoteles 9. Metaph. t. 7. cùm inquit: Quare non entibus non attribuunt ipsum moueri, sed alias quasdam prædicationes, vt puta intelligibilia, & desiderabilia esse ipsa nõ entia, non autem mota, hoc autem, quia cum non sint actu, erunt actu: non entium enim quædam potentia sunt, non autem sunt, quoniam actu non sunt: Vbi satis

satis clarè demonstrat, quod nihil distinguitur, sicut aliquid, per actum, & potentiam; modò creaturæ, antequã creentur, sunt nihil actu, & sunt aliquid potentia; sunt nihil actu, quia non habent esse, vel essentiæ, vel existentiæ realem: sunt verò aliquid potentia, quia cum sint intelligibiles à Diuino Intellectu, & desiderabiles à Diuina Voluntate, sunt in potentia obiectiua, vt possint habere esse reale, tum essentiæ, tum existentiæ.

Sextò notandum ex Doct. subt. in 1. d. 36. & d. 43. quod omnipotentia respicit obiectum possibile, non quodcumque, vt opponitur impossibili, quia tunc etiam Deus foret obiectum omnipotentiæ, & creabilis, quod est omninò falsum, sed possibile causabile; ad quod requiruntur duæ conditiones. Prima, quod tale non sit necesse esse ex se. Secunda, quod habeat esse obiectiuum, seu cognitum, vel intelligibile in mente diuina: modò res creabiles ab omnipotentia diuina debent habere esse possibile secũdo modo tantùm, & hoc necessariò, alioquin non possent produci, quia tunc forent entia necessaria ex se, vel essent purum nihil, cui simpliciter repugnat esse.

Ex his fit prima conclusio. Deum posse creare aliquid ex nihilo, creatione æterna, seu prout ly nihil præcedit esse solum ordine naturæ, est Scoti in 2. d. 1. q. 2. sub A. Probatur ab eodem ibidem, quia Deus potest immediatè aliquid efficere; ergo potest creare. Antecedens probatur, quia Deus cùm sit primum efficiens, vt optimè ostendit in 1. d. 2. q. 1. Si non posset immediatè aliquid efficere, nec mediatè posset; sed hoc est falsum; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia sumatur illud mediũ, per quod causaret, vel esset mediatè, vel immediatè causatum: si immediatè habetur intẽtum: si mediatè, igitur per aliud mediũ, de quo quæri potest sicut prius, & sic, vel erit processus in infinitum, vel standum erit in causatione immediata primæ causæ, ac proindè Deus poterit aliquid immediatè causare. Consequentia prima probatur, quia si potest aliquid efficere, & tale non est necesse esse, sed habet esse post non esse; ergo creatur; siquidem ad creationem propriè dictam nihil aliud requiritur.

Secunda conclusio. Deus potest creare in tempore, hoc est, efficere aliquid ex nihilo de nouo. Est Scoti ibidem contra Philosophos. Probatur: Si Deus non posset aliquid producere de nouo, hoc ideò esset, quia quicquid producit ad extra, necessariò producit, & est sempiternum, ex Philosopho 1. de Cœlo tex. 102. 103. 138. & 9. Metaph. tex. 17. vbi habet, quod omne productum à Deo est necessarium, & sempiternum, & quod tale est non est nouum; sed hoc est omninò falsum; ergo & id, ex quo sequitur. Minor probatur, quia quicquid Deus ad extra immediatè producit, liberè, & cõtingenter producit; ergo productum nequit esset necessarium, & antiquum, sed nouum, ac in tempore productum, & ita creatum. Antecedens prabatur, quia si Deus non produceret liberè, & contingenter, quicquid ad extra producit, tolleretur libertas, & contingentia à rebus, & causis secundis; sed hoc est contra experientiam, & ipsum Aristotelem in 1. Perihermenias cap. de Futuris contingentibus; ergo &c. Sequela maioris probatur: Causa, quæ mota mouet, eo modo mouet, quo modo mouetur; sed causæ secundæ mouentur à prima in suis actionibus; siquidem agunt in virtute illius; ergo si prima non agit liberè, & contingenter, sed necessariò, & secundæ sic cogerentur agere, & ita tolleretur libertas, & contingentia earum.

Tertia cõclusio. Deus nequit aliquid creare de nihilo simpliciter, sed solum non de aliquo esse essentiæ, & existentiæ. Est Scoti ibidem C. Probatur prima pars, quia creatio est de re possibili; sed quod est nihil simpliciter est impossibile, quia implicat contradictionem; ergo &c Maior patet, quia creatio est effectus omnipotentiæ diuinæ; sed hæc non se extendit, nisi ad possibilia causari; ergo &c. Minor patet ex dictis not 4. & 5. Secundò probatur, quia creatio est de illo nihilo, vt de termino a quo, quod negat terminum ad quem creationis; sed termi-

terminus ad quem creationis est esse simpliciter, commune enti reali secundum essentiam, & existentiam; ergo est tantum de illo nihilo, quod negat essentiam, & existentiam negat realem entis; at nihil simpliciter negat ens communissimè sumptum, siuè in anima, siuè extra animam; ergo creatio nequit esse de tali nihilo. Maior patet ex 3. notab. quia nihil non debet negare omnem entitatem vt sic, sed tantum entitatem, siuè totalem, siuè partialem termini ad quem. Minor conceditur ab omnibus, præterquam ab Henrico. Secunda pars probatur: Si creatio supponit esse essentiæ tamquam terminum à quo, & solum fit de nihilo existentiæ; ergo creatio esset æterna; sed consequens est contra Sacram Scripturam, Gen. cap. 1. ergo & antecedens. Consequentia probatur, quia productio post non esse, in esse reale, est vera creatio, vt communiter conceditur; sed esse essentiæ in æternitate, non est necesse esse, imò productum per Intellectum Diuinum, & est verum ens reale; ergo creatio esset æterna. Minor cõceditur ab Henrico, quia tale esse essentiæ est esse possibile; igitur non est necesse esse, cum hoc opponatur illi. Quod autem esse essentiæ sit reale; probatur, quia esse existentiæ est reale; sed esse essentiæ non distinguitur realiter ab esse existentiæ; ergo si illud est reale, & esse essentiæ erit reale. Secundò probatur: Si creatio nõ esset de nihilo secundum esse essentiæ, sed tantum secundum esse existentiæ, sequeretur non fore veram creationem, imò generationem; sed hoc esset omninò falsum; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia productio ex præexistenti, & inexistenti, si fit ad terminum substantialem, est vera generatio, & nõ creatio; sed talis productio esset huiusmodi; ergo &c. Maior patet; quia in genratione acquiritur de nouo compositum, quod tamen præsupponit materiam, sibi postea inexistentem; per hoc enim differt à creatione, quæ nihil reale supponit inexistens rei creatæ. Minor etiam est nota, quia supponit esse essentiæ, quod postea inexistit rei creatæ; ergo huiusmodi productio esset generatio, & non creatio, quod est contra suppositum.

Quarta conclusio. Nihil, quod est terminus à quo creationis, supponit esse cognitum, & intelligibile rei fiendæ, quod à Doctore subtili in 1. d. 36. & d. 43. vocatur esse diminutum, seu secundum quid creaturarum, excludens totaliter esse reale simpliciter, siuè secundum esse essentiæ, siuè existentiæ earumdem. Est Scoti in 2. dist. 1. q. 2. sub C. desumpta tamen ex D. August. lib. 15. de Trin. cap. 13. Probatur primò eiusdem auctoritate dicentis: Non enim nesciuit, quæ fuerat creaturus: quia ergo sciuit, creauit, non quia creauit, sciuit; ergo secundum D. August. creaturæ præsupponunt suam cognitionem in Diuina Scientia; sed talis cognitio denominat creaturas cognitas; igitur esse cognitum creaturarum præsupponitur earumdem creationi. Assumptum patet, quia nullum obiectum dicitur sciri, aut cognosci, nisi cognitio, & scientia terminetur ad ipsum.

Dices, D. Augustinum loqui de cognitione in essentia Diuina, & de creaturis in ipsa relucentibus antè, & post earum creationem.

Contrà, quia ante productionem creaturarum per Diuinum Intellectum in esse intelligibili, & ideali, nullum esse formale habuerunt creaturæ in essentia Diuina; ergo non poterant cognosci, vt relucentes in ea. Consequentia patet. Antecedens probatur per D. August. ibidem dicentem: Vniuersas autem creaturas suas, & spirituales, & corporales, non quia sunt, ideò nouit, sed ideò sunt, quia nouit; ergo cognitio earum præsupponitur cuicumque esse formali. Secundò probatur ratione, quia creatio est rei, quæ non est, sed potest esse actu existens; sed hoc possibile præsupponit esse intelligibile, seu cognitum eiusdem rei; ergo nihil, ex quo res creatur, supponit esse intelligibile, seu ideale. Maior patet secundum Auicennam 2. suæ Metaphysicæ dicentem: Nihil posse produci, quod non est ex parte sui possibile; quandoquidem omnipotentia non se extendit ad impossibile,

sibile, & tamen creatio est effectus omnipotentiæ Dei. Minor probatur, quia voluntas diuina est principium creatiuum; sed ipsa non fertur in incognitum, & tamen fertur in rem possibilem creari; ergo possibile creari supponit esse cognitum rei creandæ.

Dices, sufficere possibile, quod non implicat contradictionem.

Contrà, quia etiam Filius in diuinis hoc modo est possibilis, quia sibi repugnat non esse; ergo & ipse posset esse obiectum omnipotentiæ, & sic posset creari, consequens est falsissimum, quod vt vitetur, dicendum est cum Scoto, illud possibile non esse possibile logicum, sed obiectiuum tantùm, & ideale. Tertiò probatur, quia esse formabile ad extra præsupponit ideam in mente diuina, ex D. Augustino lib. 83. quæst. q. 46. vt propriam rationem eius; siquidem idea est ratio æterna, secundum quam vnumquodque est formabile ad extra, ex eodem D. Augustino ibidem; sed esse formabile ad extra, & esse creabile idem sunt; ergo esse creabile præsupponit esse cognitum creaturæ, quod non est nisi idea rei formabilis, siuè creabilis.

Quinta conclusio. Secundum Aristotelem, Deus nequit producere ad extra aliquid de nouo, hoc est creare in tempore. Est Scoti, & aliorum, quos citauimus pro secunda sententia. Probatur: Si Deus aliquid de nouo produceret, sequeretur ipsum mutari; sed hoc est impossibile, etiam secundum fidem catholicam; ergo &c. Sequela maioris probatur, quod aliter se habet nunc, quam prius, mutatur secundum Aristotelem 6. Physic. t. 32. & 73. sed si Deus aliquid de nouo ageret, aliter se haberet in actione, quam ante eam; ergo mutaretur. Confirmatur, quia si produceret aliquid de nouo, aut immediatè, aut mediatè, sed neutrum est dicendum; ergo &c. Maior patet. Minor probatur: Non immediatè, quia tale esset sempiternum, & non in tempore; siquidem quod operatur ex necessitate naturæ, operatur statim, ac fuerint sublata impedimenta, ex eodem Philosopho in hoc 8. Physicorum tex. 8. 9. & 13. ergo cum Deus sit æternus, quicquid producit, in æternitate immediatè producit, & sic non in tempore, nec nouum. Nec mediatè, quia sic produceret de aliquo præsupposito, ac proindè non creatum, sed genitum esset, quod est contra suppositum. Confirmatur secundò, quia si Deus produceret aliquid in tempore de nouo, sequeretur, ipsum agere ad extra liberè, & contingenter; siquidem agens necessarium statim operatur, & sic, si fuerit æternum, omnia erunt æterna, & antiqua, & nihil nouum; sed consequens est falsum secundum Philosophum in tex. 9. 13. 52. & 53. huius libri 8. ac alibi, & præsertim 9. Metaph. t. 17. vbi asserit, Deum non esse agens in potentia, sed semper in actu; ergo &c.

Sexta conclusio. Non est improbabile asserere, Philosophum fuisse dubium de libertate Dei circa actiones ad extra. Ita Catharensis, Sulmonensis lib. 8 Physicorum q. 1. art. 1. & 2 quibus possent addi Toletus q. 1. Conimbric. citati in principio pro prima opinione, & Suarez in Met. disp. 30. sect. 16. n. 53. & 54. cum & isti afferant quædam loca, in quibus Arist. ostendit libertatem Dei etiam in operationibus ad extra. Probatur, quia tunc aliquis censetur dubius in aliqua re, cum interdum asserat, & interdum neget eam dari; sed ita fecit Aristoteles loquens de libertate Dei agêtis ad extra; ergo &c. Maior patet ex diffinitione dubitationis, seu hæsitationis. Minor probatur, quia in hoc 8. Physic. t. 9. 13. 52. 53. lib. 2. de Cœlo t. 35. 9. Metaph. t. 17. & 12. Metaph. sum. 2. cap. 1. & 2. asserit, Deum esse agens æternum, immutabile, necessarium, & impossibiliter aliter se habens respectu omnium, quæ ab ipso dependent; ergo adimit ab ipso libertatem, & contingentiam agendi ad extra. Deindè lib. 2. magnorum Moralium c. 8. Et 8. Ethicorum cap. 7. ac demum 10. Ethic cap. 8. docet, homines probos, & sapientes esse Deo carissimos, eosq. pro meritis munerari, ex opposito verò, improbos, & malos esse sibi inuisos, multisque malis ab eodem affectos, quæ vera non essent, si non esset præditus libertate

bertate agendi; ergo facit Deum agens liberum, etiam ad extra: Cùm igitur vtrumque asserat de Deo, & vtrumque neget, dicendum est, vel sibi contradixisse, vel potius dubitasse de eius libertate agendi, respectu operationum ad extra.

Septima conclusio. Magis tamen inclinauit in partem, negantem à Deo libertatem agendi ad extra liberè, & contingenter, quàm in affirmantem. Probatur, quia cum sibi occurrerit pertractare seriò, & ex professò de concursu, & efficientia Dei respectu rerum ad extra, semper fecit ipsum agens necessarium, & immutabile, vt patet in locis citatis, tum in hoc lib. 8. tum de Cœlo, tum denique in Metaphysica, vbi ex professò tractat de operatione Dei ad extra: & si alicubi oppositum dixerit, vt conatur ostendere Toletus cit. respondendum est, hoc obiter fecisse, aut quod non fuerit locutus de actione immediata, sed tantum de mediata, quatenus dignatur concurrere cum causis liberis, & contingentibus ad modum illarum.

Objicitur primò cōtra primam, & secundam conclusionem: Si Deus posset quouis pacto aliquid creare, sequeretur ipsū mutari posse; sed hoc est contra Sacram Scripturam, Concilia, & Patres; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia mutari est rem aliter se habere nunc, quā prius, ex Arist. 6. Phys. t. 32. sed data possibilitate creationis, Deus sic se haberet; ergo &c. Minor probatur, quia quando aliquid producitur, quod prius non producebatur, aliter se habet dum producitur, quàm prius se habebat; sed tale nequit esse productū, quia prius nihil erat; ergo producens prius erat, & sic Deus in creatione aliter se haberet, quā prius se habebat, & ita mutaretur.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem nego minorem, imò productum est illud, quod mutatur, cum recipiat nouum esse, non per productionem, quæ sit mutatio, quia hæc supponit subiectum, vel primum, si est ad substantiam, vel secundum, si fuerit ad accidens, sed per creationem, quæ est de nihilo in effectu productio: Et cum infertur, Deū aliter se habere tunc, quàm prius, quia in tempore creat, & prius non creabat in æternitate, negatur; quandoquidem creatio fit per volitionem diuinam, quæ in creatione non est noua, sed antiqua, quæ ab æterno voluit rem creabilem, nō pro æterno, sed pro tali determinato tēpore: Hoc declaratur à Doctore subtili exemplo Solis, qui si ponatur esse semper luminosus, & creetur aliquod mediū perspicuum sibi approximatum, illuminabit illud absque nouitate in ipso Sole: & si ponetur, quod ex se posset ponere illud medium, & sibi approximatum, tunc ipsum poneret illuminatum absque aliqua nouitate in seipso, ita etiam philosophandum est de volitione diuina respectu rei creabilis.

Contrà, quia in tantum productum recipit esse, in quantum agens dat esse, & non è conuersò .s. quia productum recipit esse, ideò agens dat esse; ergo necesse est præcedere aliquam habitudinem, seu relationem nouam in agente ad ipsum productum, & consequenter mutationem in Deo.

Resp. Antecedens esse verum, si ly in quantum reduplicet rationem formalē absolutam agentis, falsum verò, si reduplicet rationem relationis, seu aliā realitatem nouam in agente, quia vel talis relatio noua non semper datur, vel si datur, consequitur absolutum, & relationem producti, vt diximus in 2. Physicorum expendendo illud axioma Scoti: Ad absolutum in causa, sequitur absolutum in effectu, & relatio postea in effectu, & denique relatio in causa, si talis est capax; & ideò negatur consequentia, quod oporteat ponere in Deo creāte nouam habitudinem ad creatum, antequam ponatur in esse, quinimò nec postea consequitur vlla relatio, saltem realis, cum non sit capax, alioquin dependeret à creatura; sed si admittatur relatio, erit solum rationis, quæ non sufficit ad mutationem.

Contrà, quia absolutum causæ non sufficit ad ponendum in esse effectum; ergo oportet pręcedere aliquam formā, per quam applicetur ad opus. Antecedens probatur, quia absolutum præcisè consi-

consideratum, ita se habet quando causat, quàm quando non causat; ergo si quando non causat nequit dici causa in actu, cum causat opus erit sibi aliqua forma, qua constituatur in ratione causæ, non absoluta, vt conceditur; ergo relatione.

Resp. Negando antecedens, & consequentiam simul; ad probationem dico, sicut dixi in 2. Physic. loco citato, non exigi aliquam formam, siuè absolutam, siuè respectiuã, sed sufficere ad causam in actu, vt eius absolutum, in quo sit à est ratio causandi, sit prius natura causato, quia sic dicitur sufficienter applicata ad causandum, & non per aliquam formam superadditam.

Obijcitur secundò: Si Deus posset aliquid creare de nouo, aut hoc esset tamquam causa æquè determinata, aut non; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Minor probatur: Non potest dici primum, quia non esset maior ratio, quarè modo creet, & non prius, quia causa æquè determinata videtur semper agere: Nec secundũ, quia si non est semper æquè determinata quando creat; ergo fit determinata per aliquam formam de nouo superadditam, & sic in receptione illius mutatur, quod est falsum.

Resp. Deum in creatione se habere tamquam causam æquè determinatam; ad improbationem dico, quod causa libera æquè determinata, quantum est ex parte sui, habet, vt quandoque possit, & quandoque non possit producere effectum; nam sicut in naturalibus, causam determinari ex parte sui, est ipsam habere formã per quam causet; ita in liberis, causam determinari est ipsam habere volitionem respectu volibilis; & sicut in naturalibus forma potest haberi antequã effectus causetur, si adsit impedimentum extra, vel ob dispositiones necessariò præreqaisitas, vel ob distantiam passi, ita in liberis potest volitio haberi priusquam habeatur volibile & natura, & duratione: Si autem quæras cur tunc non creauit, sicut modo creat; Respondendum, quia est agens liberum, & voluntatis diuinæ, cum sit prima causa, nõ est quærenda ratio.

Obijcitur tertiò contra tertiam conclusionem, quod nõ est ex parte sui possibile, creari non potest; sed quod non habet esse essentiæ, non est ex parte sui possibile; ergo nequit creari. Maior patet ex Auicenna 3. suæ Metaphysicæ; & insuper probatur, quia quod est nihil, caret ratione possibilitatis; non enim videtur maior ratio, quare vnum nihil possit esse terminus à quo creationis, quàm aliud. Minor etiam patet, quia esse essentiæ est quid potentiale ad esse existentiæ.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, quod hoc esse possibile nõ fundatur in esse essentiæ, quia tale est esse simpliciter, cum realiter identificatum, sit cum esse existentiæ, sed in esse cognito, eo modo quo explicauimus not. 5. & 6. cum Scoto in 1. d. 35. & 36. vndè non potest inferri, nisi quod esse creabile præsupponat esse cognitum eiusdem, quod tamen non est esse simpliciter, sed tantum secundum quid, ac diminutum.

Obijcitur quartò, quia in quacumque creatura datur cõpositio ex actu, & potentia; sed ens in actu est ens existens, & ens in potentia est esse quiditatiuum, & essentię, ergo in creatura, antequã creetur, præsupponitur esse essentiæ. Minor probatur, quia aliquid præcedit esse actuale existentiæ; sed tale nequit esse nihil, alioquin nulla esset compositio; ergo aliquid, quod est esse essentiæ.

Resp. Negando minorem; siquidem potentia præcedens existentiã creaturæ, est potentia obiectiua, quę non est aliud, quàm esse cognitum creaturæ, vt possibile existere ad extra per creationem, & hoc possibile non inexistit creaturę, cum non dicat esse simpliciter, sed tantum secundum quid, & diminutum, ideò ex tali esse, & inexistentia nequit fieri vlla compositio ex actu, & potentia. Ad probationẽ dico, quod illud præcedens esse creatum, & existens, est nihil, non simpliciter, & absolutè, sed quod negat esse reale, siuè essentiæ, siuè existentiæ, & aliquid possibile cognitum, vt explicatum est in not. 3. 4. & 5.

Obijcitur quintò, probando seruari liberta-

bertatem, & contingentiam in rebus, etiamsi Deus ageret ad extra necessariò, vt putauit Arist. conc. 5. & 7. quia concurrente duplici causa ad eundem effectum, quarum altera sit necessaria, & altera libera, totus effectus erit liber, & contingens ratione causæ liberæ; ergo quamuis Deus ageret necessariò ad extra, si concurreret cum voluntate creata, quæ est libera, effectus erit totus contingens.

Resp. Maiorē esse veram, quando causa naturalis, seu necessariò agens subordinatur causæ liberæ, vt accidit in merito, quod secundum substantiā elicitur à voluntate, tanquam à causa libera, & principali, & à gratia vt à causa naturali sibi subordinata, quia tunc causa libera vtitur causa naturali, & sibi assimilat totum effectum; cæterùm cum causa necessariò agens est prima, & sibi subordinat causam liberam, effectus erit totus necessarius, quia tunc causa libera se habet vt instrumentum causæ naturalis, & sic mouebitur in effectum ad motum causæ necessariæ, & non aliter, alioquin non esset sibi subordinata.

Contrà, quia modò causa prima agens cum causa secunda sinit eam agere suo modo connaturali, vel naturaliter, vel liberè; ergo etiam linquet causam secūdam liberam liberè, & cōtingenter agere, quamuis ipsa ageret necessariò.

Resp. Negando consequentiam, quia modus agendi subordinatur modo causādi, sicut actio actioni, nec poterit vnquam esse vsus causæ liberæ, stante necessaria motione primæ causæ, & hoc ob necessariam subordinationem, & dependentiam actionis ad actionem, & modi ad modum.

Contrà, quia tunc appetitus Brutorū esset liber, cū Deus liberè concurrat ad illum: similiter ignis liberè causaret ignē, quia ad eius causalitatem liberè concurrit Deus, vt causa prima; sed vtrumque est manifestè falsum, quia tunc nullus esset effectus naturalis, verum omnes liberi, cùm omnes causæ naturales subordinentur causæ primæ liberè agenti.

Resp. ex Doctore subt. in 1. d. 8. q. 5. ad vltimum argum. principale, vtrumque consequens esse verū simpliciter; siquidem cum quælibet causa secunda causet dependenter à prima, & cōcursus vtriusque in actu secundo sint omninò idem, sequitur effectum causæ secundæ, esse simpliciter contingentē, sicut contingēter elicitur à causa prima; non autē secundum quid, quia sic effectus causarum naturalium, etiam vt subsunt causæ primæ liberæ specificatiuè, non reduplicatiuè, sunt naturales, & necessarij; ignis n. quantum est ex parte sui, non potest non calefacere, & brutum non appetere obiectum sibi præsentatum, tamen possunt absolutè non calefacere, & non appetere, Deo non cooperante, vt patuit in fornace, & lacū leonum in Babylonia erga Danielem, & tres pueros, in quibus nec ignis combussit pueros, nec leones deuorauerunt Danielem.

Vtrum Deus potuerit in æternitate Mundum creare?

QVÆSTIO II.

Circa hanc quæstionem, quam Scotus exagitat in 2. dist. 1. q. 3. extant duæ oppositæ sententiæ, quarum prima est D. Thomæ 1. p q. 46. art. 2. Durandi, Ægidij, Capreoli, Gregorij, & aliorum in 2. d. 1 q. 1. & 2. vel tertia Ferrariensis 8. Physic. q. 3. & aliorum Thomistarum, asserentium partem affirmatiuam quæstionis, saltem ad entia permanentia: nam de successiuis disconueniunt, siquidem successiua carentia terminis, vt sūt motus circularis, & tempus, ipsum consequens, posse fieri ab æterno, affirmant Capreolus, Ægidius, & Gregorius, Alij verò, vt Durandus, & Sotus negant.

Secunda sententia est B. Alberti Magni in 2. d. 1. q. 2. D. Bonauenturæ art. 1. q. 2. Ricardi q. 4. Marsilij q. 1. Henrici quol. 1. q. 7. Gulielmi Parisiensis lib. 1. de Vniuerso, & aliorum negantium, mundum potuisse creari ab æterno ob implicantiam contradictionis, quam inferiùs ostendemus.

Doctor subtilis autem cum suis Scotistis sustinet problematicè vtramque

partem, saltem quoad permanentia; quandoquidem de successiuis non est adeò clarum, quod senserit; vndè quid nobis dicendum fuerit, dicemus in conclusionibus infraponendis.

Pro declaratione igitur, ac fundamēto totius controuersiæ primò notandum est, ex meo Magistro lib. 8. Physicorum q. 1. art. 2. aliquid posse dici æternum dupliciter, vno modo intrinsecè, & independenter, itaut æternitas sibi necessariò conueniat, à nullaque causa in tali esse dependeat, & sic solus Deus, nihilq. aliud ab ipso, potest dici æternum: alio modo extrinsecè, ac depēdenter ab alio, ita quod mensuretur æternitate sibi à Deo participata, ac communicata, & sic nil prohibet, vt quodlibet aliud ab ipso Deo dicatur, & esse possit æternum. Prior opinio sustinet mundum posse fieri in æternitate hoc secundo, non primo modo.

Secundò notandum ex eodem, Entia esse in duplici differentia, quædam enim sunt permanentia, quorum esse potest haberi totum simul in instanti, & de talibus non est dubium secundum hanc opinionem, quin fieri possint ab æterno: Quædam verò sunt successiua, quorum esse acquiritur secundum partem priorem, & posteriorem successiuè, vt motus, & tempus; Et hæc sunt adhuc duplicia, nam alia sunt terminata, vt motus recti, generationes, & corruptiones, alia autem interminata, vt sunt motus circularis, & reflexus, ac tempus ipsos consequens; entia successiua prioris generis non posse fieri ab æterno, communiter conceditur; siquidem æternitas, cum sit mensura infinita, caret terminis, & ideò eisdem carere debet quodlibet æternum: cæterùm si fiat sermo de successiuis posterioris generis, non video implicantiam, cur repelli debeant ab æternitate, nec ex parte Dei, qui semper est æquè potens, ac proindè ita in æternitate, sicut fuit, & est in tempore, nec ex parte rei successiuæ, cum de eius ratione non sit habere principium durationis, sed tantum dependere à sua causa.

Tertiò notandum est, modos intrinsecos Deo conuenientes esse æqualiter communicabiles, & incommunicabiles creaturis, cum non sit maior ratio de vno, quàm de alio; vndè cùm infinitas secundum durationem, quæ appellatur æternitas, & infinitas secundum coexistentiam, quæ dicitur immensitas sint duo modi intrinseci ipsius Dei, idem iudicium fieri debet de vtroque; verùm cùm immensitas per nullam potentiam communicari possit creaturæ, vt creatura est, consequenter, dicit secunda opinio, nec poterit sibi communicari æternitas, quæ est alter modus Deo intrinsecus.

Quartò notandum est, quod de ratione creaturæ est inceptio secundum durationem ex nihilo; siquidem D. Augustinum contra Felicianum Arianum lib. de Vnitate Trinitatis ad Optatum cap. 7. diffiniens creaturam, inquit: *Creatura est ex eo, quod adhuc non est, aut aliquando non fuit rei cuiuslibet corruptibilis, quantum in se est, Patris omnipotentis Dei voluntate facta substantia*: & subiungit, hæc diffinitio, vtrum in Dei cadat Filium videamus, vbi expressè asserit, de ratione creaturæ esse aliquando non fuisse. Deindè D. Damascenus lib. 1. de Fide orthodoxa cap. 8 subiungit: *Nam minimè comparatum est, vt quod ex nihilo in seorsum producitur, eamdem cum suo principio æternitatem habeat*; ex quibus auctoritatibus infertur, quod creatura, cum ad sui esse essentialiter petat fieri ex nihilo, post sui non esse, à diuina voluntate liberè, & contingenter, nequit esse æterna, sed necessariò inuoluat in sui ratione inceptionem temporalem, per quam sibi repugnet esse in æternitate.

Ex his fit prima conclusio. Mundus quoad res permanentes potuit fieri à Deo in æternitate. Est D. Thomæ, & aliorum, quos citauimus pro prima sententia, estque problema Scoti in 2. d. 1. q. 3. Tenentes autem primam opinionem &c. Probatur primò auctoritate D. August. lib. 6. de Trinitate cap. 1. dicentis, quod si ignis esset æternus, splendor ab eo causatus esset sibi coæternus: similia habet in lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 2. de pede, & eius vestigio in puluere:

ze: & hom. 26. super Ioan. eadem ferè habet de virgulto, & eius imagine in aqua; sed Deus est potentior omnibus his, & est ab æterno, ergo ab æterno potuit omnes effectus ad extra producere, & sic mundum, saltem quoad permanentia creare. Secundò probatur ratione: Quæcumque non implicant contradictionem, possunt fieri à Deo; sed mūdum creari posse à Deo in æternitate non implicat cōtradictionem; ergo &c. Maior patet, quia obiectum diuinæ omnipotentiæ est tantum res possibilis. Minor probatur, quia si implicat, vel ex parte Dei, vel ex parte creaturarum; neutrum est dicendum; ergo &c. Minor probatur: Non ex parte Dei, quia ipse semper est æquè potens; ergo si nunc potest creare mundum, etiam tunc in æternitate potuit. Nec ex parte creaturarum, quia estò essent ab æterno, semper dependerent à Deo, hæc autem dependentia sufficit, vt non exeant limites creaturarum; ergo nec ex parte creaturarum esset huiusmodi implicantia, ac proindè creaturæ permanentes possunt fuisse creatæ ab æterno.

Secunda conclusio. Res successiuæ, habentes terminos sui esse, non possunt fuisse ab æterno. Probatur, quæ sunt infinita in duratione, carent terminis; sed quæ sunt æterna, sunt infinita in duratione; siquidem æternitas, secundum Boet'ium, est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio; ergo quæ sunt æterna carent terminis; atqui res successiuæ huiusmodi haberent terminos, ergo non essent infinitæ in duratione, & sic nec æternæ.

Tertia conclusio. Mundus quoad res successiuas interminatas, vt sunt motus circularis, & reflexus, ac tempus illos cōsequens, potuit fuisse ab æterno creatus. Est Ægidij, Gregorij, & Capreoli, contra Durandum, & Sotum, quos secutus est Catharensis loco citato. Probatur, quia non videtur vlla implicantia, nec ex parte Dei, qui semper est æquè potens, nec ex parte rerum, quia nō haberent terminos durationis, sed solum dependentiæ à prima Causa, quæ optimè congruunt creaturis, etiam in æternitate, ergo cum nulla adsit implicantia, non videtur, cur ab illis neganda sit æternitas participata.

Quarta conclusio. Mundum potuisse esse ab æterno creatum, siuè quoad permanentia, siuè quoad successiua quæcumque, implicat contradictionem. Est D. Bonauenturæ, Alberti, ac aliorum; quos citauimus pro secunda sententia, estque problema Scoti ibidem §. Tenentes istam positionem &c. sub A. Probatur primò auctoritate, nam S. Basilius lib. 1. Exameron, putat esse blasphemiam dicere, creaturā creatori coæternam existere. D. Ambrosius ibidem c. 3. aduersus Philosophos inquit: Quomodo coæternum mundum Deo asserunt, & creatori omnium sociant, atque æqualem esse disputant creaturam? Clicthouæus Expositor D. Ioan. Damasceni subiungit: Creatio verò æterna esse non potest, quia nulla creatura suo Authori adæquari valet, aut naturæ perfectione, aut potestatis plenitudine, aut durationis extensione, cum habeat creatura suos limites in omnibus determinatos, ac certis diffinitos terminis, quos excedere non licet; Quocirca manifestū est, mundum non potuisse æternè productum esse. Demùm Hugo de Sacramentis cap. 10. inquit: Fugit diuinam virtutem, vt aliquod sibi coæternum faciat; ergo secundum hos Doctores implicat, mundum potuisse esse, vel creari in æternitate. Secundò probatur ratione desumpta ex doctrina D. Augustini, & D. Damasceni allata in 4. notab. Quod implicat contradictionem, à Deo fieri nequit; sed implicat contradictionem, mūdum posse fuisse ab æterno; ergo &c. Minor probatur, quia implicat contradictionem naturam, & essentiam creaturæ mutari posse absque eiusdem destructione; sed de ratione, & essentia creaturæ est inceptio ex nihilo, hoc est habere esse post non esse, ex diffinitione creaturæ, tradita à D. Aug. lib. de Vnitate Trinit. ad Optatum cap. 7. ergo cùm hæc repugnēt æternitati, implicat creaturam esse, & æternam esse. Nec valet dicere, illam non esse diffinitionem essentialem creaturæ, quia tunc manife-

stè pugnaret, qui sic assereret, contra D. Augustinum, cùm eo loci, vocet illam diffinitionem creaturæ, & per illam probat, contra Arianos, Filium Dei nō esse creaturam, quia sibi non cōueniunt conditiones eiusdem diffinitionis.

Quinta conclusio. Vtraque opinio, ex allatis in cōclusionibus iam probatis, est probabilis, sustinerique potest absq. erroris periculo. Est Scoti in 2.d.1.q.3. sub A.& F. & aptè probatur ab ipso ex solutione argumentorum, quibus fulciri videntur: verùm priorem se sustinere fatetur ex tribus potissimum motiuis, & primò, quia nulla videtur contradictio in his terminis, nimirum, aliud à Deo esse sempiternum. Secundò, quia rationes, quibus nititur secunda opinio probare contradictionem, sunt speciales, & non communes omnibus creaturis; siquidē ostendunt implicantiam in aliquibus tātùm, nempè in successiuis, non autem in permanentibus. Et tertiò, quia rationes, quæ fiūt de præterito, possunt æquè fieri de futuro, sed nullus negat, posse creaturā fieri sempiternam à parte post, & de futuro; ergo neque debet negari, eam posse fieri sempiternā à parte antè, & de præterito. Posteriorem etiam dicit se defendere ob impossibilitatē ex parte speciei cuiuscumque creaturæ, siuè permanentis, siuè successiuę; siquidem in prioribus datur primum in inceptione, quia de qualibet re permanenti, verum est dicere, nunc est, & ante non erat: in posterioribus verò, & si non detur primum in esse, tamen cum earum esse consistat in acceptione vnius partis finitæ post aliam partem, infertur æqualis impossibilitas ad esse in æternitate, quæ, cum sit infinita in duratione, tàm à parte antè, quàm à parte post, fugit finitatem partium, & inceptionem post non esse; vndè supposita vtrimq. diuersitate fundamentorum, respondet Doctor ad quæstionem problematicè, & soluit rationes pro vtraque opinione confectas.

Ad primā igitur primæ opinionis, quę fundatur in auctoritate D. August. 6. de Trin. c. 1. dicit, consequentiam esse bonam per locum a producente ad productum, supposito hoc impossibili, quod ignis esset æternus; siquidem ratio producentis, & producti, cum possit esse in identitate naturæ, non repugnat æternitati, vt patet de Patre producente Filiū in æternitate; esset tamen falsa illa consequentia per locum à causa ad causatum, quia esse causatum cum dicat alteritatē naturæ, & præsupponat naturaliter sui non esse, repugnat æternitati; & ideò quamuis concedatur ab æterno posse producere, negatur tamen posse causare, & creare, quia primum facit in eadē natura diuina, at secundum faceret in alteritate naturæ, quæ repugnat æternitati, sicut repugnat esse post non esse in æternitate, quæ sempiterna est. Ad aliā auctoritatem desumptam ex lib. 10. de Ciuitate Dei, dicit Scotus, eam protulisse non de mente propria, sed Philosophorum asserentium, mundum esse ab æterno productum; siquidem præmisit dicens, sic .n. inquiunt, si pes esset in puluere ab æterno &c. vndè secundum veritatem, pedem semper fuisse, & causasse vestigium in puluere includit contradictionem, quia vestigium causatur per impressionem pedis in puluere per motum localem, motum autem localē, cum fiat inter oppositos terminos, fieri ab æterno, est contradictio.

Ad secūdam nego minorem; ad probationem dico, implicantiā fore ex parte creaturarum, quæ non possunt recipere esse dependenter à Deo, nisi post earum non esse præcedens duratione, cùm hoc sit intrinsecum creaturæ, vt patet ex eius diffinitione; habere autem esse post non esse tempore, repugnat æternitati; igitur implicantia est ex parte creaturarum. Multas alias rationes affert Scotus in cōfirmationem prioris opinionis, cum suis solutionibus in fauorē posterioris, quas consultò omitto, nè totam quæstionem eius transcribere videar; & quia denuò eas habebitis in studijs Theologicis.

Ad primam secundæ opinionis in fauorem primæ, desumptā ex auctoritate SS. Patrum. Basilij, & Ambrosij, ac Clicthouæi, dico conformiter ad ea, quæ de æternitate notauimus in 1. not. intelligendas esse de æternitate intrinseca, & connaturali ipsius Dei, quia si assererere crea-

creaturam potuisse esse æternam, esset blasphemum, cùm faceret eam æqualem creatori, quod est impossibile,& repugnans esse creaturarum,& ipsius Dei, qui est tantum vnus, infinitus, & independens; non autem de æternitate extrinseca, & dependenti, quia talis potuit communicari creaturæ absque iniuria Creatoris; quandoquidem non extraheret illam à ratione creaturæ, cùm semper esset in continua dependentia ad ipsum Deum Ad illam auctoritatem Hugonis, dicendum similiter,fugere diuinam virtutem facere aliquid Deo coæternum intrinsecè, non autem extrinsecè, ac dependenter.

Ad secundam negatur minor; ad probationem dico cum eodem Scoto, illam diffinitionem desumptam ab Augustino, & Damasceno, non esse quiditatiuam, sed tantum descriptiuam creaturæ, concessam ab Ario, contra quem arguebat Augustinus, probando, Filium Dei non esse creaturam, vt dicebat ille, quia sibi non competebat huiusmodi creaturæ descriptio, quæcumque esset illa, siuè quiditatiua, siuè descriptiua; nam de hoc curare non debuit, cum vt sic esset sufficiens ad conuincendum Arium de suo errore.

Vel etiam dici potest, esse diffinitionē creaturæ, vt de facto habuit esse à Deo per creationem, non tamen, vt habere potuisset ab ipso in æternitate. Si cupitis habere alias obiectiones cōtra hanc opinionem, consulite Doctorem subtilem in præcitata quæstione, & multas inuenietis cum suis solutionibus, nobis sufficiunt istæ, vt finem imponamus toti cōtrouersiæ propositæ.

Vtrum de facto Mundus sit æternus, vel temporalis?

QVÆSTIO III.

MVndum esse factum in tempore,& non ab æterno productum, vel creatum, omnium Catholicorum concordat sententia, fundaturi potissimùm in illo Genesis cap. 1. In principio creauit Deus Cœlum, & Terram, hoc est,vt expresserunt Patres Concilij Lateranensis sub Innocētio III. In initio tēporis Deus condidit Cœlum, & Terram: cæterùm inter Philosophos fuit non mediocris controuersia; nam ferè omnes Antiqui, qui præcesserunt Aristotelem, vt Anaxagoras, Democritus, Empedocles,Melissus, Plato, & ferè omnes alij docuerūt mundum vnà cum tempore incepisse, vel per generationem, vel per aliam factionem ab ipso Deo, quem mentem aliqui, alij verò primam Causam vocabant. Vnus Aristoteles, quem postea secuti sūt Proclus, Auicennas,& ferè omnes Peripatetici Gentiles,fecit mundum ingenitum cum motu, ac sempiternitate donatum, quamuis nonnulli Recentiores, secuti D.Thomam 1.p.q.46.art.4.& Albertum Magnum 8.Physic. tract. 1.c. 1. dicant, Aristotelem in hac re dubium fuisse: Verùm si rectè perpendātur loca, in quibus de hac re seriò pertractat, non dubio hæsisse, sed resolutè tradidisse mundi sempiternitatem concludendum erit cum Toleto hic cap.2. q. 1. Conimbric q. 3. art. 1. Sulmon. art. vlt. & Catharensi q. 1. art.3.

Plato autem,vt refert Plutarcus lib. 1. de Placitis Philosophorum,Zeno, vt admonet Tertullianus lib.de prescript.Hereticorum c. 7. ac plerique ex Stoicis, vt testatum reliquit D. Ambrosius in Hexamer. lib.1. quamuis senserint cum fide Catholica mūdum incepisse initio temporis, putarunt nihilominus materiam primam, ex qua omnia materialia, seu corporalia condita fuerunt, Deo coæternam fuisse, in quem errorē prolapsi sunt etiam nonnulli Heretici, vt tradit Vasquius in 1.p. D.Thomæ q.44. art.2.

Cæterùm Catholici, tùm Philosophi, tùm Theologi fatentur in principio tēporis, Deum ex nihilo vtramque condidisse naturam, corpoream, & spirituale, & hoc diffinitum extat in Cōcilio Lateranensi, relato in cap. Firmiter de Sum. Trin. & fide cathol. Hoc idem docuerūt Sancti Patres, vt videre est apud Vasquium citatum, D. Thomas 1.p.q.44.ar. 2. Scotus in 2.d. 12. q.1.& 2.ac in Tract. de Rerum principio q.5. communiterq. Scolastici aiunt, materiam primam fuisse

se terminum creationis.

Circa reliqua etiam, quæ in mundo continentur, non parua lis est, an fuerint à Deo creata, vel potius educta de potentia materiæ; siquidem D. Thom. 1. p. q. 45. art. 4. sustinet, quod creatio sit tantum compositorum, & subsistentium; accidentium verò siuè naturalium, siuè supernaturalium sit eductio de potentia subiectorum. Sic interpretati sunt Doctorem Angelicum Suaretius tom. 3. in 3. p. disp. 9. Vasquius cit. disp. 174. cap. 2. Coninchius de Habitibus Supernat. disput. 6. dub. 3. Beccanus in Sum. de Sacram. cap. 3. q. 3. & multi alij, quorum meminimus in 1. Physicorum, vbi hanc quæstionem de creatione Habituum Supernaturaliũ pertractauimus ad mentem Doct. Subtilis.

Ex opposito D. Bonauent. in 2. d. 26. art. 1. q. 4. & in 4. d. 1. art. 1. q. 4. Ricard. q. 2. Scotus in 1. d. 17. q. 3. P. 1. & in 3. d. 11. A. & d. 13. q. 4. C. & in 4. d. 1. q. 1. & 5. alijq. non pauci, quos refert Vasquius citatus, considerantes, habitus supernaturales esse immediatè dona Dei, excedereque naturæ vires, docent esse terminos creationis, ac proindè creationẽ non esse solùm aut subsistentium, aut compositorum, sed etiam formarum accidentalium, vt ostendimus in 1. Physicorum disp. 4. q. 3. vbi ex professò hanc exagitauimus difficultatem de omnibus formis accidentalibus, quare ne idem inutiliter repeti contingat, restringimus quæstionem tantum ad materiam primam, & ad composita substantialia; ex his enim potissimùm coalescit mundus.

Pro declaratione harum opinionum, ac fundamento dicendorum: Primò notandum ex Aristotele 1. Physicorum t. 82. Materiam primam diffiniri per hoc, quod sit subiectum primum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid, cum insit non secundum accidens; ex qua diffinitione obseruandum diligenter venit, materiã comparari ad compositum per se, ex ipsa causatum, negarique subiectum prius ex quo illa causetur; ex eo enim, quod dicitur subiectum primum, negatur alia materia prior in genere causæ materialis; cum postea subiungitur, ex quo aliquid fit, cum insit non secundum accidens, denotatur, quod omnia composita fiunt ex ea, vt ex causa materiali; ex quibus infertur, quod cum materia prima comparetur dumtaxat ad compositum ex ipsa, & non ad efficiens, non negari respectum ad primum efficiens, à quo possit immediatè produci.

Secundò notandum ex eodem 7. Metaph. t. 8. Materiam iterùm describi per affirmationem, & negationem sic dicendo: Dico autem materiam, quæ per seipsam non est quid, nec quale, nec quãtum, nec aliquid aliud quippiam dicitur, quibus ens determinatur; est enim quid, de quo singula horum prædicantur, cui esse, & cuique prædicationum diuersũ est; hoc est dictũ, Materia non est substantia perfecta, & completa, nec quantitas, aut qualitas, sed quid .i. substantia imperfecta potens recipere prædicationem omnium formarum, tàm substantialium, quàm accidentalium vniuscuiusque prædicamenti: ex quo habetur, quod cùm materia sit quid imperfectũ, ordinatum ad omnes formas; & omnia entia imperfecta, secundum Aristotelem, ordinentur ad vnum perfectissimũ: inquit enim 12. Met. tex. 52. Ad vnum quippe bonum coordinata sunt omnia, huiusmodi autem perfectum, & bonum vniuersi est primum efficiens, independens, incausatum, perfectissimum, & sufficientissimum ad ponenda in esse omnia entia dependentia, ac subordinata, ex eodem ibidem t. 40. & 14. Metaph. cap. 6. sequitur, materiam primam non solum non habere repugnantiam ad fieri, sed esse ab eodem productam, non ex alia materia, aut subiecto præcedente, ne detur processus in infinitum, verùm ex nihilo immediatè per creationum.

Tertiò notandum ex Formalit. Scoti art. 4. de Distinct. & Ident. reali, res esse in triplici differentia, scilicet subsistentiæ, existentiæ, & essentiæ. Res subsistentiæ sunt illæ, quæ sunt incommunicabiles vt quo, & vt quod, & hæ coarctantur ad prædicamentum substantiæ, & ad primas substantias tantum. Res existentiæ sunt, quæ habent esse extra suas causas, siuè sint substantiæ, siuè acciden-

cidentia, vt sunt omnia indiuidua cuiuslibet prædicamenti. Res autem essentiæ sunt quiditates rerum, vt sunt genera, species, & earum differentiæ essentiales: at cum ex Aristotele in vnoquoque genere sit reperite quid; dicendum est, res essentiæ vagari per omnia prædicamenta. Ad propositum applicando, D. Thomas, & sequaces dicunt, res primo modo posse terminare actionem creatiuam, cum illæ duntaxat existant per se, non autem res essentiæ, & existentiæ, quæ per se nequeunt existere; at Doctor subtilis, & sectatores, cũ agnoscant existentiam distinctam à subsistentia, & illam reperiri in omnibus indiniduis, saltem absolutis, iure merito defendunt, non tantum composita substantialia, & res subsistentes posse creari, verùm etiam simplices formas, tàm substantiales, vt sunt animæ rationales, quàm accidentales, vt sunt habitus supernaturales, & etiam materiam primam, cùm habeat propriam existentiã, distinctam ab existentia formæ, & compositi, vt vidimus in 1. Physicorum disp. 3. q. 1. & 2.

Quartò notandum est, quod circa inceptione mundi, etsi multi Philosophi videantur conuenire cum catholicis, ponendo vnam primam causam præexistere in æternitate, à qua cuncta in esse dependeant, discriminantur tamen in modo; quandoquidem Anaxagoras posuit chaos eternum; Democritus, & Empedocles æternos athomos; alij plura elementa, itidem sempiterna, ex quibus postea aut compactus, aut productus fuit mundus in tempore; cæterùm catholici nullum horum ponunt æternum, sed tantum ipsum Deum, à quo ex nihilo, & immediatè fluxerunt substantię, spiritualis .i. natura Angelica, & corporalis, nempè materia prima, ex qua postea condidit Cœlum, & Terram, ac cætera, quę in mundo consistere cernuntur, siuè composita, siuè formæ substantiales, & accidentales, corporeæ tamen, nam de formis Incorporeis iam dictum est in 1. Physic. loco cit.

Quintò notandum est, Deum (cum sit æternus) non creasse mundum in æternitate, potuit oriri ex vno trium capitum, aut quia non potuit, aut quia noluit, aut non congruit eius libertati, ac sapientiæ. Primum dici nequit, quia argueret imperfectionem, quæ repugnat primo principio: Nec secundum, uam inferret malitiam, & inuidiam, negando communicationem suæ bonitatis, quæ est impossibilis, & incompossibilis diuinæ bonitati; superest igitur vt dicamus, non creasse mundum ab æterno, quantum est ex se, ad ostendendam eius libertatem, & sapientiam infinitam, secundum quam nouerat congruitatem creationis temporalis, & hoc sustinendo opinionem D. Thomæ de possibilitate mundi in æternitate, vel repugnantiam creaturarum cum æternitate tenendo sententiam D. Bonauenturæ.

Ex his igitur sit prima conclusio. Materia prima, aut chaos, aut athomi, vel elementa non sunt Deo coæterna. Est omnium catholicorum contra Philosophos, & Hæreticos recensitos in prima sententia. Probatur ratione philosophica, desumpta ex principijs Aristotelis, Deus est prior tempore materia prima, ac cęteris positis in conclusione; ergo non fuit sibi coæterna. Consequentia patet, quia temporale nequit esse coæternum Deo, qui est infinitus in duratione. Antecedens probatur, quia simpliciter perfectum est prius tẽpore simpliciter imperfecto; sed Deus est ens simpliciter perfectum, & materia prima, siuè sit chaos, siuè athomi, siuè elementa, est simpliciter imperfecta; ergo &c. Maior est Aristotelis 1. Physic. t. 75. vbi habet hæc verba: Prius natura, & tempore, & ratione, quod perfectum quidem est, imperfecta est. Minor patet de Deo ex eod. in Aristotele 12. Met. t. 38. & 51. & 14. Metaph. cap. 6. De materia verò 7. Metaph. t. 8. vbi dicit, materiam non esse, nec quid, nec quale, nec quantum, sed ens potentiale respectu omnium formarum; ergo ex principijs Aristotelis remanet sufficienter probatum, materiam primam, quæcumque sit illa, non esse Deo coæternam.

Secunda conclusio. Materia prima est creata à Deo in tempore. Est de fide defini-

definita in Concilio Lateranensi, & habetur extra de Sum. Trin. & fide catholica cap. Firmiter. Probatur ex Sacra Scriptura, quia Psal. 145. dicitur Deum fecisse cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Item Isaiæ 41. loquens Dominus de Dijs Gentium ait: Ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo, quod non est. Deindè 2. Machabæorum cap. 7. Inquit illa sapiens parens ad filium, qui ducebatur ad mortem: Peto nate, vt aspicias ad cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt, vt intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus; ergo si cœlum, terram, mare, & homines fecit Deus ex nihilo, cum omnia ista constent ex materia, dicendum est, illa fecisse ex nihilo, quia materiam primam, ex qua omnia constant, fecerit ex nihilo. Secundò probatur ex D. August. lib. 2. Confess. cap. 7. dicente: Duo fecisti Domine, vnum propè te .s. Angelum, & aliud propè nihil, nempè materiam primam. Tertiò probatur ratione, quia si Deus non creauit materiam primam, aut hoc fecit, quia noluit, aut quia non potuit, aut quia sibi repugnat; sed nullum horum admitti potest; ergo dicendum est illam creasse. Maior patet, quia nulla alia ratio excogitari potest. Minor probatur: Non est admittendum, quod noluerit, quia huius nolitionis causa non innotescit nobis, nec ex Sacra Scriptura, nec ex Concilijs, neque ex Patribus, quinimò oppositum manifestè deducitur, vt dictū est: Nec quod non potuerit, cum sit omnipotens: Neque denique ex repugnantia ipsius materiæ, quia si materiæ repugnaret effici, aut in quantum materia est, aut quatenus talis materia, nempè prima; sed neutrum est dicendum; ergo ex nullo capite sibi repugnat. Minor probatur: Non est dicendum primum, quia tunc repugnaret omni materiæ (siquidem reduplicatiua in quantum, seu quatenus, infert vniuersalem secundum Logicos) & ita repugnaret composito naturali etiā creari, quod tamen est falsum, quia Genesis cap. 1. dicitur: Creauit Deus Cœlum, & Terram, quæ tamen sunt materia secunda: Nec potest dici secundum, quia materia prima diffinitur 1. Physic. t. 82. solùm per ordinem ad compositum, quod sit subiectum primum, vbi ly primum negat dari aliam materiam priorem, & relinquit ordinem, & dependentiam ad primum efficiens, à quo potest immediatè effici; ergo materiæ primæ non repugnat effici ab ipso Deo. Confirmatur, quia ens simpliciter dependens fit ab ente simpliciter independenti, ex Aristotele 12. Met. t. 38. inquit enim: A tali ergo principio independenti, & perfectissimo, tum cœlum, tum natura dependet; sed materia est ens simpliciter dependens, & Deus simpliciter independens, ergo &c. Confirmatur secundò, quia materia prima non est coæterna Deo, ex prima cōclusione, ergo transfertur de non esse ad esse ab aliquo actu operante; sed non ex alia materia per generationem, alioquin illa non esset prima materia; ergo per creationem ex nihilo. Consequentia probatur, quia omne ens, vel est æternum, & necesse esse, vel possibile, & temporale; sed quod est huiusmodi .s. possibile, est effectibile; ergo ab aliquo actu operante, non per generationem; igitur per creationem, & sic remanet probatum, materiam primam esse creatum à Deo.

Tertia conclusio. Mundus, quamuis secundum Aristotelem sit in æternitate genitus, tamen secundum fidem, de facto, est in tempore factus, ac creatus creatione largè sumpta. Est communis omnium Theologorum, ac Philosophorum christianorum. Probatur prima pars, quia Aristoteles 8. Physic. cap. 1. Et 2. lib. 1. de Cœlo cap. 9. Et 12. Met. cap. 6. Tum ex motus, & mobilis, ac temporis æternitate, sustinet, mundum fuisse ab æterno. Item 2. de Gener. t. 56. dicit: Idē manens idem, semper natum est facere idem; sed Deus est talis; ergo ab æterno, vel numquam mundum produxit. Item in eodem lib. t. 76: docet, motum circularem carere terminis à quorum altero incipiat; ergo motus cœli, cum sit circularis caret principio, & fine, & sic est æternus. Iterum 8. Physicorum ex motus æternitate arguit primi motoris, ac

Dei æternitatem. Item 1. de Cœlo tex. 22. ex eo, quod dicitur cœlum esse sedes Dei, infert cęlum esse sempiternum, ac Deus est. Plura alia loca congerunt Perrerius, ac Toletus, ex quibus manifestatur non obscurè Aristotelis intentio, quod mundus non fuerit in tempore factus; sed ab æterno productus, quicquid in contrarium attentent nonnulli Recentiores, quos citant Mastrius de Cœlo, & Mundo disp. 3. q. 5. num. 36. & Sulmon. 8. Physicorum art. vlt. ex Conimbric. ibidem cap. 2. art. 1. Secunda pars claréscit ex his, quæ tamquam de fide diffiniuntur cap. Firmiter de Sum. Trinit. & fide catholica, nempè Deum esse creatorem omnium rerum corporalium, & incorporalium; sed ex his omnibus coalescit Mundus, vt diximus in Proœmio huius disput. & dicemus in sequenti quæstione; ergo mundum incępisse in tempore est diffinitum de fide. Secundò suadetur ratione: Si mũdus esset æternus, & non temporalis, sequeretur in æternitate fuisse omnes scientias, & artes, nè homines otiosè viuerent; sed consequens est valdè absurdum; ergo &c. Minor probatur, quia constat ex multis monumentis Historicis, quinam fuerint inuentores, & cultores scientiarũ, & artium, vt videre est in Athanasio orat. contra Idola, in Clemente Alexan. lib. 1. Stromatum. Iosepho lib. 1. de Antiquitatibus cap. 2. & alijs permultis; ergo scientiæ, & artes non fuerunt in æternitate, sed habuerunt principium in tempore. Tertia pars patet, quia creatio propriè dicta est ex nihilo in esse reali productio; sed mundus pro maiori parte non fuit productus ex nihilo, quia omnia corpora, siuè simplicia, siuè mixta constant ex materia, & forma, vt ostendimus in 1. Physicorum; ergo cum in Scripturis dicatur, Deum creasse cœlum, terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, dicendum est, tunc sumi creationem latè pro immediata productione à Deo facta, siuè ex nihilo, siuè ex præcedenti materia prima.

Quo autem anni tempore, vel Vere, vel Autumno fuerit mundus conditus, controuertitur à Theologis, vt referunt Conimbricenses citati suprà q. 2. art. 2. quos videre potestis; sufficit enim philosopho christiano scire, quod factus fuerit in tempore, vt possit occurrere erroribus Antiquorum de eius æternitate sentientium.

Obijcitur tamen multa, & non spernenda argumenta, contra supradicta, & primò contra primam conclusioné, quia ex Aristotele 1. Physicorum t. 82. Materia est ingenita, & incorruptibilis, ac proindè sempiterna. Deindè omne, quod fit, componitur ex subiecto, & aliquo alio ex eodem 1. Physicorum; sed materia non habet aliquod subiectum, ex quo fiat; ergo non est facta, & per consequens æterna.

Resp. Negando vtramque consequẽtiam; siquidem consistere potest, materiam esse ingenitam, & incorruptibilé, & tamen non esse æternam, sed in tempore à Deo productam, non per generationem, quia hæc supponit aliam materiam, verum ex nihilo per creationem. Ad aliud de fieri, dico, Aristotelem in 1. Physicorum, locutum fuisse de fieri per compositionem, aut per se, aut per accidens, in quibus interuenit actus, & potentia, non tamen de fieri generaliter, prout significat emanationem omnium rerum ab vno principio, de qua loquitur 12. Metaph. t. 52. modo quamuis materia non possit dici facta primo modo, benè tamen intelligitur facta secundo modo.

Obijcitur secundò contra primam partem tertiæ conclusionis, quia Aristoteles 1. Topic. cap. 9. dicit, esse problema dialecticum, an mundus sit æternus; ergo vel fuit dubius, vel saltem eius æternitatem tãtum problematicè docuit, & non asseuerantèr sicut nos dicimus.

Resp. Negando consequentiam; non enim dicit ex se, & secundum proprium intellectum, æternitatem mundi esse problema dialecticum, cum hanc demonstratiuè firmarit pluribus in locis, & præsertim in hoc 8. Physicorum cap. 1. & 2. verum dumtaxat, quia nouerat multos èx Antiquis in oppositam fuisse sententiam.

Obijci-

Obijcitur tertiò contra secundam partem eiusdem conclusionis, quia Aristoteles in hoc libro pluribus in locis probat mundum esse, per hoc, quod motus, & tempus sunt æterna; ergo &c. Antecedens probatur de motu: Nam motus, cum sit actus mobilis, præsupponit mobile, tunc quæritur, an mobile sit factum in tempore, vel sit æternum; si æternum, idem dicendum erit de motu; si factum in tempore, cum factio sit mutatio quædam; ergo per alium motũ, de quo quæram sicut prius, & sic in infinitum: Idem probatur de tempore, quia si tempus incipit; ergo in nunc; sed de ratione nunc est, quod sit finis, & principium temporis; ergo ante tempus est tempus vsque in infinitum, & sic in æternitate erit tempus.

Resp. Negando antecedens; ad primam probationem dico, mobile, & motum esse facta in tempore à primo mouente, non per alium motum, sed per creationem ex nihilo, quæ non est propriè mutatio. Ad secundam dico, tempus incepisse in nunc creationis, & tunc non sequitur ante tempus dari tempus in infinitum, quia illud axioma Aristotelicum est verum de nunc continuatiuo, non verò de initiatiuo, quale est nunc creationis.

Obijcitur quartò, quia motus circularis est æternus, cum careat principio, & fine, ex Aristotele lib. 2. de Gener. tex. 76. sed motus cœli est circularis; ergo æternus simul cum cœlo, quod est mobile.

Resp. Negando maiorem; ad probationem dico, motum circularem carere principio, & fine intrinseco, seu magnitudinis, à quo incipiat, & in quo desinat, habere tamen principium extrinsecum, quod est virtus primi mouentis, à qua incepit motus circularis cœli, & desinet cum sibi placuerit.

Obijcitur quintò, Aristoteles 12. Met. t. 30. inquit: Deus cum sit actus, caret potentia; sed si ab æterno non produxisset mundum, fuisset in potentia ad illum producendum, hoc autem est absurdũ; ergo potius dicendum est, mundum esse æternum.

Resp. Deum carere potentia passiua; quia hæc dicit imperfectiorem, non tamen actiua, quia hanc habuit ab æterno, nempè volitionem æternam creandi mundum in tempore.

Contrà arguit Auerroes 8. Physicorũ com. 15. sicut se habet voluntas noua ad actionem nouam, ita voluntas antiqua ad actionem antiquam; & permutatim, sicut se habebit voluntas noua ad actionem antiquam, ita voluntas antiqua ad actionem nouam; sed impossibile est à voluntate noua prouenire actionem antiquam; ergo etiam impossibile erit à voluntate antiqua prodire actionem nouam, ac proindè quicquid Deus ab æterno voluit, pro æterno, & non pro tempore determinato voluit.

Resp. ex Doct. subtili in 4. d. 43. q. 3. sub F. negando consequentiam, quia argumentum à commutata proportione, quo vsus est Aristoteles 2. Priorum t. 21. non valet vniuersaliter, sed solum in terminis conuertibilibus, & quoad contradicere, non tamen quoad sequi vnum ab alio; non enim valet, sicut homo ad non hominem, ita animal ad non animal; ergo sicut ad hominem sequitur animal, ita ad non hominem, sequitur non animal, quia equus reuera est non homo, & tamen non est non animal, verum est animal, immò committitur fallacia consequentis, cum sic arguitur ad sequi, vel antecedere; cùm igitur argumentum Auerrois non sit in terminis conuertibilibus, nec procedat quoad cõtradicere, sed solum quoad sequi, vel antecedere, ideò non concludit, sed committitur fallacia consequentis.

Vel dicendum cum Sulmonensi citato, argumentum Auerrois procedere de voluntate noua, quæ nunc incipiat esse, & de antiqua, quæ desinat esse, quia sicut illa nequit esse causa effectus antiqui, cum illum non præcesserit, saltem natura, sic ista, cum desierit nequit edere effectum nouum; quod enim non est, non potest esse causa alicuius; modò diuina voluntas, quamuis sit antiqua, & æterna, numquam tamen desinit esse, sed semper fuit, est, & erit, siquidem nunc æternitatis, quo illa mensuratur, coexi-

coexi-

coexistit toti tempori præterito, præsenti, & futuro, & ideò potuit ab æterno velle aliquod nouum, non pro æterno, sed pro aliquo determinato tempore. Confirmat hanc responsionem ex Vgone de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis p.2. cap.10. vbi inquit: Voluntas æterna fuit, & opus voluntatis æternum non fuit; semper enim voluit, vt faceret, & non voluit, vt semper faceret, sed vt aliquando faceret, quod semper voluit, vt faceret aliquando. Plura alia argumenta pro Philosophis congerunt idem Salmonensis, Toletus, Perrerius, quæ in ipsis videri possunt, nobis sufficiunt allata, vt potè difficiliora.

Vtrum Mundus sit æternum duraturus, vel aliquando desiturus?

QVÆSTIO IV.

Circa hanc difficultatem, quam aliqualiter tetigimus etiam in 1. Physicorum, diffident, non solum Philosophi antiqui, sed etiam moderni Theologi: nam Plato in Timæo, Cœlos natura sua corruptibiles asserit, sed Dei conseruatiua virtute à corruptione illesos seruari. Heraclitus, & Cratillus: Terrena, cœlestiaque caduca putarunt. Zeno, Empedocles, Anaxagoras, & Seneca, Sublunarem mundum simul, ac cœlestem aliquando desitutum dixerunt.

D. Basilius homil. 1. & 3. in Genesim, D. Damascen. lib. 2. de fide orthod. cap. 6. D. Io. Chrysost. hom. 9. & 10. ad populum Antiochen. asseuerarunt, Cœlos esse natura sua dissolubiles.

Aristoteles verò ex opposito lib. 1. de Cœlo cap. 3. & lib. 2. cap. 1. tradidit, corpora cœlestia suapte natura indissolubilia existere, cui sententiæ subscribit etiã D. Dionysius de diuinis Nomin. cap. 4. & Doctor subtilis in 2. d. 14. q. 1. iuxta Philosophi principia Cœlum esse incorruptibile, at secundum Theologorum doctrinam corruptibile esse affirmat.

Recentiores verò nonnulli putant hunc mundum, tàm cœlestem, quàm sublunarem, in Iudicio Vniuersali desiturum, & postea alium perfectiorem, purioremque de nouo efformandum æternum duraturum. Sic Molina in 1.p. D. Thomæ de operibus sex dierum disp. 3. Hurtado disp. 3. sect. 7. de Cœlo, & Merisan. disp. 1. dub. 6.

Quid autem nobis dicendum sit, paucis notatis, nostram in conclusionibus apetiemus sententiam.

Primò igitur notandum est, Mundum dupliciter spectari posse, vno modo quo ad substantiam, alio modo quoad accidentia ipsum consequentia. Primo modo coalescit ex speciebus, & indiuiduis quarumcumque rerum, tàm cœlestiũ, quàm sublunarium, tùm viuentium, tùm non viuentium, in quibus relucet perfectio eius substantialis. Secundo modo attenditur quoad quantitatem, qualitatem, & figuram, ex quibus dignoscitur venustas, & pulchritudo vniuersi. Vtroque modo adhuc dupliciter considerari potest, vel de possibili, vel de facto. Si loquamur de possibili, non est dubium, ipsum conseruari posse, à Deo, nedum quoad substantiam, sed etiam quoad accidentia; siquidem creatio, & conseruatio, vt videbimus in sequenti, cum re sint idem: quemadmodũ Deus illum produxerit, vt ad præsens se habet, ita inuariatum poterit eumdem conseruare: cæterùm de facto non ita se habebit, saltem quoad esse accidentale, quia, tum ex Scripturis, tum ex Patribus, habemus ipsum per ignem purgandum, & post diem Iudicij puriorem, perfectioremque efformandum: Dicitur enim Isaiæ 69. Ego creo cœlos nouos; Et Apocalyp. 21. Vidi cœlum nouum, & terram nouam, quæ vtique intelligenda sunt de nouitate accidentali, vt exponunt D. Hieronymus ad illud Isaiæ, D. August. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 24. & D. Greg. lib. 17. Moralium cap. 5. ac non obscurè insinuat D. Paulus 1. ad Corinth. 7. cum ait: Præterit enim figura huius mundi; nihil de substantia eiusdé locutus, sciens in perpetuum duraturam.

Secundò notandum est, quod aliud est dicere, mundum, etiam quoad substantiam, esse suaptè natura corruptibilem, vel incorruptibilem, & ipsum esse corruptioni, vel incorruptioni subiectũ;

quan-

quãdoquidem ſicut prior loquendi modus indicat potentiam,& habere in ſe principium, vel corruptibilitatis, vel incorruptibilitatis , ſic poſterior denotat actum corruptionis , aut incorruptionis: ex quo fit,quod ſicut non repugnat, Deum ſuſpendere poſſe actum ſecundum, nè ſequatur ad actum primum, vt fecit in fornace Babylonis,& in lacu leonis, erga tres pueros, & Danielem, ſic poterit optimè conſiſtere, vt etiam fateamur de mundo, ſicut in 1 Phyſ. diſp. 3. q. 10. diximus de Cœlo, ipſum eſſe ſuaptè natura corruptibilem,& etiam æternùm duraturum,Deo illum conſeruante, quia hoc erit dumtaxat ſuſpendere actum ſecundum corruptionis, in quam ab intrinſeco tendebat ratione materiæ.

Tertiò notandum eſt, Cœlum poſſe dici indiſſolubile dupliciter, vel in ordine ad agens naturale, vel ſupernaturale; Priori modo eſt ſimpliciter indiſſolubile, quia ſicut hactenus nulla inuenta fuit cauſa, quæ ipſum diſſoluere potuerit, ſic non eſt formidandum, quod imposterũ repertura ſit: at poſteriori modo diſſolui poſſe non eſt dubium, non tantum per annihilationem, ſed etiam per corruptionem; poteſt enim Deus illud ad nihilum redigere, ſicut ex nihilo condidit; vel corrumpere eius formam, & aliam perfectiorem, vel imperfectiorem, aut æquè perfectam in eius materiam inducere, quorum altero peracto, deſinet eſſe cœlum, quod ad præſens videtur, vel per annihilationem, vel per corruptionem : Idem dicendum de toto mundo.

Ex his fit prima concluſio. Mundus, nec quoad corpora cœleſtia, nec quoad animas rationales, nec quoad rerum ſublunarium ſpecies naturaliter diſſolui poteſt. Probatur prima pars, quæ à nulla cauſa creata dependent in fieri, aut conſeruari, nec per eius actionem aliquam poſitiuam deſtrui poſſunt; ſed corpora cœleſtia ſunt huiuſmodi; ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quia corpora cœleſtia habuerunt eſſe immediatè à Deo, vel per creationem immediatam, dicente Moyſe Gen. cap. 1. In principio creauit Deus Cœlum, & Terram; vel mediatam, hoc eſt per eductionem formarum cœleſtium de potentia materiæ, ex nihilo productæ, vt oſtendimus in 1. Phyſicorum; ergo à nulla cauſa creata dependent in eſſe, & conſeruari. Secunda pars probata fuit in 1. Phyſicorum, vbi oſtendimus, animas rationales immediatè pendere à Deo per creationem. Tertia pars probatur, quia omnium rerum ſpecies conſeruantur in indiuiduis, ex Ariſtotele in Prædicam. cap. de Subſtantia; ſed nullum agens creatum valet deſtruere omnium rerum indiuidua; ergo nec omnium rerum ſpecies ſubſtantiales. Minor probatur, quia agens naturale agit vel generando, vel corrumpendo; ſed ſicut generatio vnius eſt corruptio alterius, ita corruptio vnius eſt generatio alterius; ergo quot indiuidua continget corrumpi, totidem generari neceſſariò dabitur, ergo inferrendũ eſt, non poſſe omnia naturaliter deſtrui ab agente naturali, ac proindè nec eorum ſpecies, quæ in eis conſeruabantur.

Secunda concluſio. Mundus quoad ſubſtantialia, eſt æternùm duraturus. Colligitur ex Doctore ſubtili in 4 d. 47. q. 2. & d. 48. q. 2. vbi loquens de purgatione per ignem fienda tempore Iudicij, videtur ſupponere cœlos, & elemẽta permanſura; Deſinet autem quoad accidentalia, vt colligitur ex eodem ibidem, & eſt aperta mens D. *Hieronymi*, D. Auguſtini, ac D. Gregorij Papæ in locis citatis ſupra not. 1. Probatur prima pars auctoritate Sacræ Scripturæ; nam Eccleſiaſte 1. dicitur: Terra autem in æternum ſtat. Item Pſal. 148. Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt, ſtatuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi. Item Eccleſiaſtæ cap. 3. ſubiungitur: Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perſeuerent in perpetuum, ſed mundus coaleſcit ex cœlis, terra, & cæteris, quæ in ipſis conſpiciũtur; ergo ſecundum Sacram Scripturã mundus eſt æternùm duraturus. Secundò ſuadetur rationibus, Beati ſemper gaudebunt in Cęlo, & damnati torquebuntur in Inferno; ergo Cœlum, & Infer-

Infernus semper erunt. Antecedens patet Matthæi c. 25. vbi loquens de beatis, ac damnatis, inquit: Ibunt hi in suppliciũ æternum, iusti autem in vitam æternã; ergo &c. Deindè Mundus sic naturaliter exposcit sui conseruationẽ, vt foret miraculum, quando non cõseruaretur; sed pro cõperto habemus, non esse efficiendum huiusmodi miraculũ, vt apparet ex Scripturis Sanctis; ergo firmiter tenenda est æterna mundi duratio. Secunda pars probatur ex illo Isaiæ c.69. Ego creo nouos cœlos, & terram nouam: & Apoc. cap. 21. Vidi cœlum nouum, & terram nouam, sed non potest esse sermo de nouitate substantiali, vt exponũt Sancti Patres Hieronymus, Augustinus, & Gregorius citati in 1. nor. ergo &c. Præterea habemus ex cõmuni consensu Patrũ, ac Theologorum, mundum fore purgandũ per ignem in Iudicio vniuersali; sed huiusmodi purgatio intelligi nequit quoad substantiam, vt conceditur communiter ab omnibus; ergo quoad accidentia.

Obijciuntur tamen multa contra hãc conclusionem, & primò ex Scripturis, quandoquidem habetur Iob c. 14. Hominem postquam dormierit, non resurget donec atteratur cęlum. Psal. 101. Ipsi peribunt .i. celi, tu autem permanebis. Isaię c.34. & 51. Et tabescet omnis militia cęlorum, & cõplicabuntur sicut liber cœli, & oĩs militia eorum defluet: cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimẽtum atteretur. Matth c.24. & Lucæ c.21. Cœlum, & terra transibũt. Et in 2. Petri c. 3. Cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur: Item cœli ardẽtes soluentur, & elemẽta ignis ardore tabescent; sed hæc, vt apparet locũ nõ habent de purgatione accidentali; ergo mundus purgabitur substantialiter, adeò vt non sit in æternum duraturus.

Resp. Negãdo minorem, imò omnes Scripturæ ſtm allatæ intelliguntur à SS. Patrib', & Theologis de purgatione accidentali. Ad primam autem respondet Scotus in 4.d.43.q.1. sub H. cęlum numquam atterendũ fore quoad substantiã, sed tantum quoad influentiã in hæc inferiora, generando, & corrumpẽdo, quia post iudiciũ cessabit oĩs influentia; & per hoc ad secundam dico cœlos perituros quoad operationes, quas modò exercent in hæc inferiora, nõ verò substantialiter. Eodem modo exponitur tertia desũpta ex Isaia, Tabescent .n. stellæ, quæ dicuntur militiæ cœlorum, & complicabuntur cœli sicut liber, quia cessabit omnis eorũ motus; ac influxus, in hæc sublunaria, cùm nõ fuerint amplius necessarij ad generationes, vel corruptiones inducẽdas. Non dissimiliter explicanda venit quarta ex Matthæo de transitu celi, & terræ, Transibit .n. cœlum, ac terra ab operationibus ad quietem, non sic autẽ verba Christi, quia illa sunt in æternum mansura quoad eorum effectus, & operationes spirituales, relucentes in beatis. Ad quintam, quæ videtur magis facessere, respondent D. Bonauen. in 4.d.47.art.2. q.3 & d.48. art.2. q. 3. ac Scotus ibidem d.43. q. 1. H. & d. 47. & 48. q 2. nomine cœli intelligendum esse cœlum elementare iuxta illud Matth. 13. & volucres cœli .i. aeris comederunt illud; siquidem cęlum elementare purgandum erit igne conflagrationis, non quoad substantiam, sed quoad accidẽtia, quia, vt dicit D. August. 12. de Ciu. Dei cap. omniũ elementorum qualitates ardendo penitus interibunt, sed his fusiùs in Theologia, pro nunc sufficiant iam dicta.

Obijcitur secundò contra primam conclusionem, quia virtus cœli est defectibilis; sed virtus cœli est substantia cœli; ergo cęlum est defectibile quoad substantiam.

Resp. Maiorem esse veram respectu agentis supernaturalis, non verò in ordine ad agens naturale; vndè argumentum probat posse corrumpi, vel annihilari virtute diuina, non verò naturali, & creata.

Obijcitur tertiò: Quod subest motibus contrarijs est corruptioni obnoxium; sed cœlum est huiusmodi, mouetur enim ab Oriente in Occidentem, & è conuersò, qui sunt contrarij; ergo &c.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico, motus quidem ab Oriente in Occidentem esse sibi inuicem contrarios, non autem cœlo, quandoquidem, vt ostendimus 2. Physicorum cũ Scoto in

in 4 d. 48. q. 2. cœlum non mouetur naturaliter, seu neutraliter ad Orientem, vel Occidentem, & ideò huiusmodi non sunt sibi contrarij, nec consequenter destructiui eius substantiæ.

Vtrum Creatio, & Conseruatio sint idem?

QVÆSTIO V.

HAnc quæstionem communiter tractant Theologi in 2. d. 1. vel 2. in materia de Creatione rerum, & D. Th. in 1. p. q. 104. art. 1. & de Potentia q. 5. art. 1. Doctor autem subtilis, quamuis aliqualiter insinuet eam in 2. d. 1. q. 1. C. tamen ex professò illã exagitat in quol. q. 12. art. 1. & 2. & Conimbricenses in hoc 8. Phys. cap. 2. q. 1. art. 4. vbi referunt varios Doctores illam discutientes: vndè pro eiusdem solutione

Primò notandum ex eisdem Conimbric. & colligitur etiam ex Scoto loco cit. Conseruationem esse manutentionẽ rei in esse iam præhabito; & hanc esse duplicem .s. independentem, & dependentem. Conseruatio independens, est manutẽtio rei in esse iam præhabito per causã independentem facta, cuiusmodi est sola Dei cõseruatio, qua cuncta creata manutenet, nè dillabantur. Conseruatio verò dependens est manutentio rei per causam dependentem ab alia, vt cõseruatio luminis à Sole, vel igne, qui sũt causę dependentes à Deo; & hæc est duplex .s. intrinseca, quæ fit à causis intrinsecis, vt conseruatio totius essentialis à materia, & forma; ac extrinseca, quæ fit à causa extrinseca, vt conseruatio luminis à Sole, qui est eiusdem causa extrinseca. Hic loquimur de conseruatione independenti, non autem de dependenti, quia de tali non est dubium, quin à creatione secernatur.

Secundò notandum ex Doct. subtili quol. 12. sub D. tàm creationem, quàm conseruationem importare duplicem respectum, alterum dependentiæ essentialis rei ad Deum creantem, aut conseruantem: alterum verò ad esse, vel non esse præcedens. Prior respectus est realis, cum fundetur in existentia rei realis creatæ, & conseruatæ, & terminetur ad volitionem diuinam, quæ pariter est realis: at posterior respectus tàm in creatione, quàm in conseruatione, est rationis; quandoquidem respectus in creatione, est rei existentis ad non esse præcedens, quod est nihil reale, & aliquid rationis, vt superiùs vidimus, modò, cũ respectus nõ sit maioris entitatis, quàm sit eius terminus, vt docet Scotus in quol. 13. D. & terminus non sit realis, sed rationis, etiam respectus huiusmodi debet esse rationis: in conseruatione pariter cùm respectus sit rei existentis ad seipsam per creationem præhabitam, nequit esse realis; siquidem relatio realis exigit extrema realia, realiter distincta, vt cum Scoto ostendimus in Prædicam. disp. 7. q. 1. cùm igitur eiusdem ad seipsum nequeat esse distinctio realis, sed tantum rationis, consequenter nec respectus conseruationis huiusmodi erit realis, verùm dumtaxat rationis.

Tertiò notandum ex eodem ibidem art. 1. sub A. & B. ad vnitatem relationis exigi dumtaxat vnitatem fundamenti, & termini; nam cum ab illis tantum habeat entitatem, vt cum Scoto in 4. d. 12. q. 1. D. probauimus in Prædicamen. disp. 7. q. 1. sect. 3. ab eisdem pariter solùm habere debet vnitatem: cùm igitur creatio, & conseruatio habeant idem fundamẽtum reale, nempè esse rei creatæ, & conseruatæ, idem omninò, ac indistinctum realiter, & similiter vnum, & eumdem terminum realem .s. velle diuinum, à quo essentialiter res dependet in esse, ac conseruari; sequitur necessariò creationem, & conseruationem importare omninò eamdem relationem essentialis dependentiæ realem, & sola ratione distinctam.

Quartò notandum ex eodem ibidem art. 2. creationem, & conseruationem dupliciter accipi posse, in actu primo, & in actu secundo. Creatio, & conseruatio in actu primo adhuc dupliciter expendi possunt, nimirum formaliter, & fundamentaliter. Creatio, & conseruatio in actu primo fundamentaliter est ipsum velle diuinum creans, & conseruans rẽ

in

in esse: Formaliter verò, si detur, erit respectus rationis fundatus in velle diuino ad rem creatam, & conseruatam, non enim potest esse relatio realis, alioquin Deus depéderet essentialiter à creatura, quod est omninò falsum; siquidem dependentia dicit imperfectionem in re dependenti, vt alibi ostendimus. Creatio verò, & conseruatio in actu secundo, fundamentaliter, & formaliter consideratur sicut in actu primo. Fundamentaliter est ipsa res creata, & conseruata: formaliter verò sunt illi duo respectus, realis .s. ac rationis, de quibus egimus in 2. notab.

Ex his fit prima conclusio. Creatio, & conseruatio in actu primo fundamétaliter sunt prorsus idem realiter, & formaliter: Similiter creatio, & conseruatio in actu secundo fundamentaliter, est creatura posita, & conseruata in esse. Est Scoti loco citato art. 2. Probatur, quia creatio, & conseruatio in actu primo fundamentaliter est velle diuinum creans, & conseruans; in actu verò secundo est ipsa res creata, & conseruata; sed tàm velle diuinum, quàm esse creaturæ respectiuè sunt semper idem in creatione, & conseruatione; ergo creatio, & conseruatio in actu primo, vel secundo, vtrobique respectiuè fundamentaliter acceptæ, respectiuè tamen, sunt omninò idem realiter, & formaliter. Maior, & minor sunt claræ ex notab. vltimo.

Secunda conclusio. Creatio, & conseruatio in actu secundo formaliter sumptæ, in ordine ad Deum creantem, & conseruantem, sunt idem realiter inter se. Est Scoti ibidem art. 1. sub A. & probatur ab eodem hac fortissima ratione, quia eiusdem re, & ratione ad idem re, & ratione non est dependentia essentialis, nisi vnica eiusdem rationis; sed existentia creaturæ permanentis est eadem omninò in creatione, & conseruatione, & ex parte termini est omninò idem re, & ratione .s. velle diuinum; & habitudo non solùm ad creantem, sed ad conseruantem est habitudo dependentiæ essentialis, & eiusdem rationis; ergo creatio, & conseruatio formaliter in actu secundo sunt omninò idem. Maior probatur: Tum quia vnitas relationis desumitur ab vnitate fundamenti, & termini, vt probat idem Doctor in 4. d. 12. q. 1. D. Tum etiã quia si essent diuersæ relationes dependentiæ, vel essent eiusdem rationis, vel alterius: Non alterius, quia causa creans, & conseruans sunt eiusdem rationis, quia ambæ efficientes; ergo & dependentiæ ad easdem debent esse eiusdẽ rationis: Nec eiusdem rationis, quia cùm sint totales, sunt incompossibiles in eodem ad idem, vt ostendimus in 1. Physicorũ de duabus formis informantibus eãdem numero materiam, & in 2. Physicorum de duabus causis totalibus concurrentibus ad eumdem numero effectum; ergo eiusdẽ ad idem re, & ratione est tantum vnica dependentia essentialis, & eiusdem rationis. Minor probatur quoad omnes partes, & prima, quod eadẽ sit existentia rei permanentis in creatione, & conseruatione, quia hæc est differentia inter permanentia, & successiua, quod successiua non habent semper idem esse, sed aliud, & aliud, cum acquirantur secũdum vnam partem post aliã, in quibus semper datur nouitas essendi in parte succedente; permanentia verò cum acquirantur tota simul in eodem instanti, sicut habent semper eumdem modum manendi, dum manent, sic sẽper perseuerat idem esse inuariatum in fieri, & conseruari. Secunda pars patet, quia idem velle diuinum omninò inuariatum creat, & conseruat. Tertia, quod vtraque habitudo sit essentialis dependentiæ, & de creatione patet: non enim creatura, quæcumque illa sit, creare potest, sed solus Deus, vt probat Doctor in 4. d. 1. q. 1. De conseruatione probatur, quia ad illud dependet res essentialiter in essendi, quod est sibi ratio essendi, & habendi esse; sed talis est conseruatio causæ conseruantis; ergo &c. Minor clarescit ex his, quæ habet D. Augustinus lib. 4. super Gen. cap. 14. vbi inquit: Creatoris namque potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtutis, causa subsistendi est omni creaturæ, quæ virtus ab eis, quæ creata

 sunt,

sunt, regendis si aliquando cessaret, simul, & illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim sicut structor ædium, cùm fabricauerit, abscedit, atque illo cessante, atque illo abscedente, stat opus eius, ita mundus nec ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen subtraxerit. Hactenus Augustinus; ergo dependentię habitudo, quam importat conseruatio ad Deum conseruantem, est essentialis, & eiusdem rationis cum essentiali dependentia creationis ad Deum creantem; ac proindè cum plures huiusmodi sint incompossibiles in eodem, re, & ratione ad idem, re, & ratione, vnica tantum erit essentialis dependentia in creatione, & conseruatione.

Tertia conclusio. Creatio, & conseruatio in actu secundo, connotatiuè sũptæ non sunt idem. Est Scoti ibidem sub D. quia respectus diuersificantur ex diuersitate terminorum, à quibus essentialiter dependent; sed creatio, & conseruatio in actu secundo formaliter diuersos terminos connotant; siquidem creatio respicit nõ esse præcedens, quod est nihil reale, & aliquid cognitum; conseruatio verò idem esse reale creatum præhabitum per creationem, quæ sunt omninò diuersa, vt explicauimus not. 2. ergo creatio, & conseruatio connotatiuè acceptæ non sunt idem, sed diuersæ.

Obijcitur tamen contra prædicta, & primò contra secundam conclusionem, quia illa, quorum vnum potest separari ab alio, non sunt idem, sed realiter distinguuntur; sed creatio potest esse sine conseruatione; ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quia instantanea creatur, & tamen non conseruantur, cum non egeant conseruatione, alioquin non essent instantanea, sed permanentia; ergo &c.

Resp. Minorem, & eius probationem esse veram de conseruatione connotatiuè sũpta, quia talis benè separari potest à creatione, non tamen de conseruatione accepta pro relatione essentialis dependentiæ creaturæ ad Deum, quia hæc numquam seiungi potest à creatione.

Obijcitur secundò: Creatura semper conseruatur à Deo; sed creatura non sẽper creatur; ergo creatio, & conseruatio non sunt idẽ. Maior probatur ex D. Aug. lib. 11. super Gen. c. 19. dicente, quod sicut aer se habet ad Solem, ita creatura ad Deũ; sed secundum eũdem semper aer continuè fit lucidus per conseruationem à Sole; ergo etiam creatura semper fit talis per conseruationem à Deo.

Resp. Minorem esse veram de creatione connotatiuè sumpta, prout dicit respectum ad non esse præcedens creaturæ, non tamen de creatione, vt dicit respectum essentialis dependentiæ creaturæ ad Deum creantem, quia sic creatura semper creatur, sicut semper conseruatur.

Obijcitur tertiò, quod creatio, & conseruatio distinguuntur, saltem formaliter; nam quæ habent diuersas diffinitiones distinguuntur formaliter; sed creatio, & conseruatio sunt huiusmodi; ergo &c. Maior patet, quia diffinitio dicit quiditatem; ergo diuersæ diffinitiones dicunt diuersas quiditates. Minor est nota, quia creatio est productio rei ex nihilo; conseruatio verò est manutentio rei in esse præhabito, quæ sunt diuersæ.

Resp. Maiorem esse veram de diffinitionibus quiditatiuis, & essentialibus, nõ verò de connotatiuis; modò diffinitiones allatæ cum dentur per connotata, consequenter non diuersificant formaliter relationem creationis, & conseruationis, sed tantum connotatiuè, quod vtique concedimus, quia probat nostrã conclusionem tertiam.

Obijcitur quartò: Relationes, quæ habent diuersa fundamenta proxima, & diuersos terminos, sunt diuersæ, ex Scoto in 4. dist. 12. q. 1. D. sed relationes creaturæ ad Deum creantem, & conseruantem sunt huiusmodi; ergo &c. Minor probatur, quia huiusmodi relationes, cum sint secundi modi, non fundãtur super existentia creaturæ creatæ, & conseruatæ, sed super creatione, & conseruatione passiua, vt habet Aristoteles 5. Metaph. tex. 20. cap. de Ad aliquid; sed conseruatio, & creatio passiua sunt di-

diuersæ, vt patet; ergo &c.

Resp. Negando minorem; ad probationem dico cum Doctore subtili ibidem sub C. maiorē esse veram præexigitiuè, non verò formaliter, quia sic fundamētum huiusmodi relationum est vnicum re, & ratione, nempè existentia realis creaturæ, vt dictum est: Nec Aristoteles dicit actionem, & passionem esse fundamenta proxima relationum secūdi modi, alioquin relationes manerent absque fundamento, quod est absurdum, sed solum vult, actionem, & passionem præcedere potentiam actiuam, & passiuam, in quibus fundari habent relationes secundi modi, vt quædam prærequisita, sine quibus illæ non possent esse rationes fundandi, vt fusiùs probauimus in Logica disp. 7. de Relationibus q. vlt. contra Mastrium, & alios.

De Immobilitate, Perpetuitate, & Vnitate primi Motoris.

SVMMA II.

HÆc Summa textus diuiditur in quinque; in quorum primò probat, nec omnia quiescere, nec omnia moueri continuè: In secundò ostendit, omne, quod mouetur, ab alio moueri: In tertiò, quod necesse sit deuenire ad aliquod primum, quod vel sit immobile, vel seipsum moueat: In quartò, quod deueniendum sit ad aliquod percitus immobile; Et in quintò, quod primum mouens sit perpetuum, vnum, & prorsus immobile.

Quoad primum indagaturus Aristoteles motus primi, ac primi motoris perpetuitatem, vnitatem, ac immobilitatē, hanc præponit diuisionem in tex. 21. Eorum, quæ sunt, aut omnia quiescunt, & nulla mouentur; aut omnia mouētur, & nulla quiescunt; aut aliqua quiescunt, & aliqua mouentur; & hoc dupliciter, vno modo, vt illa, quæ quiescunt, semper non moueantur, sed quiescant; & quæ mouentur, nūquam quiescant, sed semper moueantur; alio modo, vt illa, quæ quiescunt, aliquando quiescant, & aliquando moueantur, & illa, quæ mouentur, aliquando moueantur, & aliquando quiescant.

In t. 22. excludit primum diuisionis membrum, & ponit hanc conclusionē: Inconueniens est asserere omnia semper quiescere, vt Zeno affirmabat; & eam probat quadrupliciter; & primò, quia sensus percipit aliqua interdū moueri, & aliquando quiescere; ergo incōueniens est dicere, omnia semper quiescere. Secundò, dicere omnia quiescere, nedum est contra philosophiam, sed cōtra omnes scientias, & artes, quia omnes motu aliquo vtūtur, & indigent, nempè secundum rationem; vnaquæque enim discurrit ex præmissis ad conclusionem. Tertiò, Philosophia motum per se considerat: Metaphysica motum supponit, per quem Deum esse inuestigat: Mathematica motum supponit, vt ab eo abstrahat; similiter etiam artes practicæ motu vtuntur, vt experientia constat; ergo &c. Quartò, sicut contra negantes principia mathematica non est à Mathematico disputandum, ita nec à Physico contra negantes sua; sed est principium physicum, naturam esse principium motus; ergo non est disputandum à physico contra Zenonem, qui negans motum, destruit tale principiū.

In t. 23. ponit alteram conclusionem, nempè inconueniens esse dicere, omnia semper moueri, eamque probat dupliciter, & primò sic: Natura est principium motus, & quietis; ergo necesse est aliqua quiescere. Secundò inductiuè, & primū per augmentationem, & diminutionē; nam quod augetur, vel diminuitur non semper continuè augetur, vel diminuitur, sed aliquando fit augmenti interruptio; calor enim naturalis non auget continuè, sed aliquando disponit, & alterat, & postmodum auget. Quod patet in lapidis excauatione à guttis: lapis enim non excauatur à qualibet gutta, ita ut hæc pars lapidis ab ista gutta, & alia ab alia gutta, & in qualibet parte temporis, vt si tanto tempore tantum excauatur, in dimidio dimidium excauetur, sed in quodā tempore sic, vt primæ guttæ disponant, vltima autem excauerit lapidem. Deindè probat omnia

non moueri alterationis motu semper, quia congelatio est quædam alteratio; sed non congelatur in qualibet parte temporis pars congelati, sed totũ simul, vt patet in aquæ congelatione; ergo alteratio non fit semper continuè. Qui sanatur etiam progreditur aliquo tempore ab ægritudine ad sanitatem; sed non semper sanatur; ergo non omnia semper alterantur.

In t. 24. confirmat idem de motu locali, quia sensu percipimus corpora naturalia, vt lapides, in proprio loco esse, & quiescere aliquando, nec semper moueri.

In t. 25. concludit, alia quidem moueri, alia verò quiescere, verùm censere omnia aliquando quiescere, aliquando verò moueri esse impossibile, & contra sensum.

In t. 26. repetit quæ dixerat in t. 21. & concludit, falsum esse, omnia semper quiescere, vel omnia semper moueri, & omnia aliquando quiescere, & aliquando moueri; at verum est aliqua semper quiescere, & alia semper moueri, & quædam aliquando quiescere, & aliquando moueri.

Quoad secundum, vt ostendat veritatem eorum, quæ in præcedenti dixerat, quærit in t. 27. An omne, quod mouetur, ab alio moueatur (quod aliqualiter tactum est 7. Physicorum t. 1.) & pro declaratione repetit tres diuisiones iam datas, quarum prima est, quædam per se mouent, & mouentur, quædam per accidens. Secunda eorum, quæ per se mouentur, quædam mouentur à seipsis .i. à principio intrinseco, & quædam ab alio .i. ab extrinseco. Tertia quædam naturaliter mouentur, & quædam violenter.

In t. 28. ostendit, omne, quod mouetur, siuè violenter, siuè naturaliter, ab alio moueri, quia in quolibet, aliud est mouens, & aliud est motum; ergo &c.

In t. 29. duas ponit conclusiones, quarum altera est; Grauia, & leuia quoad actum primum mouentur à generante. Altera verò, quod animalia mouentur à seipsis. Probat primam multipliciter simul cum secunda, quia à se moueri est viuere; sed animalia viuunt, non autem grauia, & leuia; ergo &c. Secũdò: Quæ à se mouentur, seipsis quiescunt; sed grauia, & leuia non quiescunt seipsis, animalia autem sic; ergo &c. Tertiò si elemẽta mouerentur à se, haberent plures motus diuersos, & contrarios, vt habent animalia; sed elementa non habent huiusmodi motus; ergo &c.

In t. 30. probat quartò, quia continuũ nequit à se moueri; sed elementa sunt continua; ergo &c. Maiorem probat, quia continuum non patitur à se, cum in ipso non sit agens, & patiens, quæ se tangant; ergo nec mouetur à se. Consequentia patet, quia moueri est quoddam pati.

In t. 31. distinguit mouens, & mobile dupliciter; nam aliud est secundum naturam, quod nimirum habet in se principium motus; Aliud præter naturam, quod caret tali principio, vt frigidum ad calefieri non habet in se principium, seu potentiam, sed tantum capacitatem.

In t. 32. ponit diuisionem de duplici potentia, essentiali, & accidentali, seu remota, & propinqua. Potentia essentialis, siuè remota respicit formam; & actus ei respondens dicitur actus primus. Potentia verò accidentalis, seu propinqua respicit operationem; & actus sibi correspondens dicitur actus secundus. Sic aliquid est in potentia essentiali ad aliquem motum, quando est in potentia, vt recipiat formam, sicut lignum, quod est potentia calidum: Aliquid verò est in potentia accidentali, quando iam recepit formam, & est in potentia ad operationem per ipsam, vt lignum actu calidum est in potentia, vt calefaciat.

In t. 33. colligit inductionem ex prædictis, & ostendit verum esse axioma, nempè, Omne, quod mouetur, ab alio mouetur, quia omne quod mouetur, aut mouetur secundum naturam, aut violenter: si violenter, notum est ab alio moueri: si secundum naturã, aut à seipso, vt animal, & sic mouetur ab intrinseco; aut ab alio extrinseco, vt lapis à proijciente, vel à remouente prohibens.

Hinc deducit, deueniendum esse ad vnum

vnum primum, quod ab alio extrinseco non moueatur, sed si mouetur, per seipsum moueatur: ex quo infert, mouens esse duplex, alterum, quod ab alio extrinseco nullatenus motum, seipsum mouet, vt homo cum mouet lapidem: Alterum, quod ab alio motum, mouet, vt baculus motus à manu, lapidem mouet.

Nunc subdit, quod primum mouens magis mouet, quàm secundum; siquidem primum mouet secundum, & non è contrà; deindè primum mouere potest absque secundo; secundum nequaquam sine primo; homo enim potest mouere lapidem sine baculo, baculus neutiquam sine manu.

Quoad tertium caput probat conclusionem principaliter intentam .s. deueniendum esse ad aliquod primum mouens, quod moueat, & à nullo moueatur, & hanc probat à t. 34. vsque ad 40. tribus rationibus, quæ omnes vim habent à prima, ideò hæc sufficiet pro omnibus, formaturque sic: In mouentibus essentialiter ordinatis non est processus in infinitum, alioquin non daretur primum mouens, quia in infinito nō est reperiri primum, neque secundum; ergo deueniendum est ad vnum primū, quod cætera moueat, & ipsum à nullo moueatur.

Quoad quartum in t. 40. vsque ad 45. statuit aliud principium, seu aliam conclusionem principaliter intentam, nempè illud primum mouens, quod à nullo mouetur, neq. à seipso moueri posse, sed esse omninò, & per se immobile, quam multis rationibus probare conatur, nobis tamen sufficiet ista ratio: nā omne, quod mouetur est continuum, & totum, diuisibile in plures partes, quarum vna sit mouens, & alia mota, vt probauit lib. 6. Physicorum: non enim totum potest per se primo moueri, quæro de parte cæteras mouente, an ipsa moueatur ab alia parte, vel sit immobilis, & immota; si dixeris esse immobilem habetur intentum, quod detur vnum primum mouens immobile: si verò dixeris ab alia moueri, quæram de illa, quæ mouet, an sit immobilis, vel mouêatur ab alia, & cum non sit procedendum in infinitum in mouentibus, & motis, deueniendum est ad aliquod primum mouens omninò immobile, quod nullo modo moueri possit; nec ab alio, nec à se. Confirmatur ista ratio, quia quod est mobile, est imperfectū; sed nullum mouens est imperfectum; ergo aliquod mouens dabitur saltem, quod non sit mobile, sed immobile. Maior probatur, quia quod est mobile est in potentia; sed quod est in potentia est imperfectum, quia caret illa perfectione, ad quam mouetur. Minor patet, quia mouens est in actu; habet .n. omne id, quod est sibi necessarium, vt actu moueat; ergo cum omne mouens carere debeat imperfectione, maximè dicendum est hoc de primo motore; & cum esse mobile dicat imperfectionem, concludendum est, moueus primum esse prorsus immobile.

Quoad quintum caput in t. 45. vsque ad 48. aggreditur ostendere, primum motorem debere esse, non tantum immobilem, verùm etiam perpetuū, quod præstat ex motuum perpetuitate sic; Generationes, & corruptiones horum inferiorum perpetuò fiunt, nec vnquam cessat omnis motus; ergo oportet ponere vnum mouens supremum, & perpetuum. Consequentia probatur, quia causa huius perpetuitatis motuum, vel sunt mouentia particularia, vel vnum tantum supremum, non est dicendum primum; ergo secundum. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur, quia motus semper est; sed mouentia particularia non semper sunt, quia & ipsa generantur, & corrumpuntur; ergo ipsa nequeunt esse causa huius perpetuitatis motus, ac proindè deueniendum est ad vnum supremum mouens, quod sit perpetuum.

In tex. 48. probata perpetuitate primi motoris, aggreditur ostendere eius vnitatem, & statuit hanc conclusionem: Primus motor est tantum vnus, & hanc probat primò, quia frustra ponuntur infinita principia, cum finita sufficiant ad producendos aliquos effectus; frustra enim fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora, & æquè benè; ergo fru-

stra ponuntur plura principia, quando vnum tantum sufficit; sed omnes effectus inferiores benè consistere possunt, vnico existente principio; ergo non sunt ponenda plura prima principia. Assumptum remanet probatum ex supradictis, nempè dari vnum primum motorem respectu omnium motuum; ergo etiam vnum primum principium sufficiet ad omnes effectus in esse ponendos.

In t. 49. vsque ad 52. probat secundò vnitatem primi motoris, ex vnitate motus, quia motus semper est, cum sit æternus, vt probauit in ptincipio huius libri; sed non esset semper, si non esset vnus; ergo &c. Minor probatur: Motus non esset semper si non esset continuus, nam quæ consequenter se habent, non sunt semper, sed solum continua, quia sunt infinita; sed continuum, & vnum sunt idem; ergo motus semper nō esset, si non esset vnus. Ex hoc infert, motorē esse tantum vnum, quia plures primi motores non vnum, sed plures motus causarent, cùm essent æquè potentes.

In t. 53. tamdem concludit, quod si vnus est primus motor, & perpetuus, ac immobilis, etiam mobile ab eo primò motum, erit vnum, ac perpetuum; & probat, quia vnum, & immobile, eodemque modo semper sẽ habens, non potest immediatè plura, ac contraria facere; sed primus motor est vnus, immobilis, & eodem modo semper se habens; ergo ab eo nequeunt prouenire tot effectus diuersi influentiarum oppositarum, & aliorum motuum, alioquin diuersò, ac vario modo se haberet, quod est contra suppositum; ergo dicendum, mobile ab ipso ptimo motore motum, esse tantum vnum, ac perpetuum, sicut vnus, & perpetuus est eius primus motus.

De mouentibus, & motis.

DISPVT. II.

DOctrinam hanc de mouentibus, & motis, veluti basim, ac fundamentum totius Philosophicæ Aristotelicæ, nonnulli recognoscunt Doctores, & meritò quidem; nam sicut ex diuersitate mouentium, & mobilium auspicatum est vnum dati primum mouens, ac mobile perpetuum, ad quod cætera subordinata essentialiter existant, ita ex varietate agentium inferiorum, docuisse videtur (cum non sit procedendum in infinitum) assignandum esse in entibus vnum primum principium, à quo cuncta, siuè simplicia, siuè composita, tamdem prouenire debeant, de quibus omnibus agit Aristoteles in vniuersa eius scientia philosophica. Cæterùm, quia inter mouentia, alia sunt mouentia mota, & alia mouentia non mota; similiter inter mobilia, nonnulla extant, quæ à seipsis, & ab intrinseco cientur, ab alio verò, & ab extrinseco nonnulla alia mouentur, ideò de omnibus agendum est in præsenti disputatione, ordine tamen ab Aristotele proposito, nempè vt primùm agamus de mouentibus motis, deindè de mouentibus non motis; & priùs de illis, quæ mouentur à se, quam ab alio.

Vtrum grauia, & leuia cum in propria loca tendunt, moueantur à seipsis, vel à generante?

QVÆSTIO I.

VArius Aristotelis loquendi modus de motu corporum grauiū, & leuium, occasionem præbuit Expositoribus etiam variè sentiendi; nam Albertus Magnus 8. Physicorum tract. 2. cap. 4. D.Thom. 1. p. q. 2. art. 3. & q. 18. art. 1. vbi Caiet. & lib. 1. contra Gentes cap. 9. vbi Ferrarien. Ægidius quol. 5. q. 6. Capreolus in 2. d. 6. q. vnica art. 2. Sotus 2. Physicorum q. 1. Toletus q. 2. Conimbric. 8 Physic. q. vn. art. 2. ad cap. 4. Ruuius q. 1. & Suarez in Metaph. tom. 2. disp. 18. sect. 7. n. 21. asserunt, motum grauium, & leuium prouenire à generante, vt à causa principali, ab ipsis verò formis, tàm substantialibus, quàm accidentalibus tantùm instrumentaliter.

Scotus autem ex opposito in 2. d. 2. q. 10. ferè per totam, vbi etiam Lychetus, Mayro-

Mayronius d. 14. q. 6. Gregorius Ariminen. d. 6. q. 1. art. 3. Iandunus hic q. 12. Albertus de Saxonia q. 6. Suessanus, & alij, tum Scotistæ, tum Nominales sustinent, grauia, & leuia, non à generante principaliter, sed à seipsis ad propria loca moueri, quibus & nos libenter subscribimus, quamuis opposita communiter censeatur esse conformior Aristoteli, quod an sit verum, paucis notatis, videbimus.

Primò igitur notandum est ex eodem Scoto citato sub A. & E. grauitatem, & leuitatem esse qualitates actiuas, quibus corpora grauia, & leuia respectiuè ad sua loca naturaliter cientur. Corpora autem grauia, & leuia sunt in duplici differentia; alia enim sunt simplicia, vt sunt terra, aqua, aer, & ignis, & alia mixta; & hæc sunt duplicia, scilicet animata, vt animalia, & plantæ; & inanimata, vt lapides, & metalla, de quibus omnibus erit sermo in præsenti quæstione, sed præcipuè de inanimatis, vt potè, quæ vno tantum motu naturaliter mouentur, nempè grauia deorsum, & leuia sursum.

Secundò notandum ex Aristotele in t. 32. & Scoto citato sub A potentiam esse duplicem .s. essentialem, & accidentalem. Prior est ad formam, seu ad actū primum, vt lignum est in potentia essentiali ad esse calidum, seu ad recipiendum calorem ab igne, vel Sole; Posterior verò est ad actum secundum, seu ad operationem correspondentem tali formæ, vt lignum informatum calore est in potentia accidentali ad calefacere manum; Ex hoc apparet manifesta differentia inter potentiam essentialem, & accidentalem, nam priorem lignū habet ab igne generante calorem in se; posteriorem verò non ab igne, sed à calore inexistente eidem ligno procedit; siquidem potest esse, quod ignis calefaciens lignum, dum ipsum manum calefacit, sit extinctus. Ad propositum de motu grauium, & leuium, corpus quod est in potentia essentiali respectu motus alicuius, reducitur ad actum primum à generante, vt ignis, qui est in potentia essentiali respectu motus deorsum, reducitur ad actum primum .s. ad grauitatē, à corrumpente ignem, nempè à terra, & ab ipso generante terram. Quod autem est in potentia accidentali respectu eiusdem motus, reducitur ad actum secundum, non amplius à generante, cū pro illo tunc possit nō esse, sed à propria grauitate; nam postquam terra est generata ex igne, iam talis terra habet actum primum respectu motus deorsum, nimirum grauitatem, à qua postea, nisi adsit impedimentum, potest reduci, de potentia accidentali, ad actum secundum .s. ad esse deorsum, sicque fit, vt grauitas sit causa effectiua proxima talis motus deorsum, generans autem remota, pro quanto solum genuit grauitatem in terra, quæ mouetur deorsum.

Tertiò notandū ex eodem Scoto ibidem, grauia, & leuia moueri à remouēte prohibens potest dupliciter cōtingere, vno modo effectiuè, itaut tale remouens impedimentum, impediens nè e.g. lapis cadat deorsum, causet motū in lapide, & ipsum continuet vsq. ad centrum, & sic grauia, & leuia non mouentur à remouente prohibens, quia tale remouens obstaculum nullum motum causat in lapide: alio modo per accidens, ita quod tale remouens impedimentum se habeat tanquam causa, sine qua graue non descenderet, & leue non ascenderet, & sic intelligendum est, grauia, & leuia moueri à remouente prohibens.

Quartò notādum est (pro declaratione verborū Aristotelis, quæ habet in fine tex. 32. dū ait: Motus .i. grauium, & leuium, habet principium, non mouendi, neque faciendi, sed patiendi; Et aliorum, quæ habentur in lib. 2 de Gener. t. 8. vbi inquit: Graue quidem, & leue, neq. actiua, neque passiua; non .n. faciendo aliquid alterum, neque patiendo ab alio, dicuntur) ex eodem Doctore ibidem, duplex esse principium actiuū, & passiuum, alterum respectu formæ absolutæ permanentis, & est illud, quod potest causare, vel recipere augmentationes, vel diminutiones, vel alterationes, secundum quas formæ absolutæ quantitatis, vel qualitatis acquiruntur, aut dependuntur, & sic grauia, & leuia non sunt

sunt principia actiua, vel passiua, sicque intelligitur Philosophus, dum ab eis excludit principium agendi, & faciendi in 8. Physicorum t. 32. vel actiuitatem, & passiuitatem in 2. de Gener. t. 8. citatis; alterum verò principiū est respectu formæ successiuæ, & relatiuæ ipsum consequentis, & est illud, quod potest causare, vel recipere formam successiuam, aut relatiuam ipsum consequentem, & hoc modo nō excludit Aristoteles à grauibus,& leuibus rationem principij actiui, vel passiui, quia sic possunt causare motus effectiuè, & illum in se recipere cum suo termino, qui est forma relatiua, nempè vbi, alioquin sibi contradiceret; quandoquidem in 8. Physicorum tex. citato 32. inquit: Quod grauia, & leuia, in eo quod naturalia sunt, habent in se principium patiendi; in eo verò, quod operatiua sunt respectu esse sursum, & deorsum, sunt actiua, sicut sciens respectu contemplari.

Ex his fit prima conclusio. Grauia, & leuia quoad actum primum, seu prout sunt in potentia essentiali ad motum sursum, & deorsum, mouentur à generante. Est Scoti in 2. d. 2. q. 10. sub A. & B. Probatur ex dictis not. 2. quia moueri in actu primo, seu esse in potentia essentiali ad motum, est habere principium effectiuum motus; sed huiusmodi principium grauia, & leuia habent à generante; ergo vt sic mouentur ad sua loca à generante. Maior patet. Minor similiter, quia grauitas, & leuitas, quæ sunt principium motus sursum, & deorsum, producuntur in generatione grauium, & leuium.

Secunda conclusio. Grauia, & leuia in actu secundo, siuè vt sunt in potentia accidentali ad motum sursum, & deorsum, mouentur à seipsis. Est Scoti ibidem. Probatur primò auctoritate Aristotelis in hoc 8. Physicorum t. 32. vbi habentur hæc verba formalia: Est autem potentia aliter sciens, qui discit, & qui habet iam, & non contemplatur: qui enim habet scientiam, non autem contemplatur, potentia est sciens quodammodo, sed non vt antea quàm disceret: cùm autem sic se habet, si aliquid non prohibeat, operatur, & contemplatur, aut erit in contradictione, & ignorantia. Similiter autem se habet circa graue, & leue: leue autem sit ex graui, vt ex aqua aer; hoc enim potentia primum, & iam leue est, & operabitur confestim, nisi quid prohibeat. Hæc Aristoteles, sed operatio grauis est tendere deorsum, & leuis sursum; ergo graue confestim descendit, & leue ascendit, non à generante, cum possit non esse; igitur à seipso. Secundò probatur ratione à Scoto vbi supra sub B. quia omnis effectus in actu, quando causatur, habet causam in actu; sed descensus grauis, & ascensus leuis sunt effectus in actu; ergo quando causantur, exigunt causas in actu; sed huiusmodi causæ nequeunt esse, nisi grauitas in graui, & leuitas in leui; ergo grauia, & leuia in actu secundo mouentur à seipsis. Maior est Aristotelis 2. Physicorum t. 37. Et 5. Met. tex. 3. vbi habet, quod causa in actu, & effectus in actu, simul sunt, & non sunt. Minor subsumpta probatur, quia si huiusmodi effectus prouenire possent ab aliqua alia causa, vel talis esset remouens prohibens, vel impellens mobile, vel centrum trahens, vel influentia cœli, vel generans, vel ipsum graue, & leue, quatenus subsunt motui producto ab aliquo extrinseco agente; sed nullum istorum est dicendum; ergo &c. Maior patet à sufficienti enumeratione eorum, quæ pro causa assignari possent. Minor probatur quoad omnes partes. Non potest dici, quod sint remouens prohibens, aut impellens mobile, quia ex Aristotele in hoc 8. Physic. t. 32. sunt causæ per accidens; sed huiusmodi effectus exigunt causas per se; siquidem omnis causa per accidens habet reduci ad causam per se; ergo &c. Nec centrum trahens, quia si remaneret solum centrum sub ratione centri, omni qualitate attractiua spoliatum, adhuc graue tenderet deorsum, & leue sursum; ergo centrum trahens nequit esse causa, neque influentia cœli, quia talis, cùm sit vniformis in toto medio .i. aere, non magis moueret vnam partem sursum, quàm aliam deorsum, nisi daretur agens particulare determinatiuum huius,

huius, & non illius motus; ergo &c. Neque generans, quia tale potest non esse, quando graue mouetur deorsum, & leue sursum: Neque denique ipsum graue, vel leue, vt subsunt motui ab agente extrinseco producto, quia nihil habens in se formaliter aliquam formam, per illam mouetur ad producendam aliam in seipso eiusdē speciei, alioquin esset in actu, & in potentia ad idem respectu eiusdem; neque enim ignis habens in se calorem per ipsum producit alium calorem in se; ergo à simili graue, vel leue habens in se formaliter motum nequit per ipsum producere alium motum in se; ergo causa productiua huiusmodi motus, erit grauitas intrinseca graui, & leuitas intrinseca leui, ac proindè grauia, & leuia à seipsis mouebuntur in actu secundo, & non ab alia causa extrinseca. Tertiò probatur, quia grauitas est causa quietis in centro terræ ipsi graui, sicut leuitas leui est causa quietis in suo; ergo grauitas, & leuitas erunt etiam causæ motus grauis, & leuis ad sua loca. Consequentia patet ex Aristotele 4. Physicorum t. 69. & 8. Physicorum t. 29. vbi habet, quod eadem causa causat motum, & quietem, quæ sit eius terminus. Antecedens probatur, quia graue existens deorsum, & leue existens sursū habent esse quietum in centro terræ, & in concauo Lunæ respectiuè; ergo per aliquam causam inibi existentem; sed nulla potest dari actu existens in centro, seu in concauo, præter grauitatem, & leuitatem inexistentem graui, & leui; ergo grauitas est causa graui, & leuitas leui, vt quiescant in suis locis. Quartò confirmatur ista ratio; & cōclusio simul probatur ab eodem sub D. quia ab eodem principio actiuo aliquid constituitur in centro, à quo remouetur impediens, nè in tali constituatur; sed graue per grauitatem remouet impediens; ergo etiam per grauitatem se constituit in centro. Minor probatur, quia per idem principium appetimus finem, & media ad ipsum; sed esse in centro est finis grauis, vt idem Doctor ostendit in 1. d. 1. q. 5. §. Ad solutionem istarum quæstionū, &c. ex D. Aug. lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 28. ergo &c. Minor patet experientia; siquidem grauitas, cum vincit virtutem impedientis, & resistentis, frangit continuum aliquod impeditiuum descensus grauis ad centrum; ergo per grauitatem suam aliquod graue remouet impeditiuum sui motus deorsum, & proindè per eamdem se constituit in centro.

Obijcitur tamen ab Aduersarijs contra hanc conclusionem secundam multipliciter, & primò ex Aristotele 7. Physicorum t. 1. Et 8. Physicorum tex. 27. & sequentibus, omne, quod mouetur ab alio moueri; ergo nihil à se potest moueri, & sic neque grauia, & leuia à seipsis moueri poterunt.

Resp. Antecedens esse verum, si ly ab alio dicat principium motiuum realiter distinctum à toto, intrinsecum tamen sibi, non tamen si dicat principium extrinsecum, & realiter seiunctum à mobili, quia sic nec animalia mouerentur à seipsis, quod tamen negat Aristoteles in hoc 8. Physic. t. 28. & 29. modo grauia, & leuia mouentur à grauitate, & leuitate, quæ, licet non sint ab eis separatæ, sunt tamen realiter distinctæ à toto composito.

Obijcitur secūdò ex Philosopho hic t. 28. & 29. qui probat quatuor rationib' grauia, & leuia non moueri à se: Tū quia quæ mouentur à se, viuunt, grauia, & leuia non viuunt; ergo &c. Tum secundò, quia quæ mouētur à se, possunt se sistere à motu: Tum tertiò moueri diuersis motibus: tum demùm quartò, quia nullum continuum, cum sit eiusdem rationis in omnibus suis partibus, moueri potest à se; sed grauia, & leuia sunt continua, & nequeunt se sistere, nec moueri diuersis motibus, vt patet; ergo nequeunt, secundum Philosophum, à se cieri.

Resp. Negando consequentiam; nec Aristotelis rationes quicquam faciunt contra nostram conclusionem, vt docet Scotus citatus in 2. d. 2. q. 10. sub F. quia solum ostendunt illæ tres priores, grauia, & leuia non mouere se per cognitionem, sicut faciunt animalia, quibus competit huiusmodi motus, & quies, quia sunt mouentia per cognitionem tantum

tantum, non autem non posse simpliciter, & absolutè mouere se per actum primum ad actum secundum, aliter sibi contradiceret, vt ostendimus in prima probatione conclusionis, desumpta ex tex. 32. quia sic grauia, & leuia mouentur à seipsis ad propria loca. Quarta etiam ratio nihil concludit, cum solum probet, grauia, & leuia, ex eo quod sunt continua, & homogenea, non posse mouere se secundum partes, itaut vna moueat aliam, sicut accidit in viuentibus etherogeneis, quod vtique concedimus; cæterùm nos dicimus moueri secundum se tota, quia posita in actu primo à suis generantibus, mouentur per ipsum actum primum ad actum secundum, constituendo se in proprijs locis naturalibus.

Contra, inquit Doctor, quia non esset differentia inter mouentia animalia, & grauia, ac leuia, quia etiam animalia mouentur à proprijs formis, sicut grauia, & leuia: Tum secundò, quia non satis ostenderet propositum, quod omnia moueantur ab alio; siquidem dicimus, grauia, & leuia à seipsis moueri, quod non est dicendum de tanto Philosopho.

Resp. Negando vtramque consequẽtiam; ad primam probationem dico, sufficienter differre, quod animalia per cognitionem; grauia verò, ac leuia absq. preuia cognitione moueantur à suis formis. Ad secundam dicit Doctor, sufficere Aristoteli ostendisse etiam grauia, & leuia moueri ab alio quoad actum primum, quia sic à generante mouentur, licet quoad actum secundum moueantur à seipsis .i. à proprijs formis, quæ sunt ipsis intrinsecæ. Multa alia, & non spernenda argumenta, contra hanc conclusionem congerit Mastrius de Cœlo, & Mundo in disp. 3. q. 2. quæ ibi videri possunt; nobis, vt potè breuitati studentibus, sufficiunt iam allata ex Doctore, vt difficiliora, & quæ magis conducunt ad perfectam cognitionem conclusionis.

Vtrum animalia moueantur à se, vel ab alio, & à quo?

QVÆSTIO II.

Circa hanc quæstionem, quam Doctor subtilis aliqualiter tangit in 2. d. 42. q. 4. N. & in 4. d. 10. q. 7 sed ex professò soluit in eodem 4. d. 49. q. 14. nulla, quod viderim, controuersia reperitur inter Doctores, quippè omnes assentiunt Aristoteli, docenti in tex. 17. & 29. animal moueri à seipso, & non ab alio, ideò, quibusdam de more adnotatis, deueniemus ad resolutionem totius difficultatis.

Primò notandum igitur ex Doctore subtili in 4. d. 49. q. 14. sub A. motum localem animalis, de quo tantum est hic sermo, esse duplicem, alterum secundũ exigentiam elementi secundum quantitatem prædominantis; alterum verò secundum quod animatum est, & dicitur motus progressiuus. Primus competit animali ratione corporis, quatenus participat magis, vel minus de elementis, vndè si participat grauitatem non summam in eodem prædominatur aqua, si summam, terra: si verò participet leuitatem summam, in ipso prædominatur ignis, si non summam, aer, sicque fit, vt animal hoc modo, ratione grauitatis, aut leuitatis maioris, vel minoris, moueat seipsum sursum, & deorsum secundum maius, vel minus prædominium elemẽti. Secundus autem motus inest animali ratione animæ sensitiuæ, & tunc dicitur mouere se progressiuè, idest prius secũdum vnam partem, deindè secundum aliam. Differunt autem isti duo motus adinuicem tripliciter. Primò ex parte principiorum; siquidem principium prioris est forma corporeitatis secundũ prædominium elementi; posterioris verò est anima. Secundò differunt, quia motus, qui consequitur animal ratione corporis, non sequitur cognitionem siuè sensitiuam, siuè intellectiuam, sed tantum appetitum, seu inclinationem naturalem, vt est determinatus ad vnum terminum, seu situm, vel sursum, vel deor-

deorsum iuxta prædominium elementi leuis, vel grauis: at motus, qui est ratione animæ, sequitur apprehensionem obiecti, vel libertatem, vt in homine, & hic non est determinatus ad vnum situm, vel locum, sed terminatur ad diuersos, secundum diuersitatem obiectorum, quæ ab animali apprehenduntur; vndè si obiectum est sursum, & motus dirigitur sursum; si deorsum, & animal mouetur deorsum, & sic de cæteris positionibus. Tertiò tandem differunt ratione sistentiæ, siuè cessationis; siquidem animal in motu, cuius anima est principiū, potest se sistere in medio, vel ratione libertatis, vt patet in hominibus, vel ratione alterius obiecti sibi occurrētis; cæterùm in alio motu, cuius corpus est principium ratione prædominij elementi, non potest se sistere per aliquod intrinsecum, sed necessariò perueniet ad locum determinatum, nisi ab extrinseco prohibeatur, patet de animali ex alto deorsum decidenti, quod nequit se sistere in medio, quamuis polleat cognitione, & appetitu sensitiuo, ac intellectiuo.

Secundò notandum, principium motuum esse duplex .s. vt quo, & vt quod, & vtrumque pariter duplex, nimirum actiuum, & passiuum. Principiū Quo actiuum motus est illud, quod est ratio mouendi actiuè alicui, vt anima in homine; nam ratione talis, homo mouet se ipsum. Principium verò Quo passiuum motus est ratio recipiēdi talem motum, vt anima, & corpus in homine; quandoquidem talia sunt rationes recipiendi ipsum motum; corpus enim est ratio recipiendi motum naturalem secundū prædominium elementi; anima verò est ratio recipiendi motum progressiuum in animali. Principiū actiuum Quod motus est illud, quod denominatur actiuè mouens, cuiusmodi est totum animal; siquidem dicitur totum se mouente. Principium autem passiuum Quod est illud, quod denominatur moueri, vt animal à seipso. Ad propositū animal priori modo, hoc est vt quo, nec mouet, nec mouetur à se, sed ab anima; at secundo modo, & mouet, & à seipso mouetur.

Tertiò notandum ex Scoto loco cit. in 1. not. sub littera B. Motum animalis adhuc esse duplicem, nempè organicū, & non organicum. Motus organicus dicitur ille, quo anima mouet prius vnam partem propinquiorem, & magis dispositam animalis, & per hanc successiuè aliam, & aliam, vt est motus progressiuus, quem pro hoc statu habemus; nam in tali, anima prius mouet cor, deindè cor immittit spiritus vitales in neruos, & iuncturas, eosque mouet, & ijs mediantibus aliæ partes animalis successiuè mouentur. Motus autem nō organicus est ille, quo anima mouet simul totum corpus, non autem vnam partem post aliam, & hunc motum pro statu isto habere non possumus ob impedimentum neruorum, ac iuncturarum, tum etiam propter copiam humorum, quibus caput abundat, ac debilitatem cæterorum mēbrorum; tum denique quia anima non dominatur corpori pro hoc statu dispoticè, sed hunc motum, Deo fauente, habebimus in Patria; siquidem ibi nulla aderunt impedimenta, sed totum corpus ad imperium animæ mouebitur.

Ex his sit prima cōclusio. Animal mouetur à se motu secundum prædominiū elementi, secundum maiorem, vel minorem participationem eiusdem ad vnū locum, & situm determinatè tantū. Est Scoti in 4 d. 49. q. 14. A. Probatur, quia mixtum cuiusmodi est animal, est perfectius quolibet elemento; sed elementa ratione suarum formarum, ac qualitatū actiuorum, nimirum grauitatis, & leuitatis, mouentur à seipsis in loca sibi determinata; ergo etiam animal poterit sic moueri. Maior est clara, quia corpus mixtum, & maximè animatus, est perfectius simplici, ac inanimato. Minor similiter patet ex dictis quæst. præcedenti. Confirmatur, quia animal secundum prædominium elementi mouet, & mouetur secundum appetitum naturalem dumtaxat, vt diximus in 1. not. sed appetitus naturalis est determinatus tantum ad vnum locum; ergo etiam animal mouens seipsum secundum prædominium elementi, mouebitur ad vnum locum determinatum tantum.

Secunda conclusio. Animalia pro hoc

statu

statu mouentur motu organico, ac progressiuo. Est Scoti ibidem. Probatur primò auctoritate Aristotelis in hoc 8. Physicorum tex. 17. vbi inquit: Animal autem ipsum dicimus seipsum mouere: & in tex. 28. subiungit: Ipsa, quæ à seipsis mouentur secundum naturam sunt animalia: & tex. 29. subdit: Etenim ipsa à seipsis moueri (hoc est inanimata) impossibile est; vitale enim hoc, & animatorum est proprium. Et sistere possunt seipsa. Dico autem vt si ambulandi causa sit sibi, & non ambulandi &c. ex quibus manifestè colligitur secundum Philosophum animalia moueri à se motu organico, & progressiuo. Secundò probatur ratione, quia forma animalis, vt animal est, non est imperfectior formis inanimatorum; sed formæ inanimatorum habet vim causandi proprium motum localem; ergo & forma animalis sibi proprium, talis autem non est nisi organicus, & progressiuus; ergo &c. Confirmatur, quia nullum corpus est ita imperfectum, quod non habeat in sui potestate terminum sui motus localis; ergo & animal debet ipsum habere. Tertiò probatur, quia animal pro hoc statu, in quo eius partes non sunt immediatè subiectæ potestati animæ, mouetur prius per partem propinquiorē, & magis dispositam, quam per cæteras; sed hoc est moueri motu organico, & progressiuo; ergo animal pro hoc statu mouetur huiusmodi motu. Maior, & minor patet ex dictis not. 3.

Tertia conclusio. In homine est potentia ad se mouendum non organicè. Est Scoti ibidē B. Probatur ab ipso, quia anima separata potest mouere aliquod corpus sibi coniunctum per assistentiā, & secundum se totum; ergo & quando est coniuncta per informationē poterit illud mouere. Antecedens probatur, quia anima est perfectior quocumque corpore inanimato; sed corpus inanimatum potest secum trahere quod est sibi coniunctum, vt patet de lapide suo motu trahente deorsum aliquod corpus sibi alligatum; ergo multò magis hoc poterit anima erga suum corpus. Consequentia probatur, quia anima, dum informat corpus, habet eamdem virtutem, ac dū est separata; sed dum est separata potest mouere corpus sibi coniunctum per assistentiam; ergo etiam poterit illud mouere dum est sibi vnitum per informationem.

Quarta conclusio. Potentia, qua anima mouet corpus organicè, non est alia ab ea, qua mouet non organicè. Est Scoti ibidem C. Probatur: Non est ponenda pluralitas sine necessitate, ex Aristotele in hoc 8. Physicorum tex. 48. sed vterque motus potest haberi in anima per eamdem potentiam motiuam; ergo potentia organica, & non organica erit tantum vna, & non plures. Minor probatur ab eodem sic, cum aliquod principium alicuius effectus non potest ipsum exequi in parte remotiori, nisi prius illū exequatur in propinquiori, non arguit diuersitatem principij; sed mouere vnā partem mediante alia magis disposita, est mouere organicè, mouere autem totum simul corpus est mouere non organicè; ergo non arguitur in anima diuersa virtus, seu potentia mouendi in anima, verum dumtaxat varia dispositio in partibus motis. Maior probatur, ex eo enim quod anima non potest animare partem remotiorem à corde, nisi prius det vitā cordi organicè, non arguit in anima diuersitatem principij informandi, sed tantum variam dispositionem in partibus, mediante qua vna prius informatur, quam altera; ergo principium non arguitur diuersum, ex eo quod non possit exequi suum effectum in parte remotiori, nisi prius illud causauerit in propinquiori. Ex his concludit Doctor subtilis, quod per accidens est vt anima modò moueat corpus organicè ob indispositionem partium mobilium: cæterùm post resurrectionem cum omnes erunt æqualiter dispositæ ad susceptionem motus, tunc illas mouebit simul cum toto corpore.

Obijcitur primò contra secundam conclusionem, quia si daretur motus organicus in animali, sequeretur dari processum in infinitum in eodem motu; sed hoc est contra Aristotelem pluribus in locis suæ doctrinæ, & præsertim in hoc 8. Phy-

8.Physicorum; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia motus organicus fit cum vna pars mouet aliam; sed in animali cum sit quoddam continuum, sunt infinitæ partes; ergo darentur infiniti motus in motu organico animalis.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem dico, partes animalis, quæ se mouent, non esse continuas, sed tantum contiguas, vt patet de ossibus, neruis, artubus, & similibus, quæ sunt finitæ in animali, ac proindè potest ab illis fieri motus organicus finitus.

Obijcitur secundò contra tertiam cõclusionem: Nihil quod est frustra est ponendum in rerum natura; sed potentia non organica, si daretur in homine, esset frustra, ergo non est ponenda. Maior probatur, quia Deus, & natura nihil agunt frustra, ex Aristotele lib. 1. de Cœlo t.32. & 2. de Cœlo t.50. & 59. ergo nihil, quod est frustra, est ponendum in natura. Minor probatur, quia huiusmodi potentia pro hoc statu numquam reduci potest ad actum mouendi corpus non organicè; ergo esset frustra.

Resp. ex Doctore subtili in 4. d. 10. q. 7. negando minorem, sufficit enim quod vsus huius potentiæ habeatur post resurrectionem in statu Beatitudinis ad hoc vt non sit frustranea, quod patet, quia pro statu isto ponimus quinque sensus exteriores esse necessarios, & tamen non oportet vt omnes reducantur ad actum in Beatis, & tamen status Beatitudinis est perfectior, quā sit modò; igitur à simili dicendum est de potentia non organica, quæ quamuis pro hoc statu non sit reducibilis ad actum, sufficit tamen vt possit reduci aliquando in patria.

Vel dicendum cum eodem Scoto. Christum Dominum etiam in hac vita, vsum fuisse huiusmodi potentia non organica, cum seipsum eripuit ex Iudæorum manibus de monte præcipitare volentium, vt habetur Lucæ cap. 4. & etiam quando elapsus est de parentum manibus, & mansit in Ierusalem, vt testatur Origenes super Lucam cap. 2. ac alios, vt adnotarunt Fonseca 5. Metaph. cap. 15. q. 8. sect. 4. & Sulmonensis 8. Physicorum De motu progressiuo animalium; & alij Recentiores.

Obijcitur tertiò contra quartam conclusionem, quia eadem potentia nequit esse organica, & non organica; ergo neque eadem potentia motiua in homine poterit esse organica, & non organica. Antecedens patet, quia intellectus, & voluntas, quæ sunt potentiæ non organicæ, nequeunt esse organicæ; similiter potentia visiua, quæ est organica, non potest esse non organica.

Resp. ex eodem Doctore subt. in 4. d. 49. q. 14. sub D. & E. antecedens esse verum de potentijs operatiuis, cuiusmodi sunt intellectus, & voluntas, & etiam potentia visiua; siquidem potentia operatiua hoc habet peculiare, vt eius operatio, si est organica, recipiatur in toto composito ex organo, & potentia, vt patet de Visione, quæ recipitur in toto oculo, & ideò eadem nequit esse non organica; similiter operatio non organica, cum immediatè recipiatur in potentia non organica, non poterit esse simul organica: falsum tamen est antecedens de potentijs actiuis, seu factiuis; quandoquidem istæ cum non necessariò causent actus informantes se, quinimò effectus suos producere possint vel in se, vel in alio, non erit absurdum, quod eadem potentia sit organica, hoc est, agat mediante aliquo organo; & non organica, vt potè immediatè agens per propriam virtutem sine organo: modò potentia motiua, de qua egimus in conclusione, non est operatiua, sed tantum factiua, ac proindè non inconuenit illam esse simul organicam, & non organicam.

Contrà, quia Scotus in 4. dist. 10. q. 7. sub D. negat potentiam organicam, qua partes corporis ordinatè mouentur, esse eiusdem rationis ab ea, qua totum corpus simul mouetur; sed hæc est potentia non organica; ergo potentia organica, & non organica in anima non sunt eædem, sed diuersæ.

Respondetur primò, Scotum in hac re videri problematicum, vt patet ex dictis in præcedenti responsione, & ex his quæ habet hic in loco citato, vt optimè aduer-

aduertit Sulmonensis loco suprà citato, & ideò non est multùm curandum de eius intentione affirmatiua, vel negatiua.

Vel dicendum secundò, sustinendo partem affirmatiuam cum eodem Doctore subtili, potentiam motiuam in anima posse dupliciter considerari, vno modo fundamentaliter, principiatiuè, & in actu primo: alio modo formaliter, terminatiuè, & in actu secundo. Primo modo potẽtia motiua in anima, siuè organica, siuè non organica, est tantùm vna, vt ostendit Scotus in 4. d. 49. q. 14. sub E. siquidem vna, & eadem virtus potest mouere corpus organicè, & non organicè, sicut vna, & eadem anima potest informare partes propinquiores, & remotiores eiusdem corporis: at secundo modo sunt distinctæ potentiæ organica, & non organica, iuxta distinctionem effectuum, quos producunt, seu terminorum, ad quos tendunt, vt ostendit idem Scotus in 4. d. 10. q. 7. sub D. & sic concilianda sunt loca citata eiusdem Doctoris, nè appareant inter se contradictoria.

Vtrum in mouentibus, & motis deueniendum sit ad vnum tantum principium, à quo simpliciter, & absolutè omnia in esse dependeant?

QVÆSTIO III.

CIrca hanc celeberrimam, ac perdifficilem controuersiam nonnullæ extant Antiquorum sententiæ, nedum Philosophorum, sed etiam Hæreticorum, quarum aliquas recenset Vasquez 1. p. disp. 171. cap. 1. & quasdam Doct. subt. in tract. de Primo Rerum Principio q. 1. art. 2. Nos breuitati studentes, multas subticebimus, vti superuacaneas, & in vnum coeuntes, & paucas, veluti principales ad rem nostram facientes recitabimus. Prima igitur sententia, cuius meminit Aristoteles lib. 1. Metaphsicorum cap. 3. est Pithagoricorum, qui, vt adnotauit Scotus loco cit. & lib. 1. Met. cap. 3. ad tex. Philosophi, videntes pluralitatem, & defectibilitatem rerum ad viginti reuocarunt principia in duas illa diuidentes classes, nempè in bona, & mala. Bona dixerunt esse Finitum, Impar, Vnum, Dextrum, Masculinum, Quiescens, Lucem, Rectum, Bonum, & Quadratum. Infinitum verò Par, Plurale, Sinistrum, Fœmininum, Motum, Curuum, Tenebras, Malum, & altera parte Longius, seu Quadrangulare, cum Præmissis pugnantia, Malorum principia posuerunt, pro quorum omnium explicatione videndus est Scotus citatus in Metaphysica.

Secunda opinio attendens rerum contrarietatem, & à seinuicem pugnãtiam, omnes effectus in duo tantùm reuocauit Efficientia prima, hæcque nominauit Litem, & Amicitiam. *Huius* Assertores sententiæ ponuntur Empedocles, & eius Discipuli, vt habet Aristoteles 1. Physic. & 1. de Gener.

Tertia sententia fuit Manichæi, & sequacium, vt testatur D. Augustinus cõtra Faustum lib. 21. Et 7. Confess. cap. 4. asserentium, duo esse tantum prima principia, alterum Spiritualium, Incorruptibilium, & Bonorum Entium; alterum verum Malorum, Corporalium, & Corruptibilium.

Quarta tandem, & vera sententia est Aristotelis in hoc 8. Physic. & lib. 1. Metaphysic. (cui adhæserunt omnes Catholici) docentis vnum esse tantùm rerum omnium primum *Principium* simpliciter, & absolutè; cui & nos subscribimus.

Pro cuius explicatione, ac fundamento primò notandum est ex Scoto de primo rerum principio q. 1. art. 1. duplex esse primum, scilicet in genere, & simpliciter. Primũ in genere est illud, quod ab omnibus illius generis præsupponitur, & omnia alia per attributionem quamdam se habent ad illud, sicque in genere, seu ordine generabiliũ, & corruptibilium, non vnum tantum, sed tria assignantur principia ab Aristotele in 1. Physicorum .s. Materia, Forma, & Priuatio. In genere materiarum materia metaphysica, quæ est fulcimentum cuiuscumque formæ, est primò prima: mate-

materia verò mathematica, seu extensio quantitatiua vocatur primò secunda, & sic in quolibet genere, & quauis specie est ponere materiam primò primam, vt in genere animalium semen: in genere liqualium aquam: arridorum terram: & sic de singulis: hæc enim præsuponuntur omnibus in talibus generibus, seu ordinibus, & de talibus hic non est sermo. Primum verò simpliciter, & absolutè dicitur illud esse, quod comparatum ad omnia cuiuscumque generis, & actionis, & speciei, habet simpliciter primitatem, causalitatis, siuè efficientis, siuè finis, seu eminētiæ (nam hæ rationes causandi perfectionem importaut, sicuti modi causandi materiæ, & formæ informantis, imperfectionem) & sic datur tantum vnum principium primum, & infinitum, quod est Deus, omnium rerum conditor, & causa prima.

Secundò notandum: Primitatem Dei dupliciter posse considerari .s. in se, & comparata ad creaturas: primo modo non facit ad propositum, quia de illa agitur in primo sententiarum, & habet vnitatem à diuina essentia vnica, & simplicissima. Secundo modo habet vnitatem ab vno principio omnium rerum causatiuo, quod est diuina voluntas; & hæc prioritas est triplex .s. efficientiæ, finis, & eminentiæ, de quibus in præsenti quæstione.

Tertiò notandum ex Scoto in 1.d.2.q. 1. causam esse duplicem, scilicet per se, & per accidens. Prior dicitur illa, quæ secundum propriam naturam, & non secundum aliquid accidens causat, vt ignis causat ignem per propriam formā; & hæc est duplex; altera, quæ habet formam sibi quiditatiuè inclusam, vt ignis causat ignem, & homo hominem, nam formæ, quæ sunt talibus rationes causandi, sunt de eorum quiditate: altera verò, quæ est ratio per se causandi, licèt inhæreat, non tamen est de eiusdem quiditatiua ratione, vt dum dicimus ignis calore calefacit; siquidem calor, qui est ratio calefaciendi, non est de quiditate ignis, licèt sit forma, & ratio per se calefaciendi, prout ly per se dicit perseitatem quarti modi. Causa verò per accidens est illa, quæ non causat per aliquid sibi intrinsecum, imò forma, quæ est ratio causandi accidit sibi in quantum causat: vt album ædificat (nam ars, quæ est ratio ædificandi) accidit homini albo, quia ædificator posset esse niger, vel rufus. Insuper causæ, aliæ dicuntur essentialiter, & aliæ accidentaliter ordinatæ. Priores dicuntur illæ, quæ comparatæ ad effectum, ita se habent, quod vna dependet ab alia, & non econuerso, vna est superior, & alia inferior, & omnes requirūtur necessariò ad causandum effectū, vt Deus, Sol, & homo in generatione hominis; quandoquidem Sol, & homo in causalitate depēdent essentialiter à Deo, & Deus est causa superior respectu illorum, & Sol respectu hominis, & effectus dependet àb illis necessariò, aliter aliquis defectus esset in homine genito. Posteriores verò se habent per oppositum ad causas essentialiter ordinatas; quandoquidem, nec vna pendet ab alia in causando, licèt posset pendere in essendo, vt patet de Frācisco genito ab hoc homine, qui tamen potest generare eo mortuo, nec vna est superior ad aliam, cum sint eiusdem rationis, & ordinis, nec tamdem omnes requiruntur ad vnum, & eumdem effectum, aliter Franciscus non posset generare, mortuis patre, auo, abauo, proauo, & sic de singulis, quod tamen est manifestè falsum. In causis essentialiter ordinatis datur status in vna suprema, quæ sit causa, & nō causata; & hoc ordine posito est ponendus status etiam in causis accidentaliter ordinatis, quia cum vniuersitas causatorum sit causata, & non ab vno illius vniuersitatis, deueniendum est ad aliquod incausabile extra illam vniuersitatem, hoc autem, vt inferiùs dicemus est Deus.

Quartò notandum est, Deum esse primum rerum omnium principiū, & causam primam, posse dupliciter intelligi; vno modo mediatè, ita ut prius condiderit causas secundas, & postea per illas earumdem effectus; alio modo immediatè, ita quod attingat propria virtute, ne dum causas, sed etiam earum effectus in indiuiduo quoad omnes conditio-

ditiones existentiæ; primo modo intelligunt Philosophi, & cum illis Durandus ex Theologis. Secundo modo asserunt communiter Theologi; nam primus modus ponit imperfectionem in Deo, ac in eius omnipotentia, vt suo loco dicemus.

Ex his fit prima conclusio. Falsa est opinio Pithagoricorum, ponentium ob rerum multitudinem viginti principia. Est Scoti de primo Rerum Principio q. 1. art. 2. Probatur, quia multitudo principiorum ponitur ob imperfectionem virtutis respectus omnium effectuum; sed datur vnum agens primum, in quo eminenter continentur virtutes effectrices omnium rerum, vt probabitur infrà; ergo &c. Maior patet, quia in tantum multiplicantur diuersæ artes respectu diuersorum artificiatorum, quia vna propter sui limitationem nequit ideare omnia artificiata; ergo &c. Secundò, quanto actualitas agentis est maior, & aspectus virtutis eius amplior, tantò plures effectus potest producere; ergo si datur vnum agens virtutis infinitæ, ab ipso poterunt omnes effectus prodire. Consequentia patet per illam regulam Topicam, sicut magis ad magis, ita simpliciter ad simpliciter. Antecedens patet de Sole, quia cum sit virtutis maioris omnium generabilium, & corruptibilium singillatim, potest in omnium effectus per se.

Secunda conclusio. Falsa est etiam secunda sententia Empedoclis, ponentis duo principia contraria, scilicet litem, & amicitiam ob pugnantiam effectuum. Probatur, quia contrarietas effectuum, non arguit contrarietatem in agentibus; ergo propter talem pugnantiam non est necesse multiplicare principia prima. Consequentia patet ex Philosopho 1. Physicorum t. 56. dicente, non esse multiplicanda entia sine necessitate. Antecedens probatur in agentibus sine cognitione, quia ab vna, & eadem virtute Solis pendet exsiccare lutum, & liquefacere ceram, quæ sunt contraria. Idem demonstratur in agentibus per cognitionem; siquidem potentiæ rationales sunt ad oppositum, vt habet Aristoteles 9. Met. c. 2. t. c. 3. sed primum agens, cuiusmodi est Deus, agit per potentias rationales, scilicet per intellectũ, & voluntatem; ergo ob contrarietatem effectuum non est ponenda multitudo agentium contrariorum. Minor demonstrabitur inferiùs, præterquamquod est Philosophi 12. Metaph. t. c. 36. & 38. vbi habet primum mouens mouere, vt intelligibile, & vt appetibile.

Tertia conclusio. Falsa, & impia est Manichæorum hæresis, ponentium duo prima principia; alterũ respectu bonorũ, & alterum respectu malorum, quæ in mundo fieri solent, eaque esse Deum bonum, & Deum malum. Præter Manicheũ hanc posuerunt Gnostici, vt scribit Augustinus ad Quod vult Deum cap. 6. Apelles, vt innuit Epiphanius, hæresi 44. licet inter se disconueniant in modo assertionis; quandoquidẽ Apelles dicebat, Deum malum à Deo bono fuisse productum, & hunc mundum visibilem a Deo malo; Gnostici verò, & Manichæi vtrosque ingenitos, coæternos, & sibi inuicẽ contrarios somniabant; & bonum bonorum tantum, sicut malum malorum dũtaxat auctorem docebant. Probatur tamen falsitas totius assertionis, & primò ex Sacra Scriptura, quia Genesi cap. 1. dicitur: In principio Deus creauit cœlũ, & terram, vbi Sancti Patres per cœlum, spiritualem substantiam, & per terram, mundum corporeũ, & visibilem intelligunt. Secundò probatur ratione, quia in tantum asserit duplex principium .s. bonum, & malum, in quantum in hoc mũdo videntur esse bona, & mala; sed mala nequeunt fieri à bono, sicut nec bona à malo; ergo duo sunt ponenda principia inter se cõtraria; atqui hoc fundamentũ nõ cogit ad ponendam dualitatem Deorum; ergo assertio falsa. Sequela maioris cum discursu conceditur à Manicheo, & alijs citatis. Minor subsumpta probatur, quia aut loquuntur de malo naturæ, aut de malo morali; sed neutrum sufficit ad astruendum alterum Deum malũ, ergo &c. Maior patet à sufficienti diuisione. Minor probatur, quia malũ naturæ prouenit ex defectu virtutis in causa secunda .s. vel materiali, vel efficienti, vt patet, ab

ab Arist. 2. Phys. t. 82. Monstra peccata sunt illius, quod propter aliquid agit .f. efficientis in materiam, sed tales defectus non fiunt effectiuè, sed defectiuè, & deficere non est causæ primæ, sed solũ secundæ ob sui limitationem, & finitatem in virtute; ergo licet fiant in mundo hæc mala, non propterea reuocari debent in aliquod principium malum. Mala autem moralia proueniũt ex defectu voluntatis creatæ, nolentis subdere diuinæ voluntati, vel legibus obligantibus ad peccatum, at voluntas primi principij nequit deficere à lege, cùm sit infinita; ergo propter huiusmodi mala nequeunt poni alia principia prima. Maior patet, quia malum morale est priuatio rectitudinis debitæ in esse actui secundo, ex eius definitione. Minor est manifesta, quia dato opposito non esset primum principium, cum dependeret ab alterius voluntate.

Quarta cõclusio. In tota coordinatione entium est ponendum aliquod principium primũ primitate efficiẽtiæ, finis, & eminentiæ. Est Scoti in 1. d. 2. q. 1. art. 1. & de rerum principio q. 1. art. 3. & 4. & communis omnium Theologorum. Probatur prima pars. Aliquod ens est effectibile; ergo dandum est aliquod primum effectiuum. Antecedens patet ad sensum. Consequentia probatur, quia illud effectibile, vel in effici depẽdet à se, vel à nullo, vel ab alio; non est dicendum primum, quia nihil est causa sui ipsius, vt habet Augustinus de Trin. cap. 1. Nec secundum, quia, quod nihil est, nullius est causa; restat ergo tertium, quod ab alio; tunc quæro de illo alio, aut est effectibile, aut non; si negetur esse effectibile ab alio; ergo habetur intentũ, illud .f. esse primum effectiuum; si verò conceditur, tunc quæro de illo, sicut prius, & sic proceditur in infinitum; at iste processus in causis quibuscumque est impossibilis, ex Aristotele 1. Physicorum tex. 35. & deinceps; ergo deueniendum est ad aliquod primum effectiuum, quod sit causa, & ipsum incausabile. Secunda pars probatur, eodem modo, quia datur aliquod finibile, aut à se, aut à nullo, aut ab alio; non est dicendum quod à se, quia nil est causa sui ipsius, ex D. Augustino loco citato; nec à nullo, quia nihil nullius est causa; ergo ab alio: & quæritur de illo, sicut de effectibili, aut ergo proceditur in infinitum in finibus, aut certè dabitur status in vno, quod sit ita infinibile, vt à nullo priore dependeat. Probatur tertia pars, quia secundum Aristotelem 8. Metaph. t. c. 10. formæ sunt sicut numeri; sed in his datur status in vnitate; ergo & in formis, seu perfectionibus deueniendum est ad aliquam formam eminentissimam, & perfectissimam, quæ contineat omnes alias. Secundò probatur tota conclusio simul, quia vniuersitas causatorum dependet à causis essentialiter ordinatis, sed in his datur status in prima causa, quæ est perfectissima; ergo &c. Minor est Aristotelis 1. Physicorum loco citato, præter quamquod probari potest, sicut prius de primo effectiuo, & primo fine, & primo eminenti. Antecedens probatur, quia talis vniuersitas causatorum est causata, vel ergo ab aliquo illius vniuersitatis, vel ab aliquo extra illã, vel à nullo; sed non est dicendum tertium, quia nihil nullius est causa; nec primum, quia tunc idem causaretur à se, quod est contra Diuum Augustinum loco citato; ergo restat, quod sit ab aliquo extra illam vniuersitatem, & sic datur ordo in causis. Aliæ rationes videndæ sunt in Scoto locis citatis, & præcipuè in 1. dist. 2. quæst. 1.

Quinta conclusio. Illud primum, cui competit triplex primitas iam probata, est penitus incausabile. Est Scoti loco proximè citato. Probatur, quia tale primum principiũ est ineffectibile, vt probatum est præcedenti conclusione; ergo est penitus incausabile. Consequentia probatur, quia nec finibile, nec materiabile, nec formabile; ergo penitus incausabile. Consequentia patet, quia non datur alia causa præter enumeratas. Antecedens probatur primò, quod non sit finibile, quia causa finalis non causat, nisi quia mouet metaphoricè efficiens ad efficiendum, ex Aristotele 2. Physicorum; ergo si datur primum efficiens incausabile, dabitur & vltimus finis, aliter

ter si nō esset vltimus daretur alius finis superior, qui moueret efficiens aliud, & sic non esset primum incausabile. Secundò probatur, quod nec sit materiabile, nec formabile simul; tum quia si est causabile à causis dicentibus perfectionem, vt sunt efficiens, & finis; ergo etiam à causis dicentibus imperfectionem, vt sunt materia, & forma. Consequentia patet, quia primum effectibile est etiam primum in perfectione; Tum etiam, quia causa materialis, & formalis in ratione causæ est posterior, & causata ab efficiente; ergo nequit ab illis causari. Consequentia patet, quia causa semper est prior suo effectu. Antecedens probatur, quia causa formalis causatur ab agente in materia, ex quibus efficitur totum compositum; ergo sunt posteriores efficiente.

Sexta conclusio. In tota coordinatione entium, illud primum incausabile, cui conuenit illa triplex primitas, est actu existens. Est Scoti loco citato. Probatur: Cui repugnat simpliciter esse ab alio, illud, si potest esse, potest esse à se, & actu existit; sed illud primum est sic; ergo &c. Maior patet, quia si sibi repugnat esse ab alio, & potest esse; ergo est à se, & sic actu existens. Minor probatur ex præcedentibus, quia est primum, & effectibile, infinibile, & eminens; ergo sibi repugnat esse ab alio in quocumque genere causæ, vt probatum est in præcedenti conclusione.

Septima conclusio. Primum effectiuum, est etiam vltimus finis, & primum eminentia. Est Scoti loco citato. Probatur prima pars, quia agens per se agit propter finem, ex Aristotele 2. Physic. t. 49. & t. c. 50. 59. 61. ergo prius agens propter priorem finem; ergo agens simpliciter ob vltimum finem à se distinctum; ergo propter se, tamquam finem vltimum. Prima, & secunda consequentia tenet virtute regulæ topicæ: sicut magis ad magis, ita simpliciter ad simpliciter. Minor probatur ex conclusione quinta, quia primum effectiuum est penitus incausabile. Secunda pars probatur, quia primum effectiuum non est vniuocum respectu naturæ causatæ, aliter non esset primum; ergo æquiuocum, sed agens æquiuocum est perfectius, & eminentius suo effectu; ergo primum agens est eminentissimum. Minor est Scoti in 2. d. 25. q. vn. Q. & hoc maximè si est agens totale, sicut est in proposito.

Octaua conclusio. Illud primum principium, cui conuenit illa triplex primitas efficientiæ, finis, & eminentiæ, iam probata, est necesse esse à se. Est Scoti loco citato Q. Probatur sic ex eodem primo, quia est penitus incausabile ex conclusione quinta; ergo ex se est necesse esse. Consequentia patet, quia, quod potest non esse, hoc habet ex defectu, vel ex libertate alicuius causæ; sed quod est penitus incausabile nullam præsupponit sui causam, siuè naturalem, siuè liberam; ergo &c. Maior patet, quia contingentia in effectu nequit aliundè oriri. Secundò probatur, quia quicquid potest non esse, vel destrui, est destruibile per incompossibile positiuè, vel negatiuè, vel priuatiuè; positiuè sicut albedo per nigredinem, & priuatiuè, vt visus per cæcitatem; sed illud primum nullum habet incompossibile alterutro horum modorum; ergo &c. Minor probatur, quia illud incompossibile, quod ponitur, vel potest esse à se, vel ab alio; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Minor probatur: Non à se, quia cum essent duo incompossibilia simul, & formaliter repugnantia, alterum expelleret aliud formaliter, & sic neutrum esset, quod est contra suppositum; Nec ab alio, quia tunc illud deberet esse virtutis maioris, quam illud destruibile; sed hoc est impossibile, quia primum illud est eminentissimæ perfectionis, vt probatum est conclusione septima; ergo nequit destrui, & sic restat, quod sit necesse esse à se.

Nona conclusio. Illud principium primum illa triplici primitate iam probata in tota coordinatione entium, est tantum vnum. Est Scoti loco citato, sub lit. Q. & de rerum principio, art. 3. q. 3. Probatur primò ex præcedenti conclusio-

clusione, quia si essent duo prima principia, cum ambo essent necesse esse, quæro, aut distinguerentur, aut non? Si dicis primum, quæro de illis principijs distinctiuis, aut talia sunt necesse esse, aut non? non est dicendum secundum, quia cum eadem sint principia distinguendi, & constituendi, necesse esse haberent esse per aliquid, quod non est necesse esse, quod est impossibile. Si autem dicis, quod sint necesse esse; ergo idem esset à duabus causis totalibus eiusdem generis, & ordinis, quod est impossibile. quod probo, quia tunc esset, & nō esset; esset per suppositum; non esset, quia circumscripta causa totali effectus non esset, aliter non esset causa totalis. Secundò probatur, quia nequeunt dari duo prima eminentissima; ergo nec duo prima effectiua, nec duo vltimi fines; ergo tantum erit vnum principium. Antecedens patet, quia sicut probatum est superiùs, species sunt sicut numeri; sed in numeris deueniendum est ad vnitatem; ergo etiam in speciebus, ad vnum eminentissimum. Consequentia probatur, quia illud, quod est eminentissimum, est etiam primum effectiuum, & vltimus finis. Tertiò, quia nulla duo possunt terminare dependentiam totalē alicuius eiusdem effectus; ergo debet esse tantum vnum principium primū, à quo oīa dependent. Antecedens probatur, quia aliquid terminaret dependentiam, quo circumscripto adhuc esset totaliter terminata, & ita terminaret per suppositum, & non terminaret, quia posset circumscribi, cum alterum etiam totaliter terminaret, quod inuoluit contradictionem. Quartò probatur, quia si darentur talia duo prima principia, cum illa triplici primitate, aut essent similia in efficiēdo, finiendo, & perficiendo, aut contraria; sed neutrum est dicendum; ergo non possunt esse duo. Maior patet, quia inter idem, & diuersam non est medium. Minor probatur: Nō similia, quia aut vtraque sufficeret ad principiandum complete, aut non? non potest dici secundum, quia tunc non essent totalia, sed partialia; nec primum, quia alterum superflueret, quod abhorret natura in inferioribus; igitur & in primis nobilissimis principijs; ergo non essent similia. Nec contraria, quia aut formaliter, aut virtualiter; neutrum est dicendum; ergo &c. Nō formaliter, quia vnū expelleret aliud, & sic non essent necesse esse, immò neutrum esset; nec virtualiter, quia virtus vnius impediret virtutem alterius, & sic destrueretur ordo vniuersi. Dicendum est igitur vnum esse tantum primum principium omnium rerum in tota coordinatione entium.

Decima conclusio. Illud primum principium, cui cōpetit illa triplex vnitas, seu primitas est infinitum. Est Scoti loco cit. §. Ostensis igitur &c. vbi probatur quatuor vijs, quas breuitatis causa omittam, & vnam, aut alteram rationē proponam. Probatur igitur primò sic; quia vbi producere plura arguit perfectionem; ergo producere infinita arguit infinitam perfectionem; sed primum effectiuum, quātum est ex se potest producere plura, quæ arguunt perfectioné, ergo & infinita, quæ arguent infinitam perfectionem. Maior patet, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Minor verò probatur, quia quantum est ex se, potest producere infinitas species, quæ cum sint sicut numeri, arguunt infinitam perfectionem. Et si dicas, posse quidem producere infinita successiuè, non tamen simul, & sic arguit infinitatem in duratione, non intensiuè. Contrà, quia qui potest in multa simul, ita perfectè, sicut in quodlibet seorsim, potest in infinita simul; sed primum effectiuum potest in multa simul, sicut in quodlibet eorum seorsim; ergo & in infinita. Maior patet, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio. Minor patet, quia primum effectiuum est causa totalis respectu omnium causabilium simul; ergo potest in multa simul, sicut in quodlibet eorum. Secundò sic, quia datur primum eminens in virtute, & perfectione; ergo tale est infinitum. Consequentia probatur, quia illud ens eminens, aut est finitum, aut infinitum, si datur secundum, habeo intentum; si verò dicitur primum; Cōtra,

quia omni finito potest dari aliquod maius; sed illo primo eminentissimo nequit dari maius in perfectione; ergo non est finitum; restat ergo, quod sit infinitum. Tertiò probatur, quia Diuus Anselmus ait: Deum esse, quo maius excogitari nequit; sed finito possumus excogitare maius; ergo Deus non est finitus. Ita à simili arguo de illo primo principio, quia cum ipso nil maius excogitari possit, remanet, quod sit infinitum. Ex his sequitur vnum corollarium, cum primum principium sit infinitum, vnum tantum, & non plura esse principia rerum omnium in tota coordinatione entium; non enim sunt plura infinita.

Obijcies primò contra primam conclusionem: Si conclusio esset vera, hoc ideò esset, quia datur status in causis, sed hoc est falsum; ergo falsa conclusio. Sequela maioris conceditur ibidem. Minor probatur, quia infinitas in ascendentibus est possibilis; quandoquidem posita vna generatione, datur alia prior, & hac alia prior, & prior vsque in infinitum.

Resp. Concedendo sequelam maioris, & negando minorem; ad probationem dico, licet posse esse infinitatem in generationibus, in quantum proueniũt à causis accidentaliter subordinatis, hinc tamen non sequi, non dari statum in his, & in illis essentialiter ordinatis, quandoquidem causæ accidentaliter ordinatæ perpetuantur ab aliqua extra suũ ordinem, & sic datur status in illa.

Obijcies secundò contra tertiam: Io. 18. ait Christus: Regnum meum nõ est de hoc mundo; ergo mundus iste visibilis non est Christi, vt Deus est, dandum est igitur aliud principium.

Resp. Mundum dupliciter posse accipi, vno modo pro hac mole corporea, seu natura mundi; alio modo pro mundana conuersatione, quæ est effectus illorum, qui nolunt subdi iugo diuinæ legis, & hæc mala est moraliter, quia deflectiur à regula diuina; Christus Dominus dicit, Regnum suum non esse de hoc mundo, secundo modo, quia in ipso peccatum cadere non poterat, non tamen primo modo, quia ab ipso creatus est, vt inferiùs dicam.

Obijcies tertiò contra responsionem, quia Diabolus vocatur princeps mundi huius, vt habetur in Ioanne cap. 14. sed ille dicitur Deus tenebrarum; ergo hic mundus non est à Deo bono, qui dicitur Deus lucis, & sic duo principia, vt dicebat Manichæus. Cõfirmatur ex Ephes. cap. 2. Diabolus vocatur Deus huius sæculi; ergo ab ipso conditum est.

Resp. ad primam auctoritatem, negãdo consequentiam; non enim sequitur Diabolus est princeps huius mundi; ergo ipsum condidit, quia & Imperator, est Princeps Germaniæ, & tamen ipsam non condidit. Vel dicendum est, Diabolum vocari principem huius mundi, accipiendo mundum secundo modo, non primo modo; nec indè sequitur esse à Diabolo, tamquam à primo principio mali, quia malum non habet causam efficientem, sed tantum deficientem. Ad confirmationem, negatur consequentia, quia & venter vocatur Deus, quorũdam crapulonum, quorum Deus venter est, ait Apostolus, nec tamen indè sequitur, eos à ventre fuisse conditos; igitur, etsi Diabolus vocetur Deus huius sæculi, non propterea dicendum erit hoc ab ipso conditum. Vel dicendum, sæculum accipi pro sæculari vniuersitate, quæ cũ sit mala, non habet causam effectricem, sed defectricem tantum.

Obijcies quartò: Oppositorum opposita sunt causæ; sed spiritualia, & corporalia sunt opposita; ergo habent opposita principia. Minor probatur: ad Romanos 7. Sentio aliam legẽ in membris meis, repugnantem legi mentis meæ: Et ad Galatas cap. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum; at carnalia sunt corporalia, & mens est spiritualis; ergo adinuicem contrariantur.

Resp. Maiorem esse veram de causis intrinsecis, & proximis, non de extrinsecis, de quibus tantum loquimur in proposito, quia ab vna, & eadem prouenire valent opposita, vt diximus in secũda conclusione. Ad auctoritates dico, intelligendas esse, non de carne accepta pro natura, quia sic non opponitur spiritui, cum sit eius sedes, sed pro vitio, quod corruptella carnis dicitur, hoc,

enim

enim modo opponitur spiritui, hoc est rectitudini mentis, seu legis diuinæ, at hoc modo non causatur, quia procedit deficiendo, non efficiendo legem.

Obijcies quintò: Idem similiter se habens, semper natum est facere idem, sed Deus est huiusmodi; ergo &c. Subsumo: at est causa conditiua rerum; ergo non est destructiua; danda est igitur vna causa prima destructiua rerum.

Resp. Deum immutabiliter se habentem, esse causam primam, & conditiuam, & destructiuam rerum; nec hoc esse inconueniens, quia ab eodem principio possunt prouenire contraria.

Obijcies sextò contra quartam cõclusionem: Nihil prohibet inueniri rẽ sine eo, quod non est de ratione eius; sed habitudo causati ad causam non est de ratione entis; ergo nihil prohibet inueniri aliqua entia sine prima causa. Maior patet, quia homo potest esse sine albedine, cum hæc non sit de eius ratione. Minor patet, quia relatio non est de ratione entis, licèt benè econuersò.

Resp. Maiorem esse veram, si non adsit dependentia essentialis, & si non sit identitas realis inter illa; modo relatio causati ad causam, licèt non sit de essentia entis causati, est tamen identificata realiter, vt probabitur inferiùs, quia causatum nequit esse sine causa prima, propter dependentiam essentialem ad illam.

Obijcies septimò: Necessaria nõ habent causam sui esse; sed in rebus sunt multa entia necessaria; ergo non habent causam, & sic dantur aliqua, quæ non pendent ab illo primo principio.

Resp. Maiorem esse veram de causa intrinseca, non extrinseca; modò necessaria propter primum necesse esse habent causam extrinsecam, scilicet primam causam, licèt non intrinsecam, quia sic sunt formaliter à se.

Obijcies octauò contra vltimam conclusionem: Si principium primum esset infinitum, nihil mali esset in vniuerso; consequens est apertè falsum; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia si vnum contrariorum esset infinitum, nihil contrarium esset sibi in natura; sed primum principium est bonum; ergo si esset infinitum non pateretur secum aliquid mali esse in natura.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem dico, veram esse maiorẽ, si tale ageret de necessitate naturæ, non tamen si liberè; modò primum principium agit liberè, & sic potest pati, hoc est permittere malum, quod non est nisi priuatio boni.

Contrà, quia tunc secundum Philosophos ponentes primum principium agere necessariò, non posset admittere aliquod malum in natura, quod tamen est falsum.

Resp. ex Scoto loco cit. ad primum principale, ita sequi, tamen posset dici, etiam secundum ipsos, posse sequi malum in natura, sed necessariò habent ponere duos ordines causatum, quarum, vnus fortius ageret, & ideò, quia vinceret alium ordinem inde sequi malum, & imperfectionem in mundo.

Obijcies nonò: Si primum principiũ esset infinitum in entitate, nullum esset ens in mundo; sed hoc est falsum; ergo &c. Falsitas est manifesta propter multitudinem rerum creatarum. Sequela maioris probatur, quia si daretur corpus infinitæ magnitudinis, nullum aliud corpus secum pateretur; ergò si daretur ens infinitum, nullum aliud ens esset secum compossibile.

Resp. Maiorem esse falsam; ad probationem dico, non esse simile de infinito in magnitudine, & in entitate, quia infinitum corpus repleret totum locum, & ideò nullum aliud esset sibi compossibile, at infinitum in entitate non repleret totam entitatem, quin secum patiatur aliam inferiorem, & ab ipso causatã liberè. Ratio autem vtriusque est talis, quia corpus infinitum cum repleat locũ ratione dimensionum, si sibi adderetur aliud cum dimensionibus fieret aliquid maius, & ideò non possent simul esse in eodem loco, at infinitum in entitate non fieret maius per additionem alterius entitatis, quia finitum additum infinito non facit maius, & sic benè possent simul esse absque contradictione.

Obijcies decimò: Si primum princi-

pium esset infinitum, moueret in non tempore; sed hoc est falsum, quia motus necessariò est in tempore; ergo non potest esse principium infinitum. Maior est Aristotelis 8. Physic. t. c. 79.

Resp. Maiorem esse veram de principio infinito in virtute, seu in entitate, & accipiendo mouere pro agere, non tamen de virtute infinita in magnitudine, & de mouere propriè, quia cum motus ex Aristotele 5. Physicorum tex. c. 34. necessariò mensuretur tempore, nequit fieri in non tempore, scilicet in instanti, & sic negatur minor. Ad probationem dico, veram esse de motu propriè dicto, non tamen de mutatione, quia sic potest fieri in instanti. Ad Aristotelem, qui loco cit. habet pro inconuenienti virtutem infinitam mouere in non tempore, dicendum ibi locutum fuisse de infinito in magnitudine; nam ex hoc quod tale ageret per corpus, & in corpore sint partes, quarum vna est propinquior, & altera remotior à mouente, necessariò caderet resistentia, & per consequens successio in motu, & cum hic nequeat fieri in instanti, cum essentialiter mensuretur tempore, consequenter dicendum esset, non posse mouere, nisi in tempore: secus diceret & ipse de virtute infinita in perfectione, quia cum hæc nõ agat, in magnitudine, sed immediatè per propriã virtutem, benè potest agere in non tempore, & sic in instanti.

Vtrum omnium rerum multitudo ab vno, eodemque primo principio, immediatè, & per se procedat?

QVÆSTIO IV.

QVamuis in 2. Physicorum disput. de Causis nonnulla dixerimus, ex quibus facilè posset haberi huius quæstionis solutio, tamen occasione tex. 53. huius libri VIII. eam seorsim pertractare habet, vt clarior habeatur intelligentia eiusdem, & patentiùs liqueat, quid secundum veritatem dicendum sit propositæ difficultati.

Auicennas lib. 9. suæ Metaphysicæ cap. 4. negat ab vno, & eodem principio primo procedere posse omnium rerum multitudinem; siquidem inquit: Ab vno tantum vnum prouenire valet: Deus .n. immediatè producit primam Intelligentiam, hæc secundã, ab hac procedit tertia, & sic deinceps vsque ad vltimam, quæ, cùm defectum patiatur actualitatis ob eius elongationẽ à primo principio, quod est actualissimum, nequit aliam Intelligentiam producere, sed ab ipsa proueniunt dumtaxat formæ sensibiles. Idem prorsùs sentire videtur Auctor libelli de Causis prop. 3.

Quid verò sentiat Arist. in hoc, non est ita manifestum: Aliqui .n. innixi huic t. 53. Et t. 56. lib. 2. de Gen. vbi habet, quod idem in quantum idem semper natum est facere idem, putant eum fuisse eiusdem opinionis cum Auicenna, sicq. negare pluralitatem rerũ prouenire posse ab vno, eodemq. principio primo; cæterùm in hoc defenditur à Doct. subt. De primo rerum Principio q. 2. art. 1. dum dicit: Quod in illa propositione, solùm astruit, non posse nouitatem rerum ab vno principio prodire, non tamen negare pluralitatem rerum, cum ipsam apertè fateatur 2. Metaph. t. 4. dum inquit: Maximè ens, & maximè verũ esse causam omnis entis, & omnis veri, sicut id quod est calidissimum, est causa omnis calidi.

Alij censent, Deum, vti primum omnium rerum principiũ, attingere vtique omnes effectus totaliter totalitate effectus, non tamen totalitate causæ, quia secum admittit partialem concursũ causarum secundarum. Ita Molina in Concordia disp. 28 art. 13. q. 14.

Suarez verò viceuersa in Met. disput. 18. sect. 2. n. 9. asserit, cùm Deus admittit concursum causarum secundarum, ipsum esse causam partialem, & non totalem cuiuscumque effectus.

Scotus denique De primo rerũ principio q. 2. art. 2. & in 1. sent. d. 8. q. 5. T. & d. 42. q. vn. & in 2. d. 37. sub P. & in 4. d. 1. q. 1. §. Prò parte opposita &c. docet secundum mentem Aristotelis, Deũ esse primum omnium rerum principium totale in suo ordine, ab ipsoque procedere omnium rerum multitudinem immediatè,

tè, ac totaliter, & totalitate causæ, ac effectus.

Pro cuius sententiæ declaratione, ac fundamento, primò notandum est, quod hic nō loquimur de rebus moralibus, siuè bonis, siuè malis, sed tantùm de naturalibus, quæ includunt vnitatem, siuè essentialem, quo pacto omnes homines vniuntur in homine; siuè ordinis cuiusmodi sunt omnia, quæ spectant ad perfectioné naturalem vniuersi; quandoquidem ea, quæ vnitatem excludunt, vt sūt duo principia essentialia eiusdem rei, nempè duæ animæ rationales in vno homine, vel duæ causæ totales eiusdem generis, & ordinis, cum includant implicantiam, & contradictionem quoad esse, non possunt fieri immediatè à Deo, sed tantum ea, quæ naturaliter se compatiūtur in aliquo, pendent ab ipso Deo, vt ab vno rerum omnium principio totali in suo ordine.

Secundò notandum, vt colligitur ex Scoto in 1.d.8.q.5.sub T. Deum posse dici causam totalem omnium rerum possibilium causari, posse dupliciter intelligi, vno modo tatalitate effectus, itaut totū effectū ponat in esse in suo ordine, sicut causa secūda in suo; alio modo totalitate causæ, ita quod si etiam causa secunda non concurreret, nihilominus effectus poneretur in esse ab ipso Deo: Tota rerum multitudo, vt à primo principio totali pendet à Deo vtroque modo; alioquin, vt ostendit idem Scotus in 1.d.12.q.1. & in 2. d. 37. sub P. Deus non esset omnisciens, neque omnipotens, & causæ secundæ cum suis effectibus non essent in dependentia essentiali ad ipsum, vt ad primum principium, quæ omnia esset falsa, & omninò repugnantia ipsi Deo, & rebus creatis, vt alibi demonstrauimus ex eodem Doctore subt.

Tertiò notandum, ex eodem Scoto in citatis locis, totam rerum omnium multitudiné, posse immediatè, & per se prodire à Deo, vt à primo principio totali, potest tripliciter contingere; Vno modo excludendo mediū operans, sicut dicebat Auicenas, Deum producere immediatè primam Intelligentiam, & per primam secundam vsque ad vltimam, & per hanc omnia sensibilia. Secundo modo excludendo medium cooperans, itaut se solo attingat omnem effectum absque causa secunda, & non mediante ipsa, sicut dicit Durandus, quod producit plantam mediante natura, & fructū mediante planta. Tertio modo, vt excludit mediū coadiuuans, sine quo nihil fieri posset, sicut dicimus, corpus organicum esse mediū in actionibus sensibilibus animæ: Ad rē dicit Doctor, Deū producere immediatè, & per se omnium rerum multitudinē primo modo, quia per propriā virtutem: secundo modo, quia per proprium suppositum attingit effectum, & tertio modo, cum de se habeat efficientiam totalem absque causa secunda naturali; siquidem de his tantum est sermo, vt præscindamus à liberis.

Quartò notādum est, quod contraria sunt in triplici differentia, quædā habent vnum subiectum commune cui vicissim insunt, & hæc dicuntur cōtraria physica, diffiniunturq. ab Arist. in Prædicam. cap. de Oppositis: Quędam verò vnum genus prædicabile diuidūt, vt rationale, & irrationale diuidūt animal, & hęc metaphysica appellantur: Quædā tādem sūt, quorū vnū ab ordine alterius deficit, sicut dicimus vitia, esse cōtraria virtutibus, & hęc moralia vocantur; modo dicimus, posse Deum producere omnia contraria primi, & secundi generis, quia sunt entia perfecta entitatiuè, non tamen illa tertij ordinis, cum sint mala moralia.

Ex his fit prima conclusio. Tota rerū multitudo, siuè sint causæ, siuè effectus, siuè sint contraria primi, & secundi ordinis, siuè non, de necessitate pendent à Deo in suo fieri, & conseruari. Est Scoti in præcitatis locis. Probatur primò ex sacris literis, siquidē 1. ad Cor.c.12. dicitur: Deus operatur omnia in nobis. Actorū Apost.c.17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus, & Io.15. inquit Christus: Sine me nihil potestis facere, vbi D. Augustinus tract. 81. Non ait, quia sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere; siuè ergo parum, siuè multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Secundò probatur rationibus, desumptis ex Scoto in 2.d.37.P.

Si

Si Deus non attingeret omnes operationes causarum secundarū, non esset omnipotens; sed hoc est contra fidem; ergo &c. Sequela maioris probatur, quia aliqua refugerent eius potentiam, & ita non posset omnia. Deindè sicut res se habet ad esse, ita ad operari; ergo cùm Deus contineat in se rationem omnis esse perfectiori modo, quàm sit in causis secundis (siquidem vt diximus in præcedenti quæst. est primum ens in perfectione, & eminentia) perfectiori modo potest illud attingere, quàm causę secundæ. Antecedens, præterquamquod est Aristotelis 2. Met. t. 4. declaratur etiam à Scoto de Rerum Principio loco citato sic, quia quod habet esse calidum calefacit, quod frigidum frigefacit, quod humanum hominem generat, & sic de alijs; ergo sicut se habent res ad esse, ita ad agere, & operari. Præterea omnes effectus causarum secundarum pendent à Deo quoad esse, & conseruari; ergo & in fieri. Antecedens probatur ex D. Gregorio lib. 16. Moral. cap. 16. vbi inquit: Cunctorum essentiæ ad nihilum tenderent, nisi eas conditor omnium manu regiminis retineret. Consequentia patet, quia effectus ab illa causa fiūt, à qua & totaliter conseruantur; sed conseruantur à solo Deo; ergo etiam ab ipso fiunt.

Secunda conclusio. Deus producit omnia ad extra totaliter vtraque totalitate, causæ videlicet, & effectus. Est Scoti in 1. d. 8. q. 5. T. & in 2. d. 37. q. vn. P. Probatur primò, quia causa partialis ob eius insufficientiam, & indigentiam, dicit imperfectionem; sed Deus est agens perfectissimum, quia eminentissimū, infinitum, & independens à quocumque, vt dictum est in præcedenti; ergo non est causa partialis, sed totalis respectu omnium rerum. Secunda pars probatur, quia alioquin Deus non esset omnisciens, & omnipotens; quādo quidem in tantum nouit aliquid, in quantum est determinatum à diuina voluntate; ergo si diuina voluntas non attingeret totaliter omnes effectus, non determinaret, ac per consequens non omnes sciret. Probatur etiam de omnipotentia, quia aliqua pars non esset effectus Dei, & sic non esset omnipotens. Falsitas autem est manifesta ex Sacra Scriptura. Præterea, concursus Dei ad quemcumque effectum est prior prioritate independentiæ, quàm causæ secundæ; vel igitur, vt causa totalis, vel vt partialis: si primum habetur intentum, quod totaliter attingit effectum: si secundum, ergo imperfectè attingit effectum, quod est alienum à primo principio, virtualiter, & eminenter continente virtutem omnium causarum secundarum. Denique, sequeretur, quod aliquid in effectu esset independens à Deo, quod est absurdum, cum totus effectus sit ens per participationem. Consequētia probatur: Sit enim calor effectus, in quo reperitur & ratio entis, & ratio caloris. Si ponis vtramque rationem esse à Deo, habeo intentum: si verò dicis, rationem entis esse à Deo, caloris verò ab igne; ergo huiusmodi ratio, quæ entitatem aliquam includit, est independenter à Deo, quod quantum sit falsum videris ipse, qui oppositum asseris.

Tertia conclusio. Tota rerum multitudo est immediatè (quauis immediatione) a Deo, vt à primo principio. Est Scoti de Rerum principio loco citato. Probatur primò de immediatione virtutis, si Deus non produceret hoc modo omnem rerum multitudinem, non esset omnipotēs, nec infinitæ nobilitatis, & eminentiæ, vt dicit Philosophus 12. Metaph. apud Scotum de Rerum principio q. 2. sed hoc est falsum; ergo & id ex quo sequitur. Minor est nota ex dictis superius. Maioris sequela probatur: Eius virtus non se extenderet ad effectus, verùm dumtaxat ad causas, & sic non esset omnipotens, nec infinitę nobilitatis, & eminentiæ. Secundò probatur de immediatione suppositi, quia inter actionem Dei, & creaturæ non mediat aliquid, in quo actio Dei recipiatur, vt probatum est in 2. disp. 5. q. 3. siquidem causa secunda est perfecta in suo ordine, vt possit ponere effectum in esse, ergo non indiget actione Dei, ad hoc, vt possit agere, & operari. Tertiò probatur de medio coadiuuante, quia tale

me-

medium ponit in principali insufficientiam,& indigentiam; sed hæc arguit imperfectionem virtutis, quæ non est ponenda in Deo; ergo Deus causat omnẽ rerum multitudinem immediatè, excludendo quodcumque medium.

Obijcitur primò contra primam conclusionem: Causa naturalis continet in virtute sua proprios effectus; ergo non est necesse, vt Deus concurrat ad illos. Consequentia patet, quia posita vna causa totali,altera superfluit ad eumdem effectum producendum.

Resp. Antecedens esse verum in suo ordine, non tamen simpliciter; & ita negatur consequentia; ad cuius probationem dico, eumdem effectum non posse vtique prodire à duabus causis eiusdem generis, & ordinis, posse tamẽ si sint alterius ordinis; immò sic necessariò requiruntur propter ordinem essentialem, qui consistit in dependentia causæ secundæ à prima in esse, & operari.

Obijcitur secundò fundamentum Auicennæ: A causa omninò vna nequit immediatè prodire nisi vnus effectus; sed Deus est causa omninò vna; ergo non potest causare immediatè plura, sed tantum vnum.

Resp. Maiorem esse veram, si sit omninò vna & formaliter, & virtualiter, non tamen si sit vna formaliter, & plures virtualiter, sicut est in proposito: Deus enim quamuis sit vnus omninò formaliter, est tamen plures virtualiter, quia virtualiter, & eminenter continet virtutes causarum secundarum.

Obijcitur tertiò, quia secundum Philosophum 1. & 4. Metaph. in fine, vnumquodque est perfectum cum potest producere sibi simile; sed Deus est agens perfectissimum, & est tantum vnus; ergo poterit producere tantum vnum, & non plura, quæ sunt sibi dissimilia.

Resp. ex Doctore subtili in 4.d.1.q.1. B b. Maiorem esse veram de productione vniuoca, non verò de æquiuoca, modo Deus ad extra est principium æquiuocum, & ad intra tantum vniuocum.

Obijcitur quartò contra secundam conclusionem: Si Deus esset causa totalis vtraque totalitate; ergo superflueret causa secunda; siquidem totum effectũ produceret.

Resp. Negando consequentiam; nã Deus totaliter producit in suo ordine, & causa secunda itidem in suo; quandoquidem Deus, cùm sit agens liberum, & liberale, etiamsi possit ex se totum effectum producere, complacet tamen sibi admittere concursum causarum secundarum: inquit enim D. Augustinus: Deus res, quas condidit,ita administrat, vt proprios motus agere sinat.

Obijcitur quintò: Deus in effectu attingit rationem entis, creatura verò talis entis; ergo non est causa totalis. Antecedens probatur, quia agens vniuersalissimum debet habere effectum sibi correspondentem, sicut particulare particularẽ effectum; sed Deus est agens vniuersalissimum, & creatura particulare, esse autem est effectus vniuersalissimus, sicut tale esse particularis; ergo &c.

Resp. Negando antecedens; imò attingit vtramque rationem entis, & talis entis; ad probationem dico, maiorem esse falsam, si intelligatur cum præcisione tantum; quandoquidem Deus continet in se quoscumque effectus, & vniuersales, & particulares, virtualiter, atq. ideò potest sua virtute attingere vtramque rationem entis. Alias rationes cõtra hanc, & tertiam conclusionem soluimus in 2. Physicorum disp. 5. q. 2. & 3 & ideò illas hic omittimus.

De continuitate, & primitate motus.

SVMMA III.

Hæc Summa, in qua Aristoteles nititur ostendere immobilitatem, & perpetuitatem primi motoris, ex parte motus continui, & perpetui, diuiditur in quinque capitula, in quorum primò demonstrat motum localem esse cæteris priorem: In secundò, quod nullus motus, præter localem, sit cõtinuus: In tertiò, quod nullus motus localis, alius

alius à circulari sit perpetuò continuus: In quartò ostendit solum motum circularem posse esse continuum: Et in quintò, quod circularis sit primus omnium motuum.

Quoad primum caput in tex. 54. & 55. ponit hanc conclusionem: Motus localis est primus omnium motuum, & firmat illam quinque rationibus, quarum prima est: Motus augmentationis præsupponit motum alterationis, & hic motum localē; ergo motus localis est prior motu augmentationis, & alterationis. Antecedens probatur quoad primam partē, quia augmentatio fit partim ex simili, & partim ex dissimili; sed hæc necessariò supponit alterationem; ergo &c. Maior patet, quia augmentatio fit, cùm viuens conuertit cibum in sui substantiam, cibus autem dicitur similis dum conuertitur, dissimilis verò quia suis qualitatibus contrarijs, pugnat cum qualitatibus viuentibus; ergo augmentatio fit partim ex simili, & partim ex dissimili, hoc est, cum cibus dissimilis conuertitur, & fit similis substantiæ viuentis. Minor probatur, quia cibus dissimilis non potest fieri similis nisi alteretur; siquidem alteratio est mutatio de contrario in contrarium; ergo augmentatio necessariò supponit alterationem. Secunda pars antecedentis etiam probatur, quia alterans educit rem, quam alterat, de potentia in actum; ignis enim dum agit in aquam reducit illam de potentia calidam in actum caliditatis, huiusmodi autem actio nequit fieri sine debita approximatione agentis ad passum, nempè ignis ad aquā; approximatio verò supponit motum localem; ergo de primo ad vltimum, alteratio præsupponit motum localem, ac proindè motus localis erit prior augmētatione, & alteratione.

In eodem tex. ponit secundam rationem, desumptam ex auctoritate Antiquorum, qui ponebant omnia fieri ex raritate, & densitate, has verò ex congregatione, & disgregatione, quæ enim addensantur congregantur adinuicem, idest coeunt in vnum; quæ verò rarescunt, disgregantur, hoc est à seinuicem elōgantur, hæc autem fieri nequeunt sine motu locali; ergo etiam secundum Antiquos motus localis præsupponitur alterationi. Amplius præsupponitur etiā augmentationi, & diminutioni; siquidem, quæ augentur maiorem, & quæ diminuuntur minorem occupant locum; ergo &c.

In t. 56. ponit tertiam rationem, sed prius supponit triplicem prioritatem, nempè secundum naturam, tempus, & perfectionem. Illa enim sunt priora natura, quæ existunt sine alijs, & alia non sine ipsis, & sic animal est prius natura homine; siquidem potest esse animal sine homine, non tamen econuersò. Illa verò sunt prius tempore, quæ se præcedunt secundum durationem. Illa autem sunt priora secundum perfectionem, quæ se præcedunt in perfectione, & dignitate, & ita homo est perfectior, & dignior leone &c.

Ex his proponit tres rationes, & primò tertiam in ordine de prioritate naturæ: motus localis est prior natura alijs motibus; ergo &c. Antecedens probatur, quia motus localis potest esse sine alijs, nō tamen econuersò; ergo est prior natura illis. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia motus localis esse potest perpetuò continuus, vt probabit inferiùs, alij verò non; ergo motus localis potest esse sine alijs, & alij non sine ipso, vt ostensum fuit in prima ratione. Minor patet; nam quæ augentur, & alterantur non semper augentur, & alterantur, vt experientia videtur; ergo non sunt perpetuò continui.

In t. 57. ponit quartam rationem de priori tempore, Ille motus, qui inest rebus perpetuis prior est illis, qui insunt rebus corruptibilibus; sed motus localis est huiusmodi; inest enim corporibus cœlestibus, quæ sunt perpetua; motus autem augmentationis, & alterationis insunt corporibus sublunaribus, quæ vicissim oriuntur, & intereunt, vt est manifestum; ergo &c.

In tex. 58. adducit quintam rationem de prioritate perfectionis, & eam format tripliciter, primò ex perfectione subiecti motus localis super subiecta cæterorum motuum; quandoquidem

dem subiectum motus localis est semper in actu perfecto, vt patet de animalibus, & cæteris, quæ localiter mouentur; at subiecta cæterorum motuum sunt in potentia, & imperfecta: nam quæ generantur, nondum sunt, quæ alterantur, & augentur sunt in potentia ad terminos, scilicet qualitatem, & quantitatem; ergo ratione subiecti, motus localis est perfectior cæteris motibus. Secundò probat in tex. 59. ex perfectione effectus motus localis, & aliorum, quia alij motus semper fiunt cum deperditione aliqua; siquidem in generatione deperditur aliquid substantiæ, quia generatio vnius est corruptio alterius; similiter in alteratione deperditur qualitas, & in augmentatione quantitas, vt patet; at in motu locali nihil de statu, & natura mobilis deperditur; quãdoquidem locus est omninò extrinsecus mobili localiter; ergo &c. Tertiò tamdem in tex. 60. probat idem ex parte principij, quia ille motus est perfectior, cuius principium est perfectius, sed principium motus localis est perfectius cæteris; ergo &c. Minor probatur, quia principium, quod mouet se est perfectius, quàm quod mouetur ab alio; sed principium motus localis est eius quod mouet se, vt patet de animali; cæterùm principia aliorum motuum non mouent se, vt patet de alimento in accretione, & de qualitate in alteratione, quæ supponunt motum localem; ergo motus localis, etiam ex parte principij, est cæteris perfectior, ac dignior.

Quoad secundum, in quo ostendit, nullum motum, præter localem, posse esse perpetuum, & continuum, ponit in t. 61. hanc conclusionem: Nullus aliorum motuum, præter localem, potest esse continuus, & perpetuus: & in t. 62. incipit illam probare, quia nihil terminatum est perpetuum; sed omnes motus præter localem sunt terminati; ergo &c. Maior est nota. Minor probatur, quia omnes motus, qui fiunt ab opposito in oppositum, sunt terminati, vt patet; sed omnes motus, & mutationes sunt huiusmodi; nam generatio, & corruptio sunt inter ens, & non ens, alteratio inter contrarias qualitates, vt inter caliditatem, & frigiditatem; augmentatio, & diminutio inter quantitates maiorẽ, & minorem; perfectam, & imperfectam; ergo omnes motus præter localem fiunt de oppositis in oppositos terminos, atque adeò sunt terminati; siquidem quiescunt in contrarijs.

Ex hoc patet error quorumdam putantium huiusmodi motus posse perpetuari per reflexionem vnius in alium, vt si ex calido fiat frigidum, & ex frigido calidum vsque in infinitum; nam falsum est continuò moueri per reflexionem vnius contrarij in aliud; siquidem calidũ terminatur ad frigidum, vt ad oppositũ, & ibi quiescit, & econuersò frigidum ad calidum, in quo habet pariter quietem: vndè quamuis huiusmodi motus per reflexionẽ vnius oppositi possint dici contigui, aut consequenter se habentes in infinitum, non tamen erunt continui, vt declarabimus in propria quæstione de reflexione.

In t. 63. ostendit generationẽ, & corruptionem inter se non continuari, vt fiant vnus motus continuus; siquidem genitum, & corruptum durarent tantũ per instans, quod est contra experientiã. Consequentia est manifesta, quia inter partes continui mediat tantum indiuisibile, quod mensuratur instanti, & sic inter generationem, & corruptionem mediaret aliquod mutatum esse, ac proindè genitum, quod terminaret generationem, & corruptum corruptionem durarent indiuisibiliter, & sic solum per instans. Quod dictũ est de generatione, & corruptione applicari potest alijs motibus; Phisici .n. est similiter se se habere in omnibus, quæ sunt eiusdem rationis.

Quoad tertium, in quo incipit ostendere, solum motum localem posse dici perpetuum, non omnem tamen, verùm circularem dumtaxat, statuit hanc conclusionem in t. 64. Nullus motus localis, siuè rectus, siuè reflexus potest esse perpetuus, sed tantum circularis. Probat primò de recto, & reflexo circulari, idest qui reflectitur ab vno in alium terminum, scilicet ab A in B, & iterùm ab B in A, quia motus contrarij non sunt conti-

alius à circulari sit perpetuò continuus: In quartò ostendit solum motum circularem posse esse continuum: Et in quintò, quod circularis sit primus omnium motuum.

Quoad primum caput in tex. 54. & 55. ponit hanc conclusionem: Motus localis est primus omnium motuum, & firmat illam quinque rationibus, quarum prima est: Motus augmentationis præsupponit motum alterationis, & hic motum localē; ergo motus localis est prior motu augmentationis, & alterationis. Antecedens probatur quoad primam partē, quia augmentatio fit partim ex simili, & partim ex dissimili; sed hæc necessariò supponit alterationem; ergo &c. Maior patet, quia augmentatio fit, cùm viuens conuertit cibum in sui substantiam, cibus autem dicitur similis dum conuertitur, dissimilis verò quia suis qualitatibus contrarijs, pugnat, cum qualitatibus viuentibus; ergo augmentatio fit partim ex simili, & partim ex dissimili, hoc est, cum cibus dissimilis conuertitur, & fit similis substantiæ viuentis. Minor probatur, quia cibus dissimilis non potest fieri similis nisi alteretur; siquidem alteratio est mutatio de contrario in contrarium; ergo augmentatio necessariò supponit alterationem. Secunda pars antecedentis etiam probatur, quia alterans educit rem, quam alterat, de potentia in altum; ignis enim dum agit in aquam reducit illam de potentia calidam in actum caliditatis, huiusmodi autem actio nequit fieri sine debita approximatione agentis ad passum, nempè ignis ad aquā; approximatio verò supponit motum localem; ergo de primo ad vltimum, alteratio præsupponit motum localem, ac proindè motus localis erit prior augmētatione, & alteratione.

In eodem tex. ponit secundam rationem, desumptam ex auctoritate Antiquorum, qui ponebant omnia fieri ex raritate, & densitate, has verò ex congregatione, & disgregatione, quæ enim addensantur congregantur adinuicem, idest coeunt in vnum; quæ verò rarescunt, disgregantur, hoc est à seinuicem elōgantur, hæc autem fieri nequeunt sine motu locali, ergo etiam secundum Antiquos motus localis præsupponitur alterationi. Amplius præsupponitur etiā augmentationi, & diminutioni; siquidem, quæ augentur maiorem, & quæ diminuuntur minorem occupant locum; ergo &c.

In t. 56. ponit tertiam rationem, sed prius supponit triplicem prioritatem, nempè secundum naturam, tempus, & perfectionem. Illa enim sunt priora natura, quæ existunt sine alijs, & alia non sine ipsis, & sic animal est prius natura homine; siquidem potest esse animal sine homine, non tamen econuersò. Illa verò sunt prius tempore, quæ se præcedunt secundum durationem. Illa autem sunt priora secundum perfectionem, quæ se præcedunt in perfectione, & dignitate, & ita homo est perfectior, & dignior leone &c.

Ex his proponit tres rationes, & primò tertiam in ordine de prioritate naturæ: motus localis est prior natura alijs motibus; ergo &c. Antecedens probatur, quia motus localis potest esse sine alijs, nō tamen econuersò; ergo est prior natura illis. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia motus localis esse potest perpetuò continuus, vt probabit inferius, alij verò non; ergo motus localis potest esse sine alijs, & alij non sine ipso, vt ostensum fuit in prima ratione. Minor patet; nam quæ augentur, & alterantur non semper augentur, & alterantur, vt experientia videtur; ergo non sunt perpetuò continui.

In t. 57. ponit quartam rationem de priori tempore, Ille motus, qui inest rebus perpetuis prior est illis, qui insunt rebus corruptibilibus; sed motus localis est huiusmodi; inest enim corporibus celestibus, quæ sunt perpetua; motus autem augmentationis, & alterationis insunt corporibus sublunaribus, quæ vicissim oriuntur, & intereunt, vt est manifestum; ergo &c.

In tex. 58. adducit quintam rationem de prioritate perfectionis, & eam format tripliciter, primò ex perfectione subiecti motus localis super subiecta cæterorum motuum; quandoquidem

dem subiectum motus localis est semper in actu perfecto, vt patet de animalibus, & cæteris, quæ localiter mouentur; at subiecta cæterorum motuum sunt in potentia, & imperfecta: nam quæ generantur, nondum sunt, quæ alterantur, & augentur sunt in potentia ad terminos, scilicet qualitatem, & quantitatem; ergo ratione subiecti, motus localis est perfectior cæteris motibus. Secundò probat in tex. 59. ex perfectione effectus motus localis, & aliorum, quia alij motus semper fiunt cum deperditione aliqua; siquidem in generatione deperditur aliquid substantiæ, quia generatio vnius est corruptio alterius; similiter in alteratione deperditur qualitas, & in augmentatione quantitas, vt patet; at in motu locali nihil de statu, & natura mobilis deperditur; quãdoquidem locus est omninò extrinsecus mobili localiter; ergo &c. Tertiò tamdem in tex. 60. probat idem ex parte principij, quia ille motus est perfectior, cuius principium est perfectius, sed principium motus localis est perfectius cæteris; ergo &c. Minor probatur, quia principium, quod mouet se est perfectius, quàm quod mouetur ab alio; sed principium motus localis est eius quod mouet se, vt patet de animali; cæterùm principia aliorum motuum non mouent se, vt patet de alimento in accretione, & de qualitate in alteratione, quæ supponunt motum localem; ergo motus localis, etiam ex parte principij, est cæteris perfectior, ac dignior.

Quoad secundum, in quo ostendit, nullum motum, præter localem, posse esse perpetuum, & continuum, ponit in t. 61. hanc conclusionem: Nullus aliorum motuum, præter localem, potest esse continuus, & perpetuus: & in t. 62. incipit illam probare, quia nihil terminatum est perpetuum; sed omnes motus præter localem sunt terminati; ergo &c. Maior est nota. Minor probatur, quia omnes motus, qui fiunt ab opposito in oppositum, sunt terminati, vt patet; sed omnes motus, & mutationes sunt huiusmodi; nam generatio, & corruptio fiunt inter ens, & non ens, alteratio inter contrarias qualitates, vt inter caliditatem, & frigiditatem; augmentatio, & diminutio inter quantitates maiorẽ, & minorem; perfectam, & imperfectam; ergo omnes motus præter localem fiunt de oppositis in oppositos terminos, atque adeò sunt terminati; siquidem quiescunt in contrarijs.

Ex hoc patet error quorumdam putantium huiusmodi motus posse perpetuari per reflexionem vnius in alium, vt si ex calido fiat frigidum, & ex frigido calidum vsque in infinitum, nam falsum est continuò moueri per reflexionem vnius contrarij in aliud; siquidem calidũ terminatur ad frigidum, vt ad oppositũ, & ibi quiescit, & econuersò frigidum ad calidum, in quo habet pariter quietem: vndè quamuis huiusmodi motus per reflexionẽ vnius oppositi possint dici contigui, aut consequenter se habentes in infinitum, non tamen erunt continui, vt declarabimus in propria quæstione de reflexione.

In t. 63. ostendit generationẽ, & corruptionem inter se non continuari, vt fiant vnus motus continuus; siquidem genitum, & corruptum durarent tantũ per instans, quod est contra experientiã. Consequentia est manifesta, quia inter partes continui mediat tantum indiuisibile, quod mensuratur instanti, & sic inter generationem, & corruptionem mediaret aliquod mutatum esse, ac proindè genitum, quod terminaret generationem, & corruptum corruptionem duraren indiuisibiliter, & sic solum per instans. Quod dictũ est de generatione, & corruptione applicari potest alijs motibus; Phisici n. est similiter se se habere in omnibus, quæ sunt eiusdem rationis.

Quoad tertium, in quo incipit ostendere, solum motum localem posse dici perpetuum, non omnem tamen, verùm circularem dumtaxat, statuit hanc conclusionem in t. 64. Nullus motus localis, siuè rectus, siuè reflexus potest esse perpetuus, sed tantum circularis. Probat primò de recto, & reflexo circulari, idest qui reflectitur ab vno in alium terminum, scilicet ab A in B, & iterùm ab B in A, quia motus contrarij non sunt conti-

cõtinui, & perpetui; sed huiusmodi motus locales recti, & reflexi sunt contrarij; ergo &c. Minor patet ex dictis 5. Physicorum, vbi vidimus ad continuitatem motus requiri vnitatem specificam temporis, mobilis, & termini ad quem; at contraria non sunt vnius speciei; ergo motus contrarij non sunt continui. Minor probatur, quia motus, qui se impediunt sunt contrarij; sed huiusmodi motus se impediunt; ergo &c. Minor patet ad sensum, quia si moueatur aliquod ab A in B, & aliud à B in A, mutuò se impedient, itaut neutrum proprium motum conficere valeat.

In t. 65. probat secundò eamdem conclusionem, supponendo duo. Alterum, quod in quanto sunt tria, scilicet principium, medium, & finis, vt in linea, punctum, à quo incipit, dicitur principium; medium verò est punctum continuans vnam lineam cum altera, & finis est punctum terminatiuum lineæ, nè in infinitum protrahatur: quod dicitur de linea, dicendum est de motu, & tempore, nam hæc se supponunt, vt aliàs ostendimus. Alterum supponendum, quod medium in linea, motu, ac tempore, nõ est actu principiũ, aut finis partium lineæ, motus, & temporis, sed tantum potentia; ex quo infertur, quod in motu facto super linea, punctum numquam habebit rationem principij, aut finis actu, nisi facta diuisione per quietem interceptam, adeò vt mobile cesset moueri per aliquod tempus. Ex his probatur conclusio: Motus habentes actu finem, & principium non sunt continui; sed motus rectus, & reflexus sunt huiusmodi; ergo non sunt continui. Maior patet. Minor probatur, quia in puncto, & termino reflexionis necesse est mobile stare, & quiescere; sed quod stat, & quiescit habet actu principium, & finem; ergo &c. Maior probatur, quia siuè motus fiat super lineam rectam, siuè super circularem, dũ mobile reflectitur retrocedendo, in tali reflexione cogitur aliquantulum quiescere in puncto reflexionis; siquidem ex secundo supposito, mediũ nequit esse finis motus recti, & principium reflexi actu, nisi per diuisionem vnius ab alio; huiusmodi autem diuisio fieri nequit, nisi intercedat quies, vt etiam patet ad sensum; ergo mobile in termino reflexionis necessariò stat, & quiescit, adeò vt illi duo motus discontinuentur, sicut melius explicabitur in quæstione propria.

A t. 66. vsque ad 72. prosequitur ostẽdere veritate huius propositionis, quod in puncto reflexionis necesse sit mobile quiescere, nedum soluendo rationes Antiquorum in oppositum, verùm etiam addendo alias rationes, tàm logicas .i. communes, quàm demonstratiuas, ac proprias, quæ omnia consultò omittimus, tùm nè ab incepto deflectamus proposito, tùm quia ad nostrum institutum sufficiunt iam allatæ.

Quoad quartum igitur, in quo probat solum motum circularem posse dici cõtinuum; ac perpetuum, ponit discrimen inter motum circularem, & rectum. Circularis enim motus est, qui fit ab eodem in idem punctum, vt ab A in idem A. Rectus verò est, qui fit ad eodem in aliud vt ab A in B. Hoc supposito probat dupliciter, solum motum circularem esse continuum, & perpetuum; & primam rationem ponit in tex. 73. quæ est talis: In tantum motus rectus, & reflexus non sunt continui, quia sunt contrarij, & duo motus contrarij essent vnus motus, quod est impossibile; sed in motu facto per lineam circularem completã non esset huiusmodi contrarietas; ergo motus circularis potest esse continuus, & perpetuus. Maior patet ex præcedenti capite. Minor probatur, quia eiusdem ad idem non est contrarietas, vt patet; sed motus circularis, ex suppositione facta, est eiusdem ad idem; ergo in eo non est contrarietas.

Secunda ratio, quia ideò negatur à motu reflexo continuitas, quia per idẽ spatium fit regressus ad idem punctum, siuè per lineam rectam, siuè per semicircularem; at in motu circulari perfecto non fit regressus per idem, sed per aliud spatium, ad idem punctũ; ergo sibi non debet denegari continuitas. Maior patet ex præcedenti capite. Minor patet similiter, quia in motu circulari per

vnum

vnum semicirculum fit progressus ab A. in B, & per alium semicirculum redit ad idem A; cæterum in reflexo per eumdem semicirculum fit retrocessus ad A, quare hic nequit esse continuus, sed tantum ille circularis completus.

In t.74. soluendo dubitationem, quæ fieri posset, de continuitate in alteratione, & alijs motibus, cum mobile transit ab albo in nigrum, & à nigro in album, similiter in augmentatione, & diminutione à maiori, ad minorem quantitatem, & econuerso; siquidem huiusmodi transitus non fiunt per aliud, & aliud medium, sed per idē, vt patet, cum ex albo transitur in nigrum per fuscum, & per idem retroceditur à nigro in album, quod sufficit ad tollendam continuitatem inter huiusmodi alterationes, & ad ponendam reflexionem in eis, ac proindè quietem in termino eiusdem reflexionis. Idem dicendum de cæteris motibus, ac mutationibus. Manifestum est igitur ex dictis, solum motum localem circularem posse dici continuum, ac perpetuum.

Quoad Quintū, in quo deniq; concludit in t.75. solum motum circularem fore omnium motuum primum, supponit primum motum localem, esse triplicem, nempè circularem, qui fit super linea circulari; rectū, qui super recta; & mixtum, qui super linea tortuosa, hoc est participante de recta, & de circulari. Deindè probat, motum circularem esse priorem recto, & misto multipliciter, & primò quia motus simplicior, & perfectior, est prior composito, & imperfecto; sed motus circularis est simplicior misto, & perfectior recto; ergo est illis prior. Maior patet, quia est sermo de prioritate perfectionis. Minor probatur, quia si fiunatur motus super linea recta, quamuis in longum protrahatur, non tamen potest esse infinita, quia talis non datur, vt probatum est 3. Physicorum; ergo erit terminatus motus: tunc sic; vel huiusmodi motus erit reflexus, vel non: si reflexus, igitur erit compositus ex recto, & reflexo, motus autem circularis cum fiat sine reflexione, erit simplicior misto: si verò non sit reflexus, erit imperfectus, & corruptibilis, cum fuerit per quietem terminatus; at circularis non erit terminatus; ergo erit perfectior recto, ac proindè prior perfectione vtrisque. Secundò probatur, quia motus perpetuus, & continuus est prior non perpetuo, & discontinuo; sed motus circularis est huiusmodi, non sic autem rectus, & mixtus; ergo circularis est prior recto, & mixto. Maior patet ex dictis in præcedenti capite. Minor similiter, quia linea circularis est infinita, & perpetua; siquidem omnes puncti sunt in potentia principiū, & finis, & nullus est talis in actu per diuisionem; ergo etiam motus circularis factus super ea erit infinitus, & perpetuus, siquidem nulla intercipitur diuisio per quietem. Tertiò probat in t.76. quia motus circularis est mensura omnium aliorum motuum; ergo est primus. Consequentia patet, quia mensura est prior quolibet mensurato, vt probatum est lib.4. Physicorum. Antecedens probatur, quia est perfectior cæteris, cum possit esse continuus, & perpetuus; at quod est perfectius in quolibet genere, habet rationem mensuræ respectu omnium contentorum in tali genere, vt patet; ergo motus circularis est mensura cæterorum motuum. Quartò probat, quia motus regularis, & vniformis est prior nō regulari, & difformi; sed motus circularis est regularis, & vniformis, cæteri verò irregulares, & difformes; ergo, &c. maior patet, quia cum motus regularis semper eodem modo se habeat, est semplicior, & perfectior, & per consequens prior perfectione. Minor probatur, quia cæteri motus vel sunt naturales, vel violenti; si naturales, velocius mobilia mouentur in fine, quàm in principio, vt patet de grauibus, & leuibus: Si violenti, econtrariò se habent, quia sunt velociores in medio, quàm in fine; ergo sunt difformes, & irregulares; at circularis, cū careat principio, & fine, nequit esse velocior, aut tardior in principio, vel fine; ergo semper est regularis, & vniformis. Quintò tamdem in t.77. probat huiusmodi primitatem auctoritate Antiquorum, siquidem omnes posuerunt motum localem esse

om-

omnium primum: Empedocles enim posuit principia omnium rerum, & mutationum, litem, & amicitiam, idest congregationem, & disgregationem; sed hæ supponunt motum localem: Anaxagoras posuit primum motorem esse mentem, & eius motum esse congregare, & disgregare, hoc est, separare, & vnire res adinuicem, & huiusmodi operationes non fiunt absque motu locali: Democritus, & Leucippus dicentes omnia moueri propter vacuum, & ipsi fatentur motum localem, qui fit etiam in vacuo. Alij etiam ponentes omnia prouenire ex raritate, & densitate, conantur fateri motum localem, sine quo nihil potest rarefieri, aut condensari: Plato pariter fassus est hanc primitatem, dum posuit mundum moueri per animam; at quod primo mouet se, localiter mouetur; ergo &c. Denique confirmat conclusionem ex communi omnium sententia, qui dum locuti sunt de motu, intellexerunt de locali; ergo ex his auctoritatibus, & rationibus concludit manifestum esse, motum localem esse primum omnium motuum, & inter locales, circularem obtinere primatum, cum sit continuus, & perpetuus, adeò vt ex ipso inferri possit perpetuitas primi motoris.

De continuitate motus.

DISP. III.

Continuitatem motus in se aliàs prosecuti sumus, nunc specialiter dicendum de continuitate motus localis, de quo quærendum est primò: Num reflexionis motus sit continuus. Secundò: Vndè motus proiectorum sumat velocitatem maiorem, vel minorem; & à quo causetur motus resilientiæ.

Vtrum motus localis reflexus sit continuus? Vel an in termino reflexionis mobile quiescat?

QVÆSTIO I.

Circa hanc quæstionem extant tres Doctorum opiniones, quarum duæ sunt ex diametro oppositæ; tertia verò videtur quasi mediare inter illas.

Prima igitur est nostri Mayronis in 2. d. 14. q. 8. & Atesij 2. de Gener. q. 24. asserentium inter motum rectum, & reflexum nullam omninò intercipi quietem, sed esse vnum motum continuum.

Secunda est nostri pariter Nicolai de Orbellis 8. Physicorum in fine, Ioannis de Magistris ibid. q. 5. Manchæ 5. Physicorum q. 1. dub. 3. docentium ex opposito cum Aristotele 8. Physicorum t. 62. & sequentibus, motum reflexum non esse continuum cum recto, sed semper mobile cogi subire aliquam quietem in puncto reflexionis.

Tertia tandem, quæ inter præcedentes, mediare videtur, est communis Recentiorum dicentium dari aliquos casus, in quibus nulla intercipitur quies inter motum rectum, & reflexum, ac proindè ex illis fieri vnum motum continuum: alios verò, in quibus necessariò cadit quies, & sic aiunt verificari posse opinionem Aristotelis, conciliarique posse primam, & secundam sententiã, quæ inter se pugnare videntur. Ita Ruuius 8. Physicorum cap. 9. q. vnica, Catharensis ibidem q. 3. art. vnico, & Mastrius, ac Bellutus lib. de Cœlo, & Mundo disp. 3. q. 6. num. 90. & sequentibus.

Quid verò in hac re senserit Doctor subt. non est adeò clarum, tamen, quibusdam de more notatis, eius & nostrã aperiemus sententiam.

Primò igitur notandũ est ex Aristotele in t. 64. & 75. motum localem esse in triplici differentia, nempè circularem, rectum, & mixtum. Circularis, qui fit super linea circulari, est duplex .s. completus, & incompletus. Circularis completus

pletus est eiusdē ad idem, hoc est incipit ab vno puncto, & ad idem terminatur, vt est motus Cœli, & hunc Aristoteles dicit esse continuum, & perpetuum, vt probatum est in textu. Circularis incōpletus est, qui fit super semicirculo, eiusdem ad aliud, idest ab vno ad aliud punctum, cuiusmodi est motus factus super linea arcuali, & hunc non esse continuum, sed terminatum, ac finitum idem fatetur dignosci ex principio, & fine. Rectus, qui fit super linea recta, est qui fit ad aliud non ad idem punctum, imò ad oppositum, vt motus à deorsum ad sursum, & econuersò: similiter à positione dextera ad sinistram, & econuersò. Mixtus verò, qui fit super linea tortuosa, est transitus mobilis ab vno ad aliud punctum oppositum sicut dictum est de recto. Motus, tàm circularis imperfectus, quàm rectus, adhuc est duplex; directus, & reflexus. Directus qui fit ab vno ad aliud punctum, siuè per lineam rectam, siuè circularem, vt ab A ad B. Reflexus autem, est qui fit per oppositum ad directū, siuè per lineam rectam, siuè circularem, siuè arcualem, vt cum mobile retrograditur à puncto B ad A. sibi oppositum, & de hoc quæritur an sit continuus cum directo, vel inter ipsum, & directū mediet necessariò quies, adeò vt non fiut vnus, sed duo motus cōtrarij, & oppositi.

Secundò notandum est, motum reflexum posse fieri ab vna, & eadem virtute, & ab alia, & alia: Si fit ab eadem virtute, à qua causatur directus, semper inter illos debet cadere quies intermedia; quandoquidem eadem virtus non potest in eodem instanti in contraria; atqui tales motus sunt contrarij, vtpotè ad oppositos terminos; igitur nequeunt incipere, & desinere in eodem instanti, etiā extrinseco: patet de aspiratione, & respiratione pulmonis, & de compressione, ac dilatatione cordis. Si verò fiat ab alia, & alia virtute, hoc potest contingere tripliciter. Primò, cum motus directus est violentus, & reflexus naturalis, vt quando pila proijcitur sursum, & postea, deficiente virtute impulsiua, per eamdem lineam descēdit deorsum. Secundò econuersò, cùm directus est naturalis, & reflexus violentus, vt cum pila proijcitur in terram, & illa deindè resultat sursum. Tertiò cū vterque motus est neuter, vt cum pila proijcitur de manu vnius ad manū alterius, & rursum repercussa trahitur ad manū prioris. Si contingat prior casus, hoc potest fieri duobus modis, aut cum in reflexione nullum fortius impediens occurrit, & sic in tali reflexionis puncto, seu termino pila necessariò quiescit, antequam deorsum moueri incipiat, quia natura nequit illam deorsum trahere, nisi finita, ac terminata virtute impulsiua, quæ non poterit finiri, nisi in tempore, in quo pila necessariò quiescet; Aut cum sibi occurrit fortius impediens, & tunc potest fieri dupliciter, vel cum sibi occurrit impediens maioris virtutis, nimirum moli asinaria si occurrat fabæ sursum ferenti, & sic nulla erit quies intermedia; non enim faba poterit remorari vel per tantillum temporis molam, ne descendat: vel cum impediens sit æqualis virtutis, vt faba cum faba, vel saltem non multo maioris virtutis, vt castanea cum faba, vel cicere, & in his casibus necessariò intercipitur aliqua quies; siquidem virtus impeditiua nequit statim vincere virtutem resistētiæ mobilis, quin cogatur aliquantulum morari, & quiescere. Cæterùm si prior motus fuerit naturalis, & posterior violentus, reflexio poterit fieri duobus modis. Vno modo quando virtus excitatiua motus naturalis est efficax, & valida, vt cum quis proijcit fortiter lapidem deorsum; alio modo, quando virtus excitatiua est debilis, vt cum lapis demittitur deorsum, nulla, aut saltem parua ferente vi. Si accidat motus priori modo non necessariò in reflexione mediat quies; nam virtus efficax potest vincere resistentiam reflectentis in instanti; si verò contingat posteriori modo, necessariò intercipitur quies in puncto reflexionis, quandoquidem mouens inefficax non valet in instanti vincere resistentiam reflectentis, ac proindè cogitur immorari aliquantulum, & sic quiescere in termino refle-

xionis. Denique si fiat reflexio inter motus neutros, hoc potest accidere dupliciter, vel quando virtus reflectentis superat virtutem mouentis, vel quando non adeò superat: in priori casu non necessariò est quies, quia potest in instanti accidere reflexionis motus; at in posteriori necessariò debet mediare quies, cum non possit in instanti vinci resistentia mobilis reflectentis.

Ex his fit prima conclusio. Inter motus reflexos ab eadem virtute prouenientes, necessariò cadit quies. Est communis apud omnes Doctores. Probatur, quia eadem virtus in instanti nequit prosilire in terminos oppositos; sed huiusmodi motus reflexi, ab eadem virtute prouenientes, habent terminos oppositos; ergo &c.

Secunda conclusio. Inter motus reflexos, quorũ prior est violentus, & posterior naturalis, si nihil occurrit in reflexione, aut si aliquid occurrit sit inferiotis virtutis, vel æqualis, necessariò mediat quies; si autem occurrat aliquid magnæ virtutis impossibile est, quod intercedat quies. Est pariter communis. Probatur prima pars, quia virtus finita, aut æqualis, aut paulò maioris virtutis nequit vincere in instanti resistentiam passi, nisi vincat eius virtutem; sed hanc non potest superare in instanti; ergo in tempore intermedio, in quo mobile necessariò quiescit. Maior est nota ex terminis. Minor similiter patet, quia agens finitum necessariò agit in tempore, sicut infinitum potest agere in instanti. Secunda pars suadetur experientia, si enim pilæ sursum proiectæ occurrat mola asinaria naturaliter descendens, certum est, quod pila statim reflecteret deorsum absque vlla quiete in termino reflexionis; sed hoc non esset nisi ratione maximæ virtutis existentis in mola huiusmodi; ergo si in motu reflexionis occurrat aliud mobile maximæ virtutis, impossibile est primum mobile vel tantillum quiescere. Maior patet, quia in tantum pila quiesceret, in quantũ quiesceret mola sibi occurrẽs; sed hæc nullo pacto quiesceret, cũ virtus impeditiua pilæ statim superetur ab eius virtute; ergo pila reflecteret absque vlla quiete in termino reflexionis.

Tertia conclusio. Inter motus reflexos, quorum prior est naturalis, & posterior violentus, non cadit quies, si mobile violentum cum magna violentia excitetur: intercipitur verò si parua, ac debilis sit violentia. Colligitur ista conclusio, sicut & præcedens ex Scoto in quol. 12. art. 3. vbi ponderans rationes Philosophi 8. Physicorum à tex. 61. vsque ad 64. vult, quod duo motus, & duæ mutationes possint se consequi, ex eo quod detur vna res, quæ tantum duret per instans, & hoc mediante reflexione vnius mobilis ad terminos etiam diuersos, vt probat ibi de creatione, & annihilatione. Ratio autem prioris partis huius conclusionis est, quia virtus excitatiua motus violenti statim vincit resistentiam mobilis sibi naturaliter occurrentis; ergo in huiusmodi reflexione nequit mediare quies. Ratio verò posterioris desumitur ab opposito; nam cum virtus excitatiua motus violenti sit debilis, & non statim vincat resistentiam mobilis naturalis, necessariò reflexio fit in tempore, ac proindè cogitur mobile aliquantulum quiescere in termino reflexionis.

Quarta conclusio. Inter motus reflexos neutros, cadit necessariò quies, si mobile reflectens non sit tàm validæ virtutis; minimè verò intercipitur si eiusmodi virtus fuerit validissima. Colligitur ex præcedenti, & ex eodem Doctore ibidem. Probatur eodem modo sicut prior, quia in omni motu agens debet vincere virtutem passi, si ergo virtus agentis fuerit validissima, vincet in instanti, & sic motus continuabuntur, si aliud non obstiterit: si verò virtus erit debilis, superabit tantum in tempore, & sic discontinuabuntur huiusmodi motus per quietem.

Quinta conclusio. Hæc doctrina de motuum reflexione, absque hoc, quod intercipiatur quies, non est contra Aristotelem, quamuis videatur asserere, non posse dari motum reflexum, quia semper intercipiatur quies in termino reflexionis. Est Doctoris subtilis loco

citato

citato sub H. & I. Probatur, quia in tantum negat Aristoteles continuitatem motus reflexi cum directo, & asserit eorumdem discontinuitatem per mediam quietem necessariam, in quantum ex oppositis motibus, vel mutationibus repugnat fieri vnum motum, vel vnam mutationem specie; sed hæc ratio non tollit doctrinam superiùs allatam de reflexione motuum localium; ergo huiusmodi doctrina non est contraria menti Aristotelicæ. Maior patet discurrendo per omnes rationes Aristotelis, quas facit à tex. 61. vsque ad 65. Minor similiter, quia in reflexione motuum localium, non astruimus continuitatem motus reflexi cum directo, cum differant specie, sed solum consequentiam vnius ad alium absque quiete media; sed posita huiusmodi consequentia, non sequitur vnitas continuitatis specificæ motuum oppositorum; ergo huiusmodi ratio non tollit nostram doctrinam de reflexione immediata motuum localium. Confirmatur, quia si res durat tantum per instans, duæ mutationes oppositæ necessariò se consequuntur, nempè creatio, & annihilatio, absque quiete media; ergo non repugnant duo motus locales immediati, quamuis oppositi, in eodem instanti reflexionis. Antecedens patet, quia quies mensuratur tempore, ex eodem Aristotele 6. Physicorum tex. 72. & 74. ergo in eodem instanti nequit esse quies inter mutationes oppositas. Consequentia probatur, quia quotiescumque datur mobile, quod in vno mutato esse sit indifferens ad contrarios motus, potest, saltem agens liberum, ad alterutrum mouere, vt patet de rota, quæ cum sit indifferens ad motum antè, & retrò, poterit ab agente libero ad alterum illorum moueri; ergo signum est, quod duo motus locales immediati, quamuis oppositi, non repugnant incipere, & desinere in eodem instanti, saltem extrinsecè, ac proindè concludi potest, etiam secundum Aristotelem, mobile aliquod non necessariò quiescere debere in puncto, seu termino reflexionis.

Obijcitur primò contra supradictas conclusiones, auctoritas Aristotelis in tex. 62. 63. & 64. dicentis, ac probantis, omne mobile quiescere in termino reflexionis; ergo falsum est nō dari quietē mediā in puncto, seu termino reflexionis.

Resp. Antecedens esse verum de quiescere negatiuè, prout dicit negationem motus, quia tale, cum possit fieri in instanti, benè haberi potest in quacumque reflexione; falsum autem de quiescere priuatiuè, quia huiusmodi haberi nequit in non tempore, in quo tamen fieri potest reflexio mobilis.

Vel dicendum Aristotelem fuisse loquutum de reflexione in se, non tamen cum occurrit reflectens aliquod magnæ virtutis, & ab extrinseco, quia sic, cum in instanti superari possit virtus mobilis directi, non inconuenit posse incipere motum reflexū absque hoc, quod mobile cogatur quiescere in termino reflexionis.

Obijcitur secundò: Data veritate superioris doctrinæ, sequeretur continuitas motus reflexi cum directo; sed hoc esset contra Aristotelem in 8. Physic. t. 64. ergo &c. Sequela maioris probatur, quia illi motus sunt continui, qui simul incipiunt, & desinunt; sed si inter motū reflexū, & directū non mediaret quies, tales simul inciperent, & desinerent; ergo essent continui. Maior patet per diffinitionem continuorū, in qua dicitur, continua sunt, quorum vltima sunt vnū, vel idem. Minor probatur, quia motus directus desinit extrinsecè per primum sui non esse, & reflexus incipit per vltimum sui non esse; sed ibi in eodem instanti verum est dicere, motus nunc nō est, & immediatè ante hoc fuit; & similiter motus nunc non est, & immediatè post hoc erit; ergo si non mediat quies, huiusmodi motus simul inciperent, & desinerent, hoc est in eodem instanti extrinseco, & sic forent continui.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem, dico maiorem esse veram si haberent eumdem terminum specie, non tamen si diuersum, vt est in proposito de motu directo, & reflexo.

Obijcitur tertiò: Mobile, in quo actu stat, quiescit secundum Aristotelem 8. Phys. t. 65. sed mobile in termino reflexio-

xionis stat, alioquin non terminaretur ad ipsum; ergo mobile in termino reflexionis necessariò quiescit.

Resp. Maiorem esse verã, si stet adæquatè, & diuisibiliter, non tamen si inadequatè, ac indiuisibiliter, quia sic non quiescit, nisi negatiuè: modò cũ sibi occurrit reflectens magnæ virtutis, nequit stare adæquatè, ac proindè non quiescit, sed mouetur reflectiuè.

Obijcitur quartò: Non minus repugnant motus directus, & reflexus, quam mutationes generationis, & corruptionis; sed inter generationẽ, & corruptionem necessariò mediat quies; ergo etiã inter motũ directũ, & reflexum. Maior patet, quia vtrobique est oppositio. Minor probatur, quia nil generatur, quod duret tantum per instans; sed si inter huiusmodi mutationes nõ mediat et quies, aliquod generatum duraret tantum per instans; ergo &c. Maior probatur, quia si generatur quod duret tantum per instans, aut corrumpitur in eodem instanti, aut in alio; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Minor probatur: Non in eodem instanti, quia tunc idem simul esset, & non esset, quod implicat: Nec in alio, quia vel tale esset immediatum, vel mediatum præcedenti; Non immediatum, quia tale non datur, alioquin continuum constaret ex indiuisibilibus, quod est falsum: Nec mediatum, quia non duraret tantum per instans, sed tempore intermedio, quod esset contra suppositum; & corruptio fieret in tempore, quod repugnaret rationi mutationis, quæ mensuratur instanti. Minor primi syllogismi probatur, quia inter tales mutationes vel esset tempus, aut instans: si instans, ergo res genita durat tantum per instans: si tempus, habetur propositum, quod sit quies media; siquidem priuatio motus in tempore est quies.

Resp. Negando minorem, ad probationem dico, maiorem esse veram de generatione secundum cursum naturæ, & secundum virtutem causarum naturalium, quæ non agunt nisi suppositis præuijs dispositionibus, & alterationibus; falsam verò sumendo generationẽ, & corruptionem in ordine ad virtutem diuinam, nempè pro creatione, & annihilatione, quia sic potest aliquid generari, quod duret tantum per instans. Ad probationem dico tale genitum durans per instans corrumpi in eodem instanti extrinsecè; intrinsecè verò in tempore immediatè sequenti; & cùm probatur, quod corruptio fit in instanti, & non in tempore, verum est adæquatè, inadæquatè autem fieri potest etiam in tempore, vt docet Scotus in quol. 12. art. 3. sub I. in fine. Multa alia argumenta congerit, & soluit Mastrius de Cœlo, & Metheoris disput. 3. quæst. 6. quæ inibi videri possunt, nobis sufficiunt allata.

Vnde motus proiectorum sumat suam velocitatem maiorem, vel minorem, & à quo causetur motus resilientiæ?

QVÆSTIO II.

PRæsens quæstio, quæ de motu violento solum instituenda venit, vnũ supponit, nempè proiecta violenter moueri; & duo quærit, alterum à quo proiecta habent vt violenter moueantur, alterum verò à quo sumant maiorem, vel minorem velocitatem; an ab impulsu, corpori proiecto à projiciente impresso, vel potius ab aere circumstante?

Circa quæstionem igitur sic explicatam sunt varia Doctorum placita: nam aliqui putant proiecta moueri à solo aere circumstante, ita quod manus projicientis moueat partes propinquas, istæ alias, & illæ alias vsque ad vltimam, quæ immediatè tangit lapidem proiectum, & motus tamdiu durat, quamdiu partes motæ videntur proximæ, vel saltem non tantum distantes à projiciente; siquidem quo plus elongantur ab eo, eo minus cientur, & sic paulatim decidit earum virtus, & consequenter motus. Ita Simplicius, Auerroes, & Burlæus in suis Commentarijs super 8. Physic. cap. vltimo. Maior in 2. dist. 13. quæst. 7. Mayronius ibidem. D. Thomas 3. de Cœlo

Cœlo lect. 7. & alij, qui omnes putant esse expressam sententiam Aristotelis, nedum in hoc 8. lib. cap. vlt. sed etiam 3. de Cœlo t. 28.

Alij verò censent proiecta moueri à grauitate, vel leuitate indeterminatè; siquidem putant huiusmodi qualitates esse indifferentes ad quemcumque localem motum, determinari verò vel à forma substantiali corporis, vel à proijciente, & impellente. Ita quidam Recentiores, quos sine nomine recenset Poncius 8. Phys. disp. 20. q. 1.

Alij (vt cæteros omittamus) dicunt motum violentum, quo proiecta cientur, fieri per impulsum à proijciente impressum corpori proiecto, iuuante tamen aere, vt dicunt Auctores primæ opinionis. Ita Albertus Magnus 8. Physic. ad t. 81. Albertus de Saxonia ibidem q. vlt. Toletus ibid. Sotus q. 3. ad 2. Conimbric. 7. Physic. cap. 2. q. 1. att. 8. & alij, quos refert, & sequitur Ruuius tract. 2. de Impulsu q. 1. n. 5. quibus adhæsit ex nostris Mastrius lib. de Cœlo disput. 3. q. 5. n. 65.

His præiactis, facillimo negotio respondent ad secundam quæstionis partē, maioritatem, vel minoritatem velocitatis in motu proiectorum non esse desumendam solum ab aere vt à medio, verùm principalius ab impulsu maiori, vel minori, vt experimento comprobatur.

Circa tertiam partem quæstionis de motu resilientiæ, non conueniunt Doctores; quandoquidem Moderni aliqui, quorum suppresso nomine meminit Ruuius loco cit. q. 5. asserunt fieri quidem huiusmodi motum per impulsum, non tamen à proijciente impressum corpori, sed à corpore obsistente de nouo genitum, putant enim priorem impulsum cessare statim, ac pila v. g. tangit pariete, & alium de nouo imprimi ab eo.

Cæterùm verior, & communior opinio docet motum resilientiæ prouenire duntaxat, vt à causa per se, ab impulsu corpori resilienti à proijciente impresso, per accidēs verò, à corpore duro sibi obsistenti; nam si pila proiecta vehementer impingeret in corpus molle, non resiliret, vt experientia comprobari potest.

Pro intelligentia, ac resolutione huius multiplicis difficultatis, primò notandum est (quod etiā aliàs innuimus) corpora mobilia esse in duplici differentia; nam alia sunt grauia, quæ nimirum mouentur naturaliter deorsum, & violenter sursum, vt lapides, plumbum, aurum, & huiusmodi: alia verò sunt leuia, quæ naturaliter cientur sursum, violenter aut deorsum, vt ignis, fumus, ac cæteri vapores sicci, & calidi. Vtraque tamen possunt comparari ad duo, nempè ad terminum, in quem tendunt, aut naturaliter, aut violenter; & ad agens, à quo actiuè mouentur, primo modo dicuntur corporalia naturalia, quia naturaliter tendunt ad locum, ad quem inclinantur; secundo autem, & tertio modo appellantur proiecta, tum quia proijciuntur ab agente, Tum etiā, quia violenter, & contra eorum inclinationem impelluntur ad motum. De his igitur quæritur in præsenti, an moueantur tantum à proijciente, aut etiam à medio .s. ab aere, vel aqua, in quibus cieri solent.

Secundò notandum ex Aristotele 7. Physicorum t. 10. motum violentum posse fieri quadrupliciter, scilicet pulsione, tractione, vectione, & vertigine; ad hos enim motus reducuntur omnes motus violenti. Pulsio autem diuiditur in Impulsionem, & Expulsionem. Impulsio est, quando impellens, siuè mouens non relinquit id quod impullit, vel mouet, vt accidit in aliquo impellente alium à suo loco in foueam, in quā ambo cadunt. Expulsio verò est cum expellens, vel mouens relinquit id, quod expellit à se, vt clarè apparet in proijciente sursum lapidem. Tractio autem est cum mouens trahit ad se mobile, vel ad alterum, ita quod motus trahentis sit velocior, quam tracti, vt apparet in trahente ad se, vel ad alium sibi proximum rete; clarum est enim quod motus trahentis debet esse velocior, quam retis tracti, cum hic ab illo vim habeat. Tractionis plures sunt species, scilicet attractio aeris, inspiratio nominata; emissio eiusdem, quæ expiratio dicitur: sputatio, & aliæ actiones corporis excretiuæ,

quæ reducuntur, vel ad tractionem, vel ad pulsionem. Vectio est, cum vnum corpus super aliud vehitur, vt cum homo super naui, vel curru, aut equo cietur, ac fertur, & hæc reduci potest ad pulsionem, aut tractionem, vel vertiginem; siquidem id, quod vehitur, mouetur aut pulsu, aut tractu, aut vertigine, hoc est volutando se super id, à quo vehitur. Vertigo tandem componitur ex pulsione, & tractione; id enim quod tali motu cietur, mouet aliud pellendo, & trahitur ab ipso, vertendo se ad illud, vt patet in mouente rotam in gyrum. Hic potest fieri sermo de omnibus, sed præsertim agitur de expulsione, quæ est quædam proiectio mobilis a mouente, & quæritur quodnam sit eius principium proximum, quod secundum Philosophum debet esse simul cum mobili, non verò remotum, quia certum est esse expellens, seu proijciens, cùm ab ipso expellatur mobile, ipsum relinquendo.

Tertiò notandum ex Aristotele præcitato textu ad finē, quod cùm inter mouens, & mobile nihil mediate debeat, non potest dici, quod principium proximum, & immediatum motus proiectorum sit ipsum proijciens, aut medium, super quo vehitur proiectum; siquidem interdum euenit moueri mobile, & tamen proijciens, vel aeris partem (quæ à quibusdam astruitur principium proximum) non esse, vt potè raptam, aut aliò à vento validissimo distentam: Nec similiter poterit esse grauitas, aut leuitas mobilis, siuè secundum se, siuè vt modificatæ à proijciente, vt asseuerant; quandoquidem grauitas, & leuitas, quouis modo considerentur, sunt principia motus naturalis, vel sursum, aut deorsum, non autem motus violenti, de quo tantum loquimur: Et quamuis aliquando misceatur aliqualis violentia, cùm graue, quodam impetu, proijciatur deorsum, hoc tamen non facit, vt motus ille velocior sit per se violentus, sed tantùm per accidens; nam per se est dumtaxat naturalis, quia secundum inclinationē mobilis ex natura sua ordinatur deorsum. Ex his infertur à sufficienti enumeratione, quod principium proximū, quo mouentur proiecta, cùm nequeat esse proijciens, aut medium, aut grauitas, vel leuitas, ob rationes iam dictas, sit tantum vis impulsiua proijcientis, nō excludendo tamen simpliciter mediū; siquidē hoc requiritur veluti vehiculum, super quo aliquo modo fertur mobile.

Quartò notandum pro maiori declaratione huius opinionis, quam sequi intendimus, impulsum nil aliud esse, quàm virtutem proijcientis, ab eodem proiectis impressam, cùm expelluntur, seu relinquuntur per motum localem, & sine qua ipsa moueri non possent, quippèque deseruit proijcienti, tamquam principium quo sui motus: vndè deduci potest, quod proijciens sit principium *quod*, motus proiectorum, virtus verò eius impulsiua sit principium *quo*, proximum, & immediatum, cum per ipsam proijciens dicatur virtualiter coniunctum mobili, ita quod inter illa nihil mediet, vt dicit Aristoteles in tex. 10. citato. Ex hoc infertur, velocitatem maiorem, vel minorem motus proiectorum, desumendam esse à maiori, vel minori vi impulsiua causaliter, & effectiuè; à medio verò densiori, vel rariori, tamquam à conditione sine qua non, supposito quod motus fiat in pleno, quia si accideret in vacuo, nullus respectus haberetur ad medium, sed tantùm ad virtutem maiorem, vel minorem proijcientis, sicut dictum est.

Quintò notandum est, motum resilientiæ fieri, dum mobile percutiens aliquod durum impediens motum rectum, reflectitur, aut resultat, vt accidit in pila, vel descendente per motum naturalem, vel proiecta in parietem violenter, quæ cùm impediatur, nè longius recta moueatur, resultat, & causatur motus reflexus. Huiusmodi autem resultantiam fieri à proijciente, & impediente, experientia comprobatur; an autem vis impulsiua huiusmodi motus sit ab vtroque simul, vel ab altero tantum, non conueniunt Doctores: Nobis autem breuiter dicendum est ab vtroque procedere, verùm diuersimodè; quandoquidem à proijciente dimanat, vt à causa

causa per se, ab impediente verò, vt à causa per accidens, siuè sine qua non, fieret motus resilientiæ, vel resultantiæ, nam si pila impingeret in aliquod corpus molle, certum est, quod non reflecteret, etiamsi secum haberet vim impulsiuam à proijciente receptam; igitur signum est requiri duritiem in corpore sibi obsistenti, vt conditionem, siuè causam sine qua non, & per accidens.

Ex his fit prima conclusio. Proiecta non mouentur tantum ab aere medio, siuè antecedente, siuè subsequente, causaliter, & effectiuè. Est contra primam sententiam. Probatur ex Scoto in 2. d. 2. q. 10. sub B. quia omnis effectus in actu, cum actu causatur, habet causam in actu, ex Aristotele 2. Physic. tex. 27. Et 5. Metaph. tex. 3. sed cum aliquod graue proijcitur, mouetur, & partes medij antecedentes, & subsequentes possunt non esse actu vnitæ cum mobili proiecto, ergo quod moueatur non habet à partibus medij. Minor probatur experientia, quia si iaciatur lapis, vel sagitta aduersus ventum perualidum, tunc partes aeris non poterunt insequi huiusmodi proiecta, quæ tamen cientur vsque ad signum determinatum; ergo quod proiecta moueantur non habent tantum à partibus aeris. Antecedens patet per experientiam. Confirmatur: Illud quod non mouet aliud, nisi prius motum ab alio, ab eodem habet quod moueat, & quod sit motum, ex Aristotele 8. Physicorum tex. 35. inquit enim: Si baculus mouet ex eo quod mouetur à manu, manus mouet baculum, si autem, & hanc aliud mouet, & hunc aliud aliquid mouens est vsque in infinitum, at nè detur processus in infinitum, vel dicendum est aliquid seipso moueri, vel quod eius motus reuocetur in primum mouens, & sic illud quod mouet ab alio motum, ab illo habere, quod moueat, & moueatur, atqui si partes aeris mouerent proiecta, & non possent sic mouere, nisi mouerentur prius ab alio, nimirum à proijciente; ergo ab illo haberet quod mouerent proiecta, & non tantum à partibus aeris medij.

Secunda conclusio. Proiecta non mouentur effectiuè à grauitate, & leuitate, tanquam à principio proximo. Est contra secundam sententiam. Probatur, quia grauitas, & leuitas sunt principia passiua motuum naturalium, aut sursum, aut deorsum tantum; sed proiecta, vt talia, non mouentur naturaliter, sed tantùm violenter, & actiuè; ergo non mouentur effectiuè à grauitate, & leuitate, vt à principijs proximis. Maior est Aristotelis 8. Physicorum tex. 32. in fine, vbi dicit, quod grauia, & leuia habent principium non mouendi, neque faciendi, sed patiendi; sed principium patiendi est principium motus naturalis, vt dicitur ibidem post medium, & nos ostendimus cum eodem, & Doctore subtili in 2. Physicorum; ergo grauitas, & leuitas sunt principia passiua motuum naturalium, vel sursum, aut deorsum. Minor est nota ex dictis in primo, & secundo notabili. Confirmatur, quia principium motus proiectorum, vt potè violenti, debet esse extrinsecum, vt patet per diffinitionem violenti; sed grauitas, & leuitas sunt intrinseca corporibus grauibus, & leuibus, quæ tamen possunt proijci, & grauia sursum, & leuia deorsum; ergo nequeunt esse principium motus proiectorum. Minor est Aristotelis 8. Physicorum tex. 32. post medium, vbi quærens causam, quare grauia tendunt deorsum, & leuia sursum, dicit, *quia apta natura aliquo, & hoc inest ipsi graui, & leui esse, hoc quidem ipso sursum, illud autem ipso deorsum determinatum*; at quod est à natura tale est sibi intrinsecum; ergo grauitas, & leuitas sunt intrinseca corpori graui, & leui, quæ tamen sunt proiecta.

Tertia conclusio. Motus violentus proiectorum causatur à proijciente, vt à principio *quod*, ab impulsu verò ipsis ab eodem proijciente impresso, tanquam à principio *quo*. Medio tamen quodammodo iuuante, licet non

necessariò. Est omnium Doctorum, quos citauimus pro tertia sententia. Probatur prima pars, quia motus proiectorum est violentus; sed huiusmodi motus petit principium omninò extrinsecum, quod nequit esse, nisi proijciens; ergo &c. Maior patet ex dictis notab. primo, & secundo. Minoris prima pars probatur, quia violentum, ex Philosopho 3. Ethicorum cap. 2. est illud, cuius principium est extra, non conferente cum passo, idest, vt explicat Scotus in 4. dist. 29 quæst. vn. art. 1. B. violentum est, quod est totaliter à principio extrinseco, quod est contra inclinationem passi; ergo motus violentus petit fieri à principio omninò extrinseco, quod sit contra inclinationem mobilis. Secunda pars minoris patet ex prima, & secunda conclusione, vbi ostendimus, quod huiusmodi principium extrinsecum nequeat esse medium tantùm, neque grauitas, aut leuitas; vndè, cùm aliud assignari non possit, restat, vt sit proijciens, seu mouens. Secunda pars probatur, quia, secundum Aristotelem 7. Physicorum tex. 10., inter mouens, & motum nihil mediare debet; sed si proijciens non esset præsens proiecto per suam virtutem impulsiuam, inter illa posset aliquid mediare; ergo vis impulsiua est principium motus proiecti, non *quod*, quia tale est proijciens; ergo *quo*. Deindè illud est principium *quo* motus proiecti, quod est sibi ratio mouendi, sed nil aliud esse potest ratio mouendi proiectum, præter impulsum proijcientis ipsi impressum; ergo &c. Maior patet ex diffinitione principij *quo*. Minor probatur inductiuè: Non enim possunt esse proijciens, aut medium; siquidem proiectum potest moueri sine illis, vt superiùs diximus notab. tertio; at motus proiecti nequit fieri sine principio *quo*; ergo &c. Nec grauitas, & leuitas possunt esse huiusmodi principium, quia illæ sunt principia passiua, ex Aristotele 8. Physicorum tex. 32. at principium *quo* motus proiecti debet esse actiuum; siquidem violenter cietur, & non naturaliter; ergo cùm nil aliud assignari possit præter impulsum, dicendum est ipsum esse principium *quo* motus proiectorum. Tertia pars suadetur, quia motus proiectorum potest fieri cum maiori, & minori velocitate, vt patet de globo, & sagitta, emissis ab arcu, & bombarda, ac de lapide sursum manu proiecto, in quibus relucet maior, & minor velocitas, sed ad hanc maiorem, & minorem velocitatem iuuat etiam aer medius, vt docet Aristoteles 4. Physicorum t. 68. & 71. & 8. Physicorum tex. 82. in fine, & 3. de Cœlo tex. 28. & in Quæst. Mechanicis quæst. 31. 32. & 33. vbi afferens medium pro causa motus proiectorum, loquitur de motu velociori, vel tardiori, qui prouenit ab aere, vel impellente, vel resistente proiectis, quicquid dicant alij; ergo medium iuuat quodammodo ad motum proiectorum. Quarta pars probatur: Tum quia in vacuo, si daretur, possent moueri proiecta: Tum etiam, quia cieri poterunt vento in contrarium aerem ferente, sed in his casibus nihil faceret medium ad motum proiectorum; ergo medium non est simpliciter necessarium ad eorum motum.

Quarta conclusio. Maior, & minor velocitas in motu proiectorum, desumenda est, causaliter, & effectiuè à maiori, vel minori vi impulsiua, à proijciente, ipsis impressa; ab aere verò, si motus fiat in pleno, vt à conditione sine qua non, seu instrumentaliter. Est Aristotelis in 4. Physicorum tex. 68 in 8. Physicorum tex. 82. Et 3. de Cœlo t. 28. vt conspicienti diligenter literam eius patere potest: inquit enim in primo loco; *Amplius quidem mouentur proiecta, eo, qui impulit non tangente, aut propter contrarij circumobsistentiam, vt quidam dicunt*, idest Platonici, *aut ex eo, quod pellit pulsus aer motu velociori, quam sit pulsi latio, qua fertur in proprium locum:* In secundo autem loco subiungit: *Necesse autem est, hoc quidem dicere, quod primum mouens, vt possit mouere, aut aer hic, aut aqua:* & post

post pauca subdit: *Cessat autem cum in ipso contiguo minor fuerit virtus, quam vt moueat: tamdem autem, cùm non amplius fecerit prius mouens, sed motum patiens solum*. In tertio tandem loco videtur clariùs suam mentem aperire, dum inquit: *Omnis autem motus, alius quidem secundum naturam, alius autem violentus; eum quidem qui est secundum naturam, veluti lapidi, eum qui deorsum fit, velociore faciet id, quod secundum potentiam; eum autem, qui præter naturam omninò ipsa* hoc est externa potentia: *ad ambo autem, tamquam instrumento vtitur aere*. En quomodo Aristoteles ad motum violentum admittit semper & vim impulsiuam potentiæ externæ, seu mouentis principaliter, & aerem veluti instrumentum eiusdem mouentis ad causandum motum, & eius velocitatem maiorem, vel minorem. Deindè probatur ratione tota conclusio, quia ab illis principijs desumenda venit maior, vel minor velocitas motus violenti, à quibus causatur huiusmodi motus; sed talis oritur à vi impulsiua proijcientis effectiuè, & ab aere, siuè alio medio instrumentaliter, vt probatum est in conclusione tertia, & docet apertè Philosophus in citato tex. 28. lib. 3. de Cœlo; ergo &c. Maior patet, quia velocitas, & tarditas motus sunt accidentia eiusdem; ergo debent recognoscere eadem principia motus.

Quinta conclusio. Motus resilientiæ causatur effectiuè per se à proijciente, media vi impulsiua proiectis impressa; ab impediente verò per accidens. Est aperta sententia Aristotelis in lib. 8. Physicorum tex. 32. in fine, vbi habet hæc verba: *Qui autem id quod sustinet, & prohibet, mouit, est vt moueat; est verò vt non, vt qui columnam diuulsit, aut qui lapidem remouit à vase in aqua; secundum accidens enim mouet, sicut reflexa sphæra non à pariete mota est, sed à proijciente*. Quid clariùs? Neque ab hac sententia elongatur Doctor subtilis, quippequi in 2. d. 13. q. vn. sub H. respondendo ad tertium argumentum principale, dicit, quod *quando virtus actiua non est totaliter exhausta, idest non tantum causauit, quantum potest causare, tunc vlterius, si non potest secundum lineam rectam agere, secundum quam natura maximè agit, quia illa est breuissima, & efficacissima ad operandum, agit secundum aliam lineam isti propinquiorem, & hoc fractam, vel reflexam*; ergo secundum Scotum ab eadem virtute proijcientis causatur motus rectus, & reflexus, qui est resilientiæ, seu resultantiæ. Probatur etiã à sufficienti diuisione, quia motus huiusmodi, cum fiat à virtute impulsiua proijcientis, si est violentus; vel à grauitate mobilis, si fuerit naturalis; & à pariete, vel lapide impediente motum rectum, vt experientia compertum est, quæro an resilientia fiat effectiuè, & per se à proijciente tantùm, vel ab impediente solum, vel ab vtroque simul; sed non est dicendum secundum, & tertium; ergo primum dumtaxat. Maior patet. Minor probatur, & quod non causetur ab impediente solùm, quia virtus causatiua deberet esse aut quantitas, aut qualitas, nempè durities lapidis, vel parietis; Non quantitas, quia nõ est de genere actiuorum, alioquin, vt dicit Doct. subt. in 4. d. 1. q. 4. & 5. sub F. Mathematicus, cõsiderans quantitatẽ, non abstraheret à motu, quod est falsum: Neque durities, quia si Deus sua potentia absoluta conseruaret aliquod molle in eadem quantitate, & figura, resisteret mobili, sicut paries, & æquè benè causaretur motus reflexus absque duritie; ergo hæc nequit esse causa effectiua illius resultantiæ. Neque ab vtroque simul causari potest, cum eiusdem effectus nequeant esse duæ causæ totales per se, eiusdem generis, & ordinis, vt ostendimus in lib. 2. Physicorum; ergo à sufficienti diuisione, huiusmodi resultantiæ motus effectiuè dumtaxat causatur à vi impulsiua proijcientis, si est violentus, vel à grauitate mobilis, si fuerit naturalis. Secundò probatur: Quod impediens non sit causa per se talis resultantiæ, quia mouens per se, si

non sit primum, debet ab alio moueri per virtutem ab ipso receptam; sed paries e. g. dùm facit reflectere pilam, nullatenus mouetur, vt patet; ergo &c. Maior est Aristotelis in hoc 8. Physicorum tex. 33. & 35. vbi exemplificat de baculo mouente pilam, quia est motus à manu, & manus ab homine. Minor etiam est nota; siquidem paries immotus omninò localiter, mouet saltem per accidens per resultantiam, pilam, aut aliud mobile eiusdem figuræ sphæricæ. Secunda pars suadetur: Quod aliquo modo est causa motus, & non per se, est per accidens causa ex Aristotele 8. Physic. tex. 32. in fine, sed impediens est causa resilientiæ, & non per se, vt probatum est; ergo per accidens; siquidem inter per se, & per accidens non est medium.

Obijcitur primò contra primam conclusionem: Aristoteles pluribus in locis, iam citatis in probatione tertiæ, & quartæ conclusionis, docet proiecta moueri tantum ab aere medio; ergo vel prima conclusio est falsa, vel contra Aristotelem. Antecedens patet legentibus textum, vbi nullam fecit mentionem de proijciente, aut eius virtute, sed tantum de medio, nempè aere, vel aqua, in quibus cientur proiecta.

Resp. primò antecedens esse verum instrumentaliter, non autem effectiuè, quia sic fit à proijciente, media eius virtute impulsiua, vt cum ipso probauimus suprà in conclusione quarta; ex quo patet, quàm falsò afferant aliqui nullam ab eo fuisse factam mentionem proijcientis, ac eius virtutis impulsiuæ, cum egerit de motu violento proiectorum.

Vel dicendum secundò negando consequentiam, quia auctoritas negatiuè non tenet.

Obijcitur secundò contra secundam conclusionem: Sicut se habent grauitas, & leuitas determinatæ à natura ad productionem motus naturalis, ita se habent vt determinatæ à mouente, seu proijciente ad causandum motum violentum; sed grauitas, & leuitas, vt determinatæ à natura, præcisò quocumque alio intrinseco, vel extrinseco, sunt causa motus naturalis; ergo vt determinatæ à proijciente, vel alio principio extrinseco, secluso quocumque alio intrinseco, vel extrinseco, erunt causa motus violenti proiectorum. Maior patet, quia eadem corpora grauia, vel leuia, quæ mouentur naturaliter sursum, aut deorsum, mouentur pariter violenter à mouente extrinseco; ergo si ob determinationem naturę grauitas, & leuitas ordinant illa ad propria loca, ordinabunt etiam eadem extra sua loca ex determinatione mouentis, & proijcientis. Minor fuit probata superiùs in hoc libro in quæstione de motu grauium, & leuium.

Resp. Negando maiorem; siquidem grauitas, & leuitas respectu motuum naturalium sursum, aut deorsum sunt principia passiua, & intrinseca, at si forent principia motuum violentorum, deberent esse extrinseca, quod eis repugnat. Ad probationem concesso antecedenti, negatur consequens, quia grauitas, & leuitas sunt tantùm principia passiua, & intrinseca inclinatiua grauium, & leuium ad propria loca, non ad extra, quia tàm motus, quàm mobilia, quæ sic respiciunt loca extranea, exigunt principia actiua, & extrinseca, cuiusmodi non sunt grauitas, & leuitas, quouis modo considerentur.

Obijcitur tertiò contra tertiam conclusionem: Si vis impulsiua, à proijciente impressa proiectis, esset principium *quo*, & proximum motus eorumdem, huiusmodi motus non esset violentus; sed hoc est contra Aristotelem pluribus in locis suæ doctrinæ; ergo & id vnde sequitur. Sequela maioris probatur, quia motus violentus fit à principio extrinseco mobili, ex Aristotele 3. Ethicorum cap. 2. sed huiusmodi vis impulsiua, cum esset impressa mobili, esset sibi intrinseca; ergo motus ab illa causatus non esset violentus. Confirmatur, quia si esset violentus, aut esset motus impulsionis, aut expulsionis, sed neutrum est dicendum; ergo &c.

Maior

Maior patet ex Aristotele 7. Physicorum tex. 10. Minor probatur: Non effet motus impulsionis, quia proijciens non insequitur proiectum; ergo nec eius virtus: Nec expulsionis, quia impulsus supponitur coniunctus proiecto; ergo non esset violentus.

Resp. Negando sequelam maioris; ad probationem negatur minor, quia etsi huiusmodi vis impulsiua esset impressa mobile, & subiectiuè in illo, non propterea diceretur sibi intrinseca, tùm quia non emanaret ab eius principijs intrinsecis, tùm quia cum esset impressa à proijciente, quod est extrinsecum, etiam eius virtus esset sibi extrinseca.

Ad confirmationem dico huiusmodi motum esse impulsionis; nam etsi proijciens non insequatur proiectum formaliter, est tamen sibi vnitum semper virtualiter, hoc est per suam virtutem illi impressam.

Obijcitur quartò probando, quod proijciens non sit principium *quod* respectu motus proiectorum; tùm quia cum proiectum actu mouetur, contingit proijciens actu non esse, cæterùm effectus in actu requirit semper causam in actu, ex Aristotele 2. Physicorum tex. 27. tùm etiam, quia principium *quod* debet habere sibi coniunctum principium *quo* principiat; at proijciens, cum proiectum mouetur, non habet sibi vnitam vim pulsiuam; siquidem illam impressit proiecto; ergo proijciens nequit esse principium *quod* motus proiectorum.

Respondetur ad primum argumentum, maiorem esse veram formaliter, falsam virtualiter, quia cum proiectum mouetur, proijciens semper est in sua virtute, qua media mouet illud. Per hoc ad secundam dico maiorem esse veram, vel formaliter, vel virtualiter: non enim est necesse, vt mouens tangat mobile, cum illud mouet, tactu formali, sed sufficit contactus virtualis, vt aliàs dictum fuit, & repetemus in 2. lib. de Anima.

Obijcitur quintò contra quartam conclusionem: Nam Aristoteles 4. Physicorum tex. 68. docet motum proiectorum non posse fieri in vacuo, ex eo quod velocitas, & tarditas sunt accidentia intrinseca motus, & hæ non possunt reperiri in vacuo; siquidem causæ velocitatis, & tarditatis sunt media densiora, vel rariora, quibus caret vacuum; ergo secundum Philosophum velocitas maior, vel minor in motu proiectorum desumenda erit tantum à medio, & nullo modo à vi impulsiua maiori, vel minori.

Resp. Aristotelem locutum fuisse de causa velocitatis, aut tarditatis motus instrumentaria, & secundaria, non autem de principali, & effectiua, quia hæc prouenit in motu proiectorum à maiori, vel minori potentia extrinseca mottice, vt apertè docuit in 3. lib de Cœlo t. 28. cuius verba formalia retulimus supra in probatione conclusionis quartæ.

Obijcitur sextò contra quintam conclusionem de motu resultantiæ: Nam ab eadem causa per se nequeunt causari duo effectus oppositi, & contrarij; sed motus rectus, & reflexus sunt contrarij; ergo nequeunt causari ab vna, & eadem virtute impulsiua proijcientis.

Resp. Maiorem esse veram de causa ad vnum determinata, vt patet de grauitate, & leuitate; siquidem grauitas nequit causare motum sursum, nec leuitas deorsum, cum sint determinatæ à natura ad vnum tantum motum; falsam verò quando causa est indifferens, & indeterminata, quia sic potest determinari ad causandum effectus etiam contrarios, vt patet in proposito de vi impulsiua proijcientis, quæ cum ab ipso sit determinata ad motum rectum, si impediatur ab aliquo occurrente, antequam exhauriatur, determinatur per ipsum ad motum reflexum.

Obijcitur septimò: Dum corpus resilit, seu reflectit non manet impulsus proijcientis; ergo impulsus proijcientis nequit esse causa resilientiæ. Consequentia patet, quia effectus in actu exigit

exigit causam in actu; ergo si impulsus projicientis actu non est, dum fit resilientia, signum est hanc non dependere ab eo, tamquam à sua causa. Antecedens probatur, quia impulsus non manet, nisi dum manet motus; sed in puncto reflexionis corpus proiectum non mouetur, verùm quiescit; ergo cessat impulsus proijcientis, & sic ab eo nequit produci resilientia.

Respondetur negando antecedens; ad probationem negatur minor, quia vt probatum fuit in præcedenti quæstione, dantur plures casus, in quibus in puncto, seu termino reflexionis nulla mediat quies, sed motus reflexus contiguatur in instanti cum motu recto, aut sicut dicit Scotus in quol. 12. art. 3. consequitur in instanti, absque vlla quiete media, motum rectum; nec hæc doctrina est contra Aristotelem, vt vidimus in præcedenti quæstione, conclusione quinta, cum solùm neget continuitatem motuum contrariorum in vna specie, non tamen consequentiam vnius ad alium absque vlla quiete media.

Obijcitur octauò: Si pila, per suam naturalem grauitatem moueretur deorsum, resiliret à terra, vt experientia comprobari potest; sed non haberet vim impulsiuam ab aliquo proijciente, ergo terra haberet virtutem impellendi eam.

Respondetur communiter pilam naturaliter descendentem resaltare à terra virtute impulsus producti à grauitate, & aere, gerentibus in tali casu vicem proijcientis, & ideò negatur minor argumenti.

De indiuisibilitate, & impartibilitate primi Motoris.

SVMMA IV.
Caput Vnicum.

IN hac vltima Summa aggreditur Philosophus ostendere indiuisibilitatem, impartibilitatem, & immobilitatem primi Motoris, & à tex. 78. vsque ad 86. & vltimum probat quatuor conclusiones principales, quarum prima est. Primus Motor est tantum vnus, & probar, quia alioquin esset processus in infinitum in mouentibus, & motis, quod esse impossibile superiùs in Summa 2. cap. 5. luculenter ostendit, probando vnitatem, & perpetuitatem primi Motoris.

Secunda conclusio. Primus Motor est immobilis, quam sic probat: Nam si esset mobilis, vel moueretur à se, vel ab alio; sed neutrum est dicendum; ergo &c. Maior patet ex dictis in 7. Physicorum à tex. 1. & sequentibus. Minor probatur: Non à se, quia sic defatigaretur, nec semper regulariter moueret, vt patet in ijs, quæ mouentur à se, sed primus Motor vniformiter, & regulariter mouet semper; ergo &c. Nec ab alio, quia tunc non esset primus Motor, quod est contra suppositum; superest igitur, vt primus Motor sit immobilis, & immotus cuncta moueat.

Tertia conclusio. Primus Motor est in circumferentia Cœli, vt in loco. Probatur, quia primus Motor debet poni vbi velocior est eius operatio, idest motus; sed in circumferentia velociòr est motus, quam in centro, cùm partes illæ sint maiores; ergo primus Motor est in circumferentia, vt in loco.

Quarta conclusio. Primus Motor est indiuisibilis, & expers magnitudinis; probat, quia si haberet magnitudinem, vel illa esset infinita, vel finita, neutrum dici potest; ergo &c. Minor probatur: Non infinita, quia talem admitti non posse pluribus rationibus ostendit in 3. lib. Physicorum: Nec finita, quia potentia infinita (cuiusmodi est illa primi Motoris) nequit esse in magnitudine finita, vt vberiùs probauit in eodem 3. Physicorum, & in hoc 8. libro à tex. 80 vsque ad 82. Et hæc de textu 8. Physicorum.

De

De Existentia Locali primi Motoris secundum Aristotelem.

DISPVT. VLTIMA.

IN hac vltima disputatione, sequendo textum Philosophi, agendum esset de Vnitate, Æternitate, Immobilitate, Immaterialitate, & Infinitate durationis, ac intensiua primi Motoris, cum de his omnibus, & ipse pertractauerit à t. 78. vsque ad finem; at cùm hæc omnia (breuiori tamen calamo, quàm faciant Recentiores) superiùs absoluerimus, disputando de vnico omnium rerum Principio, ideò nè eadem toties contingat recensere, in præsenti illa omittimus, & solùm inuestigare tentabimus de sede, seu de existentia locali primi Motoris secundum principia Aristotelis, & secundum veritatem etiam Theologicam, quibus peractis finem imponemus quæstioni, ac disputationibus super hoc octauo Physicorum libro agitari solitis.

Vtrum primus Motor, siuè Deus, sit vbique etiam in spatijs imaginarijs?

QVÆSTIO VNICA.

HAnc quæstionē pertractant Theologi in 1. sent. dist. 37. Philosophi verò in hoc lib. 8. Physicorum ad t. 84. vbi Aristoteles fatetur disertis verbis: Primum Motorem, siuè Deum non existere in centro, sed tantum in circumferentia Cœli, & inter vtrosque est controuersia: nam aliqui putant Deum esse vbique, etiam extra Cœlum, vbi adsunt infinita spatia imaginaria. Ita Suarez in Metaph. disp. 30. sect. 7. Molina 1. par. q 8. art. 1. Zumel art. 2. q. vn. Valentia pun 2. & alij, quos refert, & probabiliter sequitur Mastrius in 1. sent. disput. 2. quæst. 5. art. 1. num. 219. & in Physica disp. 11. quæst. 6. quibus addere possumus Maiorem in 1. dist. 37. quæst. 2. Altisiodorensem in sum. lib. 1. cap. 16. Ficinum lib. 2. de immort. Animæ, & Eugubinum lib. 4. de perenni Philosophia cap. 1. & 2. Alij verò ponderosiùs rem considerantes concedunt Deum esse vbique præsentem rebus actu existentibus, negant tamen esse in spatijs imaginarijs. Ita D. Bonauentura in 1. dist. 37. part. 2. art. 1. q. 3. Scotus ibidem q. vn. Vasquez in 1. par. disput. 29. D. Thom. art. 2. q. 2. Durand. Capreol. quæst. 1. art. 3. & alij multi, tùm ex Scotistis, tum ex Thomistis, maximè Recentioribus, relati pariter à Mastrio citato.

Philosophi pariter contendentes de mente Aristotelis, sunt diuisi: Nam D. Iustinus Philosophus, & Martyr in orat. parenetica ad Gentes, sustinet, Aristotelem negasse immensitatem Dei, & præsentiam rebus omnibus, quod confirmari potest ex varijs locis suæ doctrinæ; siquidem in hoc lib. 8. tex. 84. docet primum Motorem non esse in centro, sed tantùm in circumferentia Cœli. Idē sentire videtur in 1. de Cœlo tex. 22. & in 2. lib. eiusdem operis tex. 66. & in 2. de Generat. & Corrupt. t. 58. dum in primo loco approbat commune proloquium Græcorum, & Barbarorum attribuentium Deo, qui sursum est, locum, nempè cœlum, & in cæteris dicit hæc inferiora longè distare à Deo, atque ideò generationi, & corruptioni obnoxia esse. Cæterùm ferè omnes eius Expositores, nempè Alexander lib. 2. de Anima cap. 23. Simplicius 8. Physicorum ad t. 84. D. Thomas ibidem, Themistius in Paraphrasi ad 12. librum Metaphysic. Philoppohus lib. 1. de Anima tex. 4. & quamplures alij asseueranter tradunt, quod Aristoteles tenuerit immensitatem Dei, idque ostendunt ex dictis eiusdem, & præsertim lib. 1. de partib. Animal. cap. 5. vbi approbans dictum Heracliti, inquit: *Nec ab exigua domuncula Deum abesse*, & in 7. Physicorum cap. 2 docet, nihil agere posse, nisi vbi præsens, at cum in lib. de Mundo ad Alexandrum cap. 7. dicat, *Deum, cunctorum, quæ rerum natura complectitur, conseruatorem esse, & omnium, quæ in hoc mundo perficiuntur, esse genitorem, quia omnia in potestate*

testate continet, nec minus etiam, quæ longius ab ipso videntur esse submota, sequitur, secundum ipsum, Deum vbique fore præsentem.

Quid autem in vtraque difficultate sentiendum nobis sit, quibusdam adnotatis, illud in conclusionibus patefaciemus.

Primò igitur notandum est, seu potiùs memoriæ recolendum, quod alias aduertimus, nempè aliquid esse in loco posse contingere quadrupliciter, scilicet circumscriptiuè, diffinitiuè, præsentialiter, & immensiuè. Primo modo Deus non est in loco, quia cum careat substantia corporali, à nullo circumscribi potest: Nec etiam secundo modo, quia esset finitus, & determinatus vni loco, vt alibi simul esse non posset, vt patet de substantia spirituali, vel etiam corporea, si ab ea separata fuerit quantitas: Nec tertio modo, quia quamuis pluribus locis posset exhibere præsentiam realiter, vt credimus de corpore Christi sacramentaliter sub speciebus panis, & vini existente, non tamen omnibus rebus actu existentibus, & sic non esset vbique: Sed tantum quarto modo, quia cum sit infinitus, & immensus, est vbique per essentiam, potentiam, & præsentiam, vt mox declarabimus.

Secundò notandum ex Doctore subtili in 4. dist. 10. quæst. 2. K. quod Deus ex sua immensitate necessariò est vbique, quia nullum potest esse vbi, in quo non sit secundum potentiam, præsentiam, & essentiam. Dicitur esse vbique secundum potentiam, quia vt docet idem Doctor in 1. dist. 37. quæst. vn. sua potentia cuncta producit, & cōseruat: Secundum præsentiam verò, quia omnia prospicit clarè, & distinctè cognoscit, vt optimè demonstrat in 1. dist. 39. per totam: & tandem secundum essentiam, quia vt docet idem Scotus in 2. dist. 3. q. 9. Essentia diuina secundum seipsam est entitatiuè intimior cuilibet rei, & etiam intellectui creato, plus quam species intelligibilis: Vel vt dicit Diuus Augustinus ad Dardanum epist. 57. Deus est vbique per essentiam, quia nusquam est absens; Ex his infertur, quod sicut omnia sunt in Deo præsentia, idest in eius scientia: potentia, hoc est in eius virtute: & essentia, idest eminenter in eius essentia contenta, ita è contra dicitur esse in illis per essentiam, præsentiam, & potentiam.

Tertiò notandum est ex Doct. subtili in 1. dist. 37. q. vnica, & dist. 39. B. & Y. & in 2. dist. 2. quæst. 6. G. & I. *quod ante Mundi creationem non est imaginandum vacuum infinitum, quasi ibi fuerit præsens Deus secundum essentiam antequam produceret Mundum, imò non vt alicubi præsens Deus secundum essentiam fuit potens facere Mundum, vt in seipso erat*: Sicut enim Angeli conditi fuerunt ante corporalem creaturam, vel saltem condi potuerunt, vt docet D. Damascenus cap. 17. & innuit Scotus in 2. dist. 2. q. 6. G. & I. non tantum de Angelis, sed etiam de lapide, & tamen nullibi actualiter existerent, vt præsentes loco, sed tantùm potentialiter, ita nec Deus esse potest in aliquo spatio imaginario, cùm tale non sit aliquid reale fundans, aut terminans coexistentiam, aut præsentialitatem ad Deū actu, sed solum potentia, si nimirum produceretur de non esse ad esse reale. Ex quo infertur Deum actu coexistere præsentem omnibus creatis, etiamsi forent formata extra Mundum, & sic intelligitur esse vbique, non tamen spatijs imaginarijs, cum actu nihil sint, modò quod non est nequit fundare, aut terminare relationem realem actualem coexistentiæ ad præsentialitatem diuinam: esset tamen illis præsens potentialiter, & virtualiter, quatenus si spatia essent aliquid in rerum natura, Deus est talis virtutis, vt posset illis coexistere secundum suam essentiam, præsentiam, & potentiam.

Quartò notandum est, quod aliquid esse vbique potest contingere dupliciter, vno modo propriè, & in actu primo; alio modo appropriatè, & in actu secundo. Illud est alicubi priori modo, quod est ibi secundum propriam naturam, & præsentialitatem, & sic Deus est

est vbique necessariò, & æqualiter; siquidem eius natura, & immensitas exigunt, vt coexistat præsentialiter cuilibet rei creatæ: Id verò est alicubi posteriori modo, quod ibidem, & non alibi aliquid operatur, & sic Deus non æqualiter vbique est; quandoquidem in iustis est per gratiam, quo modo non est in peccatoribus: similiter est in beatis per gloriam, quo modo non est in viatoribus: in inferno per punitionem, quo modo non alibi, & sic discurrendo per singulas operationes speciales Dei. Hic est sermo de esse vbique primo, & non secundo modo.

Ex his sit prima conclusio: Primus Motor, siuè Deus, non tantùm est in circumferentia Cœli, sed vbique per essentiam, præsentiam, & potentiam, nedum secundum veritatem catholicam, verùm etiam secundum Aristotelicam doctrinam. Prima pars probatur auctoritate Sacræ Scripturæ; nam in Psalmo 138. inquit Dauid: Si ascendero in Cœlum, tu illic es: si descendero Infernum, ades: si sumpero pennas meas diluculò, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Deindè suadetur ex Sanctis Patribus; siquidem Diuus Gregorius super illud Cant. cap. 5. Quò abijt dilectus tuus: inquit, Deus communi modo omnibus rebus inest, essentia, præsentia, & potentia. Diuus Augustinus lib. 7. de Ciuit. Dei cap. 30. subiungit: Deus implet Cœlum, & Terram præsente potentia, non absente natura: magnitudinis enim eius non est finis. Denique probatur ratione, quia de ratione immensi est vbique esse; sed primus Motor, siuè Deus, cum sit infinitus, est immensus; ergo est vbique. Confirmatur: Infinitum, & illimitatum debet omni finito, ac limitato coexistere secundum essentiam, præsentiam, & potentiam, alioquin non esset vndequaque infinitum, ac illimitatum; sed Deus est infinitus, & illimitatus, & omnia, præter ipsum, sunt finita, ac limitata; ergo est in omnibus per essentiam, præsentiam, & potentiam, ac proindè vbique, vt explicatum est in notabilibus. Secunda pars suadetur, quia Philosophus in 4. Physicorum tex. 18. inquit: Quod illud, quod alicubi est, semper est aliquid, & aliud aliquid extra ipsum; sed Deus ita est in omni loco, vt neque ab exigua domuncula abesse possit, ex eodem lib. 1. de Partibus Animal. cap. 5. ergo secundum Aristotelem, non erit solum alicubi, sed vbique. Confirmatur, nam in 7. Physicorum cap. 2. docet, primum mouens nihil mouere posse, nisi sit simul cum eo, quod mouet, idest præsens, & non absens, sed ex eodem in lib. de Mundo ad Alexand. cap. 7. Deus, cunctorum, quæ rerum natura complectitur, est genitor, & conseruator; ergo concludendum est primum Motorem, siuè Deum, etiam de mente Philosophi, esse vbique per essentiam, præsentiam, & potentiam.

Secunda conclusio. Deus non est actualiter in spatijs imaginarijs extra Cœlum, sed tantum potentialiter. Est Scoti in 1. dist. 37. quæst. vnica sub B & aliorum, quos citauimus pro secunda sententia. Prima pars probatur, quia relatio realis actualis exigit necessariò fundamentum, & terminum realem, & actualem, vt ostendimus cum Doctore subtili in Prædicamen. disput. 7. quæst. 1. sed præsentialitas, seu coexistentia Diuina importat relationem actualem, & realem ad omnia loca realia actualia; ergo cùm spatia imaginaria sint non entia realia actu, non poterit relatio præsentialitatis, & coexistentiæ diuinæ ad illa terminari actualiter. Confirmatur, quia vbicumque est Deus per coexistentiam realem actualem, debet etiam ibi adesse per potentiam, & præsentiam, sed spatijs imaginarijs nequit Deus coexistere sua potentia, aut præsentia, quia quod non est, non potest conseruari, aut cognosci; ergo nequit illis actualiter coexistere per suam essentiam. Secunda pars

pars probatur, quia Deus est infinitus secundum essentiam, præsentiam, & potentiam; ergo est in potentia coexistendi infinitis mundis creabilibus, si forent possibiles, sed spatia imaginaria sunt obiectum infinitorum mundorum, si forent creabiles; ergo Deus potentialiter est in illis. Maior patet. Minor similiter ex notabili tertio clarescit.

Tertia conclusio. Quamuis posset concedi, Deum per suam immensitatem esse extra hunc mundum, non tamen dici potest, fore in spatijs imaginarijs. Est Scoti in 1. dist. 39. sub B. & Y. contra Mastrium in Physica disput. 11. quæst. 6. & super 1. sent. disput. 2. quæst. 5. art. 1. Probatur prima pars, quia Deus potest creare Angelum, vel lapidem extra hunc mundum; sed Deus per suam immensitatem fit præsens omnibus creatis; ergo Deus per suam immensitatem posset esse extra hunc mundum. Maior patet ex his, quæ habet Scotus in 2. dist. 2. quæst. 6. G. & I. siquidem Angelus, & lapis quoad substantiam non dependent essentialiter à loco, verùm dumtaxat habent potentiam passiuam essendi in loco, si realiter existat; ergo eis non repugnat produci extra vniuersum, vbi nullus est locus actualis. Minor patet ex tertio notabili, & ex conclusione prima. Secunda pars remanet probata in præcedenti conclusione; siquidem quod non est actu, nulli potest coexistere, aut terminare coexistentiam alterius; relatio enim actualis necessariò exigit existentiam actualem vtriusque extremi; sed spatia imaginaria non sunt aliquid actu, alioquin non essent imaginaria, sed realia; ergo non possunt fundare, aut terminare relationem diuinæ potentiæ, seu coexistentiæ. Confirmatur, quia sicut se habet æternitas ad tempus, ita immensitas ad locum, sed instans æternitatis non coexistit toti tempori simul, quia cum sit successiuum, non potest esse simul, verùm coexistit dumtaxat nunc existenti; ergo nec immensitas poterit coexistere omni loco possibili, sed tantum actualiter existenti.

Obijcitur tamen multipliciter contra supradictas conclusiones, & primò contra primam, quia Deus est immutabilis, vt testantur sacræ paginæ; sed si Deus esset vbique, foret mutabilis; ergo &c. Minor probatur, quia mutari est rem aliter se habere nunc, quam prius, ex Philosopho 6. Physicorum tex. 32. & 73. sed data vbiquitate in Deo, aliter se haberet nunc, quàm prius; quandoquidem multæ res fiunt de nouo, quibus prius non esset præsens, & postea esset præsens; ergo aliter se haberet nunc, quam prius, & sic diceretur mutari.

Respondetur, negando minorem; ad probationem negatur iterùm minor, ad cuius probationem dico fore veram, si Deus esset præsens rebus, quæ de nouo fiunt, noua præsentia, veluti forma in se recepta, non tamen si antiqua, secundum quam coexistit potentialiter antequam fiant, actu verò cum de nouo fiunt, & sic Deus non dicitur mutari, quia nullam formam de nouo recipit, sed res de nouo facta reuera mutatur, quia in sui productione recipit nouam formam relatiuam, secundum quam dicitur nouiter coexistere Diuinæ præsentialitati.

Obijcitur secundò contra secundam partem eiusdem conclusionis, doctrina Aristotelis diuersis in locis, & præsertim 8. Physicorum tex. 84. in 1. de Cœlo tex. 22. & in 2. de Cœlo tex. 66. & in 2. de Generat. & Corrupt. tex. 58. & in lib. de Mundo ad Alexand. cap. 7. in quibus asseueranter docet, Deum, seu primum Motorem esse in circumferentia Cœli, & non in centro; Cœlum habere dumtaxat pro suo loco, & determinata sede, & non alibi; ergo in sententia Aristotelis sustineri nequit, Deum esse vbique, saltem per essentiam, & præsentiam.

Respondetur negando consequentiam; nec allata loca Aristotelis officiunt nostræ doctrinæ; siquidem non est

est locutus simpliciter, & absolutè, vt ostendimus in probatione conclusionis, verùm duntaxat comparatiuè in ordine ad operationes, quas exercet in toto mundo; quandoquidem operationes cælestes sunt perfectiores, quàm terrestres, & ideò respectu istarum, conuenientius est, vt sedem habeat in Cœlo, quàm alibi, cum hoc tamen stat, vt non sit absens à cæteris mundi partibus.

Obijcitur tertiò contra secundam conclusionem, quia non minus est efficax immensitas Dei, quàm æternitas eiusdem; sed Deus ratione æternitatis coexistit toti tempori, etiam imaginario; ergo & per immensitatem coexistere debet omni loco, etiam imaginario.

Respondetur ex Doctore subtili in 1. dist. 39. sub B. & Y. verùm esse totum argumentum potentialiter, non verò actualiter, quia sic per æternitatem coexistit tantum tempori præsenti, & per immensitatem locis actualibus, & non imaginarijs.

Obijcitur quartò: Si Deus non esset diffusus actu per spatia imaginaria, sequeretur posse in se diuidi; sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Minor est nota, cum sit substantia omninò spiritualis. Sequela maioris probatur, quia si Deus poneret duos Angelos, vel lapides extra Cœlum, coexisteret illis actualiter; sed tales Angeli, vel lapides essent abinuicem diuisi; ergo etiam Deus illis coexistens esset diuisus, quod est omninò falsum.

Respondetur ex Doctore subtili in 2. dist. 2. quæst. 7. sub C. negando sequelam maioris; ad probationem dico, verum esse totum, quando illud tertium, in quo conueniunt extrema, esset limitatum ad illa, non tamen si illimitatum, vt patet de anima, quæ quia est illimitata ad omnes partes corporis, est tota indiuisibiliter in manu dextra, & tota sinistra, quamuis abinuicem distant; ita pariter dicendum esset de Deo in casu posito; siquidem cum sit illimitatus ad omnes mundi partes, quamuis coexisteret duobus Angelis extra Cœlum inter se distantibus, non tamen distaret à se, verùm totus coexisteret illis & si abinuicem distarent.

Obijcitur quintò ex Mastrio, quia secundum Scoti principia, & secundum veritatem, fieri potest motus in vacuo; sed non posset, v. g. lapis moueri, nisi haberet coexistentiam actualem ad vacuum; ergo idem dicendum est de Deo in spatio imaginario. Consequentia patet, quia etiam spatium imaginarium est quoddam vacuum interminatum. Minor probatur, quia motus supponit existentiam mobilis actu in spatio, in quo fit motus; ergo si lapis moueretur in vacuo, necessariò haberet coexistentiam actualem ad vacuum.

Respondetur ex Scoto in 2. dist. 2. quæst 6. sub G. negando minorem; siquidem posito casu, quod lapis esset in vacuo, existeret quidem in se actualiter, at non coexisteret illi, nisi potentialiter, quatenus nimirum in illo esset potentia passiua coexistendi, etiam actu si adesset corpus locans, in quo moueri posset. Ad probationem negatur antecedens; siquidem motus supponit existentiam mobilis in spatio, si fiat in aliquo corpore locante; cæterùm si fiat in vacuo, sufficit existentia mobilis in se, cum potentia passiua ad moueri localiter in pleno, si ponatur in rerum natura. Idem dicendum est de Deo respectu spatij imaginarij, quod existeret quidem in se actualiter, at non coexisteret illi, nisi tantum potentialiter, & virtualiter, vt suprà explicatum est. Alia argumenta facit Mastrius ad probandam suam conclusionem, sed ex dictis facilè solui possunt; quandoquidem spatium imaginarium, cum non sit aliquod reale positiuum, sed vel non repugnantia, aut capacitas, quæ supponunt aliquod positiuum, quod non potest esse, nisi Deus; ex quo infertur, quod dicere, Deum esse in spatijs imaginarijs, est dicere, Deum esse in se, vel in non repugnantia fundata

data in eius potentia, ac virtute, quod & nos gratis concedimus.

Conimbricenses etiam in 8. Physicorum cap. 10 quæst. 2. art. 3. in confirmationem huius sententiæ de coexistentia Dei spatijs imaginarijs affert plures auctoritates, tum Sacræ Scripturæ, tum Sanctorum Patrum, quæ si rectè perpendantur solum ostendunt, virtutem Dei non coarctari huic Mundo, vel Cœlis, sed cum sit infinita, posse supergredi Cœlos, & Mundum, alios creando, & sic potentialiter, ac virtualiter coexistere spatijs imaginarijs, & nil amplius, quod & nos hactenus demonstrauimus cum Doctore subtili in præcitatis locis.

Et hæc de Disputationibus, ac Quæstionibus super octo libris Physicorum dicta sufficiant.

FINIS.

ÈRRATA CORRIGE.

Primus numerus paginam, ſecunds volumnam, tertius verò lineam oſtendit.

Errata	Pag.	Col.	Lin.	Correta
methoricam	3	1	21	Rethoricam
Tabeti	4	2	10	Thaleti
videmus	8	2	23	videbimus
nec verus	8	2	49	ſed verus
prędemonſtrato	9	2	6	prędicamento
depoſitum	10	2	25	compoſitum
ſyllonismorum	12	2	24	ſyllogiſmorum
tantum	13	1	46	Tamen
&	14	2	13	vt
maneri	16	1	37	moueri
ſunt	16	2	47	& ſic ſunt
ſinita	19	1	46	ſinita
accodatum	23	1	10	accomodatum
magiſtero	23	1	11. & 15.	Magiſtro
Inſcribitur.	23	1	21	Inſcribi
qui	25	2	26	quod
eſſentiarum	26	1	3	eſſentiam
qui	27	1	27	quæ
in inſenſibilis	29	1	46	inſenſibilis
voluntas	33	2	52	voluntatis
probaui	43	2	42	probari
diſtincta	50	1	39	diſtinctio
phyſicas	51	1	27	phyſicę
non confunderentur	52	1	21	confunderentur
habere	52	2	11	habent
quod	56	1	20	quid
quid	56	1	23	quod
quid	56	1	25	quod
realem	62	1	1	realiter
ſed aliqua	62	1	10	ſed aliqua enthym
loco diſtas	70	2	41	loco diſtitas
dupliciter	101	2	13	tripliciter
ſecundum	101	2	40	ſecundæ
eſſe ſubiectum	105	1	15	per eſſe ſubiectum
eeſſet	110	2	24	eſſet
puta	120	2	50	pura
de Propoſit.	126	2	21	de Proprio
materia	132	2	15	materiæ
nobiles	136	1	15	mobiles
opinione	137	1	45	opinio
& ad tertiam	138	1	17	& ad ſecundam
hic eſt	141	1	7	hic eſt ſermo
incorruptibilitatis	150	1	4	corruptibilitatis
vora	150	2	39	nota
deuenuſtat	161	1	25	venuſtat
vt ſit	172	1	27	vt ſic
neutris	173	2	8	neutris
haberet mediatè	184	2	52	habent mediatè
marum	187	1	29	murem
diximus	200	1	18	duximus
diſtinctiuum	206	2	13	dcſtructiuum
cum	219	2	17	vim
ad poſſe	222	1	37	poſſe
voces	229	2	47	vires
argentum fuiſſe	230	1	42	argentum
ſed tamen	235	2	51	ſed non
non accipiat	238	2	31	non accipitur

Errata	Pag.	Col.	Lin.	Correta
ſed finem	240	1	40	ſed per finem
cum relatio	251	2	11	cum ſit relatio
vnaque	254	2	9	vnaquæque
minor	287	1	40	maior
ſtam	292	2	42	ſitam
inducere	298	1	11	induere
actus imperatus	306	2	34	ad actus imperatos
quomodo	307	2	37	quando
parti in dignitate	313	1	49	partem dignitate
ad totius	336	2	40	ad eſſe totius
rationis	337	2	9	rationem
nec	340	1	10	&
imputat	351	2	33	importat
dependit	352	2	48	deperdit
ad quam	364	1	3	ad quem
terminati, & copulatiui	364	2	40	terminatiui, & non copulatiui
Actionis, Paſſionis, &	367	2	1	Actionis, &
ſimplices	381	2	41	ſimpliciter
procedimur	382	1	22	proceditur
contineantur	396	1	5	contineatur
exiſtentium	398	2	13	exiſtentibus
numerus	400	1	20	numeris
aliud	402	2	20	alium
motum	409	1	13	natum
dico	412	2	42	duo
huius	413	2	27	huiuſmodi
vnicumque	420	1	31	vnicuique
ſiuè vnus	420	1	41	ſint vnus
tranſiens	442	2	31	tranſire
ſunt	448	1	1	quæ ſunt
motas	460	1	2	motus
ſolium	461	1	28	ſolum
quædam	462	2	37	quaſdam
imputare	464	1	20	importare
libro quinto	481	2	26	librum quintum
alteràtio	518	2	48	altero
naturaliter	524	1	47	realiter
factum	551	1	9	fatum
habitibus	553	1	19	habitus
alterius	568	1	14	vlterius
ea	568	2	31	ex
motum	572	1	26	motus
alius	573	1	52	quia
& impoſſibile	575	2	25	& nõ impoſſibile
Obiicitur	589	2	8	Obiiciuntur
ſed his	593	2	50	ſed de his
quinque	597	1	25	quinque capitula
penitus	597	1	32	penitùs
mouente	605	1	45	mouere
habet	616	1	45	iubet
viuentibus	620	1	23	viuentis
altum	620	1	34	actum
ſoluendo	623	1	7	ſoluit
quia	626	2	50	quin
impulit	629	2	35	impellit
cum	632	1	22	vim